LUX
MORALIS

EXPOSITA A R. P.

SABINO BONONIENSI,

In duas Partes diviſa.

Digitized by Google

Digitized by Google

LUX MORALIS

Bipartita Illuſtratione

UNIVERSAM QUASI MORALEM
Theologiam ſummatim elucidans,

CLERICIS ORDINANDIS, & CONFESSARIIS
inſtituendis in Examine, atque Exercitio aptè reſulgens,
ne in errorum, aut hucuſque à SUMMIS PONTIFICIBUS
damnatarum Theſium ſcopulos offendant:

EXPOSITA

A P. FR. SABINO BONONIENSI
Theologiæ, & Sacrorum Canonum Profeſſore, Ordinis Minorum
Strictioris Obſervantiæ Reformatorum SANCTI PATRIS FRANCISCI
Provinciæ Bononiæ.

ILLUSTRATIO PRIMA,
ſive PARS PRIMA.

*EDITIO NOVISSIMA, CUI PRÆTER ALIAS ADDITIONES
ſparſim poſitas, additur Tractatus de Sancta Cruciata Bulla.*

VENETIIS, MDCCXXVIII.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVO RAYMUNDO
DE PENNAFORT DOMINICANO.

MEditanti mihi cuinam inclyto Mæcenati, præſtantique Patrono meas haſce elucubrationes pro more nuncuparem, Tu primus occurriſti, *Dive Raymunde*, qui non uno, ſed multiplici nomine, hoc Tibi pendi vectigal expoſcebas. — Volumen hoc, quod Euangelicæ Sapientiæ, & Chriſtianæ Religionis complectitur Leges, illas videlicet faces, quas Theologia Moralis præſefert omnibus CHRISTI aſſeclis; qui cæcas inter hujus vitæ ambages divinum Ducem ad cœleſtem Patriam comitantur. — Ergo Tibi, qui dum in terris ageres, Sapientiæ, & Religionis oraculum Te probaſti, qualicumque doctrina, & pietate refulgentem, Opuſculum morale dicandum erat; ſiquidem & fortiſſimi Heroes arma in trophæum, & celeberrimi Doctores laureas in decus proprium referre ſolent à clientibus, illudque in dies impletur Euangelicum adagium: (Luc. 8.) *Habenti dabitur*; in quo enim virtutis genere quiſpiam inter alios clariùs excellit, ejuſdem pariter virtutis luculentiùs ab aliis præmium reportat. — Quid? Sapientiſſimo Regum omnium, hominumque teſte: (Eccleſ. 1.) ad mare *unde exeunt flumina revertuntur*. Igitur quota, quota eſt, quam à Te hauſi, ad Te uberrimum, *Raymunde*, fontem, ad Te, ſcientiarum peramplum mare redire

Digitized by Google

debet moralis doctrina. Quis te ab Archigymnaſio *Bononienſi*, ubi Sacros Canones ſumma cum admiratione innumeris ſtudentibus es interpretatus, tum ex Academiis Hiſpaniarum, in quibus *Te novum Salomonem* populi, Regeſque ipſi certatim conſulebant, tum à Romana Urbe, Supremaque Eccleſiaſtici Regiminis Curia, ubi jubente Gregorio Nono Romanorum Pontificum, & Conciliorum ſtatuta, ſepulta propemodùm profundis è latebris eruiſti, ſparſa unam in aciem DECRETALIUM inſtructiſſimam coegiſti, ſuboſcura aurea perfudiſti luce, infirma hominibus præforti roborare firmaſti, qui neſciat, inquam, Te illud extitiſſe *Mare magnum* Conſcientiæ Caſuum, *& ſpatioſum manibus* ſtudentium, (Pſal. 103.) ex quo *flumina Aquæ Vivæ*, aquæ *ſalientis in vitam æternam*, (Joan. 4.) effluxerunt in omnes fidelis Orbis regiones? -- Ad ipſummet igitur recurrant Mare grati, & obſequentes Scientiarum rivuli; quos meos in libros deduxi ad agri Euangelici areolas irrigandas. -- Quod porrò florentiſſimum ver, imò ſatiùs dixerim uberrimam æſtatem, fertiliſſimumque non Scientiarum tantùm, ſed omnium Virtutum etiam autumnum, iſti non devehent rivuli, ſi tuo planè Divino Spiritu, qui ſuper has aquas ferebatur, (Gen. 1.) & fertur, tua fœtæ luculentiſſima SANCTITATE, aquæ; inquam, felices, meæ videlicet Sententiæ, à Te, auſpicatiſſimo Fonte, manarunt? -- Sed mihi, & areolis, aquis, & doctrinis meis, imò, potiùs Tuis, omen longè feliciùs præcucurrit. -- Ediſſeram quod ſentio. -- Celeberrima flumina à Paradiſi voluptatis magno fluvio erumpentia, (Geneſ. 2.) fœcundis cum aquis metalla pretioſa, gemmaſque ſingulares convehebant; quamobrem irrigatas in regiones pretioſiſſimam profundebant tempeſtatem. -- Argentum igitur, atque aurum, pretioſas margaritas, gemmaſque præſtantes undæ illæ, doctrinæque quaquaversùm afferent, & proferent, quæ Te, ditiſſimum Virtutum Fontem, nactæ ſunt, juxta illud: (Prov. 20.) *Eſt aurum, & multitudo gemmarum: & vas pretioſum labia Scientiæ.* Scientiæ, inquam, divinæ, moribus optimis inſtructæ, atque inſtruentis. -- Effundent ergo argenteam illam morum innocentiam, quà centum propemodùm per annos in Academiis, atque Regiis in aulis, non ſecùs ac religioſis Clauſtris, integerrimam ſervaſti, alter inter Ægyptios populos Joſeph, & Daniel inter Chaldæorum Dynaſtes. Effundent præfulgens Charitatis aurum, quo innumeros à dæmonum vinculis *Tu Inſignis*

Sacra-

Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter, & è Barbarorum tyrannide *novi Ordinis prudens Legislator*, ſtrenuuſque Promotor redimiſti. -- Effundent Prudentiæ, & Juſtitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ gemmas, quibus munificentiſſimè ditaſti tum Clariſſimum tuum *Prædicatorum Ordinem*, Provincialis, & Generalis munere fungens, tum auguſtam Aragonum Regum, æquè ac Apoſtolicam Romanorum Pontificum aulam, Pœnitentiarii, ac Capellani, (ut vocant) Concionatoris, ſimulque Conſiliarii multiplicem gerens perſonam, tum Chriſtianam univerſam Rempublicam ſermone, ſcriptis, ſanctioris vitæ Inſtitutis, quæ tuum peperit conſilium, aluit cura, firmavit oratio, exemplum abſolutiſſimè perfecit. -- Fauſta hæc omnia præfari licet, ſi ſpectetur Fons ille, ex quo aqua iſta Sapientiæ manavit, ſi conſpiciatur Pater ille, atque Patronus, miram unde virtutem, fauſtumque auſpicium eadem doctrina noſtra ſortita eſt. Aſt adde, quòd pervetuſtum fœdus, inter Optimos noſtros Patriarchas DOMINICUM, ET FRANCISCUM, tunc primò ſancitum, cùm utrumque Lateranenſem Baſilicam prolabentem humeris ſuis ſuſtentare vidit revelatione Divina INNOCENTIUS PAPA hujus nominis TERTIUS, & ambo Romæ ſe invicem amplexantes ſanctæ vinculo amicitiæ, in eodem propoſito ambulare ſtatuerunt: poſtmodùm renovatum, cùm eorum Thomas, & Bonaventura arctiſſimo eodem amicitiæ nexu colligati Eccleſiæ Catholicæ Sapientiam, dignitatemque propugnare, atque ampliare ſtuduerunt; firmatum perinde per tot ſæcula, quibus filii, & nepotes utriuſque Religioſæ Familiæ, mutuis invicem benevolentiæ, ac pietatis officiis decertarunt: hoc, inquam, fœdus me impulit, ut hoc Tibi, *Raymunde*, monumentum ponerem, atque dicarem; hac ſi quidem ratione omnibus compertum fiet, *Dominicanum* inter atque *Franciſcanum* genus antiquum, & amoris, & Religionis, gratiarumque perdurare commercium, cùm *Raymundus* mihi fera hac ætate ſcientiam, virtutem, zelum, validiſſimum Patrocinium præferat; contra verò *Raymundo* laudes, grates, venerationem in ævum referam ego

Fr. Sabinus Bononienſis
Fratrum Minorum minimus,
die 17. *Auguſti anni* 1721.
Bononiæ.

PIO

Digitized by Google

PIO LECTORI
Salutem.

F*Aciendi plures libros nullus eſt finis*. Audiſti à Salomone, Eccleſ. cap. 12. verſ. 12. Quid ergo miraris reſpiciendo meum liberculum? Libri nonne ſunt Animæ liberi, ingenii partus, mentis conceptus, ſcientiæ theſauri? Ita. Si nullus eſt finis inter homines ſæculares procreandi filios, & filias, & acquirendi ſibi perituras divitias: dicito mihi, cur Sapientibus tantùm aſſignandus eſt terminus libros imprimendi, qui ſunt liberis chariores, operoſiores? Filii mentis præſtant filiis ventris; divitiæ tranſeuntes in comparatione Sapientiæ nihili ducendæ; noſtrorum diverſitas appetituum eſt cauſa realis, ut in communi menſa tot ſint cibi diverſi, diverſimodè aptati; in foro tot variæ merces; in viridario tot diſſimiles flores; in pomario tot diverſæ arbores. Quare igitur nonnulli admirando conqueruntur, in Bibliothecis tot diverſa, variaque Scriptorum vidiſſe volumina? Certiſſimè ignorant, quòd immenſitas rerum ſcibilium, inſatiabilitas humanæ Animæ, varietas intellectualium appetituum, curioſitas, imò & ſtudioſitas ſciendi, ardendi, explicandi difficultates rerum in qualibet ſcientia, & arte, ſunt vera tot librorum origo. Ne ſis, quæſo, de numero illorum inſipientium, quos audivi dicentes: Libri Moralis Theologiæ potiùs eſſent comburendi, quàm multiplicandi. *comburendi*? Quare ſic non dicis de turba magna innumerabilium Scriptorum in Jure Civili, in Arte medica, in poetica, in hiſtorica, & ſimilibus? Meliùs ſentiendum cum D. Auguſtino præcipuo Eccleſiæ Catholicæ lumine, qui (lib. 1. de Trin.

cap.

cap. 3. & alibi) dicit: *utile eſt, plures à pluribus fieri libros; etiam de eadem materia tractantes, &c.* Ratio in promptu eſt; quia ipſa ſola varietas vel in methodo, vel in gratia, vel in ſtylo, vel in ordine dicendi, probandi, declarandi eaſdemmet veritates (ut annuatim faciunt noſtri Concionatores) ſemper placere ſolet. Præterquam quòd aliquid novi, vel novè declaratum ſemper invenies in uno, quod in alio deſiderabatur volumine. Ideoque ſcias, me attentè legiſſe, expoliaſſe quàmplures Theologiæ Moralis Libros: antiquos, modernos, noſtrates, exteros, magnos, & parvos: ſicut legendo reperies, ſaltem in tot citationibus: per plura luſtra huic tam nobis, quàm proximis utili, ac neceſſariæ ſcientiæ ſedulam navaſſe operam, ipſamque intra, & extra Religionem meam docuiſſe, atque tantoperè laboraſſe, ut tam immenſam molem abbreviatam reduxerim ad hanc *ſeptuaginta duorum Tractatuum* moderatam (ni fallor) portionem; atque *Examini, & Exercitio Clericorum ordinandorum, juvenum Sacerdotum ſtudentium, novitiorumque Confeſſariorum*, tam ſæcularium, quàm Regularium, (maximè meæ Religionis) genioque eorum mihi noto pro viribus adaptaverim. – Studentes enim noſtræ ætatis vocitantes illud, ARS LONGA, VITA BREVIS, exoptant, ſe habere totum, & tutum, Moralis Veritatis immenſum ſplendorem, abbreviatum in modico quidem, ſed lucido, claro, puroque libro. Quantum ſapui, quantum potui, hoc unum eis præſtiti; quapropter non incongruè hunc affixi titulum *LUX MORALIS, &c.* Enimverò experientia didici, ſtudioſam juventutem, ut plurimùm languere, & opprimi à nimia librorum copia, vaſtitate materiæ, grandium ſplendore voluminum, ad quorum intelligentiam, & poſſeſſionem magna etiam exigitur capacitas, longum, ac indefeſſum ſtudium, multaque legentis patientia. Audiſti meam intentionem, benignè Lector; reſpice, revolve meum Opuſculum: at oculis humanis. Si homo es, humanus eſto; hinc inter me, meoſque ſtudentes, an ſim aſſecutus intentum, judex eris. – Opus imperfectum, ac rude: concedo; quamvis (mihi crede) *purgatum ſeptuplùm* quoad doctrinam; at quoad Typographiam, heu! certò ſcias, nec maximam valere diligentiam, ut quodvis opus, Typis datum,

datum; omnibus expurgatum erroribus, ac immune ab illa, quaſi innata, confuſione colluceat. – Opus hominis eſt? Ergo imperfectum; ergo correctioni ſemper obnoxium. *Homines ſumus: non Angeli*. Nullus hujuſmodi librorum omnibus placet, in ea potiſſimùm parte, quæ topica, ſeu *opinativa* appellatur. Unuſquiſque in ſuo ſenſu, ſuaque opinione abundare, & alios in ſuam trahere ſententiam quaſi naturali inſtinctu affectat. At ipſe (Divino protegente auxilio) nulli me deſpondi Opinioni; quia didici, veram eſſe ſapientiam, *Non ſibi ſoli ſapere*. Quocircà omne meum in his ſcriptis judicium cuilibet diſcreto, docto, pioque catholico, multò magis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ VERITATIS Magiſtræ libenter ſubjicio, ac ſubjectum ſemper eſſe VOLO; ut omnes tamquam *filii Lucis* ambulantes in hoc caliginoſo vitæ labentis ſæculo mereamur, Divina adjutrice Gratia, pervenire ad contemplandam VERAM LUCEM, ſummamque Veritatem DEI noſtri in perpetuas æternitates. Fiat.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Lux Moralis bipartita Illuſtratione Univerſam quaſi Moralem Theologiam ſummatim elucidans, expoſita à P. Sabino Bononienſi, &c.* non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Marzo 1722.

(

(Franceſco Soranzo Proc. Rif.

(Piero Grimani Kav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

S E.

Digitized by Google

SERIES
TRACTATUUM

Primæ Partis hujus Lucis Moralis.

I. DE Conſcientia, ejuſque diviſionibus. pagina 1
II. De Probabilitate Opinionum. pag. 13
III. De Actibus humanis. pag. 21
IV. De Virtutibus Moralibus, ac vitiis eis oppoſitis. pag. 27
V. De Legibus, & Præceptis in communi. pag. 36
VI. De Lege Naturali, & Æterna Dei. pag. 48
VII. De Lege Divina poſitiva, & Præceptis Decalogi in communi. pag. 55
VIII. De Primo Præcepto Decalogi, ſeu de Fide Divina. pag. 63
IX. De vitiis Fidei oppoſitis. pag. 73
X. De Præcepto Spei, ac vitiis oppoſitis. pag. 79
XI. De Præcepto Charitatis erga Deum ſuper omnia diligendum. pag. 84
XII. De Virtute Religionis, ac variis ejus actibus; & ſpecialiter de Oratione, vel petitione. pag. 89
XIII. De vitiis contrariis Virtuti Religionis; ubi de ſuperſtitione, &c. pag. 95
XIV. De Blaſphemiis, & Imprecationibus. pag. 98
XV. De Secundo Decalogi Præcepto; ubi de Juramentis, & perjuriis. pag. 101
XVI. De Voto, & ejus tranſgreſſione. pag. 115
XVII. De Tertio Decalogi Præcepto: ubi de Obſervantia Feſtivitatum: Auditione Miſſæ, Concionis, &c. pag. 131
XVIII. De Præcepto Charitatis erga Proximum: ubi de dilectione, & odio inimicorum, &c. pagina 140
XIX. De Eleemoſyna corporali. pag. 150
XX. De fraterna correctione: denunciatione, &c. pag. 158
XXI. De Scandalo multiplici: ubi etiam de Amaſiis, &c. Choreis: cooperatione ad malum, &c. pagina 164
XXII. De aliis peccatis contra Charitatem proximi: ubi de Invidia, Diſcordia, contentione, &c. pagina 173
XXIII. De Quarto Decalogi Præcepto: ubi de Pietate, Obſervantia, obedientia, &c. Filiorum erga Parentes: & de obligatione multiplici Parentum erga Filios: De Pietate mutua Conjugum: de Obſervantia inferiorum erga ſuos Superiores: & Diſcipulorum erga Magiſtros, &c. pag. 176
XXIV. De obligationibus Studentium Regularium: ubi de ſtudio, & modo ſtudendi. pag. 187
XXV. De Quinto Decalogi Præcepto: ubi de Homicidiis licitis, & illicitis. pag. 192
XXVI. De Abortu inanimato, & animato: ubi de Irregularitate, & excommunicatione ex hoc delicto, &c. pag. 205
XXVII. De Sexto Decalogi præcepto:

pto: ubi de Luxuria, ejus filiabus, & ſpeciebus. pag. 219
XXVIII. De Adulterio: & peccatis luxuriæ inter conjuges. pagina 235
XXIX. De peccatis carnalibus contra naturam, eorumque remediis. pag. 246.
XXX. De Conſuetudine, & Occaſione proxima peccandi in eadem materia. pag. 258
XXXI. De Septimo Decalogi Præcepto: ubi de Furtis omnis generis, &c. pag. 287
XXXII. De Juſtitia, & Jure. pagina 292
XXXIII. De Contractibus in genere, & in ſpecie. pag: 308
XXXIV. De Contractu Emptionis-venditionis in particulari. pagina 334
XXXV. De Reſtitutione in communi, & in particulari. pag. 356
XXXVI. De Octavo Decalogi Præcepto: ubi de Detractione, Murmuratione, &c. pag. 378
XXXVII. De Nono, & Decimo Decalogi Præceptis: ubi de peccatis internis, deſideriis, delectationibus moroſis, &c. pag. 405
XXXVIII. De Præceptis univerſalibus S. Eccleſiæ: ubi etiam de Romana Eccleſia, vera Religione, de Summo Pontifice, &c. p. 414
XXXIX. De diviſione, & diſtinctione ſpecifica, & numerica omnium peccatorum per ordinem ad Confeſſionem, &c. pag. 434
XL. De peccatis capitalibus, &c. pag. 454
Alios Tractatus vide in Secunda Parte cum ſuo Indice.

TRA

TRACTATUS PRIMUS.

DE CONSCIENTIA.

TRactaturus magnam rei moralis Scientiam ad omnes quaſi Caſus Conſcientiæ funditùs reſolvendos multorum praxim Doctorum ſecutus initium ſumo ab ipſamet Conſcientia, quæ eſt Lux, & Lex interna humanarum actionum: & ad ipſam formandam, cùm requirantur Intellectus, Ratio, Lex naturalis, Syndereſis, Scientia Moralis, & Prudentia, de his breviter erit videndum, antequam Conſcientiam definiamus, ac dividamus. Igitur

Quæro I. *Quid eſt Intellectus?*

Reſpondeo. Eſt potentia ſpiritualis, &
1 naturalis Animæ rationalis, qua apprehendimus, judicamus, & diſcurrimus de rebus quibuſcumque; qualem potentiam nobis ineſſe, etiam ipſa experientia comprobat. Homo enim eſt diſcurſivus: ergo apprehendit, & judicat de omnibus rebus tam naturalibus, quàm Divinis.

Quæro II. *Quid eſt ratio?*

℞. Eſt ejuſdem Intellectus virtus innata,
2 qua poteſt diſcernere verum à falſo, & bonum à malo morali, ſeu honeſtum ab inhoneſto: & alio nomine dicitur *Uſus rationis.*

Quæro III. *Quid eſt Lex naturalis?*

3 ℞. Hic ſumitur Lex naturalis pro ipſomet Lumine naturali, ſeu Rationis dictamine partialiter, quatenùs ſe extendit ad omnia, & ſola agibilia, ſeu practica naturaliter cognoſcibilia, quorum cognitione homo diſcernit bonum à malo: & Lex iſta dirigit ad bonum proſequendum, & ad malum fugiendum juxta illud Pſalmi quarti: *Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos Lumen vultus tui, Domine.* Ubi Cardinalis Ugo de S. Charo ſic gloſſat: Ipſa ratio nobis indicat bona iſta, quæ antonomaſticè dicuntur Bona, quia vera ſunt: & iſta quærentibus reſpondit: *Signatum eſt ſuper nos*: ideſt, in ſuperiori parte noſtri, ideſt, in Anima *Lumen vultus tui, Domine*: ideſt, luminoſus vultus tuus, ideſt, Ratio. Vultus enim Dei dicitur Ratio: quia ſicut per vultum homo homini aſſimilatur, & homo cognoſcit hominem: ita per Rationem ſimiles ſumus Deo, & Deum cognoſcimus. Iſtud Lumen ſignatum eſt ſuper nos. Hæc Card. Ugo.

Lex igitur naturalis eſt ipſum dictamen 4
practicum rectæ Rationis: & continet prima principia practica, & moralia ex terminis nota, & concluſiones inde neceſſariò, & evidenter deductas. V. G. ex illo primo principio, *Malum fugiendum eſt*, ſtatim immediatè quaſi imperceptibili diſcurſu homo intelligit, & deducit, *ergo non eſt mentiendum, nec furandum, nec occidendum &c.* & hoc fit per ipſum dictamen Rationis, & Legis naturalis.

Quæro IV. *Quid eſt Syndereſis?*

℞. *Syndereſis* eſt vox Græca. quæ Lati- 5
nè ſonat *Conſervatio*: quia reverà iſta Syndereſis ſuo dictamine naturam rationalem in *Bono* conſervat, alioquin naturali inclinatione facillimè declinaret in *Malum*, & in *Pejus*. Ergo Syndereſis eſt habitus cognoſcitivus inclinans ad honeſtum bonum: *Seu* eſt notitia primorum principiorum rei moralis, generaliter dictans bonum proſequendum, & malum fugiendum: *Vel* eſt Cognitio inclinans ad bonum, & obmurmurans malo.

Quæro V. *Quænam ſunt prima iſta principia moralia?*

6 ℟. Sunt hæc: *Omne bonum honeſtum eſt amplectendum. -- Omne malum inhoneſtum, & injuſtum eſt fugiendum. -- Unus Deus colendus. -- Parentes honorandi. -- Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. -- Quodcumque cupis tibi fieri, facito alteri. -- Convenienter naturæ rationali vivendum eſt*: & ſimilia, quæ ſunt quaſi ſemina Virtutum incommutabilia, ut dicit D. Auguſtinus *lib. 2. de libero arbitrio cap.* 10.

Quæro VI. *Quid eſt Scientia moralis naturalis?*

7 ℟. Eſt habitus cognoſcitivus, vel notitia practica concluſionem univerſalium ex primis illis principiis deductarum lumine naturali. V. G. Ex illo primo principio, *Convenienter naturæ rationali eſt vivendum*, Ratio naturalis deducit hanc Concluſionem, *Ergo temperatè manducandum, & moderatè bibendum eſt*. Cognitio hujus Concluſionis eſt Scientia moralis naturalis; quia omnis homo ratione utens hanc veritatem ſcire poteſt, ac debet. Idem dicendum de aliis &c.

Sicut enim datur Logica, & Philoſophia naturalis; ita dari debet, & de facto datur Scientia moralis naturalis. Omnes enim ſciunt, *Non eſſe furandum, non mœchandum, non pejerandum, non blaſphemandum, &c.* quia *Furtum, mœchia, perjurium, blaſphemia &c.* mala ſunt moraliter.

Quæro VII. *Quid eſt Prudentia?*

8 ℟. Eſt recta Ratio agibilium; *ſeu* eſt habitus cum recta ratione activus, vel operativus: quo nimirùm Intellectus applicat prima principia, & concluſiones deductas ex illis ad aliquam actionem in particulari. V.G. *Convenienter naturæ rationali vivendum eſt*: hoc eſt unum primum principium morale; *Ergo temperatè, ac moderatè manducandum, & bibendum eſt*: hæc eſt concluſio deducta ex illo primo principio.

Quomodo applicabitur hæc ſcientia moralis ad aliquam actionem in particulari? Per Prudentiam; nam cùm actiones in particulari *temperatè vivendi* habeant diverſas circumſtantias *perſonæ, temporis, laboris &c.* quod uni ſatis, alteri non ſatis, alteri nimium erit; ideò neceſſaria eſt Prudentia, quæ, conſideratis omnibus circumſtantiis perſonæ, temporis, laboris &c. applicet in particulari tantum cibi, & potus, quantum neceſſarium videtur ad te nperatè vivendum huic perſonæ talis ætatis, complexionis, valetudinis, occupationis &c. ad conſervandam ejus naturam cum Virtute Temperantiæ, Ergo Prudentia neceſſaria eſt ad formandam Conſcientiam ſimul cum aliis prædictis notitiis.

Quæro VIII. *Quid eſt Conſcientia?*

9 ℟. Variè poteſt deſcribi. I. Conſcientia eſt *quaſi cordis Scientia*; quia homo per propriam Conſcientiam ſcit quid actum ſit, & quid agatur in corde ſuo; unuſquiſque enim habet notitiam ſui ipſius per dictamen Conſcientiæ. II. Conſcientia eſt *quaſi concludens Scientia*: quia Conſcientia dictat in particulari quaſi per Concluſionem practicam, quid agendum, quid omittendum; & quid actum, vel omiſſum ſit. III. Conſcientia eſt *actus Prudentiæ*: loquendo de bona, & recta conſcientia; quia Conſcientia ſemper eſt Magiſtra, quæ dictat, & docet quid hic, & nunc ſit faciendum, vel non faciendum ſecundùm rectam rationem.

10 Conſcientia tandem meliùs ſic definitur: *Eſt dictamen Intellectus practicum ex principiis communibus judicans aliquid in particulari, ſeu hic, & nunc, agendum, ut bonum honeſtum, vel non agendum, ut malum inhoneſtum.* Explico.

11 *Eſt dictamen Intellectus.* Quia Syndereſis, & Conſcientia pertinent ad potentiam cognoſcitivam, quæ eſt Intellectus. Tum quia, ſcire, & teſtari eſt actus Intellectus; ſed Conſcientia ſcit, & teſtatur: patet ex Apoſtolo ad Romanos cap. 2. *Teſtimonium reddente illis Conſcientia ipſorum*. Et ex illo Axiomate legali: *Conſcientia mille Teſtes, ergo &c.*

12 *Practicum dictamen*, ſeu judicium rationis in ordine ad praxim, nempe ad operationem ſingularem, & individualem. Duplex enim eſt judicium, ſeu dictamen Intellectus, unum dicitur *ſpeculativum*, alterum dicitur *practicum*. Judicium *ſpeculativum* eſt, quod verſatur circa operationem in communi abſtrahendo à ſingularibus: Ut V. G. hoc dictamen: *Cuilibet Jus ſuum reddendum eſt*: Hoc, & ſimilia dictamina, ſi vera ſint, & fundata, ſpectant ad Syndereſim, vel Scientiam moralem, licèt enim ſciam, *Cuilibet reddendum eſſe Jus ſuum*, non per hoc moveor ad reddendum hoc alteri, niſi Conſcientia me obliget, dictando, *hoc eſſe Titii, vel Sempronii, cui de Jure debetur*. -- Judicium autem, ſeu dictamen *practicum* eſt, quod verſatur circa ipſammet operationem hic, & nunc, ideſt de præſenti, in hoc inſtanti faciendam, vel omittendam in his circum-

Digitized by Google

cumſtantiis: V. G. Ego poſſideo librum hunc bona fide putans eſſe meum: poſtea reperio non eſſe meum, ſed Titii; unde formatur hoc argumentum practicum, *Cuilibet reddendum Jus ſuum*; Sed *hic liber pertinet ad Jus Titii*; ergo *debeo reddere librum hunc Titio*. Hoc eſt verum dictamen practicum Conſcientiæ.

13 *Ex principiis communibus judicans aliquid in particulari &c.* nam, ut patet ex nuper dictis, Conſcientia formatur per diſcurſum, deducendo concluſionem practicam ex principio aliquo communi. Dabo aliud exemplum. *Dies Feſti ſunt ſanctificandi per auditionem Miſſæ*; Hoc eſt principium commune omnibus Chriſtianis notum; Sed *hodie eſt dies Dominica*: hoc eſt dictamen ſpeculativum: ergo *hac die, hora debita debeo audire Miſſam*: ecce dictamen practicum in particulari deductum ex præmiſſis veris. Et ſi Miſſam non audio hodie, vel in hac hora debita nullo legitimo impedimento detentus, peccabo mortalite contra illud dictamen practicum Conſcientiæ, quæ oſtendit mihi hanc veritatem, & obligationem.

Quæro IX. *Quotuplex eſt Conſcientia?*

14 R. Eſt quintuplex, nempè Conſcientia Recta, Erronea, Probabilis, Dubia, & Scrupuloſa. Ratio hujus quinariæ diviſionis eſt: Quia quinque modis contingit, quòd Intellectus noſter poſſit ex principiis communibus judicare, & concludere in particulari aliquid agendum, vel omittendum.

I. Intellectus noſter poteſt judicare, & concludere aliquid particulare ex principiis veris, & certis: & tunc habetur *Conſcientia Recta*. Dabo exemplum inferiùs ſuis in locis. *II.* Intellectus poteſt concludere aliquid ex principiis falſis, creditis tamen, & reputatis pro veris, & certis: & tunc habetur *Conſcientia erronea*. *III.* Intellectus poteſt aliquid concludere ex principiis incertis quidem, ſed probabilibus, & opinabilibus: & tunc habetur *Conſcientia Probabilis, ſeu Opinativa*. *IV.* ex apprehenſione alicujus principii habentis ex utraque parte dubium de veritate poteſt Intellectus remanere ſuſpenſus, & indeliberatus neutri parti adhærendo: & tunc habetur *Conſcientia Dubia*. *V.* denique ex inani, & levi motivo poteſt Intellectus ſuſpicari, turbari, ac timere eſſe peccatum, ubi non eſt: & tunc habetur *Conſcientia Scrupuloſa*. Ergo jure merito quintuplex diſtinguitur Conſcientia. Videamus ſingulas.

Quæro X. *Quid eſt Conſcientia Recta?*

R. Eſt illa, quæ ex principiis veris, & certis, & pro talibus cognitis, ac rectè applicatis judicat rectè hoc eſſe faciendum, vel omittendum. V. G. *Quidquid præcipit Deus, eſt omninò faciendum*. Sed *Deus præcipit honorare Parentes*: Ergo *teneor honorare Parentes meos*, ipſiſque obedire nunc, quia nunc mihi præcipiunt aliquod honeſtum, &c. 15

Quæro XI. *Quomodo poteſt fieri dictamen rectum Conſcientiæ?*

R. Triplici modo. I. Speculativè, & ſimul practicè. II. Speculativè, ſed non practicè. III. Practicè, & non ſpeculativè. 16

I. *Speculativè, & ſimul practicè*. V. G. Non eſt laborandum mechanicè die Feſto ſine gravi neceſſitate. Sed hodie eſt reverà dies Feſtus, nullamque habeo neceſſitatem laborandi. Ergo hodie non eſt mihi licitum mechanicè laborare. Iſta eſt Conſcientia recta & ſpeculativè; & practicè.

II. *Speculativè, ſed non practicè*. V. G. Non eſt laborandum die Feſto. Hodie eſt dies Feſtus, & ego habeo neceſſitatem gravem laborandi. Ergo mihi non licet hodie laborare. Hoc judicium non eſt verum practicè, quamvis procedat ab uno principio ſpeculativè vero; quia illud principium deficit. Si vis corrigere errorem, adde, *Non eſt laborandum die Feſto ſine neceſſitate*. Ego autem nunc habeo neceſſitatem; ergo mihi erit licitum laborare die Feſto.

III. *Practicè, ſed non ſpeculativè*. V. G. Licitum eſt laborare mechanicè in Feſto. Ego habeo magnam neceſſitatem laborandi mechanicè; Ergo eſt mihi licitum laborare &c. Hoc judicium eſt verum practicè, non ſpeculativè; quia illud primum principium ſpeculativum eſt falſum, ut ſic, abſolutè conſideratum. Corrige errorem addendo: *eſt licitum laborare mechanicè in Feſto, quando adeſt magna neceſſitas*.

Quæro XII. *Quid eſt Conſcientia erronea?*

R. Eſt illa, quæ ex aliquo errore procedit. Vel, eſt illa, quæ ex principio falſo, vel falsè applicato, judicat practicè aliquid agendum, ut licitum, vel non agendum, ut illicitum; cùm reverà ita non ſit. V. G. Datur præceptum Divinum de Eleemoſyna eroganda pauperibus; At ego nihil habens erogandum his pauperibus, furari potero Titio Diviti aliquid dandum pro Eleemoſyna, quia præceptum Divinum urget &c. Iſte diſcurſus eſt erroneus: & error conſiſtit, & procedit ex illo principio malè intellecto, & applicato, *Datur præceptum* 17

Divinum de Eleemoſyna eroganda pauperibus: nam vera intelligentia hujus præcepti eſt iſta, *Datur præceptum Divinum divitibus habentibus multa ſuperflua, ut faciant eleemoſynam pauperibus*; At ego nihil habens ſuperfluum, non ſum dives; ergo non teneor ex vi hujus præcepti &c. Adeſt etiam alius error in applicatione hujus præcepti de eleemoſyna, quando dicitur, *At ego nihil habens erogandum pauperibus iſtis, furari potero aliquid Titio diviti ad faciendam Eleemoſynam*. Hoc principium eſt omninò falſum, & erroneum; quia Eleemoſyna eſt facienda de bonis propriis: neque licitum eſt furari pro eleemoſyna eroganda.

Quæro XIII. *Quotuplex eſt Conſcientia erronea?*

18 ℟. Duplex: Invincibilis nimirùm, & Vincibilis. *Conſcientia erronea Invincibilis* eſt illa, cujus error hic & nunc non poteſt vinci, aut ſuperari. V. G. Titius numquam audivit, nec dubitavit, quòd *mentiri, vel pejerare pro ſalvanda vita propria, vel aliena, ſit illicitum, & peccaminoſum*: quinnimò ſemper credidit eſſe licitum, & neceſſarium. Titius quoties pro tali cauſa mentitus eſt, aut pejeravit cum tali ignorantia invincibili, nullo modo peccavit. Ratio eſt: quia Conſcientia erronea procedens ex ignorantia, vel errore invincibili æquivalet, quoad vim obligandi, Conſcientiæ rectæ; ideſt, Conſcientia invincibiliter errans, quando dictat aliquid tamquam de præcepto agendum, vel fugiendum, non ſolùm obligat *negativè*: ne ſcilicèt contra eam operemur; ſed obligat etiam *poſitivè*: ut ipſam ſequamur; proptereà quis peccaret, niſi dictamen illius practicum in operando ſequeretur. Ita *ex Scoto noſtro, & Maſtrio* P. Anacletus noſter *cum Communi Theologorum Sententia*. Tum quia, ex quo Conſcientia eſt invincibilis, ſeu invincibiliter errans, taliter, ut nulla morali diligentia vinci, ac deponi poſſit hic, & nunc, ita ſe habet in inculpabili judicio, & æſtimatione Operantis, ac ſi eſſet ſimpliciter, & abſolutè bona, certa, & recta Conſcientia; ergo tenetur quis eam ſequi.

19 *Unde infertur*, quòd ſi quis mentiatur, aut pejeret ad liberandum proximum è periculo vitæ ob Conſcientiam invincibiliter errantem, putans, ſe ex Virtute Miſericordiæ ad id teneri, is actum bonum, ac virtuoſum facit; quòd ſi in tali caſu non mentiatur, operando tunc contra Conſcientiam, peccabit contra Virtutem Miſericordiæ. Idem dicendum de ſimilibus caſibus.

Confirmatur. Nam Alexander Papa Octa- 20
vus damnavit inter alias hanc propoſitionem quæ eſt la 2. *Tametſi detur Ignorantia Invincibilis Juris Naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem, ex ipſa, non excuſat à peccato formali*. Iſta doctrina tamquam falſa, & ſcandaloſa eſt damnata; ergo è contrario ſenſu intelligenda eſt vera doctrina, & dicendum: Dari poteſt in nobis, qui ſumus in ſtatu naturæ lapſæ Ignorantia Invincibilis Juris Naturæ, quæ Ignorantia excuſat operantem ex ipſa à peccato formali. Vide librum, cui titulus eſt: *Theologica Trutina P. Dominici Viva*: ubi explicantur omnes propoſitiones damnatæ, & traditur vera doctrina oppoſita ipſis damnatis theſibus.

Conſcientia verò erronea Vincibilis eſt, quæ 21
procedit ex errore, vel ignorantia vincibili: ideſt, cujus error, aut ignorantia poteſt vinci, ac deponi, ſi adhibeatur debita diligentia; & tamen non vincitur, nec deponitur ex negligentia culpabili, V. G. Ruſticus ſuſpicatur, an Vigilia *S. Antonii Abbatis ſit de præcepto*: poſſet hodie, dum eſt talis vigilia, petere conſilium à ſuo Parocho, vel alio docto viro; tamen ex negligentia, aut erubeſcentia non petit conſilium. Hæc ignorantia eſt vincibilis, & culpabilis, & format Conſcientiam erroneam vincibilem. Idem dicendum de innumeris ſimilibus caſibus.

Hæc Conſcientia proponens aliquid, ut 22
præceptum, quod reverà non eſt præceptum, aut judicans aliquid, ut non prohibitum, quod reverà prohibitum eſt, non ſolùm non obligat poſitivè, ut eam ſequamur, ſed neque licitè ipſam ſequi poſſumus; obligat tamen, ut eam deponamus. Ratio eſt: quia ex una parte agere contra Conſcientiam, eſt peccatum; nam, ut habetur *c. litteras de reſtitutione Spol.* Innocentius Papa Tertius dicit. *Quidquid fit contra Conſcientiam, ædificat ad gehennam*. Et Apoſtolus ad Romanos ſcribens cap. 14. ait: *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*. Ubi ly *ex fide* ſignificat *ex dictamine Conſcientiæ*, quod facit fidem noſtram, & teſtimonium Conſcientiæ. Tum quia, Voluntas operans contra Conſcientiam erroneam, verè conſentit in malum, habetque ſufficientem affectum ad peccatum, quod apprehendit. Nec obſtat, quòd talis Conſcientia ſit erronea, & falſa: nam licet talis ſit, pro tali tamen hic, & nunc non digno-

ſci-

ſcitur, nec habetur: & conſequenter licitum non erit agere contra ipſam. Neque ex altera parte licitum erit, eam ſequi; quia non poteſt nos obligare ad ſequendam cùm ſit erronea, ac vincibilis. Ergo Conſcientia talis erronea, utpotè vincibilis, & culpabilis non habet vim obligandi nos ad ſui ſequellam; & conſequenter qui eam ſequitur reverà peccat; item qui contra eam (necdum depoſitam) operatur, etiam peccat. Ergo ſive ſequaris Conſcientiam tuam erroneam vincibilem, ſive contra eam operaris, ſemper peccabis; quia ex neutra parte te excuſat, ut patet.

23 Sequitur igitur, & tantùm hoc refugium ſupereſt, quòd quis obligetur ad deponendam ſuam Conſcientiam erroneam vincibilem. Et hæc quidem obligatio talis, & tanta eſt; ut ſtante tali Conſcientia, quamcumque partem quis elegerit, ſit peccaturus. quoniam ſi faciat id, quòd reverà à Lege præceptum eſt, operabitur contra Conſcientiam ſuam oppoſitum dictantem. Si autem ſequatur dictamen ſuæ Conſcientiæ, peccabit contra Legem, à qua non abſolvitur per errorem ſuæ Conſcientiæ; quia error iſte eſt vincibilis; ergo culpabilis.

Quæro XIV. *Quid faciendum eſt, ad deponendam hanc Conſcientiam erroneam vincibilem?*

24 ℞. Qui laborat Conſcientia erronea vincibili, debet omninò adhibere debitam diligentiam in inveſtigando rei veritatem, illudque attentiùs conſideret, in quo ſe errare & falli ſuſpicatur, diſcurrendo ex primis principiis practicis. *Vel* debet ſtudere libris Moralibus ad indagandam veritatem. *Vel* debet petere conſilium à docto, ac prudenti viro; nam juxta illud Prov. 13. *Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur Sapientia*. Et Eccleſiaſticus c. 32. dicit: *Fili, ſine conſilio nihil facias: & poſt factum non pœnitebit*. Et caſu, quo nullum ex his mediis in promptu eſſet, hoc unum ſemper adeſt: Orare Deum, ut nos illuminare dignetur in veritate; juxta illud lib. 2. Paralipomenon c. 20. v. 12. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad Te, Deus noſter*.

Quæro XV. *Quomodo ſe gerere debet, qui pro utraque parte habet Conſcientiam poſitivè dubiam?*

25 *Ponamus Caſum*. Titius vocatur in Judicium, ut Teſtimonium juratum faciat, an viderit Sempronium lethaliter percutientem Cajum. Titius reverà vidit; at ignorat, quid in conſcientia reſpondere debeat Judici interroganti; nam intra ſe facit hunc diſcurſum: *Si veritatem aperio, mihi videtur peccare contra Charitatem proximi. Si occulto veritatem, mihi videtur peccare contra juſtitiam*. Quid igitur faciam?

℞. *I.* Lex Divina nullum hominem reddit perplexum; quia Deus numquam facit, ut homo neceſſariò peccet, ita ut peccatum evadere non poſſit; nam hoc ipſo jam non committeretur peccatum ex defectu libertatis; nullum enim eſt peccatum actuale, quod non ſit liberum, ac voluntarium: Ergo Titius non eſt in neceſſitate peccandi.

26 ℞. *II.* Titius in tali caſu tenetetur deponer talem Conſcientiam uno ex modis ſuprà explicatis *n.* 24 Quòd ſi nullus modus veniat in ejus mentem hic, & nunc tenebitur eligere illud, quod ſibi minus malum apparet; & ſic faciendo, non peccabit; ut habetur *arg. c. Duo mala: diſt. 13. & c. Juravit David 22. q. 4.* Et ratio hoc dictat; quia omne peccatum non ex neceſſitate, ſed ex libertate admittitur; ergo cùm hic, & nunc neceſſariò ſit unum eligendum (ut caſus ſupponit,) ratio ipſa naturalis dictat, minus malum eſſe potiùs eligendum, quàm majus malum. Et quando homo non libertate ſed neceſſitate eligit minus malum, prudenter operatur; ſicque non peccat; peccaret autem eligendo majus malum; quia in ejus poteſtate erat eligere minus; minus enim malum in comparatione majoris mali, bonum reputatur.

27 ℞. *III.* Si autem in tali caſu Titius diſcernere nequeat, quodnam illorum ſit minus malum, ſed in utraque parte apprehendat parem malitiam; homo ille quidquid voluerit, poterit eligere, & in neutra parte peccabit; ideſt, non peccabit eligendo unam partem, non peccabit eligendo aliam partem; quia ſemper vera eſt hæc maxima: *Nemo de neceſſitate peccat*.

Ad peccandum autem formaliter requiritur triplex libertas. I. *Libertas exercitii*, ſeu operationis, ita ut ſit in noſtra poteſtate facere, & non facere talem operationem. II. *Libertas à neceſſitate*: ideſt, ut homo non neceſſitetur ab extrinſeco ad operandum. III. *Libertas à coactione*: ideſt, ut homo per vim non adſtringatur ad ſic faciendum contra ejus voluntatem.

28 *Redeundo* ad Caſum, dico, quòd Titius cùm neceſſitetur, & cogatur ad dicendum *ſic*, vel *non* in Judicio, & habeat animum perplexum, ſeu Conſcientiam erroneam ex utraque parte, non peccabit mortaliter eli-

eligendo alterutram partem, nempè dicendo *ſic*, vel *non*. Ut patet ex dictis, Vide *Tract. 4. n. 12.*

29 *Dices*. Titius ex ſua ignorantia credit ſe peccare; ergo peccat, dicendo veritatem, vel occultando ipſam.

℞. Ignorantia hæc eſt illi pro illo tunc invincibilis, & ideò excuſabilis. Tum quia peccatum pro formali non conſequitur judicium ſpeculativum Intellectus, ſed actum liberum voluntatis; ſed Titius tunc non habet libertatem tacendi, abeundi, &c. ergo non peccat pro formali.

30 Si Titius poſſet petere conſilium à te, quid in tali caſu reſponderes ei?

℞. Ei inſinuarem, ut aperiret Judici veritatem facti. Quia numquam licitum eſt mentiri, nec falſum dicere Teſtimonium. Tum quia fortior eſt obbligatio Veritatis, & Juſtitiæ, quàm Miſericordiæ corporalis. Et tamdem quia Judici legitimè interroganti tenemur parere ſub mortali, & manifeſtare facti veritatem; aliàs Juſtitia periret in maximum damnum Reipublicæ.

Quæro XVI. *Quid eſt Conſcientia probabi-*
31 *lis, ſeu opinativa?*

℞. Eſt illa, quæ ex principiis, ſeu motivis probabilibus tantùm practicè dictat, aliquid eſſe licitum, & tutum. Hæc motiva ſunt Rationes graves, & Auctoritates gravium Theologorum.

Formatur autem hæc Conſcientia hoc modo. Ex veriſſimo teſtimonio DD. licitum eſt ſequi Opinionem practicè probabilem: Sed Ego habeo pro me Opinionem hanc, quæ docet eſſe licitum hoc; ergo certus ſum moraliter, quòd in faciendo
32 hoc, non pecco pro formali.

Dices. Ergo Conſcientia opinativa erit certa; quia reddit certum operantem ex ea de honeſtate, & licentia ſuæ operationis. Sed implicat, dictamen Conſcientiæ eſſe ſimul opinativum, & certum; ergo implicat Conſcientiam hanc opinativam eſſe ſimul certam.

℞. Conſcientia opinativa eſt ſimul *probabilis*, & *certa* per diverſos reſpectus, nam ratione, vel reſpectu materiæ, & actus recti eſt opinativa, ſeu *probabilis*; quia generatur ab opinione gravi. Ratione autem, vel reſpectu conſequentiæ practicæ, & actus reflexi, eſt Conſcientia *certa* moraliter; quia qui operatur ex ea, certus eſt moraliter, quòd non peccat pro formali. Do exemplum.

Lucas pictor quærit à me, *an licitè & tuta conſcientia poſſit pingere diebus Feſtis.*

R. Eſſe Opinionem multorum Doctorum præſertim Laymanni *lib. 4. tract. 7. cap. 2. n. 3.* qui pro hac opinione etiam citat Angelum, Sylveſtrum, Armillam, Sanchez, & Azorium, qui tenent, hoc eſſe licitum; quia pingere ſuapte natura non eſt opus ſervile, ideòque non prohibitum diebus Feſtis. Lucas pictor aſſentitur huic opinioni, & credit Auctoritati illorum DD. ſibique certò perſuadet, eſſe licitum opus pingendi die Feſto: & hac bona fide, & Conſcientia ſine formidine, vel timore peccandi pingit etiam die feſto. Nota hic.

Mea doctrina fuit tantùm probabilis, & 33
opinativa in ſe per actum rectum: attamen Lucas pictor per reflexionem, & bonam fidem reſolvit, certò ſibi licere, pingere die feſtivo; ſicque dum operatur, nullum habet timorem peccandi mortaliter. Et hoc prudenter; quia facit hunc diſcurſum. Multi Sapientes in morali Teologia cum ſolida ratione docent, picturam eſſe artem liberalem, & non ſervilem, nec mechanicam, & conſequenter non eſſe prohibitam diebus feſtivis. Sed certum eſt, mihi licere ſequi conſilium, & ſententiam virorum nominatorum; nam *Unicuique experto in propria Scientia, vel arte eſt credendum*; præcipuè cùm aliorum quoque auctoritate ipſius ſententia fulcitur; ergo certus ſum moraliter, quòd pingendo, non pecco. -- Ecce quomodo Conſcientia opinativa evadit certa certitudine humana, & morali per actum reflexum.

Ad Objectionem illam reſpondeo in for- 34
ma. Conſcientia probabilis nequit eſſe certa: diſtinguo: *Certa certitudine Scientiæ, vel Fidei Divinæ*; concedo. Nequit eſſe *certa, certitudine morali, & humana*; nego.

Inſtabis. Conſcientia opinativa oritur ab 35
opinione. Sed omnis opinio habet formidinem oppoſito; ergo Conſcientia opinativa debet ſemper habere annexam formidinem, & conſequenter nequit eſſe certa.

℞. Omnis Opinio habet formidinem radicalem, & ſpeculativam: concedo. Habet formidinem actualem, & practicam: nego; quia hæc formido practica, & actualis excluditur per actum reflexum ſuprà exemplificatum in pictore.

Quæro XVII. *Quid eſt Opinio verè, & practicè probabilis?*

℞. Variè definitur à Doctoribus. I. Di- 36
citur, quòd ſit concluſio moralis incerta, innixa tamen prudenti fundamento rationis,

nis,

Digitized by Google

nis, & auctoritatis. II. Eſt aſſenſus alicui propoſitioni ob motivum rationabile cum formidine ſpeculativa de oppoſito. III. Eſt cognitio incerta quidem in ſe, gravi tamen fundamento probata, contra quam nihil convincens afferri poſſit. IV. Eſt notitia, quæ gravi nititur fundamento, licèt non penitùs certo, ſimulque nullam uſque adhuc contra ſe habet rationem evidentem.

37 Ad hoc autem, ut Opinio cenſeri poſſit verè, & practicè probabilis, oportet neceſſariò, quòd non ſit contra Sacram Scripturam, vel Definitionem Sanctæ Matris Eccleſiæ, vel univerſalem Doctorum Catholicorum conſenſum; nam Opinio in aliquo horum deficiens, non tam Opinio cenſeri debet, quàm Hæreſis, vel error, aut temeritas.

38 Grave illud fundamentum, cui Opinio probabilis innititur, duplex eſſe poteſt; intrinſecum, & extrinſecum. *Fundamentum intrinſecum* deſumitur ex ipſa rei natura, effectibus, & circumſtantiis; & hoc vocatur *Ratio probabilis*. Fundamentum extrinſecum derivat ex magna auctoritate Doctorum eam opinionem tenentium: & hoc vocatur *Auctoritas*. Hinc ſequitur, quòd Opinio poteſt eſſe probabilis dupliciter, ſcilicet, vel *probabilitate intrinſeca*, vel *probabilitate* ſaltem *extrinſeca*; hæc autem regulariter non ſtat ſine illa; quia Doctor magni nominis numquam ſine rationis fundamento ſolet tradere, & docere aliquam opinionem; quia ſupponitur, rem maturè examinaſſe, ut proprium exigit Officium *Magni Doctoris*; nam ſi Juriſperiti dicunt: *Erubeſcimus ſine lege loqui*; multò magis Theologi magnæ auctoritatis debent dicere: *Erubeſcimus ſine gravi ratione loqui*.

39 Hinc fit, (ut notat P. Anacletus in ſua Theol. Moral.) quòd Idiotæ, & homines minùs periti, qui rationes intrinſecas opinionum examinare, atque de ipſis judicium ferre non valent, poſſint, ac debeant, ad prudenter, & rationabiliter operandum in rebus incertis, conſulere virum doctum, ac prudentem, ejuſque conſilio acquieſcere. Quinimmò etiam apud virum doctum quandoque majoris eſſe ſolet ponderis auctoritas alicujus Doctoris valdè periti, & timoratæ conſcientiæ, quàm ratio aliqua ad probabilitatem cæteroquin ſufficiens; cùm auctoritas eximii Doctoris non ſit minùs legitimum fundamentum, quàm ratio ipſa.

40 Cavenda tamen eſt quædam laxa, & ſcandaloſa propoſitio, quæ inter damnatas ab Alexandro Septimo eſt *vigeſima ſeptima*, & ſic ſonabat: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis: dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tamquam improbabilem.* — Item cavenda eſt alia propoſitio damnata ab Innocentio Undecimo, quæ eſt ordine *la 3.* & ſic dicebat: *Generatim, dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

Quæro XVIII. *Quænam eſt differentia inter Opinionem probabilem, & Opinionem tenuis probabilitatis?*

41 R. Eſt iſta differentia; quòd Opinio probabilis eſt illa ſuperiùs variè definita *n. 36.* quæ nimirùm eſt verè, & practicè probabilis & tuta. Opinio verò tenuis probabilitatis eſt illa, quæ licèt habeat aliquam tenuem probabilitatem apparentem vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, à pleriſque tamen DD. non habetur pro legitima propoſitione probabili: *vel* de cujus probabilitate plures Viri Sapientes dubitant. *Vel* eſt, quæ non innititur gravi, & ſolido fundamento. *Vel* eſt illa, quæ reverà eſt improbabilis. Vide plura apud Cardenas *in Criſi Theol. ad propoſitionem prædictam damnatam ab Innoc. XI.*

Quæro XIX. *Quænam eſt differentia inter Opinionem probabilem, probabiliorem, & tutiorem?*

42 R. *I.* Propoſitio, aut Opinio probabilis eſt ea, cui convenit definitio allata *n. 36.*

R. *II.* Probabilior autem eſt, quæ habet, & mihi videtur habere motiva efficaciora, rationes fortiores, auctoritatem præſtantioris Claſſici Doctoris.

R. *III.* Tutior verò Opinio eſt, quæ ſtat in favorem Legis, vel Præcepti; *vel* eſt ea, quam ſi ſequaris, te liberat ab omni periculo peccandi, etiam materialiter.

Quæro XX. *Opinio probabilior eſtne etiam tutior?*

43 R. Nequaquam. Quia *Probabilioritas* reſpicit ſolùm potiorem rationem, aut auctoritatem ſolemniorem, quæ magis, magiſque movet intellectum ad veritatem ſequendam. *Tutioritas* autem conſiderat tantùm ſecuriorem viam, & cavet omne periculum errandi, aut peccandi pro materiali: Dixi *pro materiali*; quia non tenemur, regulariter loquendo, vitare niſi periculum proximum peccandi pro for-

mali. V.G. Qui in extrema neceſſitate conſtitutus furatur, vel accipit aliquid ſibi neceſſarium pro vita conſervanda, poſtquam ad pinguiorem ſortunam pervenit, petit à me, *an ipſe teneatur ad reſtitutionem?* Ego ei reſpondeo, duas eſſe Opiniones DD. Unam affirmativam, alteram negativam: eique eas declaro, & dico, quòd affirmativa Opinio, nempè, quòd teneatur ad reſtituendum, eſt probabilis; quia qui in tali neceſſitate ſurripit aliquid, debet accipere ſub conditione tacita, vel expreſſa, ut poſtea reſtituat, quaſi ad modum mutui. Opinio autem negativa eſt probabilior; quia quod accipitur in extrema neceſſitate, accipienti debetur Jure naturæ; nam in tali neceſſitate omnia ſunt communia. Ecce exemplum dictarum diſtinctionum. Opinio *prima* eſt tantùm probabilis, ſed tutior. *Secunda* opinio eſt probabilior, ſed non tutior. *Prima* dicitur probabilis, quia habet fundamentum rationis gravis, & plures DD. qui eam tenent, ut ſunt Navarrus, Toletus, Covvaruvias, & alii. Eſt etiam *tutior*; quia ſi ſequaris, te liberat ab omni periculo peccandi pro materiali, & favet Legi de Reſtitutione. *Secunda* eſt *probabilior* quia habet pro ſe ſortiorem rationem, & multos DD. ut ſunt Suarez, Sanchez, Valentia, Caſtropalaus, Coninchius, Maſtrius, & alii plurimi. Non eſt autem *tutior*: quia te non liberat à periculo peccandi pro materiali: ut patet: *Ergo non omnis opinio probabilior eſt etiam tutior; nec è contra.*

Quæro XXI. *Opinio probabilior eſtne apud omnes talis, nempè probabilior?*

44 R. Quòd non. Quia opinio non dicitur *probabilior* in ſe, & abſolutè, ſed in aliquo intellectu, & relativè, ideſt, in conſideratione, & reflexione noſtra, una enim opinio, quæ mihi videtur probabilior, vel etiam probabiliſſima, tibi, vel alteri apparebit minùs probabilis. Quare? Quia Veritas opinionis non eſt certa, ac realis, ſed intentionalis, & rationalis: & fundamentum, vel motivum, cui innititur opinio talis, mihi repræſentatur, aut apparet valdè magnum, tibi autem, vel alteri non ita: ſicut objecta viſibilia V. G. quæ conſpiciuntur per ſpecula, ſeu perſpicilia (vulgò *Occhiali*,) quæ faciunt apparere objecta diverſimodè intuentibus: & ſicut guſtus in diſcernendis ſaporibus: ita Intellectus in probabilibus &c.

Quæro XXII. *Eſtne licitum ſequi Opinionem probabilem tantùm, relicta probabiliori ei oppoſita?*

45 R. Pro nunc breviter dico, quòd ſic. Quia omnis opinio, (quæ verè, fundatè & practicè opinio eſt) in rebus incertis eſt ſufficiens regula actionum humanarum quò ad honeſtatem actus: neque amittit ſuam probabilitatem in conſpectu probabilioris ei oppoſitæ: (Ut probant multi DD. citandi Tract. ſeq. in fine.) Quia vera, & fundata probabilitas non eſt talis relativè ad aliam ei oppoſitam, ſed eſt talis abſolutè, & in ſe ob intrinſecam ejus rationem gravem, ponderoſam, & aptam ad prudenter movendum, & inclinandum intellectum docilem, ac voluntatem ad bonam ſequelam illius. Dixi, *ad movendum*, quia intellectus noſter non cogitur ad aſſenſum, niſi à ſola veritate certitudinis, & evidentiæ objecti, quæ ſola veritas deſtruit Opinionem. Dixi, *ac voluntatem*, quia ipſa poteſt voluntariè declinare in unam Opinionem magis, quàm in aliam, ut docet D. Th. *2. 2. q. 1. art. 4. in c.* Tum quia ſicut Probabilioriſtæ ſuſtinent, & probant, *eſſe probabilius, nos teneri ſemper ſequi Opinionem probabiliorem*; ità Probabiliſtæ ſuſtinent, & probant, eſſe probabilius, *Nos non teneri ſemper ſequi Opinionem probabiliorem*; ergo ambo ſequuntur Opinionem, quæ ſibi apparet, ac videtur probabilior; & conſequenter omnes prudenter operantur, & veram probabilitatem docent, & non peccant. Igitur una ſchola non deſtruit aliam, quia una Opinio quantumvis magna non habet virtutem deſtruendi, & annihilandi aliam etiam magnam ei oppoſitam, aliàs non eſſet ampliùs Opinio, ſed ſcientia, aut evidentia, aut certitudo Fidei, &c.

Quæro XXIII. *Quid eſt Conſcientia dubia?*

46 R. Eſt indeliberatio rationis de re agenda vel non agenda hic, & nunc. Formatur hoc modo, V. G. Titius aſſiſtens infirmo dubitat, an teneatur ſub mortali audire Miſſam die Feſto, vel continuare aſſiſtentiam infirmo gravi morbo laboranti: ac neſcit ſe reſolvere ad alterutram partem dubii, ſed manet anceps, ſuſpendens judicium practicum rationis. Conſcientia iſta oritur à dubio; unde quotuplex eſt dubium, totuplex erit & Conſcientia dubia.

Quæro XXIV. *Quid eſt Dubium?*

47 R. Eſt ſuſpenſio animi, vel judicii inter duas partes contrarias, ita ut ratio in neutram inclinet, nec ſe reſolvat in adhærendo uni ex illis.

Quæ-

Quæro XXV. *Quotuplex eſt dubium?*

48 ℞. Multiplex. Et I. dividitur in dubium Negativum & Poſitivum. *Dubium Negativum* eſt ſuſpenſio intellectus circa utramque partem contradictionis ob defectum motivi, & rationis. — *Dubium verò poſitivum* eſt ſuſpenſio judicii circa utramque partem contradictionis ob motiva, & rationes hinc inde æquales. Et fit quando quis, apprehenſa, & examinata utraque parte dubii, ob motiva ex utraque parte æqualia, vel ob æquales rationes hinc inde, neſcit ſe reſolvere in eligendo unam præ alia; quia ambæ rationes æqualis ponderis veluti trahentes ad ſe aſſenſum Intellectus, ſe mutuò impediunt; ſicque Intellectus manet in æquilibrio, donec à voluntate prudenter moveatur ad aſſentiendum alicui determinatæ parti: vel donec ipſe intellectus per actum reflexum judicet utramque partem eſſe bonam, licitam, eligibilem, & ſecuram.

49 II. Dubium dividitur in praticum & Speculativum. *Dubium practicum* eſt, quando quis dubitat de actione in particulari cum ſuis circumſtantiis, hic, & nunc facienda vel omittenda. V.G. Dubito, an hodie ſim obligatus ad jejunandum, quia confeci iter pedeſtre per decem, vel duodecim milliaria, & ſum laſſus ab itinere. Sed non tantùm, ut non poſſem jejunare cum aliquo meo incommodo &c. — *Dubium Speculativum* eſt, quando quis dubitat de aliqua actione in generali tantùm conſiderata. V.G. Dubito, an itinerantes teneantur ad jejunium; vel an ſit licitum piſcari, venari, pingere diebus Feſtis; non quia hodie vellem hoc agere; ſed quia cupio ſcire veritatem.

50 III. Dubium dividitur in dubium Juris, & in dubium Facti: *Dubium Juris* eſt, quando quis dubitat de Lege, an ſit lata? an obliget ſub gravi culpa; an obliget in his circumſtantiis? an ad pœnam tantùm? *Dubium Facti* eſt, quando quis dubitat de ſuo proprio facto contra Legem. V. G. Dubito, an recitaverim hodie Completorium? an fregerim jejunium? an contractus initus ſit uſurarius? an peccatum jam perpetratum ſim confeſſus? an adimpleverim pœnitentiam? an homo, quem percuſſi, ſit Clericus?

Quæro XXVI. *Eſtne licitum operari cum dubio negativo?*

51 ℞. Nunquam eſt licitum. Ratio eſt manifeſta: quia, qui ſic operaretur, imprudenter, & temerè operaretur, ſe exponendo periculo proximo peccandi pro formali; ergo de facto peccaret in ea ſpecie peccati, de quo dubitat, & cujus periculo ſe exponit; nam eſt Axioma Theologicum, quòd *Ejuſdem malitiæ eſt, exponere ſe periculo proximo peccandi, ac peccare.* Tum quia dicit Sapiens Proverb. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo; Stultus tranſilit, & confidit.* Et Eccleſiaſticus cap. 3. dicit: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Tum quia, quando Deus prohibet aliquod malum, prohibet etiam conſequenter, ne noſmetipſos exponamus periculo manifeſto committendi tale malum: ut docent omnes Theologi. Tum quia in tali dubio datur ignorantia vincibilis, & culpabilis; ſed cum hac non licet operari, ut vidimus; ergo &c.

Quæro XXVII. *Quomodo igitur ſe gerere debet, qui habet dubium prædictum?*

52 ℞. Se debet gerere ſicut ille, qui habet ignorantiam vincibilem, ut dixi ſuprà *nu.* 24. Quòd ſi neſciat illa media adhibere, ſtante adhuc dubio, vel debet abſtinere ſe ab opere, vel tenetur eligere tutiorem partem. Nam ex Jure Canonico *cap. Juveni, de Sponſalib.* — *& cap. Ad Audientiam, de homicidio*, & alibi, habetur hæc Regula: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*: quæ intelligenda eſt, quando quis in dubio practico perſeverat: ut eſt in propoſito; ſicut cum aliis DD. docet, & explicat P. Anacletus noſter *in Theol. Moral. Tract. 1. diſtin. 3. n. 35.*

Quæro XXVIII. *Licitum eſtne operari cum dubio Speculativo?*

53 ℞. Sic dubitans, debet ſuam actionem ſuſpendere, donec, prudenter, & rationabiliter Dubium deponat, formando judicium determinatum de honeſtate ſuæ actionis.

Quæro XXIX. *Quid dicendum de Dubio Facti?*

54 ℞. I. Si Dubium Facti ſupponat Legem, vel Præceptum; tunc reſolvendum erit in favorem ipſius Legis, vel Præcepti; quia tunc Lex manet in poſſeſſione. V.G. Dubitas, an perſolveris Votum, jam factum? Teneris perſolvere. Dubitas, an recitaveris Completorium? Obligaris recitare. Et ſic de ſimilibus. ℞. II. — Si autem *factum fundet Legem*; tunc reſolvendum erit Dubium in favorem operantis; quia tunc operans manet in ſua poſſeſſione. V. G. Dubitas, an feceris Votum recitandi Officium

Digitized by Google

ficium B. V. Mariæ? Non teneris ad recitandum. Dubitas, an homo à te percuſſus ſit Clericus? non debes te credere Excommunicatum; nam delictum commiſſum à te eſt *Factum fundans legem pœnalem*; ſed in dubio non præſumitur delictum niſi probetur; ergo percuſſio hominis, quem certò neſcis eſſe Clericum, non poteſt inducere obligationem pœnæ Excommunicationis &c. Si vis plura, lege Sporerium noſtrum *Tract. 1. cap. 1. ſect. 4. per totam*.

Quæro XXX. *Quid tamdem dicendum erit de Dubio poſitivo?*

55 ℞. Licitum eſt ſequi alterutram partem Dubii poſitivi. Ratio eſt: *I.* quia hoc non eſt propriè dubitare, ſed opinari; licitè autem poſſumus inter duas opiniones oppoſitas æqualiter probabiles in Moralibus eligere quam volumus: quoniam nulla uſque adhuc datur Lex, quæ nos obliget ad ſequendam, in omni caſu opinionem rigidam, vel faventem Legi, aut Præcepto. *Probo ſic*. De lege humana eſt certum; cùm in Corpore Juris Canonici hujuſmodi Lex non inveniatur: maximè cùm Lex humana debeat eſſe manifeſta, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat. 4. *diſt. C. erit autem. C. fin. de conſtit.* De lege autem Divina, vel Naturali eſt pariter certum: quia nec datur in Scriptura Præceptum Divinum, nec Lumen naturale dictat, nos ſemper obligari ad ſequendam opinionem probabiliorem, vel partem rigidam in rebus incertis; ergo &c.

56 *II.* Quia objectum noſtri intellectus in rebus incertis eſt ſola veritas probabilis: ſed hæc veritas in caſu noſtro reperitur in utraque parte: Supponimus enim, quòd duæ opiniones oppoſitæ ſint æqualis probabilitatis: ergo intellectus prudenter poteſt utramque approbare, ut veram in linea veritatis probabilis, & ſic alterutram eligere, & ſequi, quam mavult.

57 *III.* Quia eligendo potiùs benignam opinionem, quæ favet libertati, quam rigidam, quæ favet Legi, non peccamus contra veritatem, nec contra prudentiam; quia qui ſequitur unam opinionem verè probabilem, prudenter operatur, & veritatem probabilem inſequitur. Neque nos exponimus periculo peccandi pro formali, ſed tantùm pro materiali; ſed non tenemur vitare in rebus obſcuris, & incertis hoc periculum materiale, cùm ſit quandoque ex utraque parte inevitabile; ergo nec à prudenti viro eſt ponderandum. Sancti enim Doctores in materia obſcura fidei, & morum, (ubi non dabatur certitudo, vel clara authoritas Scripturæ, vel definitio Eccleſiæ) variè opinati ſunt, & tenuerunt opiniones aliquando benignas, ut patet in libris ipſorum; ergo &c.

Dices: In Dubio poſitivo ſequens partem tutiorem devitat omne periculum, etiam materiale errandi; ideòque in hoc etiam dubio ſervandum eſt illud Axioma Canonicum: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. 58

℞. Nego antecedens: quia non eſt univerſaliter verum; quandoquidem opinio etiam tutior poteſt eſſe à parte rei falſa; nam tutioritas nihil confert ad probabilitatem opinionis, neque reddit opinionem magis certam; ergo ſequens opinionem tutiorem, non ſemper evitabit periculum realiter, & materialiter errandi. Do exemplum. Thomiſta tenet hanc opinionem: Quando Sacerdos celebrat, & ſumpto Corpore Chriſti, advertit, conſecraſſe aquam pro vino, tenetur ſupplere hunc defectum, iterum conſecrando utramque materiam, hoſtiam ſcilicet novam, & calicem cum vino. Scotiſta autem tenet aliam opinionem, nempè conſecrandum eſſe ſolum calicem cum vino. Iſtæ duæ opiniones ſunt materialiter periculoſæ, quia non excludunt omne periculum realiter errandi; poteſt enim à parte rei errare Sacerdos, ſive ſequatur unam, ſive alteram opinionem; non tamen formaliter errat: quia prudenter agit, ſequendo opinionem D. Thomæ, aut Scoti.

Ad illud axioma dico, eſſe verum, quando ſumus in dubiis propriè acceptis: non autem in opinionibus; in opinionibus enim verè probabilibus non datur propriè dubium; Unde ſequens unam veram opinionem non ſe exponit periculo formaliter errandi; ut patet in exemplo ſuprà expreſſo. Etenim Sacerdos in caſu propoſito ſi ſequatur opinionem Thomiſtarum non peccat; neque peccabit ſequendo opinionem Scotiſtarum. Quare? Quia utraque opinio eſt valdè probabilis, & æqualiter tuta. 59

Nota hic. D. Thomas, & Scotus ſcripſerunt annis multis ante Rubricas Miſſalis Romani juſſu Pii Papæ V. editi, à Clemente VIII. recogniti, atque ab Urbano 60

VIII.

VIII. correcti, & opiniones eorum Doctorum, ante hujuſmodi Rubricas, erant adeò probabiles, ut eas admiſerint prædicti Pontifices tamquam regulas moraliter certas in ipſiſmet rubricis, ut patet in Miſſali *de Defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus* §. 4. *n.* 5.

Quæro XXXI. *Quomodo intelligitur illud axioma: In dubio melior eſt conditio poſſidentis?*

61 ℞. Secundùm omnes Juriſperitos, & Theologos hoc axioma locum habet ſpecialiter in materia Juſtitiæ: & ſignificat, quòd quando oritur dubium, an res, quam bona fide poſſideo, ſit alterius Domini, adhuc licitè poſſum eam retinere, nec mihi in Judicio auferri poteſt ab altero, niſi priùs probet, eſſe ſuam: quia melior, ſeu potior eſt conditio poſſidentis. At ſecundùm multos Doctores, etiam Claſſicos, illud axioma habet quoque locum in materiis aliarum Virtutum: quia eadem prorsùm ratio militat in iſtis, quàm in illa. Igitur in moralibus, perpenſis omnibus circumſtantiis, ſi remanet dubitatio vera, & propria de obligatione alicujus Legis, vel Præcepti, prævalere poteſt libertas hominis, qui potiori jure (nempè naturali) poſſidet ſuam libertatem. Quinimò plures D.D. hoc concedunt in dubio etiam poſitivo; quando nimirùm hinc inde ſunt rationes probabiles tam pro libertate, quàm pro Lege ſtantes: ut vidimus ſuperiùs *n.* 55.

Quæro XXXII. *Quid eſt Conſcientia Scrupuloſa?*

62 ℞. Eſt quæ à Scrupulo formatur. *Scrupulus eſt vana apprehenſio peccati, ubi peccatum non eſt.* Vel, eſt apprehenſio inani ratione nixa, & hinc ortus timor, peccatum alicubi eſſe, ubi reverà non eſt. Dicitur *Scrupulus*, quia animo inſidens, moleſtiam, & anxietatem parit, veluti lapillus brevis, & aſper, qui in calceo latens pedem lædit, præſuſque dolorem parit. Scrupuloſus eſt, qui ex levibus, & inanibus motivis movetur, trepidarque, veniale eſſe mortale, & veniale judicat, quòd nullum eſt peccatum; Unde fit ut in omnibus, vel aliquibus certæ ſpeciei actionibus, ſit plenus dubiis, & difficultatibus interminatis, vivatque vitam valdè mœſtam, & melanchonicam. Scrupuloſus erroneè putat ſua multa argumenta eſſe inſolubilia, & motiva æſtimat non levia, ſed gravia, à quibus agitatur; ſi enim videret, & crederet ea eſſe inania, & leviſſima, prout ſunt, non ſineret ab eis ſic gyrari, atque ideò Scrupuloſus non permaneret. Conſcientia Scrupuloſa, ſicut & dubia, eſt umbra potiùs Conſcientiæ, quàm Conſcientia; Nam Conſcientia debet eſſe practicum rationis judicium, & aſſenſus prudens, ac determinatus; at neque dubitans, neque Scrupulizans determinatè judicat agendum aliquid, vel omittendum eſſe: ſed ille ambiguus hæret, iſte angitur tantùm, ac timet: ego &c.

Quæro XXXIII. *Quænam ſunt ſigna diſtinctiva hominis Scrupuloſi?*

℞. Sunt ſequentia. I. Indicium Scrupuloſi eſt, ſi contra Sapientium, imò etiam proprium quandoque judicium inquietus timeat, ne fortè peccet, aut peccaverit. Solent enim quidam docti Scrupuloſi in aliena cauſa judicare ſine formidine, hominemque abſolvere à peccato: at ſi idem Caſus ipſis eveniat, ſtatim formidare incipiunt, peccatum ineſſe. -- II. Pertinacia judicij, qua pœnitens Doctorum conſiliis non acquieſcit: ideòque novos ſemper conſulit confeſſarios, & nullius judicio ſtat. -- III. Frequens mutatio judiciorum circa idem dubium: & inventio reflexionum extravagantium. -- IV. Trepidare in omnibus, ubi alii timorati nullum habent timorem: ac timere laqueum ſibi parari etiam in via publica, & trira. -- V. Eſſe inquietum, irreſolutum, perturbatum, & cœco quodam modo procedere in ordinariis actionibus. -- VI. Nimis angi, & torqueri à formidine peccandi. -- VII. Si multoties expertus ſit, ſimilia argumenta apprehendiſſe veluti gravia, & ſolida, & poſtea, pacato animo, judicaſſe, & reperiſſe levia, & inania. -- VIII. Si talis perſona judicata ſit Scrupuloſa à viris doctis, & peritis. -- Unum ex his indiciis, & ſignis ſufficit: ergo multò magis, ſi plura ſimul in uno invenies, Scrupuloſiſſimum certò judicabis. 63

Quæro XXXIV. *Quænam ſunt cauſæ Scrupulorum?*

℞. Variæ, ſed præcipuè ſunt ſequentes: I. Dæmones phantaſiam turbantes. II. Perſpicacia ingenii, qua quis ſubtilirer invenit objectiones contra ſe, & neſcit eas prudenter ſolvere. III. Imbecillitas capitis, vel læſio imaginativæ potentiæ, quæ multoties originem ducit à melancholia, & prava cerebri conſtitutione. 64

IV.

IV. Puſillanimitas & cord's infirmitas. V. Inordinatus amor ſui ipſius, & proprii judicii, quod eſt ſpecies ſuperbiæ. VI. Conſortium Scrupuloſorum, præſertim Confeſſarj. VII. Lectio librorum, quos non intelligis, vel non confers cum aliis libris. VIII. Ignorantia Moralis doctrinæ. IX. Tandem Permiſſio Dei, qui ſicut alias permittit tentationes, ſic iſtam Scrupulorum, quæ non eſt minor probatio, quàm aliæ Animi, vel corporis infirmitates. Tentat enim nos Dominus, ut palam fiat, utrùm diligamus eum, an non.

Quæro XXXV. *Quænam ſunt remedia efficaciora contra Scrupulos?*

65 ℞. Varia, ſed præſertim iſta. I. efficaciſſimum, & ab omnibus Sanctis Viris, & Theologis Moralibus approbatiſſimum rimedium contra omnia genera Scrupulorum eſt *Obedire* Confeſſario, ejuſque dictis acquieſcere omninò. II. Orare breviter, ſed frequenter Deum, orationibus jaculatoriis, dicendo V.G. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. Pſal. 68. v. 1. Vel: *Fiat miſericordia tua, ut conſoletur me*: Pſal. 118. v. 76. Vel: *Lætifica animam ſervi tui, quoniam tu Domine ſuavis, & mitis*: Pſal. 85. v. 4. Et ſimiles breviſſimas orationes. III. Audacter operari contra vanas apprehenſiones, ac timores peccati; quod non ſolùm eſt licitum, ſed quandoque neceſſarium. IV. Numquam judicare, eſſe peccatum mortale, vel conſenſiſſe in peccatum, niſi, id certò deprehendat, ac jurare poſſit. V. Confiteri ea ſolùm, quæ manifeſtè peccata eſſe, cognoverit, non dubia, neque Scrupulos. VI. Cùm primùm oritur Scrupulus, eum ſtatim prudenti aliqua ratione generali, vel ſpeciali à Confeſſario tradita rejicere, nec unquam cogitatione, & reflexione fovere. VII. Confeſſiones non repetere, & multò minùs generales. VIII. Divinum Officium, vel alias preces, neque ad unum verſiculum, iterum recitare, Scrupuli gratia, vel ex pretextu attentionis, vel intentionis non habitæ &c. IX. Poſtquam unius viri docti, ac probi reſponſum accepit Scrupuloſus, non debet alios conſulere pro tali dubio. X. Tamdem ſentire de Domino Deo in bonitate, conſiderare ejus Divinam miſericordiam, & in ea totis viribus confidere. Etenim Deus benedictus non eſt Legislator tam rigidus, & durus, ut velit nobis peccata adſcribere, pœnamve decernere, etiam quando indeliberatè, & confusè aliquid agimus, vel omittimus, præſertim hominibus bonæ voluntatis, qui potiùs mortem, quàm peccatum mortale deliberatè ac libere admitterent. Et nec Deus, qui eſt *Pater Miſericordiarum*, nec Eccleſia, quæ eſt *benigna Mater*, ſuis præceptis adimplendis, vult efficere, ut homo in ſtultitiam cadat, aut in deſperationem labatur, quod Scrupuloſis denique contingit.

Ita docent S. Antoninus *parte prima Summæ tit.* 2. *cap.* 10. §. 10. -- Gerſon *par.* 2. *tract. de præpar. ad Miſſam, conſ.* 6. -- Corduba *l.* 3. *quæſtionar. q.* 5. *prop.* 4. -- Sylveſter *V. Scrupulus. q.* 3. & 4. -- Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 276. & *ſeqq.* -- Cajetanus *in Sum. V. Scrupul. medic.* -- Vaſquez: Azor: Sanchez: Molina: Medina: Sà: Henriquez: Coninch: Valentia: Conradus: citati à Laymann *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. Graffius *de Arbitr. Confeſſ. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 11. Petrus Marchant. *Tom.* 1. *tract.* 5. *tit.* 6. *quæſt.* 4. & 5. Maſtrius *Moral. diſp.* 1. *n.* 43. & 44. -- Tamburinus *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 8. *à n.* 4. *ad* 17. -- Sporer *tr.* 1. *Proœm. c.* 1. *n.* 108. -- Buſembaus *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 3. *Reſp.* 4. -- Anacletus *in Sum. Theol. tract.* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 5. *à n.* 78. -- Felix Poteſtatis *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 1. *à num.* 131. -- Segneri *in Confeſſ. Inſtructo cap. ultimo*. -- Euſeb. Nierimbergh *in lib. de Conſolat. Animæ Scrupul.* §. 2. & *ſeqq.* & *in Conſil. Spirit. ibi annex.* &c. Aquieſce igitur iſtis DD. & pacem habeto. Plures alios poſſem citare Doctores magnæ auctoritatis, ſed brevitatis cauſa omitto.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE PROBABILITATE.

QUæro. *An ſit licitum, & tutum ſequi Opinionem probabilem relicta tutiori?*

1 Si ulla unquam in Scholis Moralis Theologiæ, enixis, totiſque viribus agitata fuit quæſtio, iſta profectò eſt, quam propoſui in hoc ſecundo Tractatu *de Opinione Probabili in concurſu tutioris oppoſita*. Mirabile videtur noſtris his temporibus hoc Scholaſticum certamen de hac una Controverſia Morum; pro qua Doctores Theologi non ſolùm diſertationes prolixas, tractatus longiſſimos, diſputationes exorbitantes, verùm etiam libros, & tomos integros ſcripſerunt, & typis in publicam lucem ediderunt. Jure tamen merito, quoniam hæc eſt veluti baſis, & fundamentum ferè totius Moralitatis, Viri ſapientes hanc quæſtionem exiſtimant unam è primariis Theologiæ Moralis, *Cujus major pars regitur Opinionibus*, ejuſque notitiam maximè neceſſariam eſſe dicunt, cuivis Confeſſario, imò cuilibet Deum timenti. Cùm enim in humanis actibus quotidianis plurimæ ſæpè ſæpiùs occurrant difficultates, circa quas mens humana, propter inevidentiam, & incertitudinem objecti, dubitat, quid in bona Conſcientia judicandum, & agendum ſit, & ſtatim oporteat aliquid vel affirmativum, vel negativum reſolvére, & operari, vel conſulere ut licitum, & tutum; plurimum etiam intereſt, fundamentaliter ſcire, qualiter in hujuſmodi materiis, & caſibus formandum ſit Conſcientiæ bonæ dictamen cum timore Domini, quod aliter fieri non poteſt, niſi cum fundamento ſolidæ rationis, & auctoritatis.

2 Et ut verum fatear, ab antiquis temporibus, quibus major ſimplicitas abundabat in moralibus, Probabilitas ab aliquo eximio Doctore tradita, defenſa, vel permiſſa, communiter ſine lite injurioſa, ſine nota, aut convicio habebatur pro ſecura Regula efformandæ Conſcientiæ practicæ; & adhuc noſtris temporibus à pleriſque habetur: quia ſemper verum eſt, quòd *Unicuique experto in propria ſcientia, vel arte eſt credendum*, præcipuè cùm aliorum quoque auctoritate ipſius ſententia fulcitur. Aſt paucis ab hinc luſtris noſtræ ætatis inſurrexerunt nonnulli Scriptores Probabilitati prædictæ adeò adverſi, ut ei tanquam peſti exitiali, fugam, & odium univerſale inſinuare non deſiſtant; nec vereantur; quinimò multis dicteriis, ſchommatibus, conviciis, & cenſuris eam proſcribant, atque inſectentur, non attendentes, quòd dum ſic volunt omnibus ſuadere *Probabilioritatem*, & *Securitatem* Conſcientiæ, ipſi deſerunt pacem, & charitatem, imò & obedientiam debitam Summo Pontifici Romano, Chriſti Vicario in terris. At fortè non legerunt finem Decreti Innocentii Papæ Undecimi, editi *anno 1679. die 2. Martii*, in quo damnantur ſexaginta quinque propoſitiones, & in calce habentur hæc verba:

„Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſe Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur; idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris, imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni Cenſura, & Nota, nec non à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, ſuper eiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Minimè igitur, ut conſtat, præjudicandum eſt ſanæ doctrinæ *de vera probabilitate* in rebus obſcuris, & incertis, quæ nobis tradita eſt à Catholicis, & pijs Doctoribus tam Antiquis, quàm Modernis; quia Viris eruditione, modeſtia, ac pietate præſtantibus, qui cum fundamento rationis, & authoritatis in ſuis libris vel ſequuntur, vel approbant, vel concedunt uſum veræ probabilitatis, credendum eſt: maximè hoc inſpiciente Eccleſia, & non prohibente, non obſtantibus libris ubique difuſis nonnullorum Adverſantium Probabilitati prædictæ. Etenim non minus 3

nociva eſt Animarum ſaluti indiſcreta Conſcientiarum arctatio, quàm imprudens levitas opinandi, ut docet S. Bonaventura Doctor Seraphicus *in Comp. Theol. Verit. lib. 2. c. 52.* ubi ait: — *Cavenda eſt Conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem: item prima ſæpè dicit malum, bonum: ſecunda bonum, malum: prima ſæpè ſalvat damnandum, ſecunda damnat ſalvandum; cavenda, inquam, eſt tam dextera nimia laxitatis temeraria, negando præceptum, ubi eſt, quàm ſiniſtra nimis rigoris, effingendo præceptum, ubi non eſt; ſed media tenenda eſt via.* — Hæc Seraphicus Doctor.

4 Ex his rationibus, & cauſis motus fui ad proponendam Quæſtionem hanc, quam claritatis gratia dividam in tres partes. *Primò* igitur quæram: An Probabilitas in ſe, abſolutè, & ſimpliciter conſiderata poſſit eſſe bona, & tuta Regula morum, & ex ea formari dictamen practicum Conſcientiæ veræ? *II.* An ſit licitum & tutum ſequi opinionem probabilem in concurſu probabilioris, ejus oppoſitæ? *III.* An liceat ſequi opinionem minus probabilem relicta tutiore, ei oppoſita?

5 Pro reſolutione fundamentali horum punctorum, *notandum eſt primò*. In Theologia ſive ſpeculativa, ſive Dogmatica, ſive morali dantur duo genera propoſitionum. Primum genus continet *propoſitiones certas*, quæ videlicet fundantur in Certitudine Fidei Divinæ, vel in certitudine Scientiæ Theologicæ. *Propoſitio certa certitudine Fidei Divinæ* eſt omnis Sententia, quæ habet fundamentum clarum in Sacris Scripturis Canonicis, vel in Traditionibus Eccleſiæ, vel in determinationibus Conciliorum Generalium, vel in definitionibus Summorum Pontificum Romanæ Cathedræ. *Propoſitio autem certa certitudine Theologica* eſt omnis ſententia, in qua conveniunt omnes Theologi Catholici, vel de qua nulla eſt controverſia inter illos. — Secundum genus continet *omnes propoſitiones in linea probabilitatis*, nempè omnes opiniones ſive tantùm probabiles, ſive probabiliores, ſive probabiliſſimas: contra quas uſquemodò non reperitur aliquod principium certum certitudine aliqua ſupra expreſſa; & in his datur controverſia inter Theologos, quorum aliqui unam, eamdemque propoſitionem affirmant, & aliqui negant. Hæc vocatur *Controverſia*, quia circa unam propoſitionem varia ſunt placita D.D. variæ Sententiæ, varia dubia, variæque opiniones oppoſitæ.

In propoſitionibus primi generis non 6
datur locus opinioni, aut probabilitati; quia ubi eſt certitudo, nequit eſſe incertitudo, dubium, obſcuritas, vel formido. In propoſitionibus verò ſecundi generis eſt vera opinio, incertitudo, dubium, obſcuritas, & formido, ut patet ex controverſiis Doctorum; quia ubi non eſt ſcientia, aut Fides Divina certa, ibi datur opinandi locus.

Notandum eſt ſecundò. Nonnulli Summi 7
Pontifices, præſertim Alexander VII. Innocentius XI. & Alexander VIII. damnarunt multas propoſitiones in rebus Fidei, & Morum, tanquam ut *minimùm ſcandaloſas*, quarum aliquæ habebantur à multis Theologis ut probabiles, a plurimis autem ut improbabiles: qua poſita damnatione ſtatim dictæ propoſitiones amiſerunt omnem probabilitatem apparentem, intrinſecam, & extrinſecam. Ratio eſt: quia cùm Romanus Pontifex docens Eccleſiam in materijs Fidei, & Morum, affirmat, & declarat, aliquam Doctrinam eſſe ſcandaloſam, conſequenter judicat, eſſe falſam, & improbabilem poſitivè, & practicè: quò judicio habito a Chriſti Vicario, (gaudente Privilegio Infalibilitatis in decernendis rebus ad Fidem, & mores pertinentibus pro tota Eccleſia) jam habetur certitudo de falſitate illius Doctrinæ, & conſequenter ceſſat omnis controverſia de propoſitionibus jam damnatis, quia ſunt certò falſæ, & ad minimum ſcandaloſæ in praxi; Quandoquidem probabilitas alicujus opinionis tandiù durat; donec contra ipſam appareat fundamentum convincens, & certum; damnatio autem Pontificia illarum propoſitionum eſt principium, & fundamentum certiſſimum contra illas aſſertiones, ſeu propoſitiones; ergo &c.

Notandum eſt tertiò. Nos hìc loqui cum limitationibus de honeſtate actionis humanæ, ut fundatè tractat Maſtrius *Moral. diſp. 1. q. 4. art. 2.* & Felix Panormitanus *Tom. 1. Exam. Eccleſ. à n. 59. & ſeqq.* cum multis ibi citatis Auctoribus.

His prænotatis, & præſuppoſitis.

Reſpondeo ad primam partem Quæſtio- 8
nis, & dico: *Opinionem verè probabilem eſſe bonam, ſufficientem, & tutam Regulam*

morum,

morum, & conſequenter licitum eſſe in praxi, eam ſequi.

9 *Probatio I.* Authoritate Canonum. *Cap. Ego ſolis. 9. diſt.* ubi habetur: Alios autem (Scriptores) ita lego, ut quantalibet Sanctitate, Doctrinaq; polleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios Auctores, vel Canonicas, vel Probabiles rationes, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. -- Quod eſt deſumptum ex D. Auguſtino *Epiſt. 19. c.1.* ubi non legitur, *Probabiles rationes, ſed Probabili ratione.* Et Gloſſa ibi: *Quia ratio*, inquit, *æquivalet Canoni*, ideſt, ſicut poſſum, & debeo ſequi Canonem, ubi adeſt, ita poſſum, & debeo ſequi rationem probabilem, quæ eſt bona Regula morum ubi non eſt Canon, vel authoritas Eccleſiæ. Ergo Opinio probabilis (quæ, ut vidimus, ſemper nititur gravi, & ſolida ratione) eſt ſufficiens, & tuta regula morum in materiis incertis &c. Item, *cap. ne innitaris: de conſtit.* apud Sperellum, *deciſ. 119. n. 55.*

10 *Probatio II.* Authoritate Romanæ Eccleſiæ. Alexander Papa Octavus loquens ex Cathedra Petri inter alias damnavit hanc propoſitionem, quæ eſt là *3.* -- *Non licet ſequi Opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.* -- Sed certum eſt, quod Opinio probabilis ut ſic, reperitur in linea, vel in genere Probabiliſmi, ſeu Probabilitatis abſolutæ: ergo certum erit, quod liceat ſequi Opinionem aliquam in linea Probabilitatis.

11 *Confirmatio.* Innocentius Papa Undecimus damnavit *65.* propoſitiones quarum aliquæ (ut là *2. 6. 35. 44.*, & *57.*) ſunt de modo, & dicto tantùm probabili ut ſic. Et Alexander Papa Septimus damnavit *45.* propoſitiones, quarum vigeſima ſeptima, & quadrageſima ſunt pariter de mera, & abſoluta probabilitate pratica; Vigeſima ſeptima dicebat: *Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet Opinio cenſeri probabilis &c.* Et quadrageſima ſonabat: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit: Eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem &c.* -- Ergo, ſi prædicti Pontifices damnaverunt, ut minimùm ſcandaloſas, illas aſſertiones de mera, & abſoluta Probabilitate, certum eſt, quod Probabilitas opinionis in ſe eſt, vel eſſe poteſt licita, & bona regula morum.

12 *Probatio III. Auctoritatibus Doctorum eximiorum.* Antoninus Sanctus Doctor *in Summa p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. verſ. Item ex reſponſis.* Dicit: quòd *quilibet homo cum ſalute (Anima ſua) poteſt ſequi in Conſiliis quamcumque opinionem, dummodò ſit opinio alicujus Magni Doctoris.* -- Hoſtienſis. *Extra, de cogn. Spirit. ſuper cap. Si vis*: Dicit: *Ubi ſunt diverſæ opiniones, humanior cæteris eſt præferenda*: nempè benigna. -- Gulielmus in Gloſſam Raymundi, dicit: *Si aliquis bona fide opinionem, vel partem illam, vel iſtam elegerit, non debet ſuper hoc habere conſcientiam nimis ſcrupuloſam.* -- Petrus de Palude *in 4. diſt. 17.* dicit: *quòd ſi Confeſſor dubitaret, utrum illud, de quo Confitens non pœnitet, nec confitetur, eſſet mortale: & ipſe Confitens diceret, quòd conſilio Peritorum illud fecit, ſe poteſt conformare tali judicio.* -- Joan. Gerſon dicit: *Conſtat communiter apud Theologos, quòd in materia Fidei, dum Doctores ſentiunt contraria, licitum eſt, ante determinationem Eccleſiæ, tenere unam partem, vel alteram, ſine periculo peccati, vel fidei: ſic à ſimili licitum eſt unam opinionem in moralibus tenere &c.*

Probatio IV. rationibus. I. Ratio ſit: Omnis regula, quæ eſt certò Theologica, 13
eſt etiam bona regula morum; ſed opinio verè probabilis, ut ſic, eſt certò regula Teologica: quia major pars Theologiæ Univerſæ regitur, & ſtabilitur opinionibus, ut patet; ergo &c. *II. Ratio*: In pleriſque moralibus impoſſibile eſt, habere omnimodam certitudinem de licito, & honeſto: ergo neceſſitatem habemus recurrendi ad opiniones probabiles. Atqui nulla lege tenemur ſequi potius hanc, quàm illam opinionem, ergo licitum erit ſequi quamcumque verè probabilem. -- *III. Ratio*: Qui juxta opinionem aliquam verè probabilem operatur, non temerè, ſed prudenter operatur: quia talis opinio fulcitur gravi, & prudenti pondere rationis, & auctoritatis: ſed qui prudenter operatur, non peccat: quia nullo periculo formalis peccati ſe exponit; ergo qui ſequitur opinionem aliquam verè, & ſolidè probabilem benè, & licitè operatur.

Reſpondeo ad ſecundam partem Quæ- 14
ſtionis, & dico: *Licitum, & tutum eſſe in conſcientia ſequi opinionem probabilem etiam in concurſu, & comparatione probabilioris oppoſita in materiis moralibus obſcuris, & incertis.*

Probatur primò ſic. Licitum, & tutum 15
eſt, ut probavimus, ſequi omnem opinionem verè probabilem in ſe, & abſolutè

tè conſiderátam: ergo hoc etiam licebit relativè, comparativè, ſeu in concurſu probabilioris. Probò conſequentiam. Iſte concurſus non deſtruit probabilitatem prioris opinionis: *Probo*. Duæ opiniones oppoſitæ, vel contrariæ non ſe habent veluti duæ reales propoſitiones contradictoriæ, quarum una ſi eſt vera à parte rei, altera neceſſariò erit falſa: ut V. G. *Petrus eſt doctus*; *Petrus non eſt doctus*. Vel. *Homo eſt vivus*; *Homo non eſt vivus*. Si enim à parte rei verum eſt, quod Petrus, vel Homo ſit vivus, vel doctus, falſa erit altera propoſitio ei contradictoriè oppoſita; quia in iſtis propoſitionibus datur certa, & determinata veritas naturalis, & evidens; veritas enim realis nequit eſſe eadem in utraque parte contradictionis. Non ſic, inquam, ſe habent duæ opiniones aut duæ propoſitiones probabiles, quorum una ſit probabilior altera. Ratio eſt: quia probabilitas non eſt quædam veritas realis, ſeu ex natura rei; eſt ſolùm quædam veriſimilitudo rationabilis per intellectum noſtrum concepta à motivo deſumptò à ratione, vel ab auctoritate gravi. Igitur intellectus benè poteſt moveri ad aſſenſum unius opinionis probabilis, & etiam ad aſſenſum alterius opinionis probabilioris oppoſitæ, judicando ambas ut probabiles. V. G. Thomiſta aſſentit opinioni probabiliori Divi Thomæ docentis *in 1. 2. quaſt. 18. art. 9.* Non poſſe dari actus morales indifferentes in individuis, ſed ſingulos eſſe bonos, vel malos; nihilominus conſiderans rationes Scoti qui (*in 2. diſtin. 41. q. unica*) tenet opinionem contrariam probabilem, poteſt aſſentire huic etiam opinioni, & facere aliquem actum indifferentem; aliter ſequeretur, quòd opinio Scoti non eſſet vera opinio, ſed error, vel ſomnium.

16 *Confirmatur*. Opinio aliqua nequit veraciter dici probabilior altera, niſi hæc pariter probabilis ſit: non enim hæc evadit ſtatim improbabilis, vel falſa. *Probo*. Minor probabilitas non eſt qualitas mixta ex probabilitate, & improbabilitate, ſicut V.G. tepidum eſt quoddam mixtum ex aliquo gradu caloris, & ex aliquo gradu frigoris: ſed eſt qualitas ſimplex impermixta, ſicut V. G. calidum, ut duo, in comparatione calidi, ut quatuor; calidum enim habens duos gradus tantùm caloris non amittit ſua caliditatem in conſpectu calidi habentis quatuor gradus caloris; dicitur quidem minus calidum, ſed nequit dici frigidum, aut tepidum. Licèt igitur una opinio ſit minus probabilis alia, adhuc tamen eſt ſuo modo probabilis; quia remanet cum ſuis gradibus probabilitatis intrinſecæ, vel extrinſecæ; poterit ergo eſſe adhuc bona regula morum: quia & ipſa habet pro ſe gravem rationem, vel gravem auctoritatem potentem movere intellectum hominis prudentis ad ſui ſequellam; ſicuti V. G. luminare minus eſt ſufficiens mihi ad eundum nocturno tempore in plateam, licèt tu habeas luminare majus ad pergendùm in plateam, nec tuum lumen deſtruit meum &c.

Ampliatur, & *iterum confirmatur*. Sic enim ab Antiquis cuſtodita eſt propria ipſorum opinio, ut cum reverentia admiſerint ut probabilem aliorum opinionem: patet ſæpiſſimè in eorum libris. Unum tantùm adduco exemplum. D. Thomas in Supplem. *ad 3. parte, quaſt. 38. art. 5.* defendit, quòd tactus materiæ in Ordinatione ſit de eſſentia Sacramenti: & tamen ibi ad 3. arg. benignè concedit, immò & probat opinionem All erti, & aliorum, qui tenebant, porrectionem materiæ, non autem tactum ejus, eſſe de eſſentia Ordinis. Quare ergo nos volumus eſſe diſcretiores, & ſapientiores Antiquis Sapientibus? Illi non damnabant, neque anihilabant opiniones minus probabiles in conſpectu probabiliorum oppoſitarum: Adverſarii autem noſtri moderna damnant, anihilant, immò anathematizant omnem opinionem, quæ tibi minus probabilis videtur, quando eſt in concurſu alterius tibi magis probabilis &c. 17

Probatur ſecundò. Omnis opinio probabilior eſt elegibilis à Prudentia ad morales actiones, quamvis ſit minus tuta: hoc libenter concedunt Adverſarii, qui *Probabilioriſtæ* nuncupantur: Ergo, infero ego, etiam opinio minus probabilis, dummodò ſit adhuc probabilis, & eligibilis, relicta probabiliori. Probo conſequentiam. Magis conveniunt inter ſe probabilitas, & probabilioritas, quàm probilioritas, & tutioritas; nam primæ formaliter conveniunt in eadem ſpecie morali, ſecundæ verò nequaquam. Non enim poteſt dari opinio probabilior, quæ non ſit ſimul etiam probabilis; poteſt 18

tamen

tamen dari opinio, quæ ſit tutior, & non ſit probabilior; ergo potius concedendum eſt, licere, eligere probabilem, relicta probabiliori, quàm eligere probabiliorem, relicta tutiori; quia Tutior opinio proximius, & immediatiùs reſpicit regulam Conſcientiæ in timore Domini, & in ſalute propria, quàm opinio probabilior, ſed non tutior.

19 *Confirmatur*. Objecta, quæ ſpecie non differunt, nequeunt cauſare actum ſpecie diverſum: quia actus ſpecificantur ab objectis: ergo ſi opinio probabilior ſpecificat actum moraliter bonum, etiam opinio minus probabilis talem ſibi ſpecificabit actum: quia magis, & minus non variant ſpeciem: ergo prudentia Viri docti in moralibus patitur, ut judicet utramque opinionem, eſſe probabilem, & conſequenter judicando illam, & iſtam probabilem, judicare, & concedere etiam debet, utramque eſſe bonam regulam morum, licèt congoſcat unam meliorem eſſe altera. Prudentia namque dictat, bonum eſſe elegibile etiam in concurſu boni melioris, ad quod aſſequendum non obligamur: aliàs omnia conſilia Perfectionis Chriſtianæ tranſirent in Præcepta, quod eſt durum, & inauditum.

20 *Dices*. Fortius vincit minus forte; ſed ſic eſt, quod opinio probabilior eſt etiam fortior, quàm ejus oppoſita minus probabilis, ergo illa vincit iſtam. *Reſp*. Hoc argumentum valet quid in rebus naturalibus ſibi contrariis, quia videmus ignem vincere lignum, deſtruendo omne lignum, & Leonem vincere Canem, Comedendo ipſum, & ſic de cæteris; Non valet autem in moralibus opinabilibus; quia fortior ratio non deſtruit rationem minus fortem taliter, ut non remaneat adhuc & ipſa fortis, & gravis in intellectu Sapientis. Tum quia ſola veritas certitudinis, & evidentiæ deſtruit omnem opinionem ſibi contrariam. Ratio eſt: quia intellectus noſter, (ut potentia naturalis) talis naturæ eſt, ut pro objecto ſuo proprio, & adæquato, & quietativo habeat verum, ſeu veritatem perfectam; ſicque à ſola veritate certa, vel evidenti neceſſitatur ad aſſenſum, quia tunc de facto nullam videt obſcuritatem, nullam habet formidinem. Aſt in opinabilibus in quocumque gradu probabilitatis non habetur certitudo, nec evidentia, & conſequenter aliqua ſemper reperitur formido de oppoſito; Nam, ut docet omnis Schola cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 4., de ratione opinionis eſt, quod id, quod eſt opinatum exiſtimetur poſſibile aliter ſe habere; ideòque intellectus noſter à nulla opinione, etiam probabiliſſima cogitur ad aſſenſum &c.

Probatur tertiò. In omni opinione probabili datur ignorantia invincibilis, & excuſabilis à peccato: quia ſtante incertitudine alicujus objecti, & impoſſibile nobis (pro ſtatu iſto in pœnam peccati Adæ) pervenire ad cognitionem veram, & certam illius objecti: ergo, dato quòd opinio, quam ut probabilem ſequor, eſſet falſa coram Deo, vel à parte rei, ego excuſabor à peccato pro formali. 21

Dices. Hæc ignorantia non te excuſabit, quia, ſi vis, potes eligere opinionem probabiliorem, in qua ſola reperitur ignorantia excuſabilis, ſi fortè à parte rei eſſet falſa. *Reſp. primo*. Si hoc argumentum eſſet bonum, & verum, ſequeretur, non ſolùm eſſe illicitum uſum omnis opinionis probabilis, verùm etiam peccaminoſam eſſe permiſſionem, aut licentiam datam à Doctoribus Antiquis de tali uſu; quia quod eſt illicitum non poteſt ſuaderi, vel permitti poſitivè. Sed ſic eſt, quod D. Thomas, D. Bonaventura, D. Antoninus, & multi alii D. D. Antiqui poſitivè permiſerunt, licentiarunt, & approbaverunt uſum multarum opinionum probabilium tantùm in rebus incertis Fidei, & morum; ergo &c. 22

Reſp. ſecundò: Negando Suppoſitum: quia ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 2. *&* 3. *in c.* Et quodl. 8. *art.* 15. habetur hæc maxima: *Tunc ignorantia eſt invincibilis, & excuſabilis, quando veritatem ſcire non poſſumus, vel non tenemur*. -- Atqui in opinionibus contrariis de licito, vel illicito actu morali ſcire non poſſum, vel ſcire non teneor veritatem realem; ergo ſequendo hanc opinionem probabilem, & relinquendo aliam contrariam probabiliorem excuſor à peccato pro formali: Etenim etiam probabilior poteſt eſſe falſa à parte rei. 23

Hoc idem docuit P. Joan. Nider in Decal. præcept. 9. c. 1. De ignorantia: ubi dicit: *Ignorantia eſt peccatum ſi eſt priva-* 24

privatio ſcientiæ eorum quæ ſcire poſſumus, *& debemus*: Dixi, debemus: *quia ſi non cadit ſub debito, non eſt peccatum*.

25 Tum quia: Rationes opinionis probabilioris ſunt ſolubiles; ſi enim eſſent inſolubiles, non eſſent probabiles, ſed evidentes, & convincentes, ſicque generarent ſcientiam, non verò opinionem. Attamen (nota benè) non eſt neceſſe, quòd ego ſciam per memetipſum illas rationes ſolvere, ſed ſufficit quòd ſciam, eſſe Doctores eximios, qui eas ſolverint, vel ſolvere facilè poſſint. Nam, ut dixit P. Nider in conſolat. timorat. Conſcien. p.3. c. 19.; Non valet hoc argumentum: *Neſcio ſolvere hanc difficultatem: ergo debeo de ea dubitare*: non valet, inquam, quia ſufficit, quod hæc concluſio ſit probabilis, & ſciam eſſe alios, (qui hanc docent) qui valeant rationes contrarias huic concluſioni ſolvere.

26 *Probatur quartò*. Si unuſquiſque teneretur in conſcientia ſemper ſequi opinionem nobis probabiliorem, ita ut eam non ſequendo unuſquiſque peccaret, ſequeretur nullam eſſe differentiam inter Sententiam Probabilioriſtarum, & Scientiam. *Probo ſequelam*: Dupliciter intellectus aſſentit alicui propoſitioni: vel enim aſſentit cum formidine de oppoſito: vel aſſentit ſine formidine de oppoſito (loquar hic de objecto inevidenti) Si aſſentit ſine formidine, hoc habetur ex certitudine propoſitionis, quæ aliter haberi non poteſt; & iſta certitudo in ſola Scientia naturaliter reperitur. Si verò aſſentit cum formidine, hoc habetur ex incertitudine propoſitionis, quæ aliter ſe habere poteſt; & iſta incertitudo reperitur in opinione quacumque; Ergo ſi certò teneremur aſſentire propoſitioni probabiliori, eamque amplecti ſub culpa gravi, teneremur etiam aſſentire tali opinioni ſine formidine de oppoſito, & conſequenter iſte aſſenſus æquivaleret aſſenſui propoſitionis ſcientificæ; ergo non eſſet opinio, ſed ſcientia.

27 *Confirmatur ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. quæſt. 1. art. 4. in c.* Ubi dicit: Alio modo intellectus aſſentit alicui objecto non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et ſiquidem hæc ſit cum formidine alterius partis, erit *Opinio*. Si autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit *Fides*. — Quæ optima Doctrina Doctoris Angelici non ſolùm confirmat argumentum meum ſupra formatum, verumetiam ampliat confirmationem noſtræ Opinionis; quandoquidem evidenter deducitur, eſſe in poteſtate noſtræ libertatis eligere unam opinionem magis, quàm aliam; quia intellectus non ſufficienter movetur ab opinionibus ad determinatum aſſenſum; determinatur autem ab electione Voluntatis, quæ facit eum declinare in unam opinionem magis, quàm in aliam. Electio autem, cum ſit actus liberæ Voluntatis, poteſt vel in probabilem, vel in probabiliorem, vel in probabilioriſſimam opinionem inclinare intellectum; ergo in noſtra libertate eſt eligere probabilem, relicta opinione probabiliori.

28 *Probatur quintò*. Non major certitudo requiritur ad licitè, & tutò operandum in rebus moralibus incertis, quàm certitudo ſtatus Gratiæ ad celebrandam Miſſam, vel ſumendam Sacram Communionem; ſed ad licitè, & tutò celebrandum, vel communicandum nulla alia requiritur certitudo ſtatus Gratiæ, quàm quædam probabilis credulitas, & conjectura moralis, ſeu judicium prudens, & rationabile: quia altior certitudo nequit haberi ſine ſpeciali revelatione juxta illud Apoſtoli 1. Corint. c. 11. *Probet autem ſe ipſum homo &c.* Et 2. Timot. c. 2. *Solicitè cura te ipſum Probabilem exhibere Deo &c.* Ergo ad licitè & tutò operandum ſufficit omninò opinio probabilis &c.

29 *Probatur ultimò*. Benignitas Dei, & Eccleſiæ Romanæ uſque modò nos non obligavit ad ſemper, & ubique ſequendam opinionem, quæ nobis videatur probabilior; noluit enim ingerere hunc ſcrupulum, noluit imponere hoc præceptum, (quod æquivaleret millibus) noluit aggravare Conſcientiam Fidelium imperfectorum; Quare ergo Moderni Reformatores Theologiæ Moralis (majori zelo) volunt imponere hominibus timoratis, ac debilibus hoc onus, hoc præceptum, hunc ſcrupulum? -- Joannes Gerſon magnus Cancellarius Pariſienſis parte tertia lib. de Vita Spirituali Lect. 4. Coroll. X. ſcribit contra ipſos Zelantes ſic: Ex his, inquit, „ elicio pro Doctoribus Theologis Doctri- „ nam ſalubrem: Ne ſint faciles aſſerere actio- „ nes

Digitized by Google

„ nes aliquas, aut omiſſiones eſſe peccata
„ mortalia, præſertim (Nota benè) ſub
„ verbo Vniverſali . . . . Quandoquidem
„ fit, ut per tales aſſertiones publicas, ni-
„ mis duras, generales, & ſtrictas, præſer-
„ tim in non certiſſimis, nequaquam evuan-
„ tur homines è luto peccatorum, ſed in
„ illud profundiùs, quia deſperatiùs, im-
„ mergantur &c. Quod quantum ſit verum,
„ experientia probat.

30 *Reſpondeo* ad tertiam partem Quæſtionis, & dico: *Licitum, & tutum eſt in Conſcientia in rebus obſcuris, & incertis ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore et oppoſita: ideſt, Non tenemur ſemper ſequi partem tutiorem in actibus noſtris.*

Hucuſque pugnavi contra *Probabilioriſtas*, nunc reſtat breviter pugnandum contra *Tutioriſtas*, ſeu *Rigoriſtas* Modernos, qui docent, in rebus incertis fidei, & morum nos obligatos eſſe, ſemper ſequi opinionem non probabiliorem, ſed tutiorem, illam nempè, quæ ſtat pro Lege, vel præcepto.

Poſſem breviſſimè difficultatem reſolvere, & probare meam Concluſionem contra iſtos Zelantiſſimos, dicendo, eorum rigidam opinionem eſſe ſaltem implicitè damnatam ab Alexandro Octavo, qui inter alias propoſitiones damnavit hanc lā 3. -- *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.* -- Nam Auctor hujus Theſis utique ex hac aſſertione deducebat: Ergo tenemur ſequi ſemper ſecuriorem, vel tutiorem viam &c.

31 Nihilominus *probo primò ſic*. Nulla adhuc lege obligatur homo ad ſequendum ſemper quod eſt tutius, & quod ſtat pro lege contra libertatem hominis ſed ſufficit regulariter, ut ſequamur quod eſt tutum moraliter. Qui autem ſequitur opinionem verè, & practicè probabilem, ſequitur etiam quod eſt tutum moraliter: ergo licitum erit ſequi opinionem probabilem faventem libertati, relicta oppoſita tutiore favente Legi. *Probo Majorem.*

32 Non obligatur homo ad operandum ſemper id, quod ſibi videtur melius, & perfectius ſecundùm legem, benè quidem id, quod ſecundùm legem eſt bonum, & tutum, & ſub obligatione cadens: aliàs conſilium non diſtingueretur à præcepto, & via ſalutis hominibus imperfectis redderetur non ſolùm difficilima, ſed impervia, & impoſſibilis contra ſententiam Chriſti Dòmini Matth. 11. *Venite ad me omnes .... Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et facilimè inciderent homines infirmi ſpiritu; ac ſcientia debiles in hæreſim *Janſenij*, qui dicebat, & aſſerebat: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis eſſe impoſſibilia &c.* *Et Deum præcipere impoſſibilia.*

Probo minorem. Ad humanas actiones bonas habendas, ſufficit dictamen prudens, & practicum, quòd hoc ſit licitum, honeſtum, & tutum; ſed hoc judicium habetur ex opinione verè probabili, ut probavimus ſæpius; Certus enim ſum moraliter quòd ſequens ſententiam virorum nominatorum, Egregiorum Doctorum, fundatiſſimorum Theologorum, Catholicorum, ac piorum Scriptorum, non erro, nec pecco formaliter: ergo quando ſequor hanc Sententiam -- *Licitum eſt eligere opinionem benignam verè probabilem* -- ſum tutus in Conſcientia. 33

Probo ſecundò. Opinio rigida, quæ videlicet favet Legi, eſt tutior, ut ſupponitur; ergo opinio benigna, quæ ſcilicet favet libertati hominis, erit tuta in praxi; Ideoque optimè dixit P. Nider (apud P. Paulum Segneri in Epiſtola manuſcripta defenſiva Probabilitatis) Non oportere ſemper tutiorem eligere de neceſſitate ſalutis; nam, ut ait Giballinus ibidem, *Tutior* eſt gradus comparativus præſupponens poſitivum, ſcilicet, *tutum*, vel tutam opinionem oppoſitam. Sed ſic eſt quod qui tutò operatur, licitè operatur: ergo &c. 34

Probo tertiò. Si vera eſſet hæc aſſertio: *Tenemur in Conſcientia ſemper eligere, & ſequi tutiorem partem, & opinionem*: Sequeretur, quòd nullus homo, etiam rudis, indigeret conſilio, vel Libro alicujus Doctoris Theologi; quia homo ratione utens cognoſcit in omni dubio practico partem ſecuriorem faventem legi, vel præcepto, & ſic ſuperflui, inanes, & fruſtranei eſſent infiniti penè Libri D.D. & T.T. in re morali. 35

Probo quartò. Tutioritas ſicut & Probabilioritas ſtare poteſt tam cum veritate reali, quàm cum falſitate: poteſt, quia menſura veritatis, & probabilitatis non habetur ex hoc, quod propoſitio, & opinio in ſe ſit tutior; nam quandoque falſa ſunt tutiſſima. Hinc dicebat Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 13. art. 2.* Licèt ſecurius ſit, lucra alearum ludo 36

acquiſita reſtituere, vel pauperibus erogare; non tamen verior eſt opinio tenens, reſtitutionem, vel erogationem talis lucri, neceſſariam eſſe ad ſalutem. -- Ergo intellectus noſter non poteſt cogi ad aſſenſum opinionis tutioris, quia hæc poteſt eſſe falſa à parte rei.

37 *Probo quintò*. Si eſt verum, *Homines teneri in conſcientia ſequi opinionem tutiorem, relicta oppoſita minus tuta*: evidenter ſequitur, illicitum eſſe, docere etiam opinionem minus tutam; Atqui Doctores antiqui claſſici docuerunt multoties opinionem minùs tutam, ſeum benignam, relicta tutiore, & rigida, ut videre eſt in eorum libris: ergo Doctores antiqui graviter erraverunt, & peccarunt: Hoc eſt falſum; ergo & illud.

38 *Probo ultimò* omnes partes ſimul noſtræ Reſolutionis & Concluſionis poſitæ ab initio hujus Tractatus.

Illa eſt bona, & ſecura regula morum, quæ nobis traditur ab Antiquis, & Modernis Sapientibus, ſed noſtra Concluſio ſic traditur; ergo eſt bona, & ſecura. Vis, mi Lector, videre probationem hujus Argumenti ultimi? Lege libros, quos ego legi, & à quibus magno cum labore decerpſi hæc ſcripta: Ecce tibi fidelem Catalogum.

(1) Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentiæ *in Summa p. 1. tit. 3. c. 10. § 10. – & p. 2 tit. 2. c. 6. & 8.-- & p.3. tit. 1. c. 20. & tit. 14. cap. 19. & alibi ſæpiùs*.

(2) P. Antoninus Diana *Coordinatus, tom. 8. tract. 1. reſol. 1. n. 2. & alibi*.

(3) P. Antonius à Candelaria *in Breviario Univerſæ Theologiæ. par. 2. tract. 4. diſp. 1. quæſt. 5. & in Supplemento q. 6. à fol. 62.*

(4) P. Anacletus Reiffenſtuel *Sum. Theol. Moral. tract. 1. diſt. 3. à n. 47. & ſeqq.*

(5) P. Bartholomæus Maſtrius *in 2. Sent. diſp. 3. q. 2. art. 3. & in Moral. Theol. diſp. 1. q. 4. art. 1. & 2.*

(6) P. Caſſianus à S. Elia *in Arbore Opinionum. V. Opinio. §. 2.*

(7) P. Dominicus Viva: *Trutina Theol. Damnatarum Theſium: in propoſ. 27. Alex. VII. Propoſ. 3. Innoc. XI. Et propoſ. 3. Alex. VIII.*

(8) P. Ferdinandus de Caſtro Palao *in Opere Moral. part. 2. diſp. 2. punct. 2 num. 2.*

(9) P. Franciſcus Suarez *tom. de Pœnit. diſp. 43. ſect. 5. & tom. 3. in 3. p. d. 22. ſect. 9.*

(10) P. Franciſcus Bordonus *in tom. 6. Propugnaculo Probabilitatis c. 6. & 22. per totum.*

(11) P. Felix Poteſtatis *Panormitanus in Examine Confeſſ. tom. 1. p. 1. à n. 59.*

(12) P. Gregorius Gobat *tom. 2. tr. 1. à ſect. 1. 3. & ſeqq. & tom. 1. tr. 1. ſect. 3. à n. 100. cum Appendice ibi annexa.*

(13) P. Gregorius Sayrus *in Clave Regia lib. 1. cap. 6. n. 4.*

(14) P. Guilelmus Herincx *Epiſcopus Iprenſis in Sum. Theol. p. 2. tract. 2. diſp. 4. q. 3. §. 2.*

(15) P. Joannes Cardinalis de Lugo *tom. de Pœnit. diſp. 21. n. 39. & 40. & -- Reſp. Moral. lib. 1. dub. 33. & alibi.*

(16) P. Joannes Poncius *in Curſu Theol. diſp. 24. q. 3. Concl. 3.*

(17) P. Joannes Azor *p. 1. lib. 2. cap. 16. & 17.*

(18) P. Joannes Cardenas *in Criſi Theol. p 1. tract. 1. per totum diffusè, & ſpecialiter pro me diſp. 15. per totam. Et in 3. par. diſp. 56. per totam. Et in prop. damnat. Innoc. XI. Diſert. 4. cap. 3. 4. & 5. ſuper prop. 3. damnatam.*

(19) P. Joannes Angelus Boſſius *p. 1. tit. 1. §. 17. à n. 127. 130. 137.*

(20) P. Jo: Baptiſta Lezana *tom. vel part. 4. Sum. Quæſt. Regul. V. Opinio Regularibus tenenda à n. 5. & ſeqq.*

(21) P. Laurentius del Portel. *Dub. Reg. V. Opinio eligenda n. 3.*

(22) Martinus Bonacina. *De Legibus diſp. 2. q. 4. pun. 9. n. 4. Prop. Unica.*

(23) Nicolaus *in tom. integro Tract. de Probabilitate ex principiis Antiquorum, quos ibi in propriis lociis fideliſſimè (ut conſuli) citat.*

(24) Paulus Layman *lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 7.*

(25) P. Thomas Sanchez *in Decal. l. 1. c. 9. n. 13. 14.*

(26) P. Vincentius Filliucius. *Tract. 21. à n. 128.*

(27) P. Vincentius Candidus. *Diſquiſ. 3. art. 20.*

(28) P. Eligius Baſſæus *tom. 1. V. Conſcientia à n. 9.*

(29) Joannes Clericatus. *Erotemata. c. 2. q 5.*

(30) P. Joan. Morandus. *Tract. 2. q. 25. n. 127.*

(31) P.

(31) P. Antonius Terillus *tom. integro de Probabilitate & ſignatè q. 22. ubi per ſæcula præterita diſcurrens citat ultra centum triginta Auctores pro noſtra Probabilitate, &* q. 23. &c.

(32) P. Petrus Marchant. *Tract.* 5. *quæſt.* 6. & 7. *tom.* 2. *Tribunalis Confeſſ.*

(33) P. Patritius Sporer *tom.* 1. *Tract.* 1. *cap.* 1. *à num.* 42. & *ſeqq. Theol. Moralis.*

Non ſunt multiplicanda Entia ſine neceſſitate, &c.

TRACTATUS III.

DE ACTIBUS HUMANIS.

QUæro primò. *Quid eſt actus humanus?*

1 *Reſpondeo*. Eſt omnis, & ſolus actus, qui deliberatè, & liberè ab homine fit, vel elicitur; qui ſcilicet eſt actus proprius hominis, quatenus homo eſt dominus ſuarum operationum per rationem, & volitionem. Homo enim habet liberum arbitrium; quod eſt facultas rationis ſimul, & voluntatis, qua homo producit actus deliberatos, ac liberos. — Actus deliberatus eſt, qui procedit ex conſideratione finis, & mediorum ad talem finem. — Actus liber eſt, qui procedit à voluntate ex electione. — Libertas tandem bonis eſt fundamentum totius Moralitatis actuum humanorum.

Quæro II. *Actus humani à quo deſumunt ſuam bonitatem.*

2 ℞. Sumunt ab objecto, à fine, & à circumſtantiis; ita, ut ſi objectum ſit moraliter bonum, ſeu honeſtum, finis bonus, & circumſtantiæ omnes bonæ, actus pariter erit moraliter bonus; quia bonum ex integra cauſa. Si aliquid ex prædictis non ſit bonum, actus erit moraliter malus; quia malum ex quocumque defectu procedit. *Bonitas Moralis* eſt conformitas actus ad regulas morum: è contra *malitia moralis* eſt deformitas ipſius, ſeu receſſus à rectis regulis. Rectæ regulæ morum ſunt Ratio naturalis, quæ dicitur Regula interna, & Lex, ſive Naturalis, ſive Divina, ſive Humana, quæ dicuntur Regulæ externæ Morum, ſeu actionum.

Quæro III. *Quid eſt voluntarium?*

℞. Eſt quidquid à voluntate, prævio tamen dictamine rationis, ſeu intellectus, procedit; nam *nihil volitum, quin præcognitum*; ideſt, voluntas nihil vult, quod prius ei non oſtendatur ab intellectu. 3

Quæro IV. *Quotuplex eſt voluntarium?*

℞. Voluntarium I. dividitur in perfectum, & in imperfectum. *Voluntarium perfectum* eſt, quod à voluntate procedit prævia perfecta cognitione finis, & mediorum. — *Voluntarium verò imperfectum* eſt, quod à voluntate procedit ex imperfecta, ſeu confuſa cognitione finis, & mediorum. V. G. pueri ante uſum rationis imperfectè cognoſcunt, ergo imperfectè eligunt, & volunt. Viri perfectè cognoſcunt, ergo etiam perfectè eligunt, & volunt; Semidormiens vir, vel ſemiebrius imperfecto quodam modo, & perturbato, ac confuſo diſcurſu cognoſcit, ergo & imperfectè eligit, & vult. 4

II. Voluntarium perfectum ſubdividitur in directum, & in indirectum. *Voluntarium directum* eſt, quod per ſe directè, & poſitivè volumus. V. G. Volo ſcribere nunc, & ſcribo: hæc Scriptura eſt mihi voluntaria directè. — *Voluntarium* autem indirectum eſt, quod adſcribitur voluntati, quia poterat, ac debebat aliquid agere, & non egit, vel impedire aliquid & non impedivit. V.G. Video puerum lapſum in flumem, quem poſſum, & debeo adjuvare, ne moriatur, & tamen non adjuvo, & ipſe ſubmergitur; talis 5

talis ſubmetſio eſt mihi voluntaria indirectè.

6 III. Voluntarium perfectum ſubdividitur in voluntarium ſecundùm ſe, vel in ſe, & formaliter, & in voluntarium in alio; ſeu in cauſa, ſeu virtualiter, & interpretativè. *Voluntarium in ſe &c.* eſt, quod à voluntate ex propoſito proprio, & formali fit. V. G. Lectio hujus libri eſt mihi voluntaria in ſe formaliter. *Voluntarium* autem *in cauſa* eſt, quod in alio volito tanquam cauſa, eſt alicui voluntarium. V.G. Confeſſarius non ſufficienter doctus vult audire Confeſſiones etiam Civium, & Mercatorum, & in hoc Officio varios committit errores eſſentiales, & craſſos; iſti errores ſunt ei voluntarii in cauſa, virtualiter, & interpretativè.

Quæro V. *Quomodo bonitas debeat eſſe præcognita, & volita ad hoc, ut actus ſit moraliter bonus.*

7 ℞. I. Loquendo de bonitate objectiva: Ut actus ſit bonus, requiritur, quòd bonitas objecti ſit præcognita ſub ratione virtutis, quòd ſit volita directè. V.G. Titius vendit ſuas merces juſto pretio exmetu Principis. Iſte actus non eſt moraliter bonus, quia non habet pro objecto honeſtatem Juſtitiæ; ſi autem venderet pretio juſto ſuas merces ex motivo virtutis Juſtitiæ, tunc actus eſſet bonus moraliter, quia bonitas Juſtitiæ eſt præcognita ſub ratione virtutis, & directè volita à Titio.

8 ℞. II. Loquendo de bonitate finis extrinſeci (qui dicitur finis operantis) ut actus ſit bonus, bonitas finis debet intelligi, & intendi per ſe, & formaliter. V. G. Sempronius jejunat tempore Quadrageſimali. Iſte actus jam eſt bonus bonitate objecti, nam jejunare eſt actus Virtutis Temperantiæ; jejunat autem Sempronius non ſolùm ad exercendum actum virtutis Temperantiæ, verùm etiam, ut ſuperfluum elargiatur pauperibus: iſta bonitas intentionis, vel finis extrinſeci ex virtute Miſericordiæ procedens imputatur Sempronio, quia fuit ab eo intenta, & excogitata expreſsè, & formaliter; aliter non conjungeretur ex ſe cum actu Temperantiæ.

9 ℞. III. Loquendo denique de bonitate circumſtantiarum objectivarum, ut actus ſit bonus, bonitas illarum circumſtantiarum debet directè & expreſsè concipi, & intendi. V. G. Regularis Concionator ex obedientiæ mandato pergit ad concionandum populo. Actus iſte habet jam bonitatem objecti, quæ eſt, vel procedit ex Virtute Charitatis, vel Miſericordiæ Spiritualis in actu concionandi imbibita, habet etiam bonitatem finis extrinſeci, quia iſtæ actus fit ex Obedientia. Si autem Concionator iſte adderet aliam, & aliam bonitatem circumſtantiarum objectivarum. V. G. dicendo in corde ſuo: Volo facere hanc prædicationem ob Zelum Gloriæ Chriſti, & ſalutis Animarum, & in remiſſionem, ſatiſfactionem meorum delictorum: tunc actus ejus acquireret novam bonitatem ex his motivis alterius virtutis, ut patet, quia hæc motiva directè, & expreſsè adduntur & objecto, & fini.

Quæro VI. *Quænam eſt differentia inter circumſtantiam objectivam, & circumſtantiam formalem?*

10 ℞. Eſt iſta; quia circumſtantiæ formales ſunt illæ, quæ ſe tenent ex parte actus humani, ei ſunt intrinſecæ: Ut intenſio, & remiſſio actus, major, vel minor libertas, vel deliberatio, facilitas, vel difficultas in agendo duratio actus &c. Circumſtantiæ verò objectivæ ſunt, quæ ſe tenent ex parte objecti, ut major, vel minor quantitas eleemoſynæ, major aut minor indigentia pauperis, cui vis opitulari, perſona, locus, tempus &c. Tum quia formales circumſtantiæ augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam actus humani in eadem ſpecie, & non diverſificant illum: quia non afferunt ei diverſum motivum virtutis, aut vitii. Objectivæ autem circumſtantiæ poſſunt variare ſpeciem, ſi intendantur, quia addunt objecto nova motiva virtutis, aut vitii. V. G. Facis eleemoſynam pauperi Sacerdoti, aut Religioſo: illa circumſtantia *Sacerdotis*, aut *Religioſi* pauperis, benè præbet tibi novum motivum virtutis Religionis exercendæ, ultra motivum principale virtutis Miſericordiæ corporalis. Et ſic de ſimilibus.

Quæro VII. *Quænam eſt differentia inter finem intrinſecum, & finem extrinſecum, actus humani?*

11 ℞. Eſt iſta; qui *à finis extrinſecus*, qui & proximus dicitur, eſt finis ipſius operis, & iſte non differt ab objecto; ſic V. G. Subventio pauperis eſt finis intrinſecus eleemoſynæ, & finis proximus, & finis operis: quia immediate & per ſe reſpicitur ab opere illo, ſeu ab actu humano tali. *Finis verò extrinſecus*, qui & remotus, & finis operantis dicitur, non

reſpi-

Digitized by Google

reſpicitur per ſe ab opere, vel ab objecto, ſed pendet ex arbitrio operantis: ut V. G. Si des eleemoſynam pauperi puellæ, ne ipſa labatur in fornicationem & ad ſatisfaciendum Deo pro tui peccatis: tunc præſervatio illius fœminæ, & ſatisfactio tuorum delictorum ſunt fines extrinſeci: qui habent rationem circumſtantiarum objectivarum.

Quæro VIII. *Quomodo malitia debet eſſe cognita, & volita, ad hoc, ut actus ſit moraliter malus?*

12 ℞. Ad actum moraliter malum non requiritur, ut malitia ſit cognita, & volita directè, poſitivè, & formaliter; ſed ſufficit aliqualis advertentia ad malitiam, & voluntas indirecta, & interpretativa. Ratio eſt: quia alioquin rariſſimè homo peccaret, nam licet poſſit fortè homo ex mera malitia velle peccatum, ut diſpliceat Deo; tamen ordinariè loquendo, nemo reſpiciens, vel intendens ad malum operatur; quia malum per ſe, & in ratione mali non poteſt intendi; ergo malum, ſeu malitia non intenditur ordinariè, niſi indirectè. V.G. Qui fornicatur, non intendit directè malitiam fornicationis, ſed voluptatem, & tamen peccat, quia videt in eo actu indecentiam gravem: & non obſtante tali indecentia, ſeu malitia præcognita, vult fornicationem; quod eſt velle indirectè malitiam; ergo &c.

13 *Dices*. Ad actus bonos requiritur directa intentio bonitatis, ut vidimus; ergo etiam ad actus malos requiretur directa intentio malitiæ.

℞. Nego paritatem. Ratio diſparitatis eſt: quia bonum eſt ex integra cauſa; malum verò eſt ex quocumque defectu. Ideſt, plures requiruntur conditiones ad actum bonum, quàm ab actum malum; nam actus bonus eſt quid perfectum; actus autem malus eſt carentia cujuſvis conditionis requiſitæ ad actum moraliter bonum, nempè ad perfectionem ejus. Actus bonus debet eſſe debitè circumſtantionatus undequaque, nempè à debito objecto, à fine, & circumſtantiis aliis, quorum unum ſi deſit, jam non poteſt dici bonus; ergo erit malus &c.

Quæro IX. *Quid requiritur ad hoc, ut effectus indirectè, & in cauſa volitus, imputetur ad culpam?*

14 ℞. *I.* Requiritur quòd operans aliquo modo adverterit effectum ſecuturum ex poſitione talis cauſæ; quia nihil eſt volitum, quin fuerit priùs cognitum. V. G. Titius prævidet, ſe commiſſurum homicidium ex ebrietate, & tamen voluntariè ſe inebriat; ſi in ebrietate occiderit hominem, talis occiſio imputabitur ei ad culpam. Econtrà: ſi nullo modo prævidiſſet tale homicidium, tunc ſi in ebrietate occidat, talis occiſio non imputabitur ei ad culpam.

℞. *II.* Requiritur, ut actio, quæ fuit 15
cauſa effectus pravi ſecuti, ſit ex natura ſua moraliter illicita, & mala; quia effectus malus à cauſa mala procedere debet. Ut patet in exemplo allato de Titio ſe voluntariè inebriante, & occidente; ebrietas enim eſt actio mala, & cauſa homicidii. Si autem cauſa, vel actio, ex qua ſequitur effectus malus, ſit bona, & licita, tunc talis effectus non imputabitur danti cauſam ejus, vel operanti. V. G. Sempronius ex neceſſitate, vel conſilio Medici ſumit cibum calidum, ex quo prævidet ſecuturam pollutionem, quam non intendit: ſi pollutio ſequatur, non imputabitur ei ad culpam, quia à cauſa, vel actione ex ſe licita, proceſſit: & tunc iſte effectus, eſt tantùm per accidens ſecutus, & præter intentionem operantis, qui jure ſuo utitur, dum facit opus aliàs licitum.

℞. *III.* Ulteriùs requiruntur tres con- 16
ditiones, ad hoc, ut effectus malus, ſubſequens liberam omiſſionem alicujus actus, imputetur ad culpam omittentis. *Prima*, ut quis poſſit ponere talem actum: quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Et ex defectu hujus conditionis deduces, quòd V.G. Cajus detentus in carcere non audiens Miſſam die feſto, non peccat: quia non poteſt ponere actum audiendi Sacrum. Vel videns puerum demergi, nec potens eum ſubvenire, non peccat. *Secunda* conditio eſt, ut quis liberè non ponat talem actum; quia in omiſſione libera talis actus conſiſtit ratio voluntarii indirecti effectus mali, qui ex tali omiſſione ſequitur. V. G. Medicus poteſt præbere medicinam ſalubrem infirmo periculoſo morbo laboranti, & non præbet, ex cujus omiſſione ſequitur mors infirmi: talis omiſſio eſt culpabilis, quia ex ea ſequitur mors proximi. *Tertia* conditio eſt, ut quis hic, & nunc teneatur ponere talem actum, quem tamen non ponit; quia niſi detur aliqua Lex obligans

nunc ad faciendum hoc, omiſſio ejus nequit imputari ad culpam; omne enim peccatum eſt tranſgreſſio alicujus Legis. V. G. Ego neque ex juſtitia, neque ex charitate tenor impedire mala, quæ fiunt in hac Civitate, ergo non impediendo, non pecco. Superior autem tenetur, ergo non impediendo, peccat. Idem dicendum de multis ſimilibus.

Quæro X. *Quonam inſtanti temporis contrahitur peccatum, quod fuit ſolummodò in cauſa volitum.*

17 ℞. Tunc contrahitur, quando quis liberè poſuit cauſam illius peccati, ſeu effectus peccaminoſi V. G. Titius hodie præbet venenum Sempronio, qui octavo die moritur veneni cauſa. Titius peccavit peccato homicidii, non die octavo, ſed primo, quando propinavit venenum Sempronio. Ratio eſt: quia tunc poſuit deliberatè, & liberè cauſam homicidii ſecuti poſtea octavo die, quo poteſt contingere, ut Titius jam agat pœnitentiam de peccato præterito: ergo, moriente Sempronio, poteſt Titius eſſe juſtificatus coram Deo, & ſic non peccare die mortis Sempronii, cujus vitam tunc deſiderat, & de cauſa mortis ejus vehementer dolet. Item. V. G. Cajus manè diei Feſti totum ſe dat ſomno, prævidens, ſecuturam eſſe omiſſionem Miſſæ: peccavit pro illo tunc, quando ſe voluntariè ſomno dedit; quia tempore ultimæ Miſſæ jam dormit, ergo tunc non peccat, nec peccare poteſt.

Quæro XI. *Quinam ſunt actus imperati?*

18 ℞. Sunt omnes actus aliarum potentiarum, quæ ſunt ſub imperio voluntatis, quæ dicitur Regina potentiarum, quatenùs tales actus à voluntate imperantur; V.G. Voluntas imperat intellectui, ut ſtudeat, oculis, ut legant, manui ut ſcribat, pedibus, ut ambulent, &c. Ergo ſtudium, lectio, ſcriptio, ambulatio &c. ſunt actus imperati; imò Voluntas aliquando ſibimet imperat: Volo, ut velis V.G. diligere inimicum tuum. Ordinariè tamen actus voluntatis vocantur eliciti, & non imperati. — Quando autem actus intellectus, phantaſiæ, imaginationis, memoriæ ſenſitivæ, & aliarum potentiarum internarum, & actus ſenſuum externorum non ſunt regulati actualiter, vel virtualiter, nec imperati, vel approbati à Voluntate, tunc dicuntur actus naturales, vel actus hominis, non verò actus humani: ut patet in pueris antè perfectum uſum rationis; vel in dormiente, aut ſemidormiente, vel in mente diſtracto. Et iſti actus non ſunt boni, nec mali moraliter, ſed tantùm materialiter; quia iſtis actibus per ſe non poteſt ineſſe moralitas, ideſt, bonitas, vel malitia imputabilis ad præmium, vel pœnam, ob carentiam uſus rationis, ſeu deliberationis, & electionis.

Quæro XII. *A quo principio actus externi ſumunt propriam bonitatem, & malitiam?*

Antequam reſpondeam huic quæſito, 19 adverto, quòd per actus externos hìc intelligimus omnes illos actus, qui non eliciuntur ab ipſa voluntate, in qua, & à qua eſt moralitas, ſed tantùm ab ipſa imperantur; ſicque omnes actus imperati dicuntur *externi*, ut ſunt actus intellectus, ſenſuum tum internorum, tum externorum, appetituum, & membrorum corporis, in eo, quòd ſubſunt voluntatis arbitrio, & dominio.

℞. Actus externi, ſeu imperati ſumunt 20 primariam, & principalem bonitatem, & malitiam à voluntate. Ratio eſt: quia non ſunt moraliter boni, aut mali, niſi in quantùm, vel quatenùs liberi, & voluntarii; ſed hoc non habent ex ſe, ſed à ſola voluntate; Unde Scotus *in lib. 2. Sententiarum diſt. 42. q. 4. n. 16. & quodlib. 18. n. 12.* ex D. Auguſtino ait: Cauſa prima peccandi eſt voluntas; nihil eſt enim „ peccatum, niſi quod eſt in poteſtate fa- „ cientis, & nihil eſt in poteſtate facientis, „ niſi quod eſt in poteſtate voluntatis ejus; „ quia nihil præter hoc eſt imputabile; er- „ go in ſolo velle, & nolle eſt peccatum „ primò, & in aliis actibus non niſi me- „ diante voluntate. „

Quæro XIII. *Actus exterior additne bonitatem, & malitiam ſpecialem, & diſtinctam actui interno?*

℞. Affirmativè: & probo I. Auctorita- 21 te D. Auguſtini dicentis: Mala voluntate „ quilibet miſer efficitur, ſed miſerior pote- „ ſtate, qua deſiderium malæ voluntatis im- „ pletur. — Quod intelligitur de miſeria culpæ, quæ præfuit actui interiori, & perficitur per actum exteriorem. Probo II. Rationibus. In actu exteriori eſt alia integritas requiſita ſecundùm rectam rationem, quàm in actu interiori; ergo & alia bonitas. Probo antecedens. Actibus diverſæ rationis convenire debent diverſæ integritates; ſed actus interior dicitur *elicitus*, &

actus

Digitized by Google

actus exterior dicitur *imperatus*, quæ ſunt diverſæ rationes exigentes diverſas integritates ſecundùm rectam rationem; ergo debent ineſſe illis hæ diverſæ integritates. Tum quia: Si actus externus adveniens non adderet ſpecialem, & diſtinctam malitiam actui interno, manifeſtè ſequeretur, nos non obligari exprimere actum externum in Sacramentali Confeſſione, ſed ſufficere manifeſtare pravam voluntatem dicendo V. G. Volui una vice occidere hominem: deſideravi alienam fœminam: concupivi rem proximi, &c. licèt reverà quis occiderit, fornicatus, furatus fuerit, &c. Sed conſequens eſt falſum, & contra praxim Eccleſiæ Catholicæ. Ergo dicendum eſt, quòd in actu externo opere conſummato eſt ſpecialis malitia. Tum quia: Actus internus, & actus externus ſunt duo actus realiter diſtincti, & ſeparabiles, & ſinguli habent ſuam imputabilitatem, & quandoque ſunt contra diverſa præcepta Decalogi: ergo quo ad hoc ſunt duo peccata, vel ſpecie, vel ſaltem numero diverſa. Antecedens patet: nam actus internus ſubjectatur in voluntate, & ab ea ſola elicitur; actus verò externus eſt in alia potentia, & maximè in appetitu ſenſitivo, & in ſenſibus corporeis, & uterque habet ſuam propriam defformitatem cum recta ratione, & cum Lege: V. G. Deus in nono præcepto dicit: *Non concupiſces uxorem proximi tui*; & in ſexto: *Non mœchaberis*; ergo concupiſcentia, & mœchia, ſeu actus internus, & externus ſunt diverſa peccata.

22 *Dices*, Si hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd V. G. Titius, qui mœchatus eſt ſemel, teneretur aperire in Confeſſione duplex peccatum, dicendo: *Semel concupivi uxorem alterius*, *& ſemel mœchatus ſum*. Sed hoc non fit in praxi; ergo &c.

℞. Qui confitetur actum externum opere conſummatum, dicendo, *ſemel mœchatus fui*, ſufficienter exprimit ſuum peccatum; quia quamvis non fateatur duos actus, & duo peccata diſtincta, ſcilicet actum internum concupiſcentiæ contra nonum præceptum, & actum externum mœchiæ, ſeu adulterii contra ſextum mandatum Decalogi, confitendo tamen externum tantùm, virtualiter, & implicitè manifeſtat actum internum præcedentem, à quo externus proceſſit; nam iſti duo actus, in hoc caſu, ſi in modica temporis mora fiant, uniuntur moraliter ad conſtituendum unum totale peccatum adulterii, quod conſtat ſemper ex duobus partialibus, nempè à voluntate prava adulterandi, & ab actuali copula adulterina. Idem dicendum de ſimilibus.

Quæro XIV. *Quid eſt actus meritorius?*

23 ℞. Eſt actus laudabilis exigens aliquo modo collationem præmii à Remunerante. Et dividitur in meritorium de congruo, & in meritorium de condigno: *Actus meritorius de congruo* eſt, qui exigit collationem præmii non ad æqualitatem, & ex juſtitia, ſed ſolùm ex quadam condecentia, & congruitate. *Actus meritorius de condigno* eſt, qui exigit collationem præmii æqualis ſuo valori, & ex juſtitia. Præmium actus meritorii de congruo eſt, vel Gratia Dei, (ad quam remotè diſponit operantem, & elicientem talem actum) vel virtus aliqua naturalis, vel ſupernaturalis, vel aliquod bonum temporale, aut ſpirituale, vel donum Dei. Præmium verò actus meritorii de condigno eſt augmentum Gratiæ, & Gloriæ. *Secundus* (nempè meritorius actus de condigno) ſupponit gratiam ſanctificantem, & fit à gratia, ſeu cum gratia, & auxilio ſupernaturali Dei; gratia autem Dei eſt ſemen Gloriæ. *Primus* (nempè meritorius actus de congruo) non ſupponit gratiam ſanctificantem, ſed diſponit ad eam habendam. *Meritum de condigno*, (quod propriè, & ſtrictè meritum dicitur) eſt illud, cui correſpondet Gratia, & Gloria, quæ eſt vita æterna. *Meritum de congruo*, eſt illud, cui correſpondet aliquod auxilium, vel donum Dei ſpeciale, aut ſaltem aliqua retributio in hac vita.

Quæro XV. *Quænam conditiones requiruntur ad actum meritorium?*

24 ℞. Ad actum meritorium propriè, & ſtrictè captum requiruntur quatuor conditiones. I. Quòd talis actus ſit actus humanus, & bonus. Ratio eſt, quia in actibus merè naturalibus nec meremur, nec demeremur. II. Quòd ſit factus in hac vita mortali, quæ eſt via ad Patriam. Ratio eſt, quia ſtatus viæ eſt nobis à Deo conceſſus ad merendum: poſt mortem ceſſat tempus merendi, & demerendi. III. Quòd ſit factus ab homine juſto, nempè in ſtatu Gratiæ conſtituto. Ratio eſt, quia opera meritoria vocantur opera viva, vita gratiæ. IV. Quòd talis actus

reſe-

Digitized by Google

referatur ad Deum, ut Auctorem Gratiæ, & Largitorem Gloriæ, tamquam ad finem ultimum. Ratio eſt, quia ſic elevatur actus ad Ordinem Supernaturalem, & Divinum ex motivo, vel imperio Charitatis. Hæc autem referentia, ſeu relatio ad Deum poteſt eſſe vel actualis, vel virtualis, vel habitualis. Habitualis ſufficiens eſt, & bona, virtualis eſt melior, actualis optima eſt.

Quæro XVI. *Quid eſt actus indifferens?*

25 ℟. Eſt ille actus humanus, qui nec bonus, nec malus, nec meritorius, nec demeritorius eſt in ſe. Multi autem dantur tales actus, qui ſunt indifferentes ob inadvertentiam, indeliberationem, & inconſiderationem hominis: ut experientia patet; dantur quoque alii actus indifferentes, qui ſimul ſunt humani, & facti cum advertentia, & libertate noſtra, & tamen nec ſunt boni, neque mali moraliter, quia non referuntur ad bonum, nec ad malum finem: neque important honeſtatem, neque inhoneſtatem. Ut V. G. levare feſtucam: lavare manus & faciem: purgare nares, & dentes: fricare barbam: deambulare, & ſimilia. *Ex Scoto.*

Quæro XVII. *Danturne actus moraliter boni, & ſimul non meritorii?*

26 ℟. Affirmativè; ſi accipiatur meritum propriè, prout importat *Meritum de condigno*. Ratio eſt, quia ſi deſit una ex quatuor conditionibus ſuprà *n.* 24. explicatis, tunc actus non erit ampliùs meritorius *de condigno*: ſed tantùm *de congruo*. V. G. Quidam homo Chriſtianus, & Catholicus videns pauperem extrema miſeria laborantem, miſericordia quadam naturali movetur, eique elargitur copioſam pecuniam: iſte homo facit tunc actum internum, & externum moraliter bonum; quia operatur ex dictamine rectæ rationis, & Legis naturalis dicentis: *Quod tibi vis fieri, facito alteri*. At talis actus non eſt meritorius vitæ æternæ; quia talis homo non ordinavit opus ſuum ad finem ſupernaturalem: V. G. ad amorem Dei, vel proximi propter Deum, qui dixit in Euang. Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Verumtamen talis actus eſt meritorius *de congrue*: quia Deus nullum bonum relinquit impræmiatum.

Quæro XVIII. *Opera bona facta in ſtatu peccati mortalis ſuntne aliquo modo laudabilia, & meritoria?*

27 ℟. I. Si opera illa ſint non ſolùm moraliter bona, ut exemplificavi ſuprà *de eleemoſyna illa &c.* verùm etiam ſupernaturaliter bona, ut ſunt V. G. Actus Fidei, Spei, Attritionis, Orationis &c. ſunt meritoria *de congrue*: quia diſponunt peccatorem ad gratiam recuperandam: & per hujuſmodi opera, (ſpecialiter miſericordiæ efficacis erga miſeros, & pauperes) ſolet Deus benedictus præſervare hominem à multis periculis Animæ, & corporis, & clementer eum protegere, ne toties labatur in eadem crimina, & velociùs convertatur in viam ſalutis æternæ. Et per eadem opera bona homo ſenſim aſſueſcit virtutibus moralibus, minoremque ſentiet difficultatem ad eadem bona repetenda, quando erit in ſtatu gratiæ, & minus ſupplicium patietur: Dæmones habebunt minorem poteſtatem in eo, quàm ſi eſſet vacuus omni bono opere: & multos alios ſortietur effectus bonos.

℟. II. Et ſi bona illa opera fuerint na- 28
turaliter, vel moraliter tantùm bona, adhuc ſunt, vel erunt laudabilia, & meritoria aliquo modo *de congrue* ad obtinendum ſaltem præmium temporale, ut V. G. divitias, honores, felicitates, longævam vitam, & ſimilia: quia liberaliſſimus eſt Remunerator Deus, qui ſolet etiam Infidelibus, & Paganis ob aliquas ipſorum virtutes morales magnam retribuere mercedem in hoc ſæculo. Vide Card. Toletum *libr. 4. cap. 8. num. 4. in inſtructione Sacerdotum.*

Quæro XIX. *Opera bona à Chriſtifidelibus facta in ſtatu peccati mortalis ſuntne applicabilia Animabus Purgatorii?*

℟. I. Si opera illa habeant aliundè an- 29
nexum effectum ſupernaturalem *ex opere operato*, tunc ſunt applicabilia, & ſalutifera Animabus Purgatorii: ut V. G. facere, ut celebrentur Miſſæ, vel eas audire, recitare Roſarium, aut Coronam, cui annexa eſt aliqua Indulgentia applicabilis, & ſimilia. Ratio eſt, quia talis effectus *ex opere operato* non pendet à merito, vel condignitate perſonæ operantis, ſed ex meritis Chriſti, vel ex theſauro Eccleſiæ: ergo eſt applicabilis, & ſatisfactorius Animabus Purgantibus. Lege Dianam coordinatum *tom. 4. tract. 5. reſolut. 36.* Geſualdum de Bononiis, *part. 2. tract. 2. cap. 4. numer.* 18. *&* 19. Toletum *libr. 6. cap. 26. & alios DD.*

℟. II. Si autem opera illa bona habeant 30
ſolummodò effectum *ex opere operantis*,
tunc

Digitized by Google

tunc non ſunt applicabilia Animabus Purgatorii, nec alteri: quia per ſe non ſunt ſatisfactoria operanti: ergo multò minùs alteri: ut V. G. dare eleemoſynam pauperi, jejunare, & ſimilia.

Quæro XX. *Opera bona facta in ſtatu gratiæ quoſnam effectus habent?*

31 ℞. Habent tres præcipuos effectus, quorum primus eſt, *Meritum de condigno*, quod operanti ita eſt proprium, ut alteri non ſit applicabile. II. Eſt *Impetratio*, qua homo juſtus poteſt à Deo obtinere aliquam gratiam ſpiritualem, vel temporalem pro ſe, vel pro alio capaci. III. Eſt *Satiſfactio*, qua valet pro pœnis temporalibus ſibi debitis ſatisfacere, vel pro pœnis ſimilibus alteri debitis, ſive in hoc mundo, ſive in Purgatorio applicare, & ſatisfacere.

Quæro XXI. *An melius, & tutius nobis ſit, applicare noſtras ſatisfactiones pro vivis, an pro defunctis?*

32 ℞. Melius, tutius, & perfectius opus Charitatis eſt, applicare noſtras ſatisfactiones pro Animabus Fidelium Defunctorum. Ratio eſt, quia illæ Animæ nullo pacto valent, ſe liberare à pœnis atrociſſimis Purgatorii ignis, magiſque indigent noſtro auxilio, & ſuffragio, quàm Fideles vivi, qui ſibi poſſunt, ſi velint, auxiliari, & ſe liberare à peccatis, & pœnis. Tum quia illæ Animæ ſunt Deo magis charæ, & conjunctæ per gratiam, & charitatem. Tum quia hæc noſtra applicatio nunquam privatur ſuo effectu, vel fructu, tam quoad illas Animas, quàm quoad noſtras. Tum tandem quia, ut dicit S. Bernardinus Senenſis *tom. 4. ſerm. 15. part. 2.* Quoties tu facis aliquod bo- «
num pro Anima exiſtente in Purgatorio, «
tibi magis prodes, & plus mereris, quàm «
ſi faceres decem tantumdem pro uno in «
hoc mundo exiſtente; nam quantò magis «
egenti facis bonum opus miſericordiæ, «
tantò magis eſt tibi bonum. – Et S. Am- «
broſius *lib. de Officiis*, Omne, inquit, quod «
Defunctis, pietatis causâ, impenditur, in «
noſtrum meritum commutatur, & illud, «
poſt mortem, centuplum recipiemus du- «
plicatum. Ergo &c. «

TRACTATUS IV.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, & vitiis eis oppoſitis.

QUæro I. *Quid eſt Virtus?*

1 *Reſpondeo I.* Virtus ſecundùm etymologiam nominis dicitur à *Viro*; eò quòd in viro major eſſe ſolet vis, robur, & animi fortitudo, quàm in muliere. Dicitur etiam virtus, quaſi *Vis intus*; quia homo, ut evadat virtute præditus, ſibi quamdam vim facit, in vincendis inclinationibus pravis, & paſſionibus naturæ corruptæ, quæ ad malum, & vitium prona eſt.

2 ℞. *II.* Virtus moraliter capta, & ſecundùm rem, ſic deſcribitur: eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur: Vel, eſt animi habitus electivus, conſentaneus rationi in mediocritate conſiſtens. Hæc definitio ſic explicatur. Dicitur *Habitus animi*: quia virtus ineſt potentiis Animæ, & in ipſis permanet per modum habitus inclinantis, & adjuvantis potentias ad faciliter operandum. Dicitur *Electivus*: quia virtus non operatur, niſi per electionem voluntatis. Dicitur *Conſentaneus rationi*: quia virtus fit ex deliberatione rectæ rationis, eique conformatur. Dicitur tandem *Conſiſtens in mediocritate*: quia omnis virtus moralis conſtituit ordinem, & modum inter duos affectus contrarios, quorum unus tendit ad minimum, alter ad nimium extremum, virtus autem reducit talem affectum ad medium rationis, in quo conſiſtit ipſa virtus.

Quæro II. *Quare dantur virtutes morales?*

℞. Ad moderandas paſſiones noſtras, 3
& ad perficiendum hominem interiùs & exteriùs, in ordine finis ſupernaturalis, qui eſt Beatitudo. Nam, ut inquit Lactan- «
tius *lib. 6. inſtit. c. 5.* Univerſa ſcelera, & «
flagitia à gravibus oriuntur affectibus; & «
omnia vitia, his commotionibus virtute «
ſeda-

„ ſedatis, ex hominum vita, moribuſque
„ tolluntur: quæ ſedatio commotionum, &
„ affectuum hanc habet rationem, ut om-
„ nia rectè faciamus. — Et S. Auguſtinus, virtutes omnes ad affectum amoris noſtri, in quo paſſiones radicantur, rectè compoſitum, ritèque ſubactum, revocari, docet; *Non faciunt, inquit, bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores.*

Quæro III. *Quotuplex eſt virtus?*

4 ℞. Multiplex: & I. dividitur in Moralem, & Theologicam. *Virtus Moralis* eſt, quæ verſatur ad componendos mores noſtros. *Theologica* verò circa Deum debitè colendum verſatur. II. dividitur in Naturalem, & Supernaturalem. *Virtus Naturalis* eſt, quæ viribus naturæ acquiritur. *Supernaturalis* verò, quæ viribus gratiæ Divinæ adipiſcitur. III. Dividitur in Acquiſitam, & Infuſam. *Virtus acquiſita*, eſt quæ à nobis acquiritur. *Infuſa* verò, quæ à Deo nobis infunditur. IV. Dividitur in intellectualem, & appetitivam. *Virtus intellectualis* eſt, quæ ad ornandum intellectum noſtrum ordinatur. *Virtus* verò *appetitiva* eſt, quæ ad moderandas paſſiones, & rectificandam voluntatem ordinatur: ut ſunt Virtutes morales, de quibus eſt ſermo in præſenti Tractatu; nam de Virtutibus Theologicis erit ſermo in *Tractatib.* 8. 10. 11. & 18.

Quæro IV. *Quid ſignificat illud Axioma: Virtus conſiſtit in medio?*

5 ℞. Significat, quòd vera Virtus fugit extrema, quæ ſemper vitioſa eſſe ſolent. Et hoc medium commenſuratur ſecundùm regulam rationis rectæ: ita, ut in actu virtuoſo nec minus, nec plus debito ponatur. V. G. Actus temperantiæ debet eſſe talis, ut homo nec plus comedat, & bibat, quàm oportet ſecundùm ejus indigentiam, nec minùs debito, & neceſſario: ſed ſumat tantum cibi, & potus, quantum ſibi prudenter videtur ſufficiens ad nutriendum corpus pro labore, & officio præſtando hic, & nunc; ideòque vitanda ſunt extrema, quorum unum dicitur *exceſſus*, & alterum dicitur *defectus*. & tunc habetur medium, ſeu mediocritas, quæ his deſcribitur verſibus:

„ Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
„ Quos ultrà, citròque nequit conſiſtere Rectum.

Quæro V. *An Virtus præcipiat actum poſitivum mediocritatis?*

6 ℞. Quòd non: ſed ſolùm prohibet extremum vitioſum. Explico, & ſimul probo hanc reſponſionem. Sunt quædam objecta delectabilia, ita apta ad ſe trahendum noſtrum amorem, ut, non obſtante honeſtate, quæ poteſt reperiri in eis, homo difficillimè, niſi virtute regatur, poſſit ea amplecti ſine exceſſu aliquo: V. G. objecta pertinentia ad guſtum, coitum, vindictam &c. Unde ad refrænandum affectum nimium erga iſta objecta, dantur, & præcipiuntur à natura, & à Deo Virtutes morales, ut Temperantia, Caſtitas, Patientia &c. quibus homo ſuperare poſſit, & debeat inordinatos appetitus gulæ, coitus, vindictæ &c.

7 At hæ virtutes non eò tendunt, ut præcipiant actum aliquem poſitivum circa prædicta objecta in moderatione aſſequenda; ſed tantùm prohibent exceſſum circa eadem objecta. V. G. *Virtus Temperantiæ* prohibet, ne comedas, vel bibas ultra exigentiam naturæ tuæ, ſed non præcipit, ut hoc, vel illud comedas, vel bibas in tanta quantitate, vel qualitate. — *Virtus Caſtitatis* prohibet, ne accedas ad mulierem non tuam, ſed non præcipit, ut accedas ad tuam tot vicibus, aut ut Matrimonium contrahas, & contractum conſummes. — *Virtus Juſtitiæ* præcipit, ut des alteri, quod ſuum eſt: ſed non prohibet, quin des plus, quàm teneris: vel prohibet, ne vindictam privatam ſumas, ſed non præcipit tibi, ut vindictam publicam accipias à Judice contra talem tibi nocentem; & ſic de aliis ſimilibus.

8 Ratio prædictorum eſt; quia in uno tantùm extremo, regulariter loquendo, reperitur turpitudo, & malitia moralis, quam virtus illa averſatur, & deteſtatur. Quòd ſi quandoque in alio etiam extremo inveniatur turpitudo, tunc alia Virtus aderit, quæ illam turpitudinem prohibeat, & deteſtetur. V. G. Titius ex *Juſtitia* tenetur dare centum aureos Cajo, cui non ſolùm dat centum, ſed quinquaginta plus, hoc non prohibetur à *Juſtitia*, ſed ab alia virtute, nempè à *Liberalitate*, quæ dictat, & præcipit, ne prodigantur pecuniæ; quòd ſi ex tali prodigalitate pecuniarum familia Titii patiatur notabile detrimentum, hoc etiam erit contra *Providentiam*, & *Pietatem* erga ſuos. Patet ergo, quòd extremum illud per exceſſum in dando, licèt non prohibeatur à *Juſtitia*, prohiberi tamen poteſt ab alia virtute. Sic dicen-

Digitized by Google

dicendum erit de multis ſimilibus &c.

Quæro VI. *Quanam ſunt Virtutes morales?*

9 ℞. Principales, & Cardinales ſunt tres, ſcilicet *Juſtitia*, *Fortitudo*, & *Temperantia*, ad quas, tanquam ad tria capita reducuntur multæ aliæ, de quibus in ſequentibus numeris breviſſimè agendum erit. Dicuntur autem *Cardinales*, quia ſunt omnium Virtutum moralium Principes, primariæ, ac veluti *Cardines*, in quibus ſumma perfectionis humanæ naturæ conſiſtit, ut veluti *Cardinibus* innititur, & revolvitur per totam vitam.

Quæro VII. *Prudentia eſtne Virtus moralis?*

10 ℞. Propriè, & ſtrictè loquendo non eſt moralis virtus, ſed intellectualis; ponitur tamen inter morales, quia ipſa eſt moderatrix omnium virtutum. Quæ quidem virtus Prudentiæ alio vocabulo dicitur *Diſcretio*: de qua S. Bernardus ſerm. 49. in
,, Cantica, loquens, eſt ergo, inquit, Diſ-
,, cretio non tam virtus, quàm quædam
,, moderatrix virtutum, ordinatrix affe-
,, ctuum, & morum doctrix; Tolle hanc,
,, & virtus vitium erit. -- Et Doctor Subtilis
,, Scotus *in 3. diſt. 36. quæſt. unica*, dicit:
,, Impoſſibilem eſſe virtutem aliquam mo-
,, ralem in appetitu, & voluntate, ſine pru-
,, dentia in intellectu; nam omnis virtus
,, moralis dependet à Prudentia, veluti à
,, prima ſua Regula.

De Prudentia.

Quæro VIII. *Quid eſt Prudentia?*

11 ℞. Secundùm etymologiam nominis *Prudentia* dicta eſt à *porrò videntia*: quia ſaperſpicax eſt viſio, & inſpectio agendorum. Secundùm rem ſic definitur: Prudentia eſt appetendarum, & vitandarum rerum Scientia. Vel, eſt habitus cum vera ratione circa bona humana activus. Vel tandem, eſt recta agendorum ratio. Prudens autem dicitur homo ille, qui certò intelligit, & proſpicit quid ſit agendum hic, & nunc ſecundùm rectæ rationis judicium.

Quæro IX. *An ſtante recto dictamine Prudentiæ neceſſariò ſequatur bona electio voluntatis?*

12 ℞. Negativè. Ratio eſt: quia adhuc homo poteſt vel omittere bonam electionem, vel malè agere. Tum quia, ſi in nobis peccatoribus ad dictamen rectum Prudentiæ ſequeretur ſemper electio bona voluntatis, Prudentia, vel Ratio deſtrueret libertatem contrarietatis; ſed ratio non eſt data homini, ut deſtruat ejus libertatem: probo majoris hujus ſequelam, ex D. Bernardo Doctore mellifluo *de gratia, & libero arbitrio cap. 2.* ubi ait:
Si horum quodlibet voluntas (ratione "
prohibente) non poſſet, voluntas jam "
non eſſet voluntas; ubi quippè neceſſitas, "
jam non voluntas. . . . eſt ergo ratio da- "
ta voluntati, ut inſtruat illam, non ut de- "
ſtruat; deſtrueret autem, ſi neceſſitatem "
ullam ei imponeret. Vide Amandum Hermannum *in Ethica Sacra, part. 1. diſp. 2. quæſt. 7.*

Tum quia: Prudentia, quæ eſt actus in- 13
tellectus, & rationis rectæ, non habet imperium proprium, & efficax in voluntatem, benè quidem voluntas dominatur, & imperat intellectui, vel rationi, & applicat, aut diſtrahit illum ab objectis, vel actibus circa illa objecta; ergo poſito quocumque actu prudentiæ, voluntas poteſt peccare, operando contra dictamen practicum ipſius Prudentiæ. Tum denique quia, ſi voluntas non poſſet agere, vel eligere contra dictamen Prudentiæ, ſeu rectæ rationis, nunquam eſſet in ea peccatum, quin eſſet priùs error in intellectu; ſed hoc eſt falſum, nam alioquin fruſtrà diceret Sacra Scriptura: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*. Jacobi cap. 4. & S. Auguſt. Pſalm. 123. *Sæpè quid ſit agendum videmus, nec agimus*. Et hoc experientia nimis probat. Intelligimus enim multa bona, & meliora, & optima, probamus, & tamen mala, pejora, & peſſima ſequimur; ergo &c. Vide Sebaſtianum Dupaſquier. *tom. 4. tract. 8. diſp. 1. qu. 6. concluſ. 2. -- & tom. 3. tract. 7. diſp. 2. quæſt. 2. concl. 1.*

Quæro X. *Quinam ſunt actus Prudentiæ?*

℞. Varii ſunt, ſed præcipui tres iſti 14
ſunt. I. *Conſultatio*, quæ eſt diligens inquiſitio de agibilibus, vel agendis, an ſint bona, vel utilia ad finem honeſtum. Prudentia enim eſt habitus conſiliativus, quia eſt habitus rectè ſyllogizandi practicè: & tale ſyllogizare eſt conſiliari, ſeu conſultare. II. *Judicium*, quo intellectus poſt conſultationem, judicat poſitivè rem eſſe bonam, & media conſultata eſſe apta ad finem conſequendum; quia fruſtra fieret conſultatio, niſi per eam cognoſceretur veritas, ſeu bonitas finis, & apti-

aptitudo mediorum, & ut talis judicaretur; ergo in Prudentia requiritur Judicium. III. *Intimatio*, ſeu notificatio rei agendæ, aut omittendæ ſub præcepto, vel conſilio; per judicium enim ultimum, & practicum oſtenditur Voluntati quid ſecundùm rectam rationem, hic, & nunc eligere, vel agere debeat, vel omittere, eique intimatur lex, vel conſilium, atque oſtenditur regula benè agendi, vel omittendi hoc, & illud &c.

Quæro XI. *Quænam, & quales ſunt partes Prudentiæ?*

15 ℞. Partes, quæ perficiunt Prudentiam, & ejus uſum faciliorem reddunt ſunt iſtæ. *I. Memoria*, quæ eſt recordatio præteritorum, & maximè eorum, quæ geſta ſunt in caſibus ſimilibus, & circumſtantiis, de quibus nunc deliberamus. Nam ex illorum recordatione, & reflexione, aut comparatione formamus judicium de ſucceſſu præſentis caſus, quaſi ab expertis. *II. Intelligentia*, quæ eſt advertentia, & æſtimatio rerum præſentium, de quibus formari debet judicium, quantum opus eſt ad eligenda media opportuna ad conſequendum talem finem. *III. Docilitas*, quæ eſt facilitas, & promptitudo audiendi, & accipiendi conſilia, & doctrinam ab aliis, quæ acquiritur tum audiendo Sapientes, & Peritos, tum legendo libros, & exempla bonorum: alioquin facilè decipiemur volentes eſſe prudentes apud noſmetipſos: & ſæpiùs excæcabimur à proprio judicio, & à noſtris cupiditatibus, & affectibus. *IV. Solertia*, quæ eſt perſpicacia, & facilitas excogitandi ſtatim media apta, vel aptiora ad finem. *V.* Ratio, quæ diſcurrendo examinat ea, quæ proponuntur agenda. *VI. Providentia*, quæ in deliberando, & agendo reſpicit futura ſive bona, ſive mala, quæ ex agendis naſci poſſunt; ne cùm acciderit contrarium quid, dicat homo: *Non putaveram. VII. Circumſpectio*, quæ eſt circumſtantiarum omnium conſideratio, ne ex aliqua illarum veniat defectus, vel impedimentum finis intenti.

Quæro XII. *Quodnam eſt objectum Prudentiæ?*

16 ℞. Prudentia reſpicit pro objecto omnia moralia agibilia, quæ pertinent ad humanam perfectionem, & felicitatem: ſicque attingit omnes actus Virtutum moralium, & omnes materias actuum humanorum; Unde meritò vocatur à S. S. Patribus *Prudentia Auriga Virtutum. Lucerna Animæ. Regina cogitationum. Magiſtra bonorum actuum.* Et veluti *Materfamilias ex rationis præſcripto, omnia dirigens in familia proborum.*

℞. II. Objectum formale Prudentiæ eſt 17
veritas bonitatis actuum moralium, ſeu conformitas eorum ad regulas morum. Quia, ut vidimus, omnes actus Prudentiæ ſunt conſultare, judicare, & dictare de agendis, ut ſint recta: ergo habet pro objecto ſuo formali veritatem bonitatis operationum humanarum.

Quæro XIII. *An Prudentia reſpiciat non ſolùm media, ſed etiam finem Virtutum?*

℞. Quòd ſic. Quia, Virtutes morales 18
in ſuis actibus reſpiciunt media, & finem ipſarum; ergo & Prudentia. Antecedens patet: nam V. G. Temperantia, quæ utitur jejunio, ut ſervet caſtitatem, contra quam tentatur, reſpicit honeſtatem caſtitatis, ut finem ſuum ſpecialem æquè, ac jejunium, quo eam conſervat. Conſequentia probatur; nam voluntas nequit velle conſervare caſtitatem per jejunium, tanquam medium aptiſſimum, niſi ſibi proponatur & honeſtas jejunii, & honeſtas caſtitatis, & dictetur utraque honeſtas à Prudentia: igitur ſi Virtutes morales in ſuis actibus reſpiciunt finem, & media, hæc etiam eadem debet reſpicere Prudentia, ut poſſit ea dictare voluntati. Vide Scotum *in 3. diſt. 36. num. 18.*

Quæro XIV. *An omne peccatum actuale ſit contra Prudentiam?*

℞. Maximè. Ratio eſt evidens, quia 19
omnis peccator dum peccat, imprudenter operatur; quia contra dictamen rectum Prudentiæ vult operari. Tum quia ſicut omne opus bonum eſt tale, quia conformatur dictamini prudenti, ſic omne opus pravum eſt tale, quia eſt contra illud dictamen, cui non ſe conformat voluntas, quæ vult potiùs ſequi delectabile appetitui ſenſitivo, quàm honeſtum, & decorum rationi; ſicque imprudentiſſimè agit, & peccat.

Quæro XV. *Quomodo Voluntas poteſt ſic agere contra dictamen rectum Prudentiæ?*

Quia voluntas eſt talis naturæ, ut poſſit 20
agere, & non agere, eligere hoc, vel illud bonum, nempè vel bonum honeſtum virtutis, vel bonum delectabile vitii: ergo poſito quocumque dictamine recto Prudentiæ, voluntas eſt adhuc libera, & ſequi poteſt virtutem, aut vitium. Si ſequitur virtutem, benè agit: Si vitium ſequitur, malè agit, ut patet.

De

Digitized by Google

De vitiis oppoſitis Prudentiæ.

Quæro XVI. *Quid eſt Imprudentia?*

21 ℞. *I.* Imprudentia generaliter capta non eſt niſi vitium, & peccatum genericum, nam omne vitium, & peccatum deviat à recta regula Prudentiæ, ideòque dicit Eccleſiaſtes c. 1. *Stultorum infinitus eſt numerus*: ideſt imprudentium, & peccatorum. ℞. *II.* Imprudentia negativa, ſeu privativa eſt privatio habitus Prudentiæ, qui habitus, ſi adeſſet, inclinaret ad rectè conſulendum, judicandum, & intimandum de agendis juxta exigentiam actionis honeſtæ: qui habitus ineſſe poteſt, & ſæpè debet, nempè in rebus neceſſariis ad ſalutem. – ℞. *III.* Imprudentia poſitiva, ſeu contraria eſt habitus vitioſus inclinans ad eligenda media illicita ad pravum finem aſſequendum. ℞. *IV.* Imprudentia ſiſtens purè in intellectu; nec involvens ullum defectum, vel actum voluntatis, non eſt peccatum, quia nullum eſt peccatum niſi in voluntate, & à voluntate; ſi autem Imprudentia imperetur, vel permittatur à voluntate, tunc erit peccatum.

Quæro XVII. *Quomodo voluntas poteſt imperare imprudentiam?*

22 ℞. Dupliciter: *I.* Avertendo intellectum à conſideratione recta; nam voluntas prava volens ſequi appetitum ſenſualitatis, & eligere oppoſitum recto dictamini rationis, non permittit, intellectum diù ſtare in conſideratione Veritatis, & virtutis, ſed avertit illum à conſideratione veri, & convertit ad conſiderandas rationes inferiores pro bono delectabili, quod appetit, ut poſſit pro ſe habere aliquam rationem ſaltem apparentem circa commodum, utile, & delectabile. *II.* præfigendo ſibi bonitatem in objecto, & fine intento, & præcipiendo intellectui, ut inveniat media apta ad talem finem, vel objectum conſequendum.

Quæro XVIII. *Quandonam Imprudentia eſt peccatum?*

23 ℞. Imprudentia, quando eſt vincibilis, & voluntaria circa res neceſſarias ad ſtatum, officium, & ſalutem æternam, eſt peccatum mortiferum. Patet Ex Sacra Scriptura. *Imprudentia ſtultorum errans.*
„ Prov. 14. *Omnis imprudens deperiet.* Eccli.
„ 31. *Noli fieri imprudens &c.* Epheſ. 5.
„ Et in Euang. Matth. 25. Legitur de quodam ſervo imprudenti, & pigro, qui abſcondit talentum ſibi datum à Domino ad lucrandum, contra quem Chriſtus pronunciavit ſententiam damnationis, dicendo: „ *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores* (ideſt in infernum:) *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. „ Talentum autem abſcondere, eſt intellectum, & judicium non applicare ad ſpiritualia neceſſaria ad ſalutem Animæ, vel non uti eo ad benè, & Chriſtianè vivendum; ſicque omittere debitam Prudentiam, ac diligentiam, eſt ſumma imprudentia, & damnabilis negligentia. Vide Expoſitores.

Quæro XIX. *Quid eſt Negligentia?*

℞. Eſt vitium oppoſitum Prudentiæ, 24 ſtudioſitati, ſolicitudini, & Cautioni. *Cautus* enim omnia diligenter conſiderat: *ſolicitus* eſt promptus ad inquirendum: *ſtudioſus* perquirit omnia ad finem obtinendum: *prudens* conſulit, judicat, prævidet, & providet; *negligens* verò hæc omnia omittit. ℞. II. Negligentia conſiderandi, quæ ex præcepto conſideranda ſunt, eſt peccatum omiſſionis mortale ex ſuo genere, in aliis verò non eſt niſi veniale: & in aliquibus nullum erit peccatum, pro ratione materiæ &c.

Quæro XX. *Quomodo negligentia diſtinguitur à contemptu.*

℞. Per hoc diſtinguitur, quòd contemptus fit per actum poſitivum commiſſionis: quo homo non ſolùm omittit ſcire, quæ ſcire tenetur, ſed poſitivè non vult illa ſcire, vel odit illorum conſiderationem: juxta illud Pſal. 35. *Non intelligere, ut benè ageret.* Negligentia autem eſt peccatum omiſſionis tam ex parte intellectus negligentis ſcire pertinentia ad proprium ſtatum, vel officium, tam ex parte voluntaris non applicantis intellectum ad ſcientiam, vel non eligentis, nec exequentis ſcita ad praxim. 25

Quæro XXI. *Quænam ſunt alia vitia oppoſita Prudentiæ?*

℞. Sunt ſequentia breviſſimè explicata. 26 *Inconſideratio*, quæ procedit ex carentia reflexionis agendorum, ex defectu examinis, & judicii agibilium, & ex defectu debitæ executionis mediorum ad finem obtinendum.

Inconſtantia, quæ eſt inſtabilitas judicii 27 in bono, & recto: uti ſolent inſtabiles eſſe perſonæ ſcrupuloſæ, & puſillanimes, quæ ut luna mutantur nec unquam in eadem ſententia permanent.

Præ-

28 *Præcipitatio* vel præcipitantia, & quæ eſt quædam periculoſa velocitas in exequendis illis rebus, quæ non fuerunt maturè diſcuſſæ.

29 *Prudentia carnis*, quæ per ſophiſticas rationes conſulit, judicat, & ſuadet, voluptuosè, & carnaliter vivendum eſſe: qua homo immoderatè quærit delectationes ſenſibiles, & ſenſuales: juxta illud Apoſtoli Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt; Prudentia autem ſpiritus* (quæ eſt bona) *vita, & pax*.

30 *Aſtutia mala*, quæ eſt calliditas intellectus ad tegendam pravam voluntatem ſub pallio rei honeſtæ; vel ad tegendam falſitatem ſub pallio veritatis: & alio nomine vocatur *duplicitas cordis*: juxta illud Eccli. 2. *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis*. *Væ* eſt interjectio demonſtrans horrorem, frequens in Sacris Scripturis, quæ eſt nota damnationis, ut inquit noſter Lyranus *Apoc. 8. & alibi*.

31 *Dolus*, qui ab aſtutia generatur, & conſiſtit in ſimulatione, qua quis in corde aliud tegit, & in ore aliud loquitur, animo fallendi, & decipiendi proximum; quod eſt mendacium pernicioſum.

32 *Fraus*, quæ ſignificat fallaciam, inſidias, machinationem, & deceptionem proximi in humanis commerciis, & contractibus, in damnum decepti, & in lucrum temporale decipientis.

33 *Solicitudo temporalium*, quæ ingerit inquietum ſtudium acquirendi, augendi, & conſervandi bona temporalia: ex quo homines incidunt in varias tentationes, & in laqueum diaboli, ut teſtatur Apoſt. 1. *Timot. 6.*

Quæro XXII. *Quænam ſunt veræ Regulæ acquirendi virtutem Prudentiæ?*

34 ℞. Sunt iſtæ. I. Petere illam à Deo. II. Non proprio fidere ingenio, ſed alieno libenter uti conſilio. III. Studere practicè in moderandis propriis affectibus. IV. Humilitatem poſſidere veram. V. Sincerè cum omnibus agere. VI. Legere libros de Virtutibus tractantes. VII. Et juxta bonorum virorum exemplum, & doctrinam vivere, & ſic alios docere.

De Virtute Juſtitiæ.

Quæro XXIII. *Quid eſt Juſtitia?*

35 ℞. Eſt virtus Moralis inclinans voluntatem ad rectè ſe gerendum erga proximum, tribuendo, & reddendo unicuique, quod ſuum eſt.

Multa circa hanc Virtutem hic omitto, ſicut & de vitiis ei oppoſitis; quia hæc omnia tractanda erunt *in Tract. 32.* per totum ex profeſſo.

Quæro XXIV. *Quænam ſunt partes integrantes Juſtitiam?*

36 ℞. Sunt duæ: ſcilicet Abſtinere à malo: & facere bonum. Utraque pars requiritur ad perfectam Juſtitiam, nempè nemini facere injuriam, & facere cuique bonum debitum, ſeu reddere illi, quod ſuum eſt: juxta illud Pſal. 23. *Declina à malo, & fac bonum*.

Quæro XXV. *Quænam ſunt virtutes, quæ imperantur à Juſtitia, vel ad ipſam reducuntur?*

37 ℞. Multæ, ſed præſertim iſtæ, videlicet. I. *Religio*, qua Deum colimus. II. *Pietas*, qua Parentes, Superiores, & propinquos reveremur. III. *Obſervantia*, qua Perſonas eminentes dignitate, ſcientia, ſanctitate, & meritis honoramus. IV. *Obedientia*, qua mandatis Superiorum obtemperamus. V. *Gratitudo*, qua recepta beneficia recognoſcimus, ac rependimus. VI. *Veritas*, ſeu *Veracitas*, qua tales volumus eſſe, quales volumus videri. VII. *Amicitia*, qua nos ipſos aliis communicamus vel affectu, vel obſequio. VIII. *Affabilitas*, qua nos in converſatione faciles, jucundos, & gratos exhibemus. IX. *Pœnitentia*, qua mala commiſſa vindicamus in nobis. X. *Vindicatio*, qua mala nobis illata repellimus. XI. *Fidelitas*, qua promiſſa, & ſecreta ſervamus. XII. *Liberalitas*, qua bona propria libenter diſpenſamus aliis opportunè tempore &c.

De Fortitudine.

Quæro XXVI. *Quid eſt Fortitudo?*

38 ℞. Secundùm nomen, Fortitudo venit à *ferendo fortiter*: & ſignificat firmitatem tam animi, quàm corporis ad difficilia vel agenda, vel ſuſtinenda; ſicque Fortitudo pertinet ad omnem Virtutem; nam quælibet virtus in ſuis actibus aggreditur, & ſuperat difficilia, & dura, & ardua, ſaltem in principio; nam acquiſito poſteà habitu virtutis, non ampliùs ſentitur labor, ſed lætitia, & gaudium in actibus virtuoſis: quia habitus dat facilitatem, promptitudinem,

nem, & delectationem honeſtam in operando: juxta illud Sap. 8. *Non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius: ſed lætitiam & gaudium.* Unde experientia patet, quòd Homo virtute præditus jucundiſſimè vivit, & operatur.

39 ℞. II. Sed propriè Fortitudo hìc ſumitur pro illa Virtute Morali, qua inclinamur ad perferendos labores, & juſta pericula ſubeunda in proſecutione Boni honeſti; & ſic definitur: eſt habitus electivus inclinans ad fortiter ſuſtinenda mala, & aggredienda difficilia ex motivo honeſtatis, pro ut recta ratio dictat. Veraque Fortitudo conſiſtit, & verſatur in moderando metum, & audaciam: ne metus malorum turbet mentem, aut frangat animum: & ne audacia temerè ſupra noſtras vires audeat, vel agat; & in vincenda triſtitia, quam quis experitur in ſuperandis arduis ob amorem virtutis. *Triſtitia enim magnum eſt impedimentum virtutis.*

Quæro XXVII. *Quænam ſunt Virtutes, quæ ad Fortitudinem reducuntur, vel ab ipſa imperantur, aut procedunt?*

40 ℞. Sunt ſequentes. Prima. *Magnanimitas:* quæ à magnitudine animi ſic dicitur: & eſt virtus inclinans ad omne arduum, magnum, & generoſum; cui opponitur vitium *Puſillanimitatis* quæ eſt fuga magnorum operum, eò quòd homo vilis putet ſe illis imparem, vel impotentem; & nimis ſit timidus in operando, quia non reflectit in Dei adjutorium, nec in eo fidit, Qui dat fortitudinem, & robur multiplicat benè operantibus, & conantibus virtutis opus: juxta dictum Pſal. 67. *Deus Iſrael, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ.*

41 Secunda. *Patientia*, quæ eſt Virtus firmans animum adverſùs triſtitiam, & moleſtias animi, & corporis, ne ab eis opprimatur, & deficiat a recta operatione, & officio rationis. Vel, ſecundùm D. Auguſtinum, Patientia eſt voluntaria, & diuturna perpeſſio rerum adverſarum, honeſtatis, aut virtutis cauſa. Quæ Virtus valdè utilis, & neceſſaria nobis eſt: ut habetur ad Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem:* Patientia enim omnia vincit.

42 Huic virtuti opponitur *Impatientia*, quæ eſt vitium, quo quis facilè, & immoderatè triſtatur, & conturbatur in malis, quæ patitur. Et *Inſenſibilitas*, quæ opponitur Patientiæ per defectum; nam homo ſtolidus, & ſtoicus veluti fatuus nullis malis tangitur, aut movetur, quia ea non apprehendit.

Tertia. *Longanimitas*, quæ eſt virtus Patientiæ affinis, eſtque longior tollerantia, quæ maximè elucet in tollerandis moleſtiis longioribus, & in expectandis opportunis remediis, aut bonis ſperatis. 43

Quarta *Conſtantia*, qua firmiter perſiſtimus in bono incœpto, & in ferendo, aut aggrediendo ardua mala ex motivo virtutis. 44

Huic opponitur per exceſſum *Obſtinatio*, quæ immobiliter, ſed contra rationem, hæret ſuæ ſententiæ, vel facto: & dicitur etiam alio vocabulo, *Pertinacia*. Per defectum verò *Levitas*, ſeu *Inconſtantia*, quæ facit, ut facilimè homo moveatur de ſententia in ſententiam, & de bono in malum; & velut Luna ſæpè mutetur &c.

Quinta. *Perſeverantia*: quæ eſt ſtabilis, & perpetua permanſio in bono: eſtque maximum Dei donum, coronans cætera bona, ſi ſit finalis; nam ut inquit Chriſtus Dominus Matth. 10. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.* 45

Sexta. *Fiducia*, quæ eſt virtus moralis, qua moderatè confidimus in propriis, vel alienis viribus ad vincendum, ſicque promptè aggredimur ardua cum ſpe felicis exitus; & maximè innitimur Dei auxilio, quod præſtò ſemper eſt virtuosè agentibus. Sine hac fiducia vix aliquid boni, & ardui aggrediemur; ut optimè dicit P. Dupaſquier *tom. 3. tract. 7. diſp. 4.*-- Huic opponitur per defectum *Diffidentia*: qua retardamur à bono aggrediendo, vel continuando ob difficultates obvias. Et per exceſſum *Temeritas*, qua ſine prudentia omnia aggreditur homo temerarius ſine fructu &c. Quod vitium vocatur etiam *Audacia*, quæ eſt exceſſus in audendo. Et licèt Fortitudo aliquam admittat Audaciam, ſeu Animoſitatem, declinat tamen exceſſum in modo, tempore, loco, & cæteris circumſtantiis: Etenim vir fortis à virtute Fortitudinis audet, & aggreditur ardua prudenter, nempè quæ oportet, quando, & quomodo oportet, & ſuſtinet, ac vincit etiam terribilia: ac vincendo ſe, non vincitur ab adverſis &c. 46

De Temperantia.

Quæro XXVIII. *Quid eſt Virtus Temperantia?*

47 R. I. Temperantia eſt veluti Corona, & complementum aliarum Virtutum Moralium; Iſta enim Virtus moderatur motus, & actus aliarum, ne excedant ſuos quoſque limites. Temperat ardores Fortitudinis, ne accedant ad furorem: temperat Zelum Juſtitiæ, ne aſcendat ad crudelitatem: temperat ſollicitudinem Prudentiæ, ne cadat in præcipitationem anxietatis; & ſic patet, quòd Temperantia moderatur omnes appetitus, & reſpicit Virtutes omnes; ſi generaliter conſideretur.

48 R. II. Prout verò eſt virtus ſpecialis diſtincta à prædictis ſic deſcribitur: Temperantia eſt habitus inclinans voluntatem ad moderandos appetitus ſenſuum, maximè guſtus, & tactus; moderatur enim appetitum paſſionis concupiſcibilis circa concupiſcibilia, ſeu circa voluptates carnales, gulæ præſertim, & coitus; ſicque eſt quodammodò *frænum gulæ, & libidinis*, necnon aliorum inordinatorum motuum carnalium, & ſenſualium. Temperantiæ enim munus eſt, coercere, refrænare, & ſedare cupiditates carnis noſtræ, reſecando ſuperfluas, & admittendo neceſſarias, & licitas tantùm voluptates.

Quæro XXIX. *Quænam ſunt partes diſpoſitivæ ad Temperantiam?*

49 R. Sunt præſertim duæ, ſcilicet Verecundia, & Honeſtas. — *Verecundia* eſt timor probri ex conſideratione facti inhoneſti, & probroſi; qui timor rationabilis facit obſervare moderationem in verbis, & geſtibus ad turpia quæque fugienda, & ad decorem conſervandum. *Honeſtas* autem eſt quædam Animi pulchritudo, & claritas virtutis nihil turpitudinis admittens, ſed perpetuum habens honoris ſtatum. Unde Perſonis honeſtis honor maximè exhibetur.

Quæro XXX. *Quænam virtutes continentur ſub Temperantia.*

50 Omnes illæ, quæ aliquo pacto moderantur delectationes ſenſuum ex externorum: principales autem ſunt: Prima *Abſtinentia*, quæ eſt virtus inclinans ad mediocritatem ſervandam in cibo juxta menſuram rationis: quæ menſura non conſiſtit in aliquo indiviſibili, ſed habet ſuam latitudinem, & proportionem juxta uniuſcujuſque complexionem, & neceſſitatem.

51 Secunda. *Sobrietas*, quæ eſt virtus inclinans ad moderatè bibendum, ſeu ad ſervandam temperantiam in potu juxta naturæ indigentiam,

52 Huic duplici virtuti opponitur vitium gulæ, quod eſt irrationabilis appetitus cibi, & potus. Exceſſus autem in cibo vocatur *Crapula*: Exceſſus verò in potu dicitur *Ebrietas*.

53 Tertia. *Caſtitas*, quæ eſt virtus inclinas ad moderandum appetitum delectationem venerearum; Et eſt triplex, nempè.

54 *Caſtitas Virginalis*, quæ conſiſtit in munditie, & abſtinentia ab omni actu venereo, tam illicito, quàm licito.

55 *Caſtitas Conjugalis*, quæ prohibet Conjugibus non ſolùm quemlibet actum venereum cum tertia perſona, verùm etiam omnem exceſſum, aut inordinatum actum inter ſe ipſos in rebus venereis.

56 *Caſtitas Vidualis*, quæ vocatur etiam *Continentia*: conſiſtit in abſtinentia ab actibus venereis poſt diſſolutionem Matrimonii. Et hæc virtus non ſolùm reperitur in Viduis, ſed etiam in aliis perſonis, quæ amiſerunt voluntariè Virginitatem, & deinceps ſe voluntariè continent ab omni illicita carnali voluptate.

57 Huic triplici Virtuti Caſtitatis opponitur vitium *Luxuria*, ſeu Libidinis, quod inclinat ad omnem actum illicitum in re venerea; continetque ſub ſe varias ſpecies: de quibus agendum in Tract. 27. 28. & 29.

58 Quarta. *Modeſtia*, quæ eſt virtus inclinans ad mortificandos ſenſus externos, & geſtus corporis, ut fiant ſecundùm honeſtatem, & decentiam: Cui opponitur vitium *Immodeſtia*, quod eſt deformis, & indecorus modus loquendi, aſpiciendi, & movendi membra corporis. Item *Curioſitas* videndi, & audiendi ſuperflua, & nociva: quod vitium eſt cauſa multorum peccatorum; Viſum, enim, & auditum ſequitur Cogitatio; cogitationem delectatio; delectationem conſenſus ad peccatum: ut patet quotidiana experientia.

59 Quinta. *Manſuetudo*, quæ eſt virtus moderans impetum iracundiæ, ne prorumpat in dictum, vel factum minùs licitum; Cui opponitur Ira, ſeu *Iracundia*, quæ eſt exceſſus iræ exiens in actum indebitum.

Sexta.

60 Sexta. *Frugalitas ornatus*, quæ eſt virtus inclinans admediocritatem ſervandam in veſtitu, & cultu corporis pro conditione, & ſtatu perſonarum. Huic per exceſſum opponitur *Luxus*, & *Pompa*. Per defectum verò *Sordities* odioſa. Plures autem, & plerique peccant peccato luxus, & pompæ mundanæ in ruinam Animarum ſuarum, & deſtructionem familiæ ſuæ; quia per hoc vitium redduntur poſtea impotentes ad debita ſolvenda, nutriunt Superbiam vitæ, & cętera vitia evadunt immiſericordes erga pauperes; &c.

61 Septima. *Eutrapelia*, ſeu Urbanitas, quæ eſt bona, & hilaris converſatio inclinans quandoque ad dicta, & facta jucunda, & faceta, quibus recreatur animus ad mediocritatem; cui opponitur per exceſſum *Scurrilitas*: & per defectum *Ruditas*.

62 Octava. *Studioſitas*, quæ eſt virtus inclinans ad moderandum appetitum ſcientiarum, & ad ſobrietatem ſtudiorum. Vit enim ſtudioſus eſt, qui ea, quæ ad ſtatum, & officium ſuum pertinent, requirit non nimio ardore, ſed moderato ſtudio. Exceſſus in ſtudio vocatur *Curioſitas*; defectus verò *Ignavia* nominatur. At paucos invenies, qui peccent per exceſſum ſtudendi, plurimos autem, qui per defectum addiſcendi, graviter peccent, quia neſciunt ſtatui ſuo neceſſaria &c.

63 Nona. *Humilitas*, quæ eſt virtus moderans appetitum honoris, & excellentiæ; & facit, ne homo velit ſibi quidpiam tribui ultra id, quod ſibi juſtè congruit ſecundùm proprium gradum; Unde hæc Virtus moralis non fugit honores debitos, nec quærit, nec admittit indebitos: ſicque ſervat medium inter Superbiam, & Puſillanimitatem. *Superbia* eſt vitium oppoſitum Humilitati per exceſſum in appetendo honorem, & excellentiam indebitam: *Puſillanimitas* verò per defectum opponitur Humilitati, inquantum applicat animum ad abjectiora, ſeu viliora, quàm hominem talem deceant, ſecundùm gradum, & conditionem &c.

64 *Nonnulla ſcitu digna de Humilitate ſupernaturali* juxta Doctrinam Aſceticam, ſeu Myſticam Theologiam, vel Scientiam Sanctorum hic breviter tradam: Et primò *quoad definitionem Prima Virtus Chriſtianorum eſt Humilitas*. S. Hieronymus -- *Humilitas eſt fundamentum, cuſtoſque Virtutum*: S. Bernardus, -- *Eſt maxima diſciplina Chriſtiana*: S. Auguſtinus. -- *Spiritualis ædificii fundamentum*: S. Thomas, -- *Singulare munus Dei*: Climacus. -- *Primogenita filia Summi Regis*: Bleſenſis: -- *Humilitas tua eſt, ut cognoſcas te*: S. Auguſt. *Tract. 25. in Joan. Humilitas eſt, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit*: S. Bernard. Ad quam requiritur & cognitio intellectus, & affectus voluntatis. Cognitio intellectus eſt, qua homo lumine Fidei, ſe nihil eſſe ex ſe, & à ſe, cognoſcit: & quidquid eſt, à Deo eſt & propter Deum. Affectus voluntatis, quo intus in corde ſuo ſeſe deijcit, & Deo totum ſe ſubjicit: nihil ſibi virtutis tribuit; quia bona, quæ agit, eſſe de miſericordia, & bonitate Dei agnoſcit. Si unum ex his duobus deficiat, non eſt vera humilitas. *Chriſtiane*, inquit Bernardus, *noli hanc rem peſſimam facere: ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: ſed cogita tui vilitatem per intellectum, & deprime te per voluntatis affectum.*

Humilitas quoad neceſſitatem. Neceſſaria eſt hæc virtus neceſſitate medii: ut æternam felicitatem conſequamur; Nam Salvator ait, Matth. 18. *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum*. At nullus profectò parvulus ſpiritu efficitur, niſi per humilitatem. Inde concludit *Dorotheus* ex Patrum omnium mente, quòd ita impoſſibile eſt, Animam ſalvari abſque Humilitate, ut navim ſine clavis ædificari. Magna ſententia! ſed vera. *Humiliamini ſub potenti manu Dei*: ut inquit S. Petrus Apoſtolus: *epiſt. 1. cap. 5.* 65

Humilitas quoad dignitatem. Chriſtus Dominus omnem humilitatem exhibuit, humiliando ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem Crucis: & Matth. 11. ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem Animabus veſtris*. Unde D. Auguſtinus. *Tota*, inquit, *vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit, ſed præcipuè humilitatem ſuam imitandam propoſuit, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Ergo magna dignitas eſt humilitas. Quare, ut inquit Divus Bernardus, *intollerabilis imprudentia eſt, ut ibi ſe ſe exinanivit Majeſtas* (Filii Dei) *vermiculus* (homo) *inflетur, & intumeſcat*, Igitur concludo cum verbis Eccleſiaſti- 66

ci cap. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies Gratiam; quoniam magna Potentia Dei ſolius: & ab humilibus honoratur.* Vide Tertullianum Prædicantem *tom.* 3. *V. Humilitas*; Alphonſum Rodriquez *part.* 2. *Tract.* 3. — D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 5. & 6.

TRACTATUS V.

DE LEGIBUS, ET PRÆCEPTIS in communi.

QUæro I. *Quid eſt Lex?*

1 *Reſpondeo I.* Lex ſecundùm nomen dicitur à *ligando*: quia ideò eſt, ut liget, ſeu obliget homines ad aliquid faciendum, vel omittendum in conſcientia. Varia ſortitur nomina; dicitur enim aliquando *Jus*: quia quod juſtum eſt, præcipit, & quod injuſtum eſt, prohibet. *Jus* oritur à Lege, & eſt id, quod ſtatuitur ab ipſa Lege. *Jus* pariter dicitur à *Juſtitia*, quæ ſuum cuique tribuit. Lex aliquando dicitur etiam *Statutum*, propter ſtabilitatem, ac firmitatem, quam habet; & regulariter ac propriè Statutum dicitur de Lege Principis, ſeu Superioris. Quandoque dicitur *Conſtitutio*, quia ad rectè ſtatuendum prærequiritur multorum conſilium, & concurſus. Dicitur etiam *Præceptum*, vel mandatum: quia Lex præcipit, & mandat quæ agenda ſunt. Non quodlibet tamen præceptum eſt Lex, quia *Præceptum* in rigore eſt de his, quæ diriguntur ad particulares perſonas, etiam pro uno actu, vel tempore. Dicitur etiam *Decretum*, quo aliquid præcipitur in bonum Communitatis. *Bannum*, quo ſimiliter aliquid prohibetur. Et tandem *Edictum*, quo aliquid præcipitur vel ordinatur à Magiſtratu, vel Prætore, aut alio Superiore.

2 ℞. *II.* Lex ſecundùm rem, & propriam ſignificationem, eſt recta Regula externa, qua actiones humanæ diriguntur in bonum honeſtum. *Vel*, eſt recta agendorum ratio, lata ab eo, qui poteſtatem habet obligandi homines, ut illi ſe conforment. *Vel*, eſt Regula conſtans, & vera honeſtæ operationis, indita, vel præſcripta Creaturæ rationali in bonum commune, & obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum: vel tandem, Lex eſt Regula permanens actionum humanarum, indita, vel poſitivè data multitudini, auctoritate, & voluntate publici Legiſlatoris, obligans ad ſui ſequelam in proſecutione boni & fuga mali.

Quæro II. *Lex eſtne neceſſaria hominibus?*

℞. Quòd ſic. Quia poſt peccatum primi Hominis Natura humana eſt veluti cæca; ſicque indiget Directore, & Regulatore in ſuis actibus. Tum quia Leges ſummè proſunt ad diſciplinam, & exercitium Virtutis: ac juſtum eſt, ut inferiores ſubjiciantur Superioribus, & omnes Deo: in qua ſubjectione, & ſubordinatione ſita eſt ſalus Populorum, & Pax. 3

Quæro III. *Quotuplex eſt Lex?*

℞. Multiplex; nam *I.* Dividitur in Legem Æternam, & Temporalem. *Lex Æterna* eſt Ratio Divina, & Voluntas Dei judicantis, & volentis talia facienda, aut vitanda ab hominibus. *Lex Temporalis* eſt, quæ in tempore ſtatuta eſt à Deo, vel ab Hominibus: & eſt veluti participatio quædam Legis æternæ. 4

II. Dividitur in Naturalem, & Poſitivam. *Lex Naturalis* eſt, quæ naturæ rationali eſt indita, & congenita. *Lex Poſitiva* eſt, quæ à Deo, vel ab Homine expreſſa, & impoſita eſt. 5

III. Dividitur in Divinam, & Humanam. *Lex Divina* eſt, quæ à Deo benedicto lata eſt: & hæc fuit duplex, ſcilicet Veteris Teſtamenti per Moyſen intimata: & Novi Teſtamenti per Chriſtum Dominum lata in Euangelio. *Lex Humana* eſt, quæ ab Humana Auctoritate immediatè ſer- 6

Digitized by Google

fertur: & dividitur in *Eccleſiaſticam*, quæ à Poteſtate Eccleſiaſtica manat, ut à Papa, à Concilio &c. & *Civilem*, quæ à poteſtate humana Civili fit, ut ab Imperatore, Republica &c.

7 IV. Lex generaliter capta, ratione materiæ dividitur in *Affirmativam*, quæ præcipit bonum faciendum, V.G *Honora Parentes*: & in *Negativam*, quæ prohibet malum, quod eſt vitandum, V. G. *Non furaberis*. Idem dic de omni Præcepto; nam Præceptum aliud eſt affirmativum, ſeu poſitivum; & aliud negativum, ſeu privativum: ut patet in exemplis allatis: *Præceptum affirmativum* obligat ſemper, ſed non pro ſemper, ideſt, non pro quocumque tempore, & loco. *Præceptum negativum* obligat ſemper, & pro ſemper, ideſt, pro omni tempore, & loco. Contra præceptum affirmativum eſt *peccatum omiſſionis*, nempè non ponendo quis actum debitum: contra præceptum negativum eſt *peccatum commiſſionis*, nempè ponendo quis actum indebitum.

Quæro IV. *Quid eſt Lex, ſeu Jus Gentium?*

8 ℟. Eſt lex, quam omnes Gentes, Nationes, & Populi obſervare decreverunt inter ſe, & cum aliis; quia hujuſmodi Lex conſtituta, & recepta eſt ab omni Generatione hominum, cùm ſit conſona, & concors lumini rationis, ſeu Legi Naturali. Ut V.G. Diviſio bonorum temporalium Jure Gentium introducta ad evitandas lites, & jurgia: Libertas Commercii, & Contractuum inter gentes non inimicas: Jus belli: Immunitas Legati, ſeu Nuncii &c.

Quæro V. *Quænam ſunt conditiones requiſitæ ad Legem?*

9 ℟. Multæ, ſed præcipuæ ſunt hæ. Prima, *quòd reſpiciat omnes, & bonum commune*. Quia de facto nulla datur lex, quæ non tangat omes, & reſpiciat bonum multitudinis, vel communitatis; Etenim *Lex Æterna* reſpicit omnes Creaturas capaces Legis ad ipſas dirigendas in bono, & avertendas a malo morali. *Lex Naturalis*, quæ eſt participatio illius primæ Legis Æternæ, omnes homines ligat, & tendit in bonum univerſi generis humani. *Lex poſitiva Divina* reſpicit omnes homines ad ſalutem æternam dirigendos. *Lex* denique *poſitiva Humana* conſiderat tranquillitatem, & incolumitatem Statuum, Regnorum, Civitatum &c.

10 Secunda, *quòd ſit Juſta*. Quia omnis Lex vera dicitur, & eſt Ordinatio Rationis: quod autem rationabile eſt, nequit eſſe iniquum. Tum quia omnis Lex vera debet derivari, & conformari Legi Æternæ, Divinæ, & Increatæ; nam Sapientia dicit Prov. 8. *Per me reges regnant, per me Principes imperant: & Legum Conditores juſta decernunt*. Unde D. Auguſtinus ait: *Nulla Lex dicitur juſta, niſi quæ, vel deſcendit à Lege Divina, vel concordat Legi Divinæ, aut ad minus quæ non diſcordat Legi Divinæ*.

Tertia, *quòd feratur à publica, & ſupre-* 11
ma aliqua Poteſtate. Quia Lex dicitur à ligando, & obligando; ſed ſola Poteſtas publica, & ſuprema poteſt ligare, & obligare homines ſibi ſubditos: ergo &c.

Quarta, *ad hoc, ut Lex obliget, debet*
promulgari, & intimari: Quia nulla lex 12
poteſt obſervari, niſi priùs cognoſcatur, & non poteſt cognoſci, niſi intimetur, & publicetur, & poſſit eſſe Regula vivendi; Nemo enim poteſt ſcire mentem, & voluntatem Legiſlatoris, niſi ipſe Legiſlator revelet, & manifeſtet eam: ergo &c.

Non eſt autem neceſſaria libera acce- 13
ptatio talis Legis à Populo facienda. Quia vis obligandi non habetur à Populo, ſed à Legitimo Legiſlatore. Tum quia cùm Leges ordinariè ferantur contra vitia ipſius Populi, & in bonum commune, rariſſimè tenerent, & obligarent, ſi ab ipſo Populo dependerent in acceptatione, & vi obligandi; quandoquidem Populus ex natura ſua, & morum corruptela, atque ex amore libertatis, ſine tali Lege vivere peroptaret, ſicque nunquam eam acceptaret: quod eſſet maximum damnum Reipublicæ, ruina totius ſubjectionis, & Regiminis Divini, & Humani totalis deſtructio. Unde meritò damnata eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio: la 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam*.

Quinta, *quòd talis promulgatio ſit ſole-* 14
mnis, authentica, & juridica: nempè facta de mandato Legiſlatoris, per Perſonas publicas, & Auctoritativas. Quia Lex, cùm ſit communis, & univerſalis vivendi Regula, debet communiter, & univerſaliter cognoſci, & ſciti. Tum quia Lex invincibiliter ignorata non obligat. Sed ſi Lex aliqua promulgaretur V.G. in una tantùm Civitate, vel loco ſingulari,

ab inumeris invincibiliter ignoraretur; ergo &c.

Neque dicas: Tractu temporis poteſt audiri talis Lex à privatis perſonis, quæ tempore promulgationis aderant; ergo ſufficiet publicatio Legis in una Civitate; Nam reſpondeo, quod hæc non eſt publicatio ſolemnis, ſed privata; nam perſonæ, quæ mihi refferunt, talem legem fuiſſe latam, & promulgatam V.G. Coloniæ Agrippinæ, non ſunt perſonæ publicæ, & authenticæ, ergo illis credere non teneor, nec conſequenter teneor ſervare talem legem; quia mihi, & aliis habitantibus V. G. Tridenti non fuit ſolemniter intimata.

15 Confirmatur. Imperator non prætendit, quòd Leges ſuæ obligent, donec promulgatæ fuerint à Metropolitis Provinciarum, ut patet ex authentica: *Ut novæ Conſtitutiones*. Papa non intendit, quòd ſua Decreta obligent, niſi in forma authentica publicentur, ut patet in Bulla Pii Papæ IV. incipien. *Sicut ad Sacrorum*. Super declaratione temporis, pro quo Concilii Tridentini Decreta obligent: quia, inquit, in Jure communi ſancitum eſt, ut Conſtitutiones novæ, vim, nonniſi poſt certum tempus, obtineant: ideſt, poſt ſufficientem ubique publicationem: ut habetur *cap. Cùm infirmitas, de Pœnit. & remiſſ.* Et Deus ipſe non vult obligare homines ad Legem Euangelicam, niſi poſt ſufficientem, & ſolemnem ejus prædicationem: ut docet Scotus *in 4. diſt. 3. quæſt. 4. H. n. 11.* ergo &c. Excipe tamen Leges Pontificias, & Bullas, quæ publicatæ Romæ in locis conſuetis incipiunt obligare ubique locorum; ut patet in formulis ipſarum, & ſignanter in *Bulla Cœnæ Domini*, & in illa Urbani Octavi incipiente *Romanus Pontifex*, ubi damnat omnia præjudicialia contra Immunitatem Eccleſiaſticam, etiam ſub prætextu quòd Bullæ Pontificiæ non fuerint publicatæ, &c.

Quæro VI. *Ad quoſnam ſpectat de Jure condere Leges?*

16 R. I. Ad Deum, qui eſt Supremus, & Altiſſimus Legiſlator, qui dedit Legem Populo Iſraelitico per Moyſen, & Populo Chriſtiano per Chriſtum Jeſum, ut notum, & certum eſt. Lex antiqua duravit annis circiter 1540. Lex nova, jam ſcimus, quot annis duraverit, & quòd uſque in finem Mundi duratura eſt. Lex Moſaica ceſſavit poſt promulgationem Legis Chriſtianæ, quoàd præcepta cæremonialia, & judicialia, non verò quoad præcepta moralia: quia hæc ultima confirmata fuere à Chriſto. Lex vetus non erat omninò perfecta: quia ille populus erat capax perfectiſſimæ Legis. Lex nova eſt undequaque perfecta, nec in aliam perfectiorem mutabitur.

R. II. Summus Pontifex Romanus, ut 17
Caput Eccleſiæ habet poteſtatem condendi Leges Eccleſiaſticas pro univerſa Eccleſia. Quia conſtat ex Sacra Scriptura, poteſtatem Clavium datam eſſe Petro, & Succeſſoribus ejus: *Paſce oves meas*: dixit Jeſus Petro: Joan. c. 21. *Paſcere autem oves in Scripturis* importat Superioritatem, & Principatum, juxta illud 2. Regum. c. 5. *Tu paſces populum meum Iſrael, & eris Princeps ſuper eum*. Unde ipſi Petro canit Eccleſia: *Tibi tradidit Deus omnia Regna mundi*: ſcilicet quoad Juriſdictionem Spiritualem. Et ex Sacris Canonibus, ut *cap. Sacroſancta*: ubi habentur, ſacroſancta Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper omnes Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt. Et ex Conc. Lateran. ubi expreſsè legitur: Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias Ordinariæ Poteſtatis obtinet primum Principatum, utpote mater & magiſtra univerſorum Chriſti-Fidelium. Quare Papa, ut Eccleſiæ caput preæminet omnibus aliis Poteſtatibus tam Sacris, quàm non Sacris, ut conſtat ex *cap. Venerabilem*. Ergo &c.

R. III. Legati Sedis Apoſtolicæ poſſunt 18
leges ferre pro ſuis ſubditis, & Provinciis. Ut conſtat ex *cap. Nemini, de Offic. Leg.* — Item Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi; quia ſunt ordinarii Præſides, atque Rectores in Spiritualibus. — Item Prælati Regulares Majores, & Capitula generalia, & provincialia pro ſuis reſpectivè Religioſis. Ex Scoto *in 4. diſt. 15. q. 3. D. 5.*

R. IV. Principes Supremi, & Reſpubli- 19
cæ temporales habent poteſtatem ferendi Leges Civiles in ſuis Regnis, & Statibus, obligantes in conſcientia proprios ſubditos. Probatur ex Sacra Scriptura. Prov. 8. *Per me Reges regnant, & Legum conditores juſta decernunt*, & ad Rom. 13. D. Paulus præcipit, dicens: *Omnis anima Poteſtatibus* ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt

Digitized by Google

„ eſt enim poteſtas niſi à Deo; & qui po-
„ teſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: &
„ qui reſiſtunt, damnationem ſibi acqui-
„ runt. . . Ideò neceſſitate ſubditi eſtote,
„ non ſolùm propter iram, ſed etiam pro-
„ pter Conſcientiam. – Tum ex vi quarti
præcepti Decalogi: quo nobis præcipitur à Deo, ut honoremus Superiores, & obtemperemus Majoribus noſtris. Ergo &c.

Quæro VII. *Leges humanæ pœnales, obligantne in conſcientia ſub peccato?*

20 R. I. Leges purè pœnales non obligant ſub culpa, ſed tantùm ſub pœna taxata. Ratio eſt: quia Lex non obligat ultra mentem Legiſlatoris. Sed Legiſlator, quando præcipit, vel prohibet aliquid ſub mera pœna temporali taxata, videtur habere intentionem directam ad ſolam pœnam, non verò ad culpam: ergo &c.

21 R. II. Leges verò mixtæ, nempè quæ ſunt præceptivæ ſimul & punitivæ obligant etiam ſub culpa; Ratio eſt, quia per additionem pœnæ non minuitur, ſed augetur vis obligandi in conſcientia. Quod magis verificatur quando additur pœna ſpiritualis, V.G. Excommunicationis &c. quia talis pœna nonniſi ob culpam gravem infligi ſolet.

Quæro VIII. *Lex humana poteſtne præcipere actus internos?*

22 R. I. Lex humana Eccleſiaſtica, & Civilis poteſt præcipere, & de facto præcipit *indirectè*, & *per accidens* actus internos. Quia quando præcipit V.G. contractus juſtos, præcipit etiam, ut tales contractus fiant juſtè, & humano modo; ſed nequeunt fieri juſtè, & humano modo ſine actibus internis rectæ rationis, & bonæ voluntatis: ergo iſti actus interni *indirectè*, & *per accidens* præcipiuntur à tali Lege.

23 R. II. Lex humana Civilis nequit præcipere *directè*, & *per ſe* actus merè internos. Quia Legiſlator nequit præcipere, vel prohibere id, quod non poteſt judicare, & punire; Sed Legiſlator merè humanus nequit judicare, & punire actus merè internos; ergo neque hos actus *per ſe*, & *directè* poteſt præcipere, vel prohibere.

24 R. III. Eccleſia Dei poteſt præcipere *directè*, & *per ſe* etiam actus merè internos. Probatur I. De facto præcipit quandoque; ergo poteſt præcipere: nam ab actu ad potentiam tenet conſequentia, ut dicunt Logici. V.G. Ego ſcribo, vel lego: ergo poſſum ſcribere, vel legere; nemo enim poſſet proponere actum aliquem, niſi priùs haberet virtutem ponendi talem actum. Quòd autem quandoque Eccleſia Dei, nempè Papa, ut Papa præcipiat actus internos: probo ſic:

Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa XI. 25
in Bulla incipiente, *Vineam Domini Sabaoth*, edita anno 1705. §. *Hic eſt*: ponit
hæc verba: Damnatum in quinque præ- „
fatis propoſitionibus Janſeniani libri ſen- „
ſum, quem illarum verba præferunt, ut „
præfertur, ab omnibus Chriſti Fidelibus, „
ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & cor- „
de reijci, ac damnari debere. . . . decer- „
nimus, declaramus, ſtatuimus, & ordi- „
namus. -- Conſideranti patet, quomodo hic Papa ſtatuat, & ordinet, ut omnes Chriſti-Fideles debeant *corde*, & *animo* reiicere, & damnare propoſitiones quaſdam Janſenii, ut hæreticales, atqui hoc eſt præcipere directè, & per ſe actus merè internos; ergo &c. Prætereà.

Innocentius Papa XI. in Decreto edito 26
de anno 1679. quò damnavit 65. propo- „
ſitiones, in fine illius Decreti ſic dicit: -- „
Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, „
& ſub interminatione Divini Judicii, pro- „
hibet omnibus Chriſti-Fidelibus, ne præ- „
dictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad „
praxim deducant. -- Atqui plures ex his „
propoſitionibus verſantur circa actus merè internos, ut patebit legenti *quintam*, *ſextam*, *ſeptimam*, *decimam*, *undecimam*, *decimamtertiam*, & duas ſequentes, *decimamſextam*, & ſex ſequentes, & tandem *ultimam*. Ergo Papa poteſt præcipere, & prohibere directè actus merè internos. Prætereà.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. In De- 27
creto proemiali de Sanctiſſimo Sacramen- „
to Euchariſtiæ in calce ſic loquitur. -- „
Omnibus Chriſti-Fidelibus interdicit (Sa- „
croſancta Synodus) ne poſthac de San- „
ctiſſima Euchariſtia aliter credere, doce- „
re, aut prædicare audeant &c. -- Ergo Eccleſia, præcipit actum internum ſic credenti, & prohibet actum internum aliter credendi &c.

Probatur II. Finis poteſtatis Legiſlativæ, quàm Chriſtus Dominus Deus immediatè contulit Eccleſiæ, eſt, ut paſcat, regat, & dirigat oves ſuas in ordine ad finem ſupernaturalem, per viam ſalutis æternæ, ad Patriam Cœleſtem conſequendam; ſed ad hunc finem magis conducunt actus interni Virtutum, quam actus externi; 28

Ergo cum fundamento concedenda, & conceſſa eſt Eccleſiæ poteſtas directa, & directiva actuum internorum noſtrorum.

29 Probatur III. De his poteſt Eccleſia Legem, vel præceptum facere, de quibus poteſt judicare. Sed Eccleſia poteſt judicare de occultis, & internis, actibus: quia ejus Juriſdictio in foro *Poli*, ſeu in foro interno conſcientiarum ſe extendit, utpotè Spiritualis, & Divina, ad judicandos actus etiam merè internos; ſi enim Eccleſia non haberet hanc ampliſſimam juriſdictionem, non præciperet, vel prohiberet actus merè internos: & ejus poteſtas non diſtingueretur à poteſtate merè humana, & Civili, quod patet eſſe falſum, & abſurdum; quia Chriſtus promiſit, & dedit Petro, ejuſque Succeſſoribus *Claves Regni Cœlorum*; ergo &c.

30 *Dices*: Quare dicitur, quòd *Eccleſia non judicat de occultis?* ℞. Hoc verificatur quoad *Forum Fori*, ſeu quoad Judicium contentioſum: non autem quoad *Forum Conſcientiæ*, & Judicium ſpirituale Animarum; Etenim Eccleſia de facto præcipit multa, quæ jam præcepta ſunt de Jure Divino circa actus merè internos, ut patet in multis Conciliis Generalibus, Canonibus Bullis, Decretis & Declarationibus Pontificiis; ergo judicat etiam de occultis; Nam poteſtas ejus ſe extendit ad ea omnia, quæ conducunt nos ad vitam æternam, & ad Regnum cœleſte.

31 ℞. *IV.* Eccleſia Dei præcipit, & prohibet de facto actus mixtos ex internis, & externis directè, & per ſe. Quia de facto præcipit annuam Confeſſionem fidelem, ideſt, validam, Communionem Paſchalem devotam, & reverentem: Recitationem attentam, & devotam Horarum Canonicarum, Miſſæ auditionem religioſam, Miſſas celebrandas, & applicandas dantibus ſtipendia, & multa ſimilia; ſed in his præcipiuntur actus mixti ex internis, & externis, nam *Confeſſio valida* importat actum externum manifeſtationis criminum, & actum internum contritionis, vel attritionis: *Communio devota* importat actum internum diſpoſitionis neceſſariæ, & externum ſumptionis Euchariſtiæ: *Recitatio devota Officii* importat internam attentionem, & externam prolationem Orationis: *Miſſa applicanda* importat celebrationem externam, & applicationem internam: *Miſſa audienda religiosè* importat externam aſſiſtentiam, & internam religioſitatem, ſeu attentionem, & motum in cultum Divinum: & ſic de cæteris: ergo &c. Et conſequenter Eccleſia præcipiendo actum mixtum, præcipit & internum, & externum directè &c. Vide *Joannem de Cardenas, diſſer. 34. per totum ſuper propoſitionem quinquageſimam quintam damnatam ab Innocentio XI.*

32 Unde optimo jure damnata fuit ab Alexandro VII. hæc propoſitio, quæ eſt decima quarta: -*Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* -- Et ab Innocentio XI. hæc, quæ eſt quinquageſima quinta. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

Quæro IX. *Lex humana ſive Eccleſiaſtica, ſive Civilis poteſtne obligare nos etiam cum periculo mortis.*

33 ℞. Negativè. Ratio eſt, quia Lex humana debet contemperari, & adaptari viribus naturæ, & conditioni humanæ: ſed hoc non fieret, ſi talis lex obligaret homines cum periculo vitæ, aut alterius gravis, & notabilis incommodi, aut detrimenti vitæ: ergo &c. Tum quia talis Lex redderetur moraliter impoſſibilis: & *quod non eſſet licitum ex tali Lege, neceſſitas faceret licitum*: ut habetur ex quarta Regula Juris in Quinto Decretalium: *Et nemo poteſt ad impoſſibile obligari*: ut docet ſexta Regula Juris in Sexto; ergo talis lex non obligaret; Nam Leges humanæ non ſolent cum tanto rigore obligare &c. ergo regulariter non poſſunt &c.

34 ℞. *II.* Si obſervantia talis Legis eſſet neceſſaria ad maximum bonum Reipublicæ obtinendum, vel conſervandum; tunc obligaret etiam cum periculo vitæ. Quia conſervatio boni maximi Communitatis præferenda eſſet bono vitæ privati hominis illius Communitatis.

35 ℞. *III.* Si violatio Legis, vel præcepti Eccleſiæ Catholicæ cederet in contemptum Fidei, vel Religionis, tunc Lex eſſet obſervanda etiam cum periculo vitæ corporalis. Quia tunc obligatio proteſtandi Fidem Divinam, & Religionem Catholicam urget etiam cum periculo vitæ; nam magis æſtimanda eſt defenſio Religionis Divinæ, quàm vita noſtra. Et ſi quis ex tali motivo, aut cauſa mortem eligeret, & ſuſtineret, Martyr Chriſti foret.

Quæro X. *Peregrini teneanturne obſervare Leges Civitatum, per quas tranſeunt?*

℞. Si

Digitized by Google

36 ℞. Si eis ſufficienter innoteſcant tales Leges, utique tenentur eas obſervare; quia quilibet adſtringitur obedire Superioribus ſuis actualibus; ſed Peregrini, Advenæ, & Vagabundi per illud tempus, quo morantur in Civitate aliqua, evadunt ſubditi, & ſubjecti Superioribus tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus illius Civitatis; ergo &c.

Quæro XI. *Ad ſatisfaciendum Legi, ſeu Præcepto, requiriturne intentio formalis ſatisfaciendi, dum opus injunctum exercetur?*

37 ℞. Minimè. Ratio eſt, quia Lex præcipit tantùm voluntariam, & liberam operis injuncti executionem: non autem intentionem reflexam, vel directam ſatisfaciendi; ergo ſufficit, ut quis intendat facere id, quod eſt præceptum. V. G. audire Miſſam, jejunare &c. Ex qua Doctrina reſolves hunc Caſum. Titius immemor diei Feſti audit Miſſam, qua audita, recordatur Feſtivitatis, & habet commoditatem audiendi aliam Miſſam; teneturne hanc ſecundam audire cum intentione ſatisfaciendi? ℞. Quòd non: quia per primam Miſſam jam implevit opus præceptum, ad quod non requiritur intentio directa, vel reflexa ſatisfaciendi. Ita D. Thomas, Suarez, Vaſquez, Sanchez, Azor, Leſſius, Henriquez, Filliucius, & alii citati à Buſembao *libr.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. Layman *libr.* 1. *tract.* 4. *capit.* 4. *num.* 6. & 7. qui addit: Eum ſatisfacere præcepto, qui opus præceptum ſecundùm ſubſtantiam rectè præſtat, etſi non habeat voluntatem implendi præceptum, imò contrariam habeat, nempè voluntatem, ſeu intentionem non ſatisfaciendi, intellige pro illo tunc, reſervando aliàs intentionem ſatisfaciendi alio tempore, uti ſæpè ſcrupuloſis contingit. Ratio eſt: quia cùm opus, quod præcipitur, revera impleas, etſi per ignorantiam vel errorem, aut ſcrupulum, te non implere exiſtimes, aut etiam ſcrupuloſè intendas non implere; non potes tamen efficere, quominùs impleas, dum revera illud facis, quod præceptum eſt: Siquidem proteſtatio contraria vim nullam habet. Quæ doctrina notanda eſt pro ſcrupuloſis, qui, cùm videntur ſibi inter orandum diſtracti, Officium, vel partem ejus recitant cum propoſito poſtea repetendi: qui tamen non tenentur repetere; maximè quando diſtractio involuntaria fuit. Ratio ulterior eſt, quia Eccleſia hoc ſolùm præcipit, ut opus humano modo impleatur, quo præſtito, extinguitur obligatio.

Quæro XII. *Qui facit opus præceptum in ſtatu peccati mortalis, ſatisfacitne præcepto?*

℞. *I.* Quòd ſic. Ratio eſt, quia ſtatus Gratiæ, ſeu habitus Charitatis requiritur quidem ad merendum de condigno, non verò ad ſatisfaciendum aliis præceptis ſive Divinis, ſive humanis; nam homo ſine Charitate, vel Gratia habituali ſantificante poteſt exercere actus aliquarum virtutum; ergo poteſt exercere actum Virtutis Obedientiæ faciendo id, quod præcipitur, quo facto, impletum eſt præceptum, eique ſatisfactum eſt. Tum quia Lex intendit præcipere ſubſtantiam operis boni in genere, non autem modum virtutis, nec opera formata ex Charitate: ut docet Maſtrius Moral. *diſp.* 11. *num.* 12. cum communi, ergo ſtatus Gratiæ, vel habitus Charitatis non cadit ſub præcepto abſoluto univerſæ Legis Divinæ; ita ut teneatur homo ſemper ex Charitate operari. Tum quia, ſi ad implenda præcepta, vel ad ſatisfaciendum præceptis Divinis, & humanis requireretur ſtatus, vel habitus Gratiæ, ſequeretur, quòd peccator non ſolùm non ſatisfaceret faciendo opera injuncta, ſed peccaret mortaliter, vel venialiter in omni opere, quod faceret, quantumcumque eſſet de genere bonorum moralium. Sed hoc eſt inconveniens, imò erroneum: & damnatum à Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 7. ergo &c. Unde damnatæ fuerunt jure merito hæ propoſitiones ab Alexandro VIII. *num.* 8. *Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare*: & numer. 11. *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* 38

39 ℞. *II.* Aliquibus tamen præceptis nequit ſatisfieri niſi ex Charitate ſeu in ſtatu Gratiæ. Ut eſt illud primum, & maximum: *Diliges Dominum Deum tuum*; quia hoc præceptum in ſua ſubſtantia includit Charitatem, ſeu Gratiam, & amicitiam ipſius Dei ex parte diligentis. Et qui non habet Charitatem Dei, poteſt cum Divino auxilio ſe diſponere ad illam habendam, qua diligat Deum ſupernaturaliter. Et ſunt aliqua præcepta Divina-Eccleſiaſtica, quæ præcipiunt modum, & finem actus, qui finis, quique modus includunt ſtatum Gratiæ: ſicque non poſſunt adimpleri

niſi

Digitized by Google

niſi ab habente Charitatem, vel Gratiam, ut ſunt V. G. Sumptio Euchariſtiæ, Celebratio Miſſæ, Adminiſtratio Sacramentorum. &c.

Quæro XIII. *Qui invitus, vel coactus ponit actum, vel opus præceptum, ſatisfacitne Legi, vel Præcepto?*

40 ℞. I. Si ſimpliciter, & abſolutè fuerit invitus, & coactus, non ſatisfaciet; Quia talis coactio tollit voluntarium, & liberum, ſine quo Lex, aut præceptum nec impleri, nec violari poteſt. Et ſic V. G. Si Titius vi retentus in Eccleſia die Feſto Miſſæ interſit, aut jejunet in Quadrageſima per meram vim, non ſatisfacit præcepto audiendi Sacrum, aut jejunandi. Tum quia talis homo habet affectum internum pravum adversùs Legem Eccleſiæ; nam ſi ſuæ relinqueretur libertati non audiret Miſſam, vel non jejunaret; ergo committit peccatum internum contra Religionem reſpectu Miſſæ, vel contra Temperantiam præceptam ab Eccleſia reſpectu Jejunii: ut habetur *ex cap. Nulli, d. 19.* ibi: *Nulli fas eſt, vel velle, vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta.* Qua ſimili ratione etiam quis peccaret, quando poſt impletionem præcepti eum pœniteret ſine causâ juſtâ, quòd Miſſam V. G. audierit, aut jejunaverit.

41 ℞. II. Si verò non fuit ſimpliciter invitus, ſed tantùm ſecundùm quid: V. G. quia metu (quamvis gravi adductus) opus, quod in præcepto erat, implevit, tunc ſatisfecit. Ratio eſt, quia metus non tollit voluntarium, ac liberum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. V. G. Cajus puer commotus metu pœnæ à Patre, Miſſam die Feſto attentè & integrè audit, vel confitetur validè in Hebdomada Majori Quadrageſimæ, ſatisfacit &c. Licèt antè peccaverit prava illa affectione non audiendi Miſſam, aut confitendi.

Quæro XIV. *Poteſtne impleri præceptum per opus ex aliqua tantùm circumſtantia malum?*

42 ℞. I. Quando Lex, vel Legislator intendit præcipere ſolam ſubſtantiam actus, vel operis, (uti contingit ferè in omni Lege, vel præcepto) tunc poteſt impleri etiam per opus ex alia circumſtantia malum, dummodò præſtetur, ſeu ponatur opus præceptum, quatenus bonum ex objecto, ſeu ſecundùm ſpeciem ſuam. Ut V. G. Titius jejunat etiam ex causa vanagloriæ, aut oblectamenti gulæ in eſu piſcium: ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico; peccat tamen ſaltem venialiter contra Legem Divinam, aut naturalem ob illam circumſtantiam malam vanitatis, aut vitii gulæ. *Satisfacit*: quia ponit actum, vel opus ex ſua ſpecie bonum, & præceptum quoad ſubſtantiam jejunii, quia contentus eſt unica in die refectione abſque carnibus, & lacticiniis.

Dices. Eccleſia præcipit jejunium ad vitia comprimenda, & carnem rebellem macerandam: ſed Titius ille ſic jejunando, vitium nutrit, & carnem; ergo videtur non ſatisfacere &c. ℞. Finis, vel modus virtutis, ſeu intentio, ac finis Legislatoris, aut Legis merè humanæ (imò quandoque & Divinæ) non cadit ſub præcepto, ut docet D. Thomas 1. 2. *qu.* 100. *art.* 9. & 10. Quia modus, aut finis ſic agendi ex virtute, ſeu ex intentione, & amore virtutis eſt quid intrinſecum pertinens ad perfectionem, non verò ad eſſentiam operationis præceptæ: ergo ſine tali fine, aut modo poteſt haberi obſervantia Legis, vel præcepti. Ideoque Titius eſſentialiter jejunat, & ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: etſi aliunde peccet, ut diximus. 43

Ex hac doctrina multos reſolves Caſus practicos. V. G. *Cajus* audit Miſſam, ſed pergit ad Eccleſiam animo pravo videndi Amaſiam, aut ut videatur, & laudetur ex novis, pulchriſque veſtibus &c. dummodò attentè Miſſam auſcultet, ſatisfacit &c. — *Sejus* dat eleemoſynam puellæ extremè indigenti ad ſublevandam illius neceſſitatem, & ſimul ad illam ſeducendam, ſatisfacit præcepto naturali Divino &c. — *Berta* jejunat totam Quadrageſimam ex motivo avaritiæ, ut ſumptibus parcat: ſatisfacit &c. — *Aphrodiſia* reddit debitum conjugale viro ſuo ob finem pravum: ſatisfacit obligationi naturali Juſtitiæ &c. — *Malchus* Parochus celebrat in ſtatu peccati mortalis diebus Feſtis, & applicat Miſſas Populo ſuo; ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de auditione Miſſæ, & Divino mandato quoad applicationem. Et ſic de ſimilibus plurimis. Licèt unuſquiſque aliunde peccet pro qualitate circumſtantiæ, vel modi, vel finis pravi contra aliud præceptum, aut aliam virtutem: ut de ſe patet. 44

℞. II. Quando Lex, vel præceptum Divinum, vel Eccleſiaſticum — Divinum, præcipit directè ſubſtantiam, & modum, & finem actus, ſeu operis, tunc ſi circumſtantia 45

ſtantia mala, quæ additur, ſit contra dictum modum, vel finem præceptum, non impletur mandatum, nec ſatisfit præcepto. V. G. Eccleſia mandat, vel præcipit annuam Confeſſionem validam: huic præcepto non ſatisfit per Confeſſionem voluntariè invalidam; quia præcipitur etiam finis Confeſſionis, & modus catholicus confitendi. Finis eſt, ad effectum Sacramenti, qui eſt gratiæ recuperatio, obtinendum. Modus eſt, ut eum prævio examine diligenti, cum vero dolore ſupernaturali confitearis integrè omnia mortalia &c. — Eccleſia præcipit Communionem Paſchalem reverenter factam. Non ſatisfacies, communicando ſacrilegè: quia præcipitur etiam modus, qui eſt, ut dignè communices. Præcipit devotam recitationem Officii Eccleſiaſtici: Non ſatisfacies per recitationem materialem cum voluntariis diſtractionibus &c. Deus præcipit: *Honora Patrem tuum in opere, & ſermone, & patientia*: Eccli. c. 3. Non ſatisfacies honorando in ſermone tantùm Parentes tuos. Deus mandat, ut remittamus offenſam nobis factam, & *ex corde remittamus*. Matth. c. 18. Non ſatisfaciet quis remittendo verbo tantùm, aut ſcripto; Et ſic de multis ſimilibus. Ratio eſt, quia tunc modus, & finis horum præceptorum tranſeunt ſub præcepto, & includuntur in ſubſtantia rei præceptæ, & directè præcipitur non ſolùm opus, ſed & modus, aut finis operis; quia præcipitur actus ſic, vel ſic circumſtantionatus, nempè qualificatus tali, vel tali circumſtantia modi, aut finis.

Quæro XV. *Leges, vel præcepta debentne impleri voluntariè?*

46 R. Quòd ſic. Quia Leges, & præcepta homini imponuntur, ut ea humano modo homo impleat: quare ſicuti opus præceptum violari non poteſt; niſi per actum, vel omiſſionem humanam, nempè deliberatam, ac liberam; ita neque impleri. Unde ſi quis ebrius, vel dormiens, aut mentis impos recitaret Horas Canonicas, vel Miſſam die Feſto audiret, non ſatisfaceret præcepto.

Quæro XVI. *Poteſtne quis uno, eodemque actu pluribus ſatisfacere præceptis?*

47 Cum diſtinctione: Si illa plura præcepta obligent ſub eodem formali motivo, dico, quòd ſic V. G. Clericus Subdiaconus, & ſimul Beneficiarius eodem Officio ſatisfacit & præcepto Eccleſiæ, & obligationi Beneficii: nam hæc duo præcepta obligant ſub uno, eodemque motivo formali, nempè ex motivo Religionis. Et quando die Dominica occurrit Feſtum aliud de præcepto, fideles unicam audiendo Miſſam utrique ſatisfaciunt præcepto. Idem dic de Jejunio Quatuor anni temporum, ac vigiliæ alicujus Apoſtoli eodem die &c. & de ſimilibus. — Si autem illa plura præcepta obligent ſub diverſo motivo formali, vel ex diverſa virtute: tunc nequit ſatisfieri ipſis per unum, eumdemque actum. V. G. Titius ex virtute juſtitiæ tenetur ſolvere Cajo quinquaginta nummos aureos, ſi ei donaret equum tanti valentem titulo gratitudinis ob magnum receptum beneficium, non ſatisfaceret debito ſuo. Cajus ex pœnitentia Sacramentali tenetur audire tres Miſſas; non ſatisfaciet audiendo Miſſam ordinariam diei Feſti; quia diverſa eſt obligatio præcepti Eccleſiæ, ac obligatio Confeſſionis, ſeu ſatisfactionis Sacramentalis. Tum quia alia eſt mens, vel intentio Eccleſiæ, & alia Confeſſarii obligantis &c. Idem dicendum erit de ſimilibus.

Quæro XVII. *Poteſtne quis eodem tempore per diverſos actus ſatisfacere duplici præcepto?*

R. Cum diſtinctione: Si unus actus ſit 48
compoſſibilis cum alio, nec alterum moraliter impediat, *dico, quòd ſic*: Quia regulariter diverſitas temporum non præcipitur talibus actibus. Unde poterit quis eodem tempore audire Miſſam de præcepto, & ſimul recitare Horas Canonicas, aut alias preces voto, aliove præcepto debitas, uniendo ſuas Orationes cum Oratione Sacerdotis celebrantis, mentemque in Deum dirigendo &c. — Si autem unus actus impediat phyſicè, vel moraliter alterum, tunc *dico, quòd non*. Unde non poteſt quis V. G. tempore Miſſæ de præcepto confiteri Sacramentaliter; nam attentio Confeſſionis omninò impedit attentionem Miſſæ; niſi parvitas temporis, aut neceſſitas tunc confitendi excuſet &c.

Quæro XVIII. *Quinam obligantur Legibus?*

R. *I.* Legi Naturali omnes, & ſingu- 49
li homines mentis, & rationis compotes obligantur. Quia hanc Legem nemo poteſt ignorare, cùm ſcripta ſit in cordibus noſtris, ut videbimus Tract. 6. R. *II.* Legi Divinæ poſitivæ novi Teſtamenti obligantur omnes Chriſtiani; & Infideles tenentur

nentur eam acceptare, quando ſufficienter eſt eis prædicata, & intimata. ℞. *III.* Legi Eccleſiæ obbligantur omnes Baptizati; quia per Baptiſmum evaſerunt ſubjecti Eccleſiæ; unde etiam Hæretici tenentur in conſcientia obedire præceptis Eccleſiæ.

℞. *IV.* Legibus, & præceptis Eccleſiæ pueri fideles ratione utentes tenentur obedire in iis, quorum materia eorum ætati eſt conveniens. Unde tenentur ad annuam Confeſſionem, ad auditionem Sacri, & ad abſtinentiam à carnibus die jejunii, & aliis diebus prohibitis, & quidem quoad culpam; Legibus autem Eccleſiaſticis quoad pœnas, & Cenſuras non tenentur niſi ſint *Puberes*, ideſt, maſculi poſt decimum quartum annum completum, & fœminæ poſt duodecimum, *qui ante hanc ætatem impuberes vocantur*. Ita Navarrus, Henriquez, Azor, Sotus, Sanchez, Vaſquez, Sà, Buſembaus, Tamburinus, Anacletus, Suarez, Layman, & alii DD. Circa tamen ultimum Reſponſum *quoad pœnas, & cenſuras* eſt controverſia inter citatos, & alios DD. Sed mihi placet opinio negativa jam ſcripta, quam docent Tamburinus cum aliis, Buſembaus cum aliis, & Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 10. n. 6.* cum Soto, Vaſquio, Ugolino, & Suario citati ab ipſo; Quia eorum ætas, nempè ante pubertatem, non cenſetur ſufficiens ad tales pœnas incurrendas, nec ad Ordinem Judiciarium intelligendum, & ſuſtinendum. Tum quia adſunt deciſiones, & Jura, quæ eximunt pueros impuberes ab his pœnis ob defectum ætatis.

Quæro XIX. *Ubinam locorum Leges obligant?*

℞. *I.* Leges Naturalis, Divina, & Ec-
50 cleſiaſtica, ſeu Papalis, vel Canonica ubique locorum obligant; Quia Poteſtas Legiſlativa Naturæ, Dei, & Eccleſiæ ſe extendit per univerſum Orbem. ℞. *II.* Leges humanæ obligant Cives, & ſubditos in Territorio tantùm Legiſlatoris. Quia extra Territorium jus dicenti impunè non paretur. Idem eſt de Legibus, ſeu ſtatutis Synodalibus Epiſcoporum, quæ obligant ſolùm in eorum Diœceſibus; ut habetur *ex cap. Ut Animarum, de conſtitut. in 6.*

Quæro XX. *Lex pœnalis quomodo obligat?*

51 ℞. Obligat delinquentes, & reos juſtè condemnatos ad ſubeundas, ſaltem paſſivè, pœnas à Judice, vel Legiſlatore impoſitas, ita, ut non poſſint ſine peccato reſiſtere Miniſtris executoribus, eos offendendo. Quia ſi juſtè quis condemnatus eſt ad talem pœnam, ex juſtitia debet puniri, & pœnam ſubire; ergo reſiſtentia non eſt juſta; nam *qui poteſtati reſiſtit* (quando juſtè, & juſta præcipit) *Dei ordinationi reſiſtit*: ut dicit Apoſtolus ad Rom. 13.

Quæro XXI. *Quid eſt abrogatio Legis?*

℞. Eſt caſſatio ejuſdem Legis in to- 52
tum, quoad vim obligandi, quam habuerat, ex voluntate Legiſlatoris; ad differentiam derogationis, quæ eſt caſſatio Legis ex parte tantùm, reliqua parte remanente in ſuo vigore &c. Abrogatio autem, & derogatio fit, vel per ſimplicem actum Legiſlatoris manifeſtatum, & promulgatum, vel per conſtitutiones novas, contrarias prioribus; quia *poſteriora jura derogant prioribus, quando illis ſunt contraria*.

Quæro XXII. *Quid eſt diſpenſatio Legis?*

℞. Eſt juris relaxatio in caſu particulari 53
facta à legitimo Superiore; quando ſcilicet Superior eximit aliquem ab obligatione Legis, ad quam erat obligatus, remanente Lege pro cæteris ſubditis. Dixi, *à legitimo Superiore facta*: quia nulli inferiori licet, in Lege Superioris diſpenſare, diſpenſatione propriè capta, niſi ex Delegatione ipſiuſmet Superioris; nam Lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt, in totum, vel in partem. Ad juſtam autem, & licitam diſpenſationem requiritur cauſa rationabilis; alioquin Diſpenſans peccat, licet diſpenſatio remaneat valida. Loquimur hic de humana Lege, ſive Eccleſiaſtica, ſive Civili.

Quæro XXIII. *Si diſpenſatio aliqua poſtulata, & impetrata fuiſſet ex falſa cauſa, valeretne?*

℞. Minimè valeret. Quia eſſet facta 54
præter intentionem, imò contra voluntatem Superioris, qui deceptus fuit per dolum petentis &c. nam voluntas diſpenſandi ex parte Superioris ceſſat, quando cauſa, qua movebatur ad diſpenſandum, non ſubſiſtit; ergo &c.

Quæro XXIV. *Quid eſt interpretatio Legis?*

℞. Eſt explicatio verborum Legis, & 55
mentis Legiſlatoris: & eſt triplex; I. *Authentica*, quæ fit ſola voluntate, vel auctoritate Legiſlatoris, aut ab Æquale, vel Superiore in poteſtate, vel ex ejus commiſſione; Et hæc Interpretatio habet vim Legis: de qua dicitur, ejus eſt interpretari, cujus eſt condere Legem, ſcilicet Authenticè. II. *Uſualis*, quæ fit per uſum,

& con-

& conſuetudinem, quæ ideò dicitur, Optima Legum Interpres; Et hæc etiam vim magnam habet, tamquam ſi eſſet Lex. III. *Doctrinalis*, quæ fit per ſimplicem explicationem verborum Legis, ſecundùm illorum ſenſum, & proprietatem naturalem; aut civilem à Juriſperitis; Et hæc non habet vim Legis, ſed pendet à Judicio Doctorum, & Peritorum in tali materia, & cauſat ſolam opinionem.

Quæro XXV. *Quid eſt Epi- eja?*

56 ℞. Eſt benigna, ac prudens Legis interpretatio, qua judicamus, Legem talem non obligare in aliquo caſu particulari ob circumſtantias ſpeciales nunc occurrentes, quibuſcum non creditur Legislator voluiſſe, aut potuiſſe comprehendere talem caſum, vel quia in eo ceſſat ratio, aut finis Legis, vel quia obſervatio Legis in hoc caſu eſſet periculoſa, aut pernicioſa ipſi ſubdito. Eſt autem licitum, & quandoque neceſſarium uti Epikeja, ſicque agere præter, aut contra verba Legis humanæ; & eam interpretari, vel emendare. Ratio eſt: quia Sacri Canones *cap. Humanæ aures*: docent, quòd non debet aliquis verba Legis conſiderare, ſed intentionem, ac voluntatem Legislatoris, quia non debet intentio verbis inſervire, ſed verba intentioni. -- Tum quia Leges ipſæ tam Civiles, quàm Canonicæ admittunt hæc *Axiomata*:

Nonnulla utriuſque Juris Axiomata.

57 Impoſſibilium nulla eſt obligatio.

Impoſſibilium, & valdè difficilium idem eſt judicium.

Impoſſibilitati æquiparatur difficultas magna.

Interpretatio in dubio facienda eſt, ne abſurdum ſequatur.

In pœnis benignior eſt interpretatio, facienda.

Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

Potior debet eſſe ratio æquitatis, quàm ſtricti juris.

Abſurdum in omnibus ſemper eſt vitandum.

Æquitas, ac benignitas præfertur rigori.

Afflictio non eſt addenda afflicto.

Ambiguis in rebus, quod minimum eſt, ſequimur.

Dubietas in meliorem partem eſt interpretanda,

Conceſſum, vel permiſſum cenſetur, quidquid expreſsè prohibitum non eſt.

Conceſſo uno, conceduntur omnia neceſſariò ad illud.

Illatio non fit à diverſis cauſis, & rationibus.

Jura juribus expedit concordari.

Jura promptiora ſunt ad liberandum, quàm ad condemnandum.

Nemini facit injuriam, qui Jure ſuo utitur.

Lex, quæ æqua, & ſancta non eſt, nulla eſt.

Lex ſi voluiſſet, expreſſiſſet.

Ceſſante ratione Legis, ceſſat quoque ejus diſpoſitio.

Media via ſemper eſt eligenda: intellige de opinionibus.

Neceſſitas non habet legem.

Nemo ad impoſſibile tenetur.

Nemini eſſe debet damnoſum officium ſuum.

Pœna correſpondere debet culpæ. Pœna præſuponit culpam.

Poſſe aliquid, dicimur, quod commodè poſſumus.

Non ſufficit aſſerere, ſed probare oportet.

Proibitum uni, aliis cenſetur conceſſum.

Proibitum ad tempus, poſtea videtur permiſſum.

Ratio eſt anima Legis.

Ubi eſt eadem ratio, ibi eadem juris diſpoſitio: intellige in favorabilibus, non in odioſis.

Una ratio tantùm operatur, quantùm mille.

In dubio adhærendum eſt Regulæ generali.

Subtilitas nimia veritatem lædit.

Subtilizare in rebus claris, eſt errorem quærere.

Taciti, & expreſſi idem eſt judicium.

Vim vi repellere, licet.

Quod non eſt licitum in Lege, neceſſitas facit licitum.

Contra eum, qui Legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.

Nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori inter-

interpretatione contra ipſorum commodum, perducamus ad ſeveritatem. -- *Ex Barboſa. Tract. Axiomata.*

Nonnullæ ſententiæ Theologorum antiquorum.

58 Auſteritas terret homines: benignitas autem melius trahit ad ſalutem. *Humbertus.*

Non ſis nimis pronus ad judicandum hoc, vel illud eſſe mortale, ubi non conſtat eſſe tale; nec ſis pronus ad opinionem rigidam. *B. Raymundus.*

Opinio benignior, cæteris paribus, eſt tenenda. *Gloſſator Raymundi.*

Securum eſſet, ſic facere (favendo Legi incertæ,) ſed durum eſt, aſſerere, quod ad hoc teneamur. *Durandus.*

Præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. *Scotus.*

Quando aliqui DD. dicunt, dari præceptum, aliqui verò dicunt, non dari: Tu ſequere id, quod tibi mitius videtur. *Scotus.*

Videtur rationabiliter ſentiendum medium. Præſumendum eſt de benigna interpretatione. *Aſteſanus.*

Secundùm Epikeiam, præcepta Dei, & Eccleſiæ, ac Prælatorum benigniter interpretari poſſumus. *Nider.*

Nec Deus, nec Eccleſia intendit per ſua præcepta obligare ad vix poſſibile alicui. *Nider.*

Præcepta Juris poſitivi non ſe extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ intentio eſt finis præcepti: hæc autem eſt Charitas. *D. Thomas.*

Illud eſt impoſſibile judicandum, (ſecundùm virtutem Epikeiæ in Lege nova, quæ eſt perfectæ libertatis) quod non ſolùm eſt impoſſibile abſolutè, ſed etiam quod vix eſt poſſibile, utpotè nimiam habens difficultatem; aliàs non apparet: quomodo intelligi poſſit illud Chriſti Domini conſolatorium dictum: *Onus meum leve*: quomodo enim leve dicitur, quod multùm, aut nimis difficile dicitur? *D. Antoninus.*

Quid ergo dicendum erit de Lege humana? Quod dicunt omnes T. T. *Non obligat cum tanto rigore &c.* Benigniùs Leges humanæ interpretandæ ſunt, ut ſic faciliùs obſerventur; aliàs nimis arctatur via Salutis, reddendo difficilia præcepta Legis. *D. Antoninus.*

Quæro XXVI. *Quid eſt Conſuetudo?*

℟. Conſuetudo (prout in præſenti materia accipienda eſt) nihil aliud eſt, quàm jus non ſcriptum, quod ex continuo uſu receptum eſt. -- Effectus Conſuetudinis eſt triplex; ſcilicet I. Abrogare Legem. II. Facere Legem. III. Interpretari Legem humanam; nam Conſuetudo vera abrogat veterem Legem, novam inſtituit, & explicat dubiam. Ad hæc autem præſtanda requiruntur iſtæ conditiones: I. Conſenſus tacitus, vel præſumptus Legislatoris. II. Cauſa rationabilis. III. Materia idonea Legis. IV. Actus publici majoris partis Communitatis. V. Tempus continuum legitimæ præſcriptionis. -- *Quoad hanc ultimam conditionem* Jus Civile non requirit, niſi decennium; Jus autem Canonicum requirit quadraginta annos. *Quoad quartam conditionem* ſufficiunt duo actus Judiciales: & ubi iſti non ſunt, requiruntur plurimi actus privati, & publici per ſimplicem uſum frequentem, & manifeſtum. *Quoad tertiam*, materia, in qua fit conſuetudo legitima, debet eſſe honeſta, & utilis Communitati. -- *Quoad ſecundam*, cauſa rationabilis eſt, quæ non eſt contraria Legi Naturæ, aut Divinæ. -- Et tandem *quoad primam conditionem*, *dicendum eſt*, *quòd* 59

Triplex poteſt dari conſenſus Legislatoris humani, I. Eſt *expreſſus*, quando ſcilicet Superior ſciens, aliquem uſum introduci in ſuo populo, illum explicitè approbat, vel laudat. II. Eſt *tacitus*, nempè quando Superior ſcit, introduci talem uſum contra aliquam ſuam Legem, & tamen ſilet, nec contradicit, cùm commodè poſſet loqui, & contradicere. III. Eſt *juridicus*, quando nimirùm Superior in communi, & generali forma approbavit Conſuetudines legitimè introductas, non deſcendendo ad hanc, vel illam in particulari. Sufficit unus ex iſtis &c. 60

Quæro XXVII. *Quænam eſt materia gravitas, obligans ſub culpa gravi?*

℟. *I.* Gravitas materiæ eſt qualitas obligans ſub gravi culpa; quæ quidem attenditur vel à natura rei præceptæ, aut prohibitæ, quæ videlicet redundat in grave præjudicium communitatis, ſi fiat, aut permittatur; vel in grave detrimentum, ſi non fiat. *Si fiat*, intellige de re prohibita. *Si non fiat*, intellige de re præcepta. Vel attenditur à gravitate circumſtantiarum. Vel à gravitate pœnæ, quæ comminatur. 61

natur. Vel tandem à gravitate formulæ verborum, qua abſolutè hoc præcipitur, aut prohibetur juxta uſum, aut conſuetudinem peritorum, & timoratorum.

62 ℞. *II.* Quando è contra materia eſt levis, non poteſt præcipi, nec proiberi, niſi ſub culpa levi; quia res parva eſt incapax talis, & tantæ obligationis, quæ culpam gravem importet; Tum quia nec ipſe Deus in materia parva ſolet ſub mortali obligare. Leſſius, Salas, Suarez, Buſembaus, Navarrus, Joan. Medina, & Laymannus *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 14. *n.* 2. qui dicit, omnes DD. ita ſentire.

Quæro XXVIII. *Quid eſt Privilegium?*

63 ℞. *I.* Privilegium nomen ſumpſit à privatione Legis: ideò dicitur quaſi *privatio Legis:* quia concedit, ut aliquid fiat contra, vel præter communem Legem, à cujus obligatione eximit privilegiatos. ℞. *II.* Privilegium ſic deſcribitur: Eſt lex privata ſpeciale aliquid indulgens. Nam per ipſum gratia, ſeu favor conceditur privilegiato, quæ non conceditur Communitati: unde Privilegium in hoc mutat Legem.

Quæro XXIX. *Quotuplex eſt Privilegium?*

64 ℞. *I. Reale*, quod conceditur directè alicui rei, & prædio, Monaſterio, Eccleſiæ vel Statui; quod vocatur etiam *Locale*, quando ſe extendit ad omnes habitatores unius Civitatis, vel Provinciæ &c. *II. Perſonale*, quod directè datur alicui Perſonæ ratione ſui ut ſi V. G. Paulus eximatur à Decimis, à Tributis &c. Hoc perſonam ſequitur, & cum perſona extinguitur. Illud verò, nempè *Reale*, ſeu *Locale* de ſe eſt perpetuum, ſicuti res, vel locus, cui adnectitur. Si autem alicui Perſonæ concedatur Privilegium ràtione dignitatis, vel Officii, tunc tranſit in Succeſſorem, ut V. G. Epiſcopo, Prælato, Abbati &c. *III. Gratioſum*, quod gratis, ſeu abſque meritis ex parte privilegiati conceditur. *IV. Remunerativum*, quod datur ex meritis perſonæ. *V. Favorabile*, quod nemini fert incommodum *VI. Odioſum*, quod, dum favet privilegiato, nocet aliis.

Quæro XXX. *Privilegium ceſſatne poſt mortem Concedentis?*

65 ℞. Quòd non. Quia juxta Regulam 16. Juris in Sexto: *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Unde reſolves hos Caſus. Papa conceſſit alicui Epiſcopo aliquod Privilegium, & antequàm Epiſcopus uſus fuiſſet tali gratia, mortuus eſt Papa. Utrùm per mortem Papæ ſit extinctum tale Privilegium? ℞. Quòd non: ob rationem illius Regulæ. -- Sacerdos fuit ab Epiſcopo appiobatus pro audiendis Confeſſionibus, & obtinuit etiam facultatem in reſervata peccata: moritur Epiſcopus; manetne tota illa licentia? ℞. Quòd ſic: ob rationem dictam in Regula Juris. Et ſic de ſimilibus.

Quæro XXXI. *Quandonam ceſſat Privilegium?*

℞. *I.* Ceſſat, quando privilegiatus renun- 66
ciat tali Privilegio; quia dum datur in gratiam, & favorem, non in gravamen illius, non cogitur ille, uti tali Privilegio, modò ſit perſonale; Nam ſi ſit reale, & generale, V. G. conceſſum ſtatui, aut Religioni, nullus particularis illius ſtatus, vel Religionis poteſt tali Privilegio cedere, aut renunciare; Sicque Clericus non poteſt renunciare Privilegio Fori, & Canonis, nec Regularis Privilegio ſuæ Religionis. -- ℞. *II.* Ceſſat, vel amittitur Privilegium per delictum privilegiati in uſu, & materia ſui Privilegii; Nam Privilegium meretur amittere, qui permiſſa abutitur facultate. -- ℞. *III.* Ceſſat per revocationem expreſſam Concedentis, vel ejus Succeſſoris in Principatu, & dignitate, qui poteſt ad libitum revocare omnia Privilegia ſuorum Subditorum; At regulariter non revocantur Privilegia ſine juſta cauſa; ſicuti nec regulariter dantur ſine cauſa.

Quæres. An Declarationes Sacræ Congregationis Concilii Tridentini in authentica forma exhibita, & notificata habeant vim Legis?

℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia iſtæ De- 67
clarationes fiunt auctoritativè, nimirùm de mandato, conſilio, & conſenſu Summi Pontificis; declaratio autem Legis facta ab eo, qui habet jus interpretandi talem Legem, non differt ab ipſamet Lege declarata; ut habetur *L. Hominis, & rei, ff. de verb. ſignific. §. Verbum ex legibus*; ergo Declarationes Sacræ Congregationis Concilii Tridentini nil aliud ſubſtantialiter ſunt, quàm ipſamet Decreta Concilii; ac proinde eamdem vim habent, quàm ipſa Decreta, & Leges Canonicæ; & conſequenter non ſunt novæ Leges, ſed ipſæ antiquæ declaratæ. Igitur cùm Decreta Sacroſanctæ Tridentinæ Sinodi habeant vim obligandi in utroque Foro, ita & ipſæ Declarationes Sacræ Congregationis.

Dixi, in authentica forma exhibita & notificata; quia certum eſt, Decreta, ſeu

De-

Declarationes Sacræ Congregationis, ſicut & aliam quamcumque Legem, non habere vim obligandi de facto, niſi de eis conſtet authenticè; ſicut ipſa Sacra Congregatio declaravit in uno Decreto tenoris ſequentis, videlicet:

„ Sacra Congregatio Concilii Tridentini „ ex ſpeciali juſſu Urbani Papæ VIII. mandat, & præcipit, hujuſmodi Declarationibus tam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcriptis, nullam fidem à quoquam eſſe adhibendam in Judicio, vel extrà: ſed tantùm illis, quæ in authentica forma, & ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Domini Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium, munitæ fuerint. Die 29. Aprilis 1621. prout in Regiſtro hujus Congreg. foll. 124.

Idem dicendum de aliis Decretis aliarum Sacrarum Congregationum ob paritatem rationis &c. Vide Examen Confeſſariorum Felicis Poteſtatis *num. 219.* item Theatrum Regularium P. Angeli à Lantuſca *V. Congregatio Conc. Trid.* — P. Marchant. *tom. 2. Tribunalis tract. 1. tit. 8. quæſt. 5. Append. de Promulgatione Legis Eccleſiaſticæ*: ubi dicit:

48 Clarum eſt, Legem Eccleſiaſticam (vel declarationem ejus) legitimè promulgatam non dependere ab acceptatione populi, & conſequenter vim obligandi per ſe habere, quando fuit debitè publicata. Item Manifeſtum etiam eſt, quòd quamdiù per modum Legis obligantis Lex non pervenit ad notitiam ſufficientem perſonarum, pro quibus fertur (vel declaratur,) utpotè quia eis obligatoriè intimata non eſt, actu non obligat, ſive ob ignorantiam, ſive ob defectum ſufficientis intimationis; quia eis obligatoriè intimata non eſt: nempè juridicè, & authenticè non eſt promulgata, & intimata per eos, ad quos ſpectat, vel quibus credere, & acquieſcere obligamur, &c.

Vide etiam Anacletum Reiffenſtuel *in Moral. tract. 2. diſt. 1. nu. 29. & 40.* ubi multos, & graves citat Doctores: — Franciſcum Bordonum *tom. 6.* operum in Propugnaculo Opinionis probabilis, *cap. 5. num. 70.* Lezanam *part. 3. V. Sacra Congregatio, num. 11.* Bonac. *de leg. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 6. num. 4.* Dianam *part. 1. tract. 10. reſol. 29.* — Peyrin. *tom. 1. quæſt. 1. cap. 25. erga finem.* Salas *de leg. tract. 14. diſp. 2. num. 53.* — Suarez *de leg. diſp. 86. ſect. 1.* Epiſcopum Henrincx *de leg. diſp. 3. num. 117.* — Joan. de Boſcho *Theol. Sacram. part. 1. diſp. 2. ſect. 6. num. 36. & part. 2. diſp. 5. ſect. 5. num. 31. ad 33.* — Laymannum *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 3.* — Candidum Brognolum *in Speculo Clericorum, tract. 10. cap. 10. reſol. 4. 5. & 6.* — Antonium de Eſcobar *Univerſ. Theol. Moral. lib. 21. problema. 130. num. 578.* — Filliucium *tractat. 5. num. 174.* — Card. de Lugo *tom. de Euchariſtia diſp. 21. numero 19.* — Vaſquez *diſp. 234. cap. 4. num. 27.* — Illuminatum Moronum *Reſponſ. 93. numero 10. & ſeq.* Portel. *dub. Regul. V. Cardinal. Declaratio num. 1.* — Rodericum *tom. 1. QQ. Regul. quæſt. 11. art. 2.* — Naldum Favent. *V. Parochus num. 19. & alios quos nolo citare brevitatis gratia. Lege, intellige &c.*

TRACTATUS VI.

DE LEGE NATURALI, & Æterna.

1 QUæro I. *Daturne Lex naturæ?* *Reſpondeo*: Non eſt qui neget, aut negare poſſit exiſtentiam Legis Naturæ, niſi ſit de numero illorum inſipientium, de quibus dicebat Apoſtolus Rom. 1. quòd *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum & tenebris obſcuratum habentes intellectum, alieni ſunt à via Dei per ignorantiam.* Etenim de hac Lege loquens D. Auguſtinus *in Pſal. 57.* In ipſis, inquit, cordibus noſtris Veritas ſcripſit. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*; quod etiam diſertè, ac lucidè docet D. Bernardus *lib. 12. de dilig. Deo*, dicens: Homo innatam, nec ignotam ſibi Legem habet, quæ demonſtrat, dictante ratione, quæ facienda, ac profe-

Digitized by Google

ſequenda, quæquæ fugienda ſint; quæm utique Legem habemus ſcriptam in cordibus &c. Et Propheta David Pſal. 4. *Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?* Quæ interrogatio quotidiana eſt ſtultorum, atque impiorum, ut gloſſat Auguſt. Et reſpondet Propheta: *Signatum eſt ſuper nos Lumen vultus tui, Domine*: Per quod *Lumen* communiter intelligunt SS. PP. & TT. *Legem Naturalem*. Tum quia; ratio hoc ſuadet; Nam ſi Deus Creator omnium, & Rector non indidiſſet homini Legem, & Regulam rectè vivendi, ut homo poſſet tendere in finem ſuum ultimatum, minùs benè cum homine egiſſet, quàm cum cæteris Creaturis, quibus vires, & inclinationes indidit, ut ferantur in bonum & finem ſuum: hoc eſſet maximum inconveniens: ergo aſſerendum eſt, dari Legem innatam homini, cujus ductu poteſt tendere in bonum ac finem ſuum &c. Bonum autem proprium hominis, & finis eſt vita Æterna; ergo &c. Hæc meliùs explicabuntur in ſequentibus numeris.

Quæro II. *Quid eſt Lex Naturalis?*

2 ℞. I. Si accipiatur fundamentaliter, Lex naturæ, ſeu naturalis eſt ipſum Lumen rationis ab Auctore Naturæ ſcriptum; ſeu inditum in corde, ſeu mente hominis, quo cognoſcit bonum, & malum morale. *Probatur I.* Quia S. Maximus *cent. 5. c. 13.* ſic eam definivit: Lex Naturæ eſt ratio naturalis, quæ captivum tenet ſenſum ad delendam vim irrationalem. — Et Lactantius *lib. 6. Inſtit. c. 28.* Eſt, inquit, vera Lex recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, congrua ſempiterna, quæ vocat ad officium, jubendo, vetando &c.

,, *Prob. II.* ex D. Paulo ad Romanos cap. 2. ,, Cùm enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis ſunt; faciunt: ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex, qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium redente illis Conſcientia ipſorum.

3 Quæ D. Pauli verba ſic explicantur à noſtro Lyrano: *Cùm enim Gentes, quæ Legem* Moſaicam *non habent, naturaliter*, id eſt, ex naturali dictamine rationis, *faciunt ea, quæ Legis* naturalis *ſunt: ejuſmodi Legem* Moſaicam *non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex*, ideſt, ratio naturalis, quæ eſt principaliter pars hominis, propter quod dicitur totus homo, ipſa quidem eſt eis Lex; quia Lex ſcripta Divina, vel humana eſt à Lege Naturali derivata quantum ad agibilia; quia prima principia agibilium ſunt impreſſa intellectui practico, ex quibus derivantur Leges, quaſi quædam concluſiones. *Qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis*; quod declarat per effectum dicens: *Teſtimonium reddente illis Conſcientia ipſorum*, quæ ex naturali dictamine rationis recalcitrat malo, & conſentit bono morali.

4 Chryſoſtomus explicat illa verba Apoſtoli ſic: Gentes enim non habentes ſcriptam Legem, ſcilicet Moyſis, vel Chriſti, illam naturaliter habent inditam, quæ eos dirigit, & impellit, ut pleraque operà Legis Naturalis perficiant naturaliter, ideſt, ductu, lumine, & virtute naturæ. *Cui addit Cornelius à Lapide hanc Gloſſam*, videlicet: Gentes autem, ideſt in Gentiliſmo viventes, licèt faciant ea opera Legis Naturalis, quæ facilia ſunt, ut honorare Parentes, cavere furta, & cædes, non tamen poſſunt totam Legem implere ſine Fide, & Gratia Chriſti. Ubi diligenter attende: Non dicit Apoſtolus, Gentes facere, vel implere Legem, ſed *ea, quæ Legis ſunt, facere*: ideſt aliqua, putà faciliora Legis. *Qui oſtendunt Opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, Teſtimonium reddente illis Conſcientia ipſorum*. — Quia etiam Gentes, omneſque Nationes habent Legem menti inditam, & Conſcientiam, quæ eſt Teſtis omni exceptione major; iſque Teſtis maximè apparebit in die Judicii, ubi propria Conſcientia vel excuſabit, vel accuſabit quemque apud Deum. In Baſilica enim cordis humani Deus Tribunal quoddam conſtituit, Legeſque in ejus tabulis incidit digito ſuo: rationem creavit *Judicem*, conſcientiam *Actorem*, teſtes *Cognitiones*, quæ vel accuſant, vel defendunt ipſum hominem, qui eſt *Reus*.

5 ℞. II. Lex naturalis formaliter conſiderata eſt ipſum verum practicum notum ex terminis lumine rationis naturalis, atque obligans ad faciendum, vel omittendum aliquid; quod verum practicum vocari poteſt *Jus Naturale*, quod intimatur ſingulis hominibus, & obligare incipit eo tempore, quo habent uſum rationis: tunc enim per hanc Legem incipiunt diſcernere inter bonum, & malum: & uſus rationis dici poteſt intimatio, ſeu promulgatio talis juris, ac Legis. — Hoc jus, ſeu hæc Lex continetur in propoſitionibus, & cognitionibus generalibus, & practicis, ad quas reſpiciens ratio naturalis videt

quæ agere, & proſequi debeat, & quæ fugere, & omittere teneatur ex dictamine Conſcientiæ. Quæ propoſitiones generaliſſimæ, cùm ſint primæ, per ſe immediatæ, & ex terminis ſimpliciter notæ, conſenſum extorquent ab intellectu hominis ſanæ mentis, ut ſunt: *Bonum optimum eſt ſummè amandum; Deus eſt optimum Bonum; ergo &c. Parentes ſunt honorandi: Bonum honeſtum eſt ſequendum; malum inhoneſtum eſt fugiendum: Quod tibi vis fieri, facies alteri: Quod tibi non vis, alteri non facies*. Ex his deducuntur aliæ propoſitiones particulares per diſcurſum, quæ non tam facilè, nec tam univerſaliter ab omnibus capiuntur: quia egent bono, & ſcientifico diſcurſu; pertinent tamen ad hanc Legem, ex qua eliciuntur &c. ut inferiùs videbimus.

Quæro III. *Lex naturalis eſtne ſolùm indicativa boni, & mali, an etiam obligativa?*

6 ℞. Eſt & indicativa, & ſimul obligativa. Quia de ratione veræ Legis eſt, non ſolum indicare bonum ſequendum, & malum fugiendum, verùm etiam obligare, præcipere, & prohibere; Atqui Lex Naturalis eſt veriſſima Lex; ergo &c. Unde Præcepta Legis Naturæ obligant in conſcientia, & aliqua ſub mortali, aliqua verò ſub veniali culpa pro qualitate materiæ &c. Nam D. Paulus ad Rom. 2. ait: *Quicumque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege peribunt: & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur*. Ideſt, ut gloſſat Lyranus, Quicumque Legem ſcriptam non habentes, quales fuerunt Gentiles, peccaverunt contra Legem naturalem bonum, & malum oſtendentem, ſine Lege ſcripta peribunt; & quicumque Legem Moſaicam habentes in tali lege peccaverunt, quales fuerunt Judæi, per Legem judicabuntur, ideſt punientur in quantùm tranſgreſſi ſunt eam. Ergo ex ſolis peccatis contra Legem naturalem homo gentilis poteſt perire, & damnari; ergo hæc Lex obligat etiam ſub culpa gravi, ex qua ſola damnatio æterna incurritur.

Quæro IV. *Ex quo principio Lex Naturalis habet vim obligandi?*

7 ℞. I. A Divina Voluntate, quatenus Deus ipſe eam Legem ſcripſit in mentibus noſtris, & eam nobis intimat per internas illuſtrationes, & inſpirationes: juxta illud, *Signatum eſt ſuper nos Lumen vultus tui, Domine*. Unde S. Auguſtinus dicit: Quis Legem naturalem ſcribit in cordibus hominum, niſi Deus? qui operatur omnia ad extra, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Ergo Deus creandò hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, non ſolùm ei dedit lumen rationis, quo illi intimantur hujus Legis præcepta generalia, ſed etiam propenſionem voluntatis ad ea implenda; licèt hæc inclinatio per peccatum depravata ſit, aut ſaltem debilitata. Et D. Anſelmus *lib. de Volunt. Dei* aſſerit: Quicumque naturali Legi obviat, Dei voluntatem non ſervat. Ex Scoto *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 18.

℞. *II.* Ex veritatibus practicis fundatis 8
in rebus ipſis moralibus, quæ ex terminis notæ ſunt homini lumine rationis. Quia Lex naturæ, inquit Scotus *in* 3. *diſt.* 37. *n.* 2. Eſt Lex deſcendens ex primis principiis notis in agibilibus; ergo &c. Tum quia veritas concluſionum moralium, quæ à dictis principiis naturali diſcurſu ſequuntur, habet vim obligandi: juxta illud Eccli. 4. v. 30. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo*; ergo &c.

Quæro V. *Quænam eſt materia Legis Naturalis?*

℞. Materia, circa quam verſatur Lex 9
naturæ, ſunt Prima Principia practica nota ex terminis, & Concluſiones neceſſariò ſequentes ex illis, & omnia, quæ apertè ſunt conſona illis Principiis. Ita ex Scoto *in* 3. *diſt.* 37. *num.* 5. & *in* 4. *diſt.* 33. *qu.* 2. & *alibi*. Dupaſquier *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. Explico omnes terminos. *Prima Principia practica* ſunt: V. G. Omne honeſtum eſt proſequendum. Omne inhoneſtum eſt vitandum. Deus eſt colendus. Parentes ſunt honorandi. Quod tibi non vis, alteri ne feceris; &c. *Nota ex terminis*. Nam ſicut in omnibus Scientiis ſpeculativis dantur aliqua prima principia *per ſe nota*, & indemonſtrabilia propter evidentiam; quam habent in ſe ipſis, nam cognitis terminis ipſorum, ſtatim cognoſcitur eorum veritas, quæ principia ſunt veluti fundamenta illius Scientiæ, & ad ea reducuntur omnia, quæ in tali ſcientia demonſtrantur: (Ut V. G. in Mathematica datur illud principium: *Omne totum eſt majus ſua parte*: in Metaphyſica illud: *Quodlibet eſt, vel non eſt*: in Phyſica illud: *Omne corpus naturale habet principium motus, & quietis*:) ita in Scientia Morali naturali dantur ſua propria principia per ſe nota, ſeu ex terminis nota: quæ principia moralia, & practica, ut cognita per-

Digitized by Google

ta pertinent ad habitum, qui vocatur *Synderesis.*

10 *Concluſiones verò neceſſariò ſequentes ex illis principiis* ſunt illæ veritates, ſeu propoſitiones practicæ, quæ evidenter trahuntur ſeu deducuntur vel demonſtrantur ex tali vero ſic noto, nempè ex tali, vel tali primo Principio: Ut, V. G. Omne bonum honeſtum, & virtuoſum eſt amandum. Sed Deus eſt bonus, imò ſummè bonus. Ergo *Deus eſt amandus, & colendus.* Ultima propoſitio dicitur Concluſio, ſeu propoſitio practica neceſſariò, & evidenter deducta ab illo primo Principio per ſe noto: *Omne bonum honeſtum eſt amandum*: & V. G. *Omne malum inhoneſtum eſt fugiendum*; Sed Mendacium, Perjurium, Furtum, Blaſphemia, Homicidium, Adulterium &c. ſunt mala inhoneſta, injuſta; ergo hæc vitia ſunt fugienda.

11 *Et omnia, quæ aperta ſunt conſona illis Principiis*: ideſt omnes propoſitiones, & veritates morales quæ evidenter, & neceſſariò conſonant, & conveniunt illis Legibus generalibus, nempè prædictis Principiis, & Concluſionibus Legis Naturæ, Et tales ſunt omnes actus Virtutum Moralium, quæ conducunt hominem in finem ſuum.

Quæro VI. *Præcepta Decalogi ſuntne etiam Legis Naturalis?*

12 ℞. Quòd ſic, excepto Tertio quoad tempus determinatum talis Feſti, ſeu diei Sabbati. Licèt autem omnia Præcepta, quæ ſcripta ſunt in Decalogo, ſint etiam de Lege Naturæ, non ſunt tamen in eodem gradu: ſed alia ſunt ſtrictè alia verò largè Legis Naturalis præcepta. Probatur I. quòd *omnia præcepta Decalogi, ſeu Legis Divinæ poſitivæ ſint etiam præcepta Legis naturalis.* Quia præcepta iſta vocantur Moralia: ergo pertinent ad Legem naturæ, quæ dirigit actus humanos ad ſuum finem, & perfectionem propriam hominis. Tum quia (ut probavimus ſuperiùs num. 10.) præcepta hæc ſunt veluti concluſiones evidenter deductæ à primis principiis practicis. Probatur, *illud tertium præceptum excipi quoad diem determinatum.* Quia Sanctificatio diei Sabbati includit præceptum affirmativum de cultu exhibendo Deo pro aliquo tempore; & quoad hoc eſt præceptum Naturale, quia hoc neceſſariò infertur ex iiſdem principiis: deinde includit determinationem illius præciſi temporis, & diei: & quoad hoc non eſt de Lege Naturæ, ſed Divina poſitiva: nec eſt præceptum morale, ſed ceremoniale, aut judiciale, & mutabile.

Probatur tandem, *quòd non eodem gradu, ſed diverſimodè hæc Decalogi præcepta ſint ex ſe de Lege Naturæ.* Illa ſunt de Lege Naturæ ſtrictè, quæ habent honeſtatem, aut malitiam notam per ſe ex terminis, aut per evidentiam, ac neceſſariam conſequentiam; ſed non omnia præcepta Decalogi, benè quidem aliqua, ſunt ejuſmodi; ergo &c. Tum quia, præcepta decem ſunt in Decalogo: at non omnia, & ſingula pari vinculo connectuntur cum primis principiis practicis; nam aliqua ità connectuntur neceſſariò, ut in nulla circumſtantia, & per nullam Legem poſitivam poſſint ab eis divelli, ſicque iſta erunt ſtrictè de Lege naturæ; alia verò non ita ſtrictè, nec ita neceſſariò connectuntur &c. 13

Quæro VII. *Quænam ſunt illa præcepta, quæ ſtrictè de Lege Naturæ cenſentur?*

℞. Sunt iſta. *I.* Unus Deus eſt colendus, & diligendus. *II.* Non eſt aſſumendum in vanum Nomen Dei. *III.* Aliquis dies eſt ſanctificandus, & Divino cultui dicandus. *IV.* Non eſt mentiendum, nec falſum Teſtimonium dicendum. Et hæc ſunt indiſpenſabilia. Reliqua verò non ſunt ita ſtrictè de Lege Naturæ ideòque Deus de potentia abſoluta poteſt in his diſpenſare. Ita ex P. Sebaſt. Dupaſquier. *t. 4. diſp. 7. quæſt. 5.* cum aliis Scotiſtis; contra Thomiſtas, qui tenent omnia præcepta Decalogi, eſſe omninò indiſpenſabilia: ſicque per eos, omnia erunt ſtrictè de Lege Naturæ. 14

Placet nihilominùs Doctrina D. Thomæ, qui, *prima ſecunda, quæſtione centeſima, articulo octavo ad tertium argumentum*, docet quòd præcepta ipſa Decalogi quantùm ad rationem Juſtitiæ, quam continent, immutabilia ſunt: ſed quantùm ad aliquam determinationem, per applicationem ad ſingulares actus (ut, ſcilicet, hoc, vel illud ſit homicidium, vel furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem eſt mutabile (& diſpenſabile) quandoque ſola auctoritate Divina, in his nempè, quæ à ſolo Deo ſunt inſtituta, ſicut in Matrimonio, & in aliis hujuſmodi: quandoque etiam auctoritate humana, ſicut in his, quæ ſunt commiſſa hominum juriſdictioni; quantùm enim ad hoc, homines ge- 15

Digitized by Google

runt vicem Dei, non autem quantum ad omnia. *Hæc D. Angelicus ibi*, ubi etiam ponit multa exempla diſpenſationis, ſeu mutationis factæ à Deo in aliquibus præceptis, nempè circa Furtum, Homicidium Fornicationem &c.

Quæro VIII. *Quare Deus poſuit in Decalogo præcepta moralia Legis Naturæ?*

16 ℞. Ut fortiùs moveantur homines ad obediendum; quia ſic magis obediunt Legi Naturæ, & ipſi Deo præcipienti magis expreſsè, & declaranti ipſam Naturæ Legem, quam inſeruit cordibus, & mentibus hominum.

Quæro IX. *Quænam ſunt principaliora mandata Legis Naturalis?*

17 ℞. Sunt hæc. I. *Declina à malo, & fac bonum.* II. *Diliges Dominum Deum tuum.* III. *Diliges proximum tuum.* IV. *Quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* V. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* VI. *Reddite unicuique, quod ſuum eſt*: Et ſimilia generalia, & univerſalia, Nam Lex eſt de univerſalibus, & communibus; de particularibus autem non eſt Lex propriè, ſed Judicium Legis. *Adverte circa dilectionem Dei, & proximi*, quòd Lex naturalis indicat, & præcipit Amorem Dei, & proximi quoad Amorem Naturalem; nam quoad Charitatem ſupernaturalem dant præceptum Divinum poſitivum diſtinctum ab Amore merè naturali.

Quæro X. *Homo poteſtne ſuis viribus obſervare totam Legem Naturæ?*

18 ℞. *I.* Homo in ſtatu Naturæ lapſæ, & corruptæ non poteſt moraliter adimplere, ſeu obſervare omnia præcepta Naturalis Legis collectivè ſumpta, ſuis relictus viribus. Ratio eſt: quia Natura humana lapſa, & corrupta per peccatum primi Hominis remanſit viribus debilitata, & infirma tum in cognitione veri, tum in appetitu Boni veri: & magis eſt infirma ad appetendum rationale Bonum, quàm ad cognoſcendum verum; Ergo ſuis relicta viribus non poteſt implere moraliter totam Legem Naturalem ob difficultates, & repugnantias graviſſimas ad bonum honeſtum, quas ex ſe non valet ſuperare, ex parte appetitus inordinati & irrationalium motuum, inclinantium ad bonum commodum, bonum ſenſibile, bonum utile, & bonum delectabile. Unde dicebat Apoſtolus ad Rom. 7. *Video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ.* Ideſt, *ut gloſſat Lyranus*, Video inclinationem, quæ ducit membra mea, tamquam ligata, ad malum: & ſic dicitur *Lex alia*, quæ repugnat *Legi naturali*, quæ menti meæ impreſſa eſt, & ordinat me ad ſequendum inſtinctum rationis, & prohibet illud malum, quod eſt odibile ſecundùm dictamen rationis rectæ. Pro majori intelligentia hujus nobiliſſimæ, & neceſſariæ doctrinæ ex eodem Nicolao de Lyra, notabo hic, quòd

In homine eſt duplex pars, ſeu por- 19
tio, ſcilicet *Ratio*, & *Senſualitas*, quæ aliter nominantur *Spiritus*, & *Caro*: & *Homo interior*, & *exterior*: & *Portio ſuperior*, & *inferior*. Per rationem homo eſt homo, per quam diſtinguitur à brutis: Bruta enim animalia imaginationibus, & memoriis ſenſibilium rerum ducuntur, & vivunt; Homines verò ratione, & intelligentia; propter quod illud, quod agit homo, vel vult ſecundùm dictamen rectæ rationis, illud dicitur propriè agere, vel velle; quia illud agit in quantum homo. Illud autem, quod agit, vel vult ſequens impulſum ſenſualitatis (per quam convenit cum Brutis) non dicitur propriè agere, vel velle, ut homo; quia id non convenit homini, ſecundùm quod homo eſt, ſed prout convenit cum bruto. Lex autem Naturalis, & Divina ſpiritualis eſt, quia ordinat hominem ad ſequendum ſpiritum, & rationem, & prohibet ſequi concupiſcentiam carnalem, ſeu ſenſualitatem, nempè impulſum carnis, quæ recalcitrat, contendit, & rebellat contra ſpiritum hominis. Nam omnis homo ob peccatum primorum Parentum incurrit hanc miſeriam, ſcilicet rebellionem carnis ad Spiritum; quod genus belli ſuperare non poteſt viribus ſolius naturæ; ergo &c.

Quæro XI. *Quare Deus inſeruit Legem Naturalem, deditque Legem poſitivam homini, dum homo nequit omnia harum Legum ſervare præcepta?*

Antequàm reſpondeam huic difficultati 20
noto I. quod Deus eſt finis hominis ultimus, attingendus, ſeu acquirendus per operationem; quia Deus eſt objectum beans, ſeu beatificans intellectum, & voluntatem Angelorum, & hominum: & eſt finis noſter naturalis, & ſupernaturalis; quia homo habet potentiam naturalem ordinatam ad ſuſcipiendos habitus virtutum nedum naturalium, & moralium, ſed etiam ſuper-

Digitized by Google

ſupernaturalium, ſicque eſt aptus natus ad habendum cognitionem Dei naturalem, deſumptam ab effectibus, rebuſque creatis, & ad recipiendam cognitionem Dei ſupernaturalem, ei infuſam à Deo per lumen Fidei Divinæ, & alias virtutes, & dona ſupernaturalia, etiam Charitatem, & gratiam Dei ſanctificantem, & conſequenter Gloriam, nempè viſionem, & fruitionem Divinæ Eſſentiæ.

21 *Noto II.* Quòd Lex data eſt homini ad dirigendum ipſum, & non ſolùm ad depellendas tenebras ignorantiæ, & erroris circa virtutes, & operationes naturales, & morales, verùm etiam ad rectam, honeſtam, ac debitam operationem ſupernaturalem; ſicque Deus; ut Auctor Naturæ, & Gratiæ ſub altiori motivo, ac ratione præcipit Legis naturalis, & poſitivæ obſervationem; nam Lex ipſa naturalis poteſt dici, aliquo modo, Divina, & Supernaturalis, quia Divini Ordinis eſt, & per eam intendit Deus ducere hominem ad Divina, & ſupernaturalia, ſecundùm Divinum, & ſupernaturalem finem ipſius hominis à Deo creati; ut capacis æternorum bonorum. *Non enim datur ſtatus hominis ſecundùm puram, & meram naturam*; quia ab initio creavit eum Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & elevavit naturam humanam ad Ordinem ſupernaturalem, & poſuit eam in via ad Patriam Cœleſtem, pro cujus acquiſitione præcepit ei, ut obſervaret mandata, quæ facillimè potuiſſet obſervare, ſi perſeveraſſet in ſtatu Innocentiæ.

22 *Noto III.* Poſt lapſum humanæ naturæ, Deus Benedictus non dereliquit humanum Genus, ſed providit ei de remedio opportuno, ut poſſet per auxilia gratiæ excitantis, & adjuvantis, & per media pro varietate Legis, ac temporum à Deo ordinata, ſervare omnia mandata tam Naturalis, quàm poſitivæ Legis: quibus auxiliis, ac mediis homo facilè poteſt vincere, ac ſuperare omnes difficultates, quas experitur ex infirmitate, & depravatione naturæ lapſæ &c. Hoc unum, inter alia, eſt optimum remedium, ut, quando quis ſentit impoſſibilitatem, aut magnam difficultatem in obſervantia alicujus præcepti ſive naturalis, ſive poſitivi Divini, ſive alterius Juris mixti, elevet cor ſuum ad Deum, & petat humiliter, & confidenter auxilium Gratiæ ejus; nam Deus inclinatiſſimus eſt ad præſtandum nobis auxilium in tempore opportuno. Ergo, his notatis.

℟. *Ad Quæſitum*. Deus inſeruit mentibus noſtris Legem naturalem, ac inſuper dedit nobis Legem ſuam poſitivam, quamvis ſciat, nos non poſſe viribus naturæ omnia, & ſingula harum Legum præcepta obſervare; Quia providit de remedio, & auxilio, ut, quod natura eſt impoſſibile, hoc, auxilio Gratiæ ipſius, non ſolùm poſſibile, ſed & facile fiat. *Probatur*. Poſt lapſum Adami, & Hevæ, eis providit de remedio Pœnitentiæ virtutis, qua peracta, ſalvarentur: & de facto ſalvi facti ſunt. Poſteris eorum parvulis pro deletione peccati Originalis providit de remedio, quod fuit aliquod Sacrificium oblatum à Parentibus ipſorum cum proteſtatione Fidei Divinæ, & Chriſti futuri Redemptoris. Adultis peccantibus providit de remedio Contritionis perfectæ. Et ad ſuperandas paſſiones, & inclinationes ad malum, providit de remedio mortificationis, & Orationis: juxta illud Dei dictum Caino: Geneſ. c. 4. *Nonnè ſi benè egeris, recipies* (bonum:) *ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus; & tu dominaberis illius*. Et aliud dictum Eliphaz Themanites ad Job (qui erant Gentiles tempore Legis Naturæ tantùm:) *Elevabis ad Deum faciem tuam: regnabis eum, & exaudiet te*. Job cap. 22. 23

24 Tempore verò Legis Moſaicæ providit Deus populo ſuo de variis remediis, nempè de Sacramento Circumciſionis, de Sacrificiis, oblationibus, expiationibus, holocauſtis &c. Tempore denique novæ Legis providit Chriſtus Dominus de remediis abundantioribus populo Chriſtiano, nempè de ſeptem Sacramentis, Sacrificio Tremendo Sacroſanctæ Miſſæ, Concionibus, Jejuniis, Eleemoſynis, Orationibus &c. ita, ut inexcuſabiles ſimus, ſi peccamus mortaliter contra aliquod præceptum Dei, vel Eccleſiæ, tantis adjuti remediis aptiſſimis ad vincendam ſenſualitatem, ac fragilitatem noſtram. Ergo juſtè inſtat Deus præcepto, qui præcurrit auxilio, ut poſſimus mandatum omne complere.

25 Confirmatur auctoritate irrefragabili Concilii Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 11.* ubi dicit: Nemo autem, quantumvis juſtificatus, " liberum ſe eſſe ab obſervatione mandato- " rum, putare debet: Nemo temeraria illa, "

& à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti, *Dei precepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impeſſibilia*. Nam Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. – Dicamus igitur cum D. Auguſtino: *Da, Domine, quòd jubes: & jube quòd vis*. Et cum D. Paulo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*.

26 *At ponamus Caſum*. Puer nutritus fuit in ſilvis, ubi non habuit docentem, nec eum baptizantem, adultus factus habuit bonos motus, Dei auxilio, conformes rationi rectæ, naturalis Legis lumine ductus vitavit ea, quæ ratio naturalis dictavit eſſe vitanda, & fecit bona, quæ ſibi videbantur eſſe facienda. Quæro, an, & quomodo iſte ſalvabitur? ℞. quòd Deus hunc hominem viſitabit, docendo, & inſtruendo eum per hominem Chriſtianum, vel per Angelum, vel quòd Deus illuminabit illum, eique donabit primam Gratiam, ſimul habitum Fidei, Spei, & Charitatis, ſine Sacramento Baptiſmi, quia Deus non eſt alligatus Sacramentis; ſicque de potentia abſoluta, poteſt, hominem juſtificare, & ſalvare ſine Sacramento. Prior modus ſalvandi illum hominem eſt magis uſitatus, & credibilis; Nam legimus in Scripturis, *Act.* 8. de Philippo Diacono, qui à Deo miſſus fuit ad virum Æthiopem eunuchum Candacis Reginæ, ut eum inſtrueret in Fide, ac baptizaret. Et *ibi c.* 10. De Cornelio Centurione, cui miſit Deus Angelum, qui eum docuit modum tenendi pro Sacramento Baptiſmi recipiendo &c. Idem legitur de multis aliis ſimilibus in Hiſtoriis Eceleſiaſticis; ergo &c. Tum quia facienti quod in ſe eſt, Deus non ſolet denegare ſuam Gratiam, & auxilium opportunum in ſalutem æternam. Vide Fabrum Faventinum *q.* 1. *Prologi nu.* 32. & Scotum ibidem.

Quæro XII. *Quid eſt Lex æterna?*

27 ℞. *I.* Eſt Dei æterna quædam ratio practica diſponens, & gubernans univerſa in ordine ad commune bonum. ℞. *II.* Eſt Decretum liberum voluntatis Divinæ ſtatuentis ordinem ſervandum ſpecialiter à creaturis intellectualibus quoad liberas operationes earum, ut bonæ ſint. ℞. *III.* eſt actus Divinæ mentis, quo judicat, ordinat, & vult, quaſdam regulas practicas æternæ, ac neceſſariæ veritatis à creaturis rationalibus obſervari. ℞. *IV.* Eſt omnium Legum ſons, & origo à Deo immediatè procedens. ℞. *V.* Eſt Regula I. Lucis æternæ Dei, omnia noſtra ratione regentis aut præcipientis, aut vetantis. Et tandem ℞. *VI.* Eſt Lex Divina per eſſentiam, à qua omnes aliæ Leges dependent, & ſunt Leges per participationem. De qua Lege æterna loquens D. Auguſtinus *lib. de Vera Religione*, ait: Æternæ Legis notio nobis impreſſa eſt; ea enim eſt, quæ facit, ut omnia ſint ordinatiſſima. Licèt ergo hanc comprendere non poſſimus, nihilominus ipſam per varios effectus cognoſcere poſſumus; ſicut aliquis non videns ſolem in ſua ſubſtantia, ipſum per irradiationem, & diffuſum lumen cognoſcit.

Quæro XIII. *Quomodo manifeſtatur nobis hæc Lex?*

28 ℞. Duplici modo; nempè per lumen naturale, & per lumen ſupernaturale: ſeu per Legem Naturæ, & Legem Divinam poſitivam nobis revelatam in Scripturis; Quæ Lex æterna promulgata vel per rationem naturalem, vel per Fidem, vel per utramque habet vim obligandi omnes homines; quia DEUS habet Supremam poteſtatem imperandi, præcipiendi, & prohibendi: Nam licèt hæc Lex ſit ab æterno, non tamen ab æterno obligat, ſed in tempore, quia *obligare* dicit reſpectum ad Creaturas actu exiſtentes, & Legem intelligentes.

Quæro XIV. *Leges humanæ ſive Eccleſiaſticæ ſive Civiles dependentne à Lege æterna?*

29 ℞. Ita. Et non ſolum dependent, ſed ab ea habent, vel recipiunt vim obligandi: juxta illud D. Pauli: *Qui Poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*. Et D. Aug. ait: *Nihil eſt in temporali Lege juſtum, quod ex Lege æterna non derivetur*. Ratio autem eſt: quia Lex Æterna eſt prima Regula per eſſentiam, cæteræ verò Leges ſunt Regulæ per participationem: & conſequenter ſunt effectus Legis Æternæ.

Quæro XV. *Quomodo Lex æterna obligat in aliis Legibus?*

30 ℞. Lex æterna numquàm obligat immediatè, ſe mediatè, ideſt, mediante aliqua Lege in tempore: hoc modo: Quando Lex æterna applicatur per Legem poſitivam Divinam; ratio obligationis principalis, ac proxima eſt ipſa Lex Æterna, quæ ibi intervenit, & exprimitur nobis per Legem poſitivam Divinam, quæ eſt ſignum indicans, in tempore voluntatem

Dei

Dei Æternam &c. -- Quando autem Lex æterna aplicatur per Legem Naturalem obligat per ipſum lumen rationis rectæ; nam ipſummet judicium rationis inditum naturaliter homini à Deo, eſt ſufficiens ſignum voluntatis Divinæ de agendis, & vitandis. Etenim Lex naturalis continetur principaliter in Legè Æterna, & ſecundariò in indicatorio veritatis, & rationis, quo homo cognoſcit prima principia practica, & moralia, & obligationem declinandi à malo, & faciendi bonum: & ipſum lumen', ſignatum ſuper nos à Deo manifeſtat nobis non ſolùm intrinſecam diſconvenientiam, vel convenientiam actuum noſtrorum cum recta ratione, ſed etiam intimat nobis: contrarias actiones diſplicere Auctori Naturæ, ac Gubernatori ejuſdem Naturæ; quia non poteſt Deus, de potentia ordinaria, non prohibere id, quod eſt intrinſecè malum, & inordinatum in natura rationali, vel non præcipere quod eſt bonum ordinatum; & neceſſarium tali naturæ, ut eam dirigat ſapienter, & potenter in ſuum finem.

Quando tandem applicatio Legis Æternæ fit per Legem humanam: tunc licèt Lex 31 æterna concurrat ad obligationem ad modum Cauſæ Univerſalis, tamen proxima cauſa obligationis eſt ipſa Lex humana, quæ non obligat tantùm, ut ſignum voluntatis Divinæ, ſed ut ſignum proximum, & immediatum voluntatis Legiſlatoris humani: & ita in Legibus purè humanis minùs obligat Lex Æterna, quàm in Legibus Naturæ, & Gratiæ ſeu in Lege naturali, & Divina poſitiva. Vide Magnum Suarez *lib. 1. de Legibus, à cap. 4. & ſeqq.*

TRACTATUS VII.

DE NOVA LEGE DIVINA poſitiva in communi.

Quæro I. *Datúrne Lex nova Divina poſitiva?*

1 *Reſpondeo*: Quòd ſic: Quia conſtat in Sacra Scriptura, Legem veterem per Moyſen datam eſſe populo Hebraico, *Exod. c. 20.* Et novam Legem datam eſſe per Jeſum Chriſtum omni populo, *Matth. c. ultimo*. Et hæc variis nominibus appellatur. *Lex Fidei* dicitur, ad Rom. 3. *Lex ſpiritus vitæ*, ibi cap. 8. *Lex Gratiæ, & veritatis*, Joan. c. 1. *Lex Amoris*, ad Rom. 8. *Lex libertatis*, Jacobi c. 1. Et tandem vocatur *Lex Chriſti*, quia ab eodem Chriſto data eſt: Et *Lex Evangelica*, quia in Chriſti Evangelio ſcripta eſt.

Quæro II. *Lex nova eſtne vera, & propria Lex?*

2 ℞. Utique. Quia Chriſtus Dominus non ſolùm fuit Humani Generis Redemptor, ſed etiam verus, & proprius Legiſlator, ut eſt certum de Fide ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. can. 21.* Et ex verbis *Iſaiæ c. 33.* ubi loquens de futuro Meſſia eum vocat *Dominum Legiferum noſtrum, & Regem noſtrum*. Et Apoſtolus Jacobus c. 4. loquens de Chriſto, ait: *Unus eſt Legiſlator, & Judex, qui poteſt perdere, & ſalvare*. Ergo Lex nova eſt vera, & propria Lex. Confirmatur ex ore ipſiuſmet Jeſu Chriſti Matth. c. 28. v. 19. Data eſt mihi, inquit, omnis poteſtas in Cœlo, & in terra: Euntes ergo docere omnes gentes: baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Docentes, eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. -- Ubi generaliter loquitur de tota ſua Lege, & ſpecialiter de Baptiſmo, tamquam de janua ejuſdem Legis: & exprimit Mandatum, ſeu præceptum ſuum circa omnia præcepta in tali Lege; ergo &c.

Quæro III. *Quænam eſt cauſa finalis hujus novæ Legis?*

℞. Finis ultimus hujus Legis eſt perducere homines ad Regnum Cœlorum, prout ſpecialiter & multoties in hac ipſa Lege promiſſum eſt obſervatoribus, & factoribus ejus. -- Finis autem proximus, & generalis hujus Legis eſt Sanctificatio perfecta fidelium per verum, & perfectum cultum Dei, & per applicationem meritorum, & ſatisfactionem Chriſti, per media, & inſtrumenta ab ipſo Domino ad hunc 3

finem inſtituta. Quod totum ſatis conſtat ex nominibus, & attributis hujus Legis, quæ ſuprà poſuimus, *n.* 1. & ex effectibus ejus, quos videbimus infeiiùs:

Quæro IV. *Quænam eſt materia hujus Legis?*

4 ℞. Materia, circa quam Lex Divina Euangelica verſatur, ſunt Precepta moralia Decalogi, quæ renovat, & perficit, Articuli Fidei, Sacramenta, & Conſilia. Probatur quoad *Præcepta moralia* primò. Nam Chriſtus Dominus *Matth. cap. 5. per totum*, confert Legem ſuam novam cum Lege morali antiqua, & oſtendit, ſe illam tradere, ac declarare perfectiori modo; ergo certum eſt, Præcepta Moralia contineri in Lege nova, & obligare Chriſtianos. Quod non ſolùm eſt verum de Preceptis Fidei, Spei, & Charitatis, quæ ſuo modo (ut inquit Suarez) inter Moralia etiam computantur, ſed etiam de Præceptis Decalogi, & de omnibus, quæ ad illa reducuntur.

5 Probatur quoad *Articulos Fidei* ſpecialiter contentos in Lege nova. Nam ex hac Lege habemus ſpecialem neceſſitatem Fidei explicitæ de Myſteriis Trinitatis, Incarnationis &c. tam ad Juſtitiam, ſeu juſtificationem, quàm ad ſalutem æternam conſequendam; quia, (ut inquit Dupaſquier) licèt Fides in unum Deum neceſſaria fuerit pro omni Lege & ſtatu, non erat tamen tunc neceſſaria Fides explicita Trinitatis Divinæ, Incarnationis Verbi &c. quia non fuerant hæc ſic explicitè propoſita hominibus, ſicut nunc in Lege, & Statu Euangelii explicata, & propoſita nobis ſunt: ergo &c.

6 Probatur quoad *Sacramenta* novæ Legis: Nam per ſe notum eſt, Sacrificia, & Sacramenta pertinere ad Cæremonias Divini Cultus, & pro diverſitate temporum, ac Legum fuiſſe, Divina Ordinatione, diverſa Sacrificia, & Sacramenta; Atqui Speciale, & unicum Sacrificium, & ſpecialia, ac ſeptem Sacramenta fuerunt à Chriſto Deo homine non ſolùm inſtituta, ſed etiam præcepta, ut videbimus ſuo loco: ergo &c.

7 Probatur quoad *Conſilia*. Nam plura dantur in Lege Euangelica, quæ non cadunt ſub præcepto, ſed illa vocantur Conſilia; ergo &c. Patet; quia ſervare caſtitatem virginalem, paupertatem effectivam, & obedientiam Monaſticam, eſt de Conſilio, non verò de præcepto Euangelii: & ſic de aliis, quæ non præcipiuntur à Chriſto Domino, ut neceſſaria ad ſalutem, ſed tantùm conſuluntur, ut utilia ad perfectionem: ut omnes DD. docent.

Si cupias ſcire diſtinctè, quænam ſint Conſilia, & quænam ſint Præcepta, ſeu quænam cadant ſub Conſilio, quænam verò ſub Præcepto Legis Euangelicæ, videas quæſo, *Cornelium à Lapide* ante immediatè Commentarium *Euangelii S. Matthæi*; nam me piget, omnia tranſcribere.

Dicit tamen Scotus *in 4. diſt. 3. qu. 4.* 8
quòd generaliter promulgatio de Conſilio Divino Euangelico obligat ad non contemnendum; qui enim Conſilium contemnit, contemnit Conſulentem in quantum conſulentem; & ideò nolens ſervare Conſilium Euangelicum, quaſi contemnens illud tamquam irrationabile, vel infructuoſum, peccat mortaliter. — Quod, ſervata paritate rationis, dicendum erit de contemnente, & ſpernente eas Perſonas Religioſas, quæ Conſilia Euangelica ſequuntur.

Quæro V. *Quandonam Lex nova cæpit obligare homines?*

℞. *I.* Cœpit obligare Hebræos in Die Pentecoſtes; quia in tali die facta fuit ſufficiens promulgatio hujus Legis Hieroſolymis per Apoſtolos; Nam, ut legitur Act. 2. cùm ad prædicationem Petri quidam compuncti corde interrogarent. *Quid faciemus, viri Fratres?* Reſpondit Petrus: *Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum &c.* & infra additur, dixiſſe Petrum: *Salvamini à generatione iſta prava*. Et qui receperunt ſermonem Petri, erant perſeverantes in Doctrina Apoſtolorum: & baptizati ſunt in die illa circiter tria millia.

℞. *II.* Hæc Lex non ſimul Judæos ubique terrarum exiſtentes obligavit: ſed incœpit tunc obligare præſentes Prædicationi Petri, & poſtea ſucceſſu temporis per Prædicationem Apoſtolorum obligatio fuit diffuſa per totam Judæam, Samariam, & alias Provincias; Nam promulgatio Legis poſitivæ poſtulat tempus ſufficiens, ut notitia ipſius ad diſtantia loca deferatur authenticè, ad hoc, ut Lex in illis locis obliget; Hæc enim conditio neceſſariò requiritur in omni Lege hominibus impoſita; quia homo alio modo (naturaliter loquendo) non eſt capax notitiæ Legis, ac ſubindè neque obligationis. 10

Dices: In die Pentecoſtes erant Hieroſolymis 11

lymis (quæ erat Civitas Metropolitana Populi Judaici) Viri ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt; ergo erat ſufficiens illa promulgatio ſaltem pro tota Natione, ſeu Synagoga Judæorum ubique exiſtentium. ℞. Fuit talis promulgatio ſufficiens pro Judæis ibi præſentibus; *concedo:* pro abſentibus verò, & diſtantibus; *nego*. Neque enim eſt inconveniens, vel inſolitum, ut eadem Lex priùs obliget ſubditos præſentes, quàm diſtantes: imò hoc eſt intrinſecum, & connaturale omni Legi hominibus impoſitæ, ut ſcilicet ſufficienter promulgetur in omnibus Provinciis, & Civitatibus per Perſonas authenticas, ad hoc, ut omnes obliget ſubditos. Quod à fortiori verificatur de hac Nova Lege Divina, quæ debebat derogare, & abrogare Legem antiquam Hebræorum.

12 ℞. *III.* Lex nova poſitiva Divina non incœpit obligare Gentiles per ſe, ac propriè uſque ad revelationem D. Petro factam, prout refert Hiſtoria Sacra *Act. c.* 10. Quia Lex non promulgata aliquibus, vel pro aliquibus, eos non obligat: ſed Lex nova non fuit promulgata Gentilibus, ſeu Gentibus uſque ad illud tempus: ergo neque illos obligavit. — Confirmatur; Nam uſque ad illam revelationem incluſivè nullus Gentilium habens præputium, ideſt, incircumciſus, admittebatur ad Baptiſmum; & Cornelius Centurio Gentilis fuit primus, qui baptizatus fuit à D. Petro ex revelatione illa; ergo fieri non poterat (inquit Suarez) ut Gentes obligarentur ad Baptiſmum ante illud tempus, & ad reliqua præcepta hujus Legis, cùm Baptiſmus ſit fundamentum reliquorum &c.

Ex eo autem tempore, quo facta eſt D. Petro dicta revelatio, Act. 10. (in qua vidit Cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum: quatuor initiis ſubmitti de Cœlo in terram: in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli: & facta eſt vox ad eum, dicens: Surge Petre: occide, & manduca: Et poſt multa, dixit Petrus: *Mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem . . . . In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus &c.* Et poſtquàm docuit Cornelium, & plures alios Gentiles, juſſit eos baptizari.) Ex eo, inquam tempore cœperunt Apoſtoli liberè prædicare Evangelium etiam Gentibus, ipſique Gentiles cœperunt per hanc prædicationem obligari ad Legem novam: & ſic ſucceſſivè, prout Euangelium promulgabatur, Gentes obligabantur, per univerſum Orbem. Juxta illud Chriſti verbum: *Eritis mihi Teſtes uſque ad ultimum terræ*. Act. 1. & illud Prophetæ Pſ. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines Orbis terræ verba eorum*. Nam D. Paulus *ad Rom.* 10. citans hunc locum probat, prædicationem Euangelii ad omnes Gentes perveniſſe: ut notat *Bellarminus in hunc Pſalmum*.

Quæro VI. *Quinam ſunt effectus Legis novæ.*

℞. *I.* Effectus hujus Legis eſt *juſtificare*, ſeu Gratiam conferre. Quia Gratia, ſeu juſtificatio convenit Legi Euangelicæ quaſi per ſe, & ex propriis; nam dicitur *Lex Gratiæ:* quia nulla gratia data eſt hominibus à principio Mundi uſque tunc, niſi per Chriſtum Redemptorem, ut dixit Apoſtolus Petrus Act. 15. *Per Gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*: ideſt, *Patres noſtri*; De illis enim locutus eſt, & illos refert ibi. Quoniam verò Lex nova data eſt eo tempore, quo jam Auctor Gratiæ advenit, & Redemptionem hominum conſummavit, Gratiamque copioſiùs ſuis Diſcipulis communicavit: imò quia ipſemet Chriſtus eſt Auctor hujus Legis, & Gratiæ, ideò *Lex Gratiæ* nominatur. Tum quia Chriſtus Deus-Homo præcipiendo, ſimul præbet Gratiam, & vires ad præceptum implendum ex vi talis ſtatus Legis Gratiæ; Nam D. Paulus ad Rom. 1. dicit: *Euangelium eſt Virtus Dei in ſalutem omni Credenti*. — Euangelium autem hoc idem eſt, ac Lex nova, quæ dicitur *Virtus Dei &c.* quia dat vires ſupernaturales ad credendum, & operandum, utique per auxilium Gratiæ: & ideò Legi novæ ſimpliciter tribuitur Spiritus Gratiæ, & juſtificationis, & ſanctificationis, tanquam effectus ejus proprius. 13

14 ℞. *II.* Per hanc Legem inſtituta ſunt Sacramenta, quæ ratione talis Inſtitutionis habent vim juſtificandi homines apud Deum: ergo hoc titulo etiam verè, & propriè dicitur, quòd *hæc Lex juſtificat*: quia eſt Cauſa, ſaltem moralis, à qua pendet talis effectus juſtificationis; tum quia talis Lex quodammodò quaſi obligat Deum ad juſtificandum hominem debitè ſuſcipientem, & obſervantem hanc Legem, ex vi meri-

meritorum Chriſti Legislatoris, ac Redemptoris.

15 ℞. *III.* Lex nova eſt Cauſa totius Poteſtatis, & Spiritualis Juriſdictionis, quæ eſt in Eccleſia, ac Regiminis tam quoad forum internum, quàm quoad forum externum, & Status Hierarchici ejuſdem Eccleſiæ cum perfecta Monarchia. Quia hæc omnia ſunt à Chriſto Domino-Deo inſtituta & quadam immutabili Lege ſtabilita in fundamento, & ædificatione ſuæ Eccleſiæ pro bono totius Communitatis Fidelium in ordine excellentiſſimo: ut patet ex Sacra Scriptura Novi Teſtamenti, Sacris Conciliis, & Sanctis Patribus: Et hæc dona data ſunt Miniſtris Eccleſiæ à Deo ex vi inſtitutionis hujus novæ Legis.

16 ℞. *IV.* Omnes effectus ſpirituales Sacramentorum omnium: ut Remiſſio peccatorum, collatio Gratiæ ſive habitualis, ſive actualis, Characteres, poteſtates, auxilia ſpecialia &c. poſſunt dici etiam effectus hujus Divinæ Legis novæ; nam omnia hæc dantur ex vi inſtitutionis, & Inſtitutoris hujus Legis. Et tandem huic Legi attribuuntur omnia dona ſupernaturalia, Privilegia Gratiarum, auxilia extraordinaria, vocationes, & converſiones, etiam miraculoſæ, & cætera, quæ in hoc ſtatu, & in hac Lege viventibus frequenter communicantur à Deo.

Quæro VII. *Quare Lex nova, dicitur Lex libertatis?*

17 ℞. Quia Legem veterem (quæ lex timoris, & ſervitutis dicebatur) abſtulit; nam Lex nova eſt Lex Amoris, quæ non coactè, ſed ſpontaneè, & maxima cum ſpontanea voluntate, & libertate ad ſuam obſervantiam inducit; Et quia liberat à ſervitute peccati, & dat vires ſupernaturales ad vincendam Legem fomitis, & concupiſcentiæ (quæ nos in ſervitutem carnis redigere conatur;) & facit, ut Deo in ſpiritu dilectionis liberis mentibus ſerviamus, cui ſervire, regnare eſt. Libertas enim iſta non excludit obſervantiam mandatorum, ſed includit, & facilitat; ut omnes Catholici DD. fatentur.

Quæro VIII. *Quænam ſunt excellentiæ, & prærogativæ Legis novæ in comparatione Legis veteris?*

18 ℞. Multæ ſunt; at præcipuæ ſunt duodecim iſtæ. *Prima*: Lex nova quoad Spiritum Gratiæ longè excellit ſtatum Legis veteris; quia Lex nova lata eſt ab ipſo Redemptore humani Generis, qui pretium omnis Gratiæ perſolvit, & ideò hæc Lex ſpecialiſſimo modo habet ſibi conjunctum Spiritum Gratiæ, quo cultores ejus juſtificantur, & vires magnas accipiunt ad ipſam implendam.

Secunda. In hac nova Lege abundantiùs, & copioſiùs confertur gratia Dei, quàm conferebatur in Lege antiqua. Et hoc ex vi ſtatus, & quaſi Legis ordinariæ. Quia Humana natura per peccatum Originale facta eſt indigna omni Gratia Sanctificante: & ideò quamdiù Redemptorem præſentem non habuit, non habebat ſecundùm illum ſtatum, unde Gratiam obtineret ad quamcumque Legem perfectè implendam. Etenim juſtè Deus decreverat, nullam Gratiam hominibus lapſis dare, niſi propter merita ejus, qui totam naturam humanam redimeret; Ideòque omnis Gratia, quæ data fuit hominibus ante adventum Chriſti redemptoris, non erat ex illius Status, & Legis, ſed ex benigna Providentia, & Miſericordia Dei per anticipatam ſolutionem meriti Chriſti futuri, & præviſi.

19 *Tertia*. In hoc Statu Legis Gratiæ confertur ipſa Gratia non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato; idque non uno tantùm modo, ſed ſeptem modis ordinariis, per ſeptem ſcilicet Sacramenta, quæ ſunt veluti ſeptem Fontes perennes Gratiæ Chriſti, de quibus Iſaias c. 12. prædixit: *Haurietis aquas cum gaudio de Fontibus Salvatoris.* In Lege autem antiqua nulla Gratia dabatur ex opere operato, niſi in uno tantùm Sacramento Circumciſionis vel alterius Signi æquivalentis ſolùm pro parvulis ex Providentia generali Dei erga Genus humanum à principio ſui lapſus, quod decreverat ſalvare &c. non autem ex ſpeciali privilegio illius Status, vel Legis. Et denique etiam illa Gratia minùs perfecta erat, quàm illa, quæ pro ſimili remedio in Lege nova confertur in Sacramento Baptiſmi.

20 *Quarta*. Lex nova importat Statum Filiorum Dei, & hæredum Chriſti excellentiori modo, quàm Lex antiquam propter tria. I. Quia Lex vetus, ſeu Moſaica importabat onera ſervorum, ſeu ſpiritum ſervitutis, & timoris; & licèt Sancti antiqui Teſtamenti fuerint per veram Dei Gratiam Filii ipſius Dei, erant tamen veluti Filii parvuli, qui ſunt ſub Pædago-

dagogo, & Tutore II. Quia homines ſub Lege antiqua viventes, quantum erat ex vi illius Legis litteralis, docebantur ſpiritu timoris potiùs, quàm amoris. Spiritus autem timoris eſt proprius ſervorum: Spiritus verò amoris eſt proprius Filiorum adultorum; Nam illa Lex inducebat ad ſui obſervationem homines propter retributiones temporales, quaſi propter mercedem ſervilem, & abſtinebant ſe à tranſgreſſione ejus propter ſeveras comminationes malorum corporalium in ea factas, ut patet in Scriptura Sacra veteris Teſtamenti; & ſic idem timor fiebat magis ſervilis. III. Quia Gratia, etiam magna Sanctorum illius temporis non introducebat eos ſtatim in Regnum Cœlorum, nec aperiebat eis januam Regni Cœleſtis; ſed Animæ, etiam Sanctæ deſcendebant in Limbum, velut in Carcerem, vel captivitatem. Lex autem nova habet adoptionem Filiorum perfectam, eſt Lex Amoris, & introducit in poſſeſſionem Hæreditatis Regni Cœlorum &c.

21 *Quinta*. Lex nova perfectior eſt Lege veteri in multis; ſed præſertim in his. I. *In fine*; Quia licèt utraque Lex ordinaverit homines ultimatè ad Felicitatem æternam: tamen Lex nova immediatiùs, pleniùs, & efficaciùs ordinat &c. II. *Ex parte cauſæ efficientis*; Quia Lex vetus per Moyſen ſervum Dei; nova autem per Chriſtum Filium Dei data eſt. III. *Ex parte materiæ*; Quia perfectiora præcepta, Myſteria, & conſilia continentur in nova, quàm in veteri Lege. IV. *Ex parte formæ*; Quia Lex nova non eſt ſcripta in lapidibus, ſed in mentibus, & cordibus per proprium ipſius Chriſti verbum cooperante Spiritu Sancto per abundantiùs interioris gratiæ, & illuminationis Divinæ. V. *In virtute, & efficacia* ſanctificandi, & ſalvandi homines; maximè ob facilitatem, & ſuavitatem Sacramentorum ipſius Legis novæ.

22 *Sexta*. Excellentia Legis novæ conſiſtit in promiſſionibus, quæ ſunt maximè ſpirituales, & de virtutibus eximiis, ac de bonis æternis. Econtra etiam in comminationibus, quæ ſunt expreſsè de pœnis æternis ignis inferni, & ſimilium.

23 *Septima*. In univerſalitate locorum, & perſonarum; Nam Lex nova prædicata eſt, & adhuc annunciatur omni Creaturæ per univerſum Mundum. Lex autem vetus erat pro ſolo Judæorum populo.

Octava. In immutabilitate, ac perpetuitate Legis novæ, quæ nunquam mutabitur, nec finietur niſi cum Mundo; & hoc ob ejus ſummam perfectionem. Eſt enim complementum, & conſummatio omnium Legum. 24

Nona. In commendatione Virginitatis; nam in Lege veteri quodammodò præferebatur Conjugium Virginitati; in nova verò præfertur Virginitas Conjugio, tanquam medium aptius ad vacandum Deo, & ad perfectionem Animæ obtinendam, quæ per hanc Legem maximè intenditur, ideoque purior, & immaculatior eſt. 25

Decima. In Doctrina explicativa, & declarativa Veritatis Supernaturalis, ac Divinorum Arcanorum, & Myſteriorum: ut patet in Novo Teſtamento, Epiſtolis Canonicis, & Apocalypſi. Item ex multitudine Sanctorum Doctorum, & Patrum, qui Sacras paginas gloſſarunt, poſtillarunt, interpretati ſunt, & elucidavērunt. 26

Undecima. In exemplis, & miraculis Sanctorum ſere innumerabilium utriuſque ſexus, omniſque Status, ac conditionis, præſertim Martyrum, qui pro hac Lege ſanguinem ſuderunt, & vitam atrociſſimis tormentis, amore Chriſti Legiſlatoris. 27

Et tandem *Duodecima* excellentia hujus Legis eſt, vel conſiſtit in majori facilitate, & ſuavitate obſervantiæ mandatorum ejus; quæ habetur ex multiplici capite. I. Ex promiſſione clariſſima Chriſti dicentis: Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt: & onus meum leve*. Et ſi hoc aſſeritur, & promittitur à Chriſto Legiſlatore, facit eſſe tale. II. Ex paucitate præceptorum comparativè ad Legem Moſaicam; Nam in duobus his præceptis: *Diliges Dominum Deum tuum: & proximum tuum*: univerſa Lex impletur, & obſervatur. III. Ex abundantia auxiliorum Divinorum, quæ difficultatem vel minuunt, vel auferunt ab operibus hujus Legis. Econtra Lex vetus adeò oneroſa fuit, ut de illa dixerit D. Petrus Apoſtolus Act. 15. *Quare vultis nobis imponere onus grave*, (Legis veteris) *quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Et D. Joannes Euangeliſta in epiſt. 1. cap. 5. loquens de Lege nova, ait. *Ejus mandata gravia non ſunt*. 28

Objicies. Lex nova quò magis eradicat 29

dicat omnia vitia, & plantat perfectiores virtutes, eò difficiliora etiam continet; ergo &c. ℟. Difficiliora hæc ſunt homini ſecundùm naturam ſuam; *concedo*: ſecundùm ſpiritum verò Gratiæ, & Charitatis, quem hæc Lex ſecum affert; *nego*. Ergo hæc Lex in ſe, & cum omnibus ſuis circumſtantiis, & excellentis conſiderata, abſolutè dicenda eſt ſuavior, & facilior omni alia Lege. Nam ibi ſunt nobiliora, fortiora, & ampliora auxilia Gratiæ Divinæ; Unde facilius eſt nunc uni Chriſtiano propter Deum omnia relinquere, quàm tunc uni Hebræo diviti nummum aureum dimittere, etiam ex neceſſitate. Idem dicendum de multis ſimilibus, ut patet quotidiana experientia. Etenim quod gravius videtur eſſe in Lege nova, eſt Confeſſio vera Sacramentalis, in qua homo homini tenetur manifeſtare ſincero corde etiam occulta ſua ſcelera; & tamen experientia demonſtrat, tales, & tantas eſſe Divinas conſolationes, quas verè pœnitens ſentit, & deguſtat in hoc Sancto Sacramento, ut D. Auguſtinus fateatur: *Dulciores eſſe lachrymas pœnitentium gaudiis theatrorum*. in Pſal. 127. Tanta eſt voluptas cordis hominis plorantis propter Deum offenſum, & nunc amatum, ut D. Joannes Chryſoſtomus in Pſal. 6. non habuerit difficultatem aſſerendi: *Admirabilem eſſe voluptatem lacrymarum*; Nam Chriſtus, qui eſt ipſa Veritas, proprio dixit ore, Matth. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur*. Ubi D. Baſilius Magnus homilia 4. de gratiis agendis, dicit: *Conſolabuntur, & ridebunt, riſu non per oris ſtrepitum, aut ſanguinis commotionem, ſed hilaritate cordis immenſa*.

30 *Neque dicas*: Has conſolationes Spirituales reſervari in futurum ſæculum; quia reſponderem tibi cum Chryſoſtomo, homilia 15. in Matth. ſic dicente: *Ubinam conſolabuntur? Hic profectò, etiam in hoc ſæculo; &, quod eſt amplius, in futuro*. — Ergo, inferas, quæſo, Ergo ſi lachrymæ pœnitentium ſunt ita ſuaves, dulces, & deſiderabiles, quid erunt conſolationes ſpiritus, & Charitatis? Sunt adeò fortes, ut Ephrem Syrus cogeretur Domino-Deo dicere: *Contine, Domine, contine undas conſolationis tuæ, quia præ dulcedinis magnitudine ſuſtinere non poſſum*.

De Præceptis Decalogi in communi.

Quæro IX. *Quid eſt Decalogus?*

℟. Decalogus eſt vox græca, quæ latinè ſonat *Decem Verba*. Vel eſt Sacrum Volumen, quod decem Legis Divinæ poſitivæ præcepta continet: quorum tria priora Deum reſpiciunt, & dicuntur præcepta primæ Tabulæ, alia verò ſeptem poſteriora reſpiciunt proximum, & dicuntur præcepta ſecundæ Tabulæ: Quæ decem præcepta fuerunt à Chriſto-Domino, tanquam Summo Legiſlatore, non ſolùm confirmata, & approbata, ſed etiam explicata, & ampliata, prout Legis novæ major perfectio poſtulabat. Quorum denique præceptorum violatio eſt peccatum mortale ex genere ſuo; niſi parvitas materiæ, vel inadvertentia à mortali excuſet: ut omnes DD. tenent. 31

Quæro X. *Omnia præcepta moralia reducuntúrne ad Decalogum?*

℟. Utique. Nam omnia præcepta moralia Legis Naturæ & Divinæ reducuntur ad duo, nempè ad Dilectionem Dei, & dilectionem proximi, & hæc duo continent illa decem, & hæc decem continent omnia: ut Aſteſanus oſtendit ex D. Auguſtino, qui, *quæſt.* 140. *Super Exodum*, dicit: Decalogum, in quo Divinæ Legis præcepta continentur, eſſe omnium Legum Epitomen abſolutiſſimam, Summamque omnium eorum, quæ homini Chriſtiano agenda ſunt. Unde ſi præcepta Decalogi benè intelligantur, ſufficient ad omnes actus humanos tum internos, tum externos, rectè ordinandos; cùm omnia præcepta moralia aliquo modo ad Decalogum reducantur. 32

Quæro XI. *An virtutes Theologales, ſcilicet Fides, Spes, & Charitas reducantur, vel pertineant ad Decalogum?*

℟. Quòd ſic; Quia tria priora Decalogi præcepta ordinant hominem ad Deum, ejuſque cultum; At niſi priùs in Deum credamus, ipſum colere nequaquam poſſumus: & hunc cultum educat, & fovet Spes, firmat, & perficit Charitas; ergo &c. 33

Quæro XII. *Quare Deus condidit Legem Decalogi?*

℟. Quia ſic decebat Divinam æquitatem, dare certas regulas juſtitiæ, ut nullo 34

modo

modo homines excuſari poſſent, eiſque non liceret, eas impunè tranſgredi, quas diſtinctè à Deo Legislatore rectiſſimo acceperant. Tum quia hoc nobis expediebat, ut homo ſic obligatus a Deo, ipſi Deo obediret, & ſic in merito proficeret, & ad majorem Gloriam perveniret. Tum quia multùm nobis contulit, habere Legem Divinam, ex qua certò ſciamus Divinam voluntatem, eamque libentiùs impleamus. Unde dicebat Propheta, Pſal. 147. *Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis: Leges* videlicet *ſuas*: ut explicat hìc Card. Bellarm. In quo Deus oſtendit, quantum interſit inter populum ſuum, & alias Nationes: alias enim Nationes docuit Deus per effectus naturales, ut ex rebus creatis agnoſcerent Creatorem, ſed populum ſuum ipſe Deus docuit per Prophetas ſuos, & noviſſimè per Filium ſuum, ac per prædicationem Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum.

Quæro XII *Præcepta Decalogi in quo ſpecialiter fundantur?*

35 ℞. Omnia Decalogi præcepta fundantur ſpecialiter in Æquitate, & Juſtitia. Eſt enim Juſtitia quædam virtus, ut vidimus, qua reddimus unicuique, quod ſuum eſt. Quatuor autem ſunt partes Juſtitiæ. *Prima*, qua Deo reddimus, quod ſuum eſt, illique debemus: & hæc dicitur *Religio*, quæ eſt virtus inclinans àd exhibendum Deo debitum cultum, honorem, & amorem; in qua virtute tria præcepta primæ Tabulæ fundantur. *Secunda* eſt, qua Parentibus, impendimus, quod eis debemus: & hæc dicitur *Pietas*, quæ in quarto præcepto fundatur. *Tertia* eſt, qua aliis legitimis Superioribus exhibemus ea, quæ ratione Superioritatis eis debemus; & hæc dicitur *Obſervantia*, vel Obedientia; & iſta etiam in quarto præcepto continetur. *Quarta eſt*, qua aliis proximis impendimus ea, quæ unicuique debemus vel in corpore, vel in fama, vel in re quacumque, & hæc dicitur propriè *Juſtitia*, quæ in aliis ſex præceptis Decalogi comprehenditur; ergo &c.

Quæro XIV. *An præcepta Decalogi obligent ad opera formata Charitate?*

36 Pro clariori intelligentia, & faciliori reſolutione hujus Quæſiti. Notandum eſt I. Quòd opera dicuntur formata Charitate, quando fiunt per Charitatem, vel ex Charitate, ſeu in ſtatu Gratiæ. Unde ſenſus Quæſiti eſt: *An præcepta Decalogi impleri poſſint extra ſtatum Charitatis*, ſeu Gratiæ, licèt non ſit meritoria talis impletio; Nam ſine Gratia habituali, & actuali non poſſumus mereri &c. Ex dictis *Tract. 5. n. 38. 39. 42. ad 45.* videtur reſolutum hoc Quæſitum; Nihilominùs aliqua ſuperaddendo iterùm reſolvam.

Notandum II. Quòd Charitas dicitur finis, & modus præceptorum Divinorum quoad eorum perfectam impletionem; nam Charitas eſt forma omnium virtutum; unde quodlibet opus virtutis, niſi ſit hac forma informatum, non eſt meritorium de condigno vitæ æternæ. 37

Notandum III. Quòd Communis Doctorum ſententia eſt, poſſe hæc præcepta impleri quoàd ſubſtantiam ſine Charitate, excepto uno de dilectione ipſius Dei. 38

Notandum IV. Quòd hæc obligatio ad opera formata, ſeu facta in Gratia poteſt conſiderari dupliciter; vel ut obligatio abſoluta, *ſic faciendi*, vel ut obbligatio conditionata, *ſi ſic feceris*. Explico. Obligatio abſoluta eſt, qua aliquis obligatur facere, vel non facere aliquid; itaut, ſi oppoſito modo ſe habeat, neceſſariò culpam incurrat, & pœnam. Obligatio autem conditionata, ſeu conditionalis eſt, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, ſi vult pervenire ad tale premium; & hæc obligatio in eo, qui omittit, non inducit omiſſionis peccatum, ſed tantùm carentiam præmii. His poſitis. 39

℞. *I.* Loquendo de obligatione conditionali, præcepta Decalogi obligant ad opera formata ex Charitate; Nam ſi quis vult ad vitam æternam pervenire, neceſſe eſt, ut ex Charitate ſervet mandata; quia Charitas eſt meriti principium. 40

℞. *II.* Loquendo autem de obligatione abſoluta, præcepta Decalogi non obligant ad opera formata ex Charitate; quia ſic obligant tantùm ad ſubſtantiam operis in genere, non autem ad modum, nec ad finem; Tum quia, ſi homo obligaretur abſolute ad opera formata poſitivè, ſcilicet ex Gratia, aut ex Charitate facta, vel facienda, ſequeretur: quòd homo in peccato exiſtens, & ſic non furans, non occidens, non fornicans &c. adhuc mortaliter peccaret ſemper, & pro ſemper; nam obſervatio horum præceptorum negativorum formata eſſe non poteſt, dum homo eſt in peccato mortali; Idem eſſet ſi aliqua alia mandata poſitiva obſervaret, honorando Parentes, audiendo Sacrum die 41

die Feſto, orando &c. nam ſemper non facit hæc opera formata, ergo faciendo ſic, peccat, quod eſt falſum, & magnum abſurdum. Ita ex D. Bonaventura *in 4. diſt. 27. art. 1. q. 2.* docet Maſtrius *in Morali Theologia, diſp. 11. art. 2. q. 1.*

42 *Obiicies I.* Legiſlator præſertim Summus, præcipit, non ſolùm opus juſtum, ſed etiam, ut juſtè fiat: ergo præcipit non ſolùm juſtitiam in facto, ſed etiam juſtitiam in modo, ſicque præcipit opus formatum &c. ℞. Si loquamur de modo juſtitiæ, qui excludit deordinationem intentionis & deformitatem peccati, & ſic facit animum juſtum, concedo. Si autem loquamur de modo juſtitiæ, qui facit opus Deo placitum, & nobis meritorium, & ſic propriè reddit opus formatum, nego conſequentiam.

43 *Obiicies II.* Chriſtus Dominus dixit cuidam Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva Mandata:* Ergo obſervantia mandatorum Decalogi introducit ad vitam æternam; ſed nemo introducitur, niſi per opera formata ex Charitate; ergo &c. ℞. Hoc verum eſt de obligatione conditionali, non verò de obligatione abſoluta. Et ſi à prima obligatione velis procedere ad ſecundam, facis ſophiſma, ſeu fallaciam à *ſecundùm quid ad ſimpliciter*: nam obligatio conditionata eſt obligatio *ſecundùm quid*: obligatio autem abſoluta eſt obligatio *ſimpliciter*.

44 Obſervatio enim mandatorum Dei importat duo ſeparabilia adinvicem: nempè Evitationem pœnæ, & Aſſecutionem præmii. Qui facit opera formata, utrumque obtinet, ideſt, & evitat pœnam, & aſſequitur præmium æternum. Qui autem facit opera informia, ſeu non formata, unum obtinet, nempè evitationem pœnæ. Nam obſervatio mandatorum eſt via non tantùm ad evitandam pœnam tranſgreſſionis, ſed etiam deveniendi ad ſtatum gratiæ, & gloriæ. Quando enim homo à malo declinat, ſatisfacit obligationi abſolutæ de evitando peccato, non tamen conditionali de aſſequendo præmio æterno, niſi faciat opus bonum ex Charitate; ergo poteſt ſtare obſervatio aliquorum mandatorum Decalogi quoad ſubſtantiam actus, per quem ſatisfit præceptis; licèt non quoad modum, aut finem actus, per quem meretur &c. Nam modus, vel finis præcepti, ut diximus, regulariter loquendo, non cadit ſub præcepto abſoluto, niſi in eodem exprimatur, & directè præcipiatur modus, vel finis.

Quæro XV. *Quomodo intelligitur illud dictum Jacobi Minoris: Quicumque totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium Reus?* Epiſt. Jacobi c. 2. v. 10.

℞. *I.* Gloſſa Ordinaria ſic explicat hunc 45 textum: Verè qui in uno offendit, eſt tranſgreſſor totius Legis: quia qui peccat, contra Auctorem Legis facit, quem in ſua Lege negligit, & contra Charitatem facit, quæ eſt cauſa, & Mater totius Legis. Si quis V.G. me offenderet, omnes fratres, & amicos meos in me offenderet, & quodammodò contra omnes peccaret. Sic qui unum mandatum negligit, cætera, quæ completa videbantur adjuvare ſibi, inutilia redit. – Vel aliter. Qui in uno præcepto Charitatis offendit (nam Charitas eſt radix omnium præceptorum,) ab omnibus præceptis, quæ ſunt quaſi filii Charitatis, accuſatur. Reconciliato autem illo uno, in quo offenderat, cætera omnia reconciliantur.

℞. *II.* Divus Auguſtinus ſic explicat: Offendens in uno, reus eſt omnium, quia omnis Virtus patitur detrimentum ab uno vitio.

℞. *III.* D. Hieronymus ſic explicat: Ipſe locus ſe interpetratur; Nam ſequitur Apoſtolus ita dicendo: *Qui enim dixit: Non mœchaberis; dixit, & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor Legis.* Non enim dixit: Qui divitem pauperi in honore prætulerit, reus eſt adulterii, vel homicidii; In hoc enim delirant Stoici, paria contendentes eſſe peccata; ſed dixit. Si non mœchaberis, occidas autem: vel ſi non occidis, mœcharis autem, factus es tranſgreſſor Legis.

℞. *IV.* Nicolaus de Lyra ſic explicat: Quicumque autem totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus: Quod eſt intelligendum de pœna damni, quæ eſt carentia Divinæ viſionis, quam incurrit homo per unam trangreſſionem Legis Divinæ; quia peccatum mortale eſt tranſgreſſio Legis Divinæ. At qui plures trangreſſiones facit, pœnam ſenſus incurrit graviorem. Et quod de pœna damni intelligatur, littera ſequens oſtendit, cùm dicitur ibi: *Qui enim dixit: Non mœchaberis &c.* Ab

uno

Digitized by Google

uno enim Deo ſunt omnia præcepta; propter quod per traſgreſſionem unius præcepti offenditur Deus, & per conſequens ejus viſio tollitur.

46 ℟. *V.* Cornelius à Lapide ſic explicat: Apoſtolus Jacobus occurrit objectioni huic: Ego reliquam Legem totam ſervo, eſto accipiam perſonas Divitum: ergo ſum juſtus: ergo ſalvabor. Fuit enim hic error Phariſæorum, & aliorum: nimirùm eum ſalvandum fore, qui majorem partem Legis ſervaret, etſi non totam. Reſpondet S. Jacobus, hoc eſſe falſum; nam qui unam legem violat, omnes violat, fitque omnium reus; ac proinde eſt injuſtus, & reus gehennæ.

Quæres, quomodo hoc ſit verum? Multi enim unum tantùm præceptum violant, cætera obſervant; ergo unius tantùm Legis, ſeu præcepti ſiunt Rei, non autem cæterorum omnium præceptorum, vel Legum.

℟. Ly *Omnium* intellige conjunctim, ſive copulatim ſumptorum; Omnes enim Leges, ſeu omnia præcepta integrant, & conſtant unam Legem, ſicut decem præcepta integrant, & conſtant unum Decalogum; quaſi dicat Apoſtolus, qui unam Legem, vel unum præceptum violat, totam Legis Univerſitatem, quæ ex ſingulis Legibus, & præceptis integratur, violat. Violat ergo omnia, non ſingula, quatenus omnia ſimul ſumpta unum totum conſtituunt corpus Juris; Et fit *Omnium Reus*, quia violat Legem, ſeu integritatem Legis. Totum deperit, deſinitque eſſe totum, ſi una duntaxat ejus pars ab eo dematur, eſtò cæteræ in eo remaneant illæſæ.

Et ſic, ad propoſitum, qui V.G. ſolùm fornicatur, totum Decalogum, (qui ita denominatur à denario numero mandatorum Dei,) tranſgreditur; eſtò enim cætera novem præcepta ſervet, non tamen poteſt dici, ſervaſſe, & impleſſe Decalogum, quia violavit unum mandatum, quod eſt pars eſſentialis, & integralis totius Decalogi, qui eſt unum totum, quod ex decem partibus componitur; Unde talis tranſgreſſor unius præcepti fit *Reus Omnium*, ideſt totius Legis Decalogi, quia violavit integritatem Legis, ſpernendo Legislatoris Ordinationem, Majeſtatem, & Poteſtatem; verèque dici debet tranſgreſſor Legis.

Patet hoc à ſimili. In Muſica, quæ eſt 47
conſonantia multarum vocum, ſi unica vox diſſonet, aut deficiat, totam Muſicam, & harmoniam corrumpit; ſic Juſtitia vera conſiſtit in obſervatione totius Legis, quare, ut quis juſtus, ſit, & dicatur coram Deo, debet totam obſervare Legem Dei; adeò ut, ſi vel in uno offendat præcepto, reverà injuſtus, Legiſque prævaricator ſit, & dicatur; ideòque iræ Divinæ reus, & damnationi obnoxius efficiatur; niſi per veram pœnitentiam iterum juſtificetur coram Deo &c.

Hæc mihi ſufficiant pro compendio Le- „
gum, & præceptorum in communi; Dein- „
ceps, Deo dante, tractabo de Præceptis „
Decalogi in ſingulari, quorum notitia di- „
ſtincta valdè neceſſaria eſt Confeſſario tam „
in ordine ad propriam, quàm in ordine „
ad alienam Conſcientiam dirigendam. – „
Et ad majorem claritatem dividam ſingula „
in ſingulos, varioſque Tractatus. „

TRACTATUS VIII.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

De Præcepto Fidei.

1 QUæro I. *Quid eſt Fides Divina?* *Reſp. I.* Eſt Virtus ſupernaturalis inclinans intellectum noſtrum ad aſſentiendum firmiter omnibus à Deo revelatis. *Ita Laymannus*. ℟. 2. Eſt Virtus intellectualis, & Theologica, qua creditur aliquid propter auctoritatem Dei, illud revelantis. *Ita Anacletus Bavarus*. ℟. *III.* Eſt quidam habitus à Deo nobis ſupernaturaliter infuſus, quo firmiter credimus Myſteria Fidei,

Digitized by Google

dei, eò quòd à Veritate infalibili ipſius Dei revelata ſunt. *Ita Geſualdus.*

Quæro II. *Quotuplex eſt?*

2 ℞. Duplex, Habitualis nempè, & Actualis. *Fides habitualis* ſic deſcribitur· Eſt Virtus Theologica Divinitùs nobis infuſa in Baptiſmo, & donum Dei inclinans ad firmiter aſſentiendum iis omnibus, quæ à Deo nobis revelata ſunt, & ab Eccleſia Catholica propoſita ſunt nobis de Fide credenda. *Fides* verò, *actualis* ſic deſcribitur: Eſt exercitium Fidei habitualis; ſeu eſt actualis aſſenſus firmus alicui propoſitioni, vel Myſterio de Fide credendo ex eo, quia Deus hoc nobis revelavit & manifeſtavit per Miniſtros authenticos Eccleſiæ Catholicæ.

Quæro III. *Quomodo elicitur actus Fidei?*

3 ℞. Hoc modo: quidquid dicit Deus, eſt omninò verum, & infallibile; Sed Deus dicit V.G. ſe eſſe unum in Eſſentia, & Trinum in Perſonis; Ergo firmiter credo Unitatem, & Trinitatem Dei; *Vel ſic.* Deus revelavit Eccleſiæ ſuæ omnem Veritatem neceſſariam ad ſalutem noſtram; ſed Eccleſia docet me, Sacramenta V. G. eſſe ſeptem, ergo firmiter credo, Sacramenta eſſe ſeptem. Et ſic de ſimilibus.

Quæro IV. *Quodnam eſt objectum Fidei noſtræ?*

4 ℞. I. Objectum materiale & terminativuum Fidei eſt in primis ipſe Deus, ejuſque Exiſtentia, & Divinitas; Quia Fidei præcipuum officium eſt, ut credatur in Verum Deum; & ideò in Symbolo Apoſtolico à principio dicitur: *Credo in Deum:* & in Symbolo Eccleſiaſtico dicitur: *Credo in unum Deum.* — Deinde quidquid fecit, & dixit Deus, & continetur in Sacra Scriptura Canonica. Et tandem quidquid Eccleſia Catholica cunctis Fidelibus tradit de Fide credendum, & tenendum. -- ℞. II. Objectum formale, & motivum Fidei Divinæ, eſt Veracitas, ſeu Veritas, & Fidelitas Dei in revelando; Quia Deus, cùm ſit ipſa prima Veritas, impoſſibile eſt, quòd poſſit mentiri, aut fallere in ejus dictis, & revelatis; ergo ejus ſumma Auctoritas, & veracitas movet nos ad firmiter credendum; Unde noſtra Fides eſt credulitas digna Deo: Et Fidei Catholicæ nihil poteſt ſubeſſe falſum.

5 *Dices*. Plurimi de plebe credunt Articulis Fidei, non ex motivo Veracitatis Dei revelantis, ſed ob propoſitionem illorum Articulorum, factam, ſibi à Concionatore, vel à Parocho. Ergo pueri, mulieres, & homines rudes vel non credunt Fide ſupernaturali illis Articulis, vel ſi credunt, & eliciunt veros actus Fidei Supernaturalis, & Divinæ, non erit neceſſarium illud objectum formale, & motivum revelationis Divinæ.

6 ℞. I. Tales homines de plebe, & rudes non credunt Articulis Fidei ob ſolam propoſitionem, & inſtructionem Concionatoris, vel Parochi; ſed credunt & ob hanc, & ſimul ob apprehenſam, ſaltem implicitè, revelationem veraciſſimam Dei factam Eccleſiæ Catholicæ. Si quidem dum homines illi ſimpliciores credunt Articulis Fidei, ſibi propoſitis à Miniſtris authenticis Eccleſiæ, ſimul etiam apprehendunt, id à Deo fuiſſe revelatum, ob cujus infallibilem Veracitatem credunt auditis, ac propoſitis ſibi Myſteriis, de neceſſitate ſalutis credentis, Fide Divina. *Ita Anacletus.*

7 ℞. II. In pueris, & rudibus hominibus non requiritur evidentia credibilitatis Myſteriorum Fidei, quæ habetur ex vi argumentorum, & motivorum; quia eorum defectus ſuppletur lumine Fidei, & illuſtratione Spiritus Sancti, qui adjuvat infirmitatem noſtram, & ſupplet defectum incapacitatis illorum, qui non perſpiciunt, nec intelligunt, quomodo Teſtimonia Dei ſint credibilia evidenter, vel habeant in ſe evidentiam credibilitatis, revelationis, veracitatis &c. Quandoquidem Habitus Fidei inclinat ad credendum; Concionator, vel Parochus explicat Myſteria, & docet, eſſe omninò credenda, quia iſta ſunt Fidei Divinæ Myſteria, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & omnes Sancti, & Catholici viri, ac mulieres iſta infallibiliter credunt, & tota Eccleſia hæc Myſteria docet, & credit &c. Ex auditu autem hujuſmodi rudes homines, concurrente illuſtratione Spiritus Sancti, (qui nunquam deficit ex parte ſua, ſemper que aſſiſtit Miniſtris Eccleſiæ ſuæ) faciunt judicium practicum, quòd ea Myſteria credenda ſunt de neceſitate ſalutis, eiſque firmiter adhærent, & aſſentiunt ſine ulla formidine de oppoſitò; & ita eliciunt actum Fidei Divinæ, & ſupernaturalis. Ita ex Cardena *diſſert.* 14.

Quæ-

Quæro V. *Quomodo intelligitur illud dictum S. Auguſtini: Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas?*

8 ℞. Quia authoritas Eccleſiæ Catholicæ, (quæ eſt Mater, & Magiſtra cunctorum Fidelium) eſt velut ratio nobis proponens, & oſtendens objecta materialia Fidei; Nam per Eccleſiam exhibentur nobis omnes Articuli, qui ſunt credendi; atque per ipſam Eccleſiam traduntur nobis Libri Canonici Sacræ Scripturæ, & Traditiones antiquæ, & Apoſtolicæ: Et ipſa Eccleſia nobis declarat, quòd hæc, & non alia ſit vera Scriptura Sacra, quòd hoc, & non aliud ſit verum Euangelium à Spiritu Sancto dictatum, & revelatum; quòd hæ, & non aliæ ſint veræ Traditiones à Chriſto oretenùs Apoſtolis datæ, atque per Apoſtolos poſteris dictatæ, & uſitatæ; Tum quia ſciebat Auguſtinus, Spiritum Sanctum in negotio tanti momenti, (an V. G. hoc ſit Euangelium verum;) non ſinere Eccleſiam, dilectam ſuam Sponſam, errare, aut decipi, ideò dixit: *Euangelio non crederem, niſi me Catholica Eccleſia commoveret authoritas*: ſupple, *credendi, hoc eſſe verum Euangelium Chriſti*. Unde eſt communis praxis Fidelium, qui uno verbo omnia credenda credunt, dicentes: Credo quidquid Sancta Mater Eccleſia credendum proponit. *Vel brevius*: Credo quod credit Eccleſia.

Quæro VI. *Quænam eſt differentia inter Credere Deum, Credere Deo, & Credere in Deum?*

9 Differentia eſt iſta. Quia Fides Divina triplicem ordinem ad Deum habet; nam primò reſpicit Deum, ut objectum primarium Fidei, quod exprimitur per ly *Credo Deum*: ideſt, Credo Deum eſſe Deum. Secundò reſpicit Deum ſub ratione formali Fidei, nempè Deum ut Veracem, quod exprimitur per ly *Credo Deo*: ideſt, Credo Deum vera dicere, veraque revelare. Tertiò reſpicit Deum ut finem ultimum ad quem tendimus, quod exprimitur per ly *Credo in Deum*, ideſt, Credendo, in Deum tendo, ad quem per Fidem accedo, per Spem, & Charitatem Deum ipſum poſſideo, quod eſt fundamentum, & exercitium vitæ Chriſtianæ. Ita ex D. Auguſtino, D. Thoma, & aliis tradit Layman.

Quæro VII. *Daturne Speciale Præceptum Fidei?*

℞. Affirmativè. Quod probatur I. Auctoritatibus Sacræ Scripturæ. Marci cap. ultimo, *Qui Crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Ad Hebr. cap. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et alibi &c. Prob. II. Auctoritate Concilii Tridentini, ſeſſ. 6. cap. 8. Fides eſt humanæ Salutis initium, fundamentum, & radix omnis Juſtificationis. Prob. III Rationibus Theologicis; Quia Virtutes Theologicæ obligant per ſe, ſpecialiter, & expreſsè omnes homines & ad illas habendas, & ad actus earum eliciendos ſæpiùs in vita; quia ſunt Virtutes principales, & neceſſariæ ad ſalutem æternam; ergo &c. Tum quia Virtutes Theologicæ, *Fides, Spes, Charitas*, ſunt media à Deo ordinata pro ſalute noſtra ſempiterna: Ergo non poſſunt, non eſſe præcepta: Ergo datur præceptum Divinum de vera Fide Divina. 10

Tum quia damnata fuit ab Innocentio XI. hæc propoſitio, quæ eſt *n. 16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe*. Ideſt ut explicat hìc Cardenas: Præceptum fidei non obligat ratione ſui, & per ſe; ſeu propter ipſam Virtutem Fidei exercendam, ſed obligat per accidens, ſcilicet quatenus neceſſaria eſt ad alias Virtutes exercendas. Hoc, ut falſum, & ſcandaloſum damnatur; Quia datur de facto obligatio ſpecialis credendi quæ ſunt de Deo nobis revelata, & multò magis credendi ipſummet Deum; quia Deus eſt primum, & per ſe objectum Fidei, in cujus cognitione ſupernaturali eſt initium noſtræ ſalutis juxta illud Chriſti dictum Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum.* 11

Confirmatur; nam Alexander VII. damnavit hanc theſim (quæ eſt n. 1.) *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ubi notanda ſunt illa verba: *Ex vi præceptorum Divinorum ad eas Virtutes pertinentium*: Hoc eſt damnatum: ergo omninò tenendum eſt, has Virtutes habere ſpecialem vim obligandi Fideles ad exercendos actus earum virtutum ſecundùm ſe, & per ſe, independenter ab aliis Virtutibus &c. 12

Quæro VIII. *Quænam eſt differentia inter Fidem explicitam, & Fidem implicitam?*

℞. *Fides explicita* dicitur illa, per quam 13

quam res divinitùs revelata ſub propria ratione, & in præciſis terminis creditur: ut quando diſtinctè, & in particulari creditur V. G. Deus incarnatus, paſſus &c. *Fides autem implicita* eſt, per quam creditur res revelata in univerſali, vel prout in aliqua alia propoſitione continetur virtualiter, quæ propoſitio diſtinctè credatur. V. G. Qui explicitè credit quidquid Sancta Mater Eccleſia credit, vel proponit omnibus credendum, iſte implicitè credit omnes prorsùs Articulos Fidei. Unde patet differentia; nam Fides explicita eſt clara, & diſtincta notitia Myſteriorum, quæ credimus. V. G. Credo, Deum eſſe unum in Subſtantia, & Trinum in Perſonis: Credo, Filium Dei eſſe Incarnatum ex Maria Virgine, & ſic de aliis. Fides autem implicita eſt confuſa, & obſcura notitia credendorum, quæ continentur in una alia notitia diſtinctè credita, V. G. Credo omnia, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, cujus Articulos diſtinctè neſcio. Articuli autem Fidei, alii ſunt credendi de neceſſitate medii, alii ſunt credendi de neceſſitate præcepti.

Quæro IX. *Quid ſignificat, Articulos aliquos eſſe credendos de neceſſitate medii, alios verò de neceſſitate præcepti tantùm?*

14 ℞. *I.* Neceſſitas medii, ſeu finis dicitur illa, quæ ita exigit quidpiam ad gratiam, & ſalutem Animæ conſequendam, ut ſine eo medio (quamvis inculpabiliter ignoretur, & omittatur) adhibito realiter, finis, nempè gratiæ, & gloria, non poſſit obtineri. V.G. Baptiſmus in re ſuſceptus à parvulis, & in re, vel in voto ſuſceptus ab adultis, dicitur neceſſarius *neceſſitate medii*, aut finis; nam ſi quis parvulus etiam ex impotentia phyſica (quia V.G. non adeſt aqua, aut miniſter ſciens formam, aut quia moritur in materno utero) non baptizetur, nullo modo ſalvatur; Et ſi Hebræus adultus etiam per ignorantiam invincibilem non recipiat Baptiſmatis lavacrum, aut non deſideret, quantùm poteſt, baptizari, non poteſt ullo modo ſalvari.

℞. *II.* Neceſſitas autem præcepti tantùm eſt illa, qua quidpiam requiritur neceſſariò ad finem obtinendum, ſub obligatione præcepti præſtandum: alioquin tranſgrediens voluntariè præceptum illud, mortaliter peccaret; at hoc poteſt omitti vel ex ignorantia invincibili, vel ex impotentia phyſica, aut morali, ſine peccato. Ut V. G. Sacramentum Euchariſtiæ; Nam ſine hoc Sacramento poteſt homo Chriſtianus ſalvari, ut notum eſt; tenetur tamen adultus illud recipere ſuo tempore; quòd ſi non poſſet illud ſuſcipere, non peccaret &c. nec damnaretur ex tali omiſſione.

℞. *III.* Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, eſt etiam ſemper neceſſarium neceſſitate præcepti; nam eadem Lege, qua quis adſtringitur ad finem aliquem conſequendum, vel procurandum, adſtringitur pariter ad medium neceſſarium adhibendum pro tali fine proſequendo.

Hinc patet, quid ſignificet, Articulos alios Fidei eſſe neceſſarios *neceſſitate medii*: alios verò *neceſſitate præcepti* tantùm; Nam quos tenemur credere de neceſſitate medii (quæ dici poteſt neceſſitas abſoluta) ſi non credamus, & ſciamus, non poſſumus obtinere gratiam, & Gloriam Dei; quos verò Articulos tenemur credere de neceſſitate præcepti (quæ dici poteſt neceſſitas conditionata) ſi ex cauſa juſta, vel ex ignorantia invincibili neſciamus, & poſitivè explicitè non credamus, adhuc poſſumus juſtificari, & ſalvari; Si verò hos neſciamus, & explicitè non credamus ex ignorantia culpabili, & vincibili, tunc neque poſſumus juſtificari, nec ſalvari, niſi priùs agamus pœnitentiam de tali ignorantia, & proponamus efficaciter eos Articulos Fidei, addiſcere, & diſtinctè credere.

Quæro X. *Quinam ſunt illi Articuli Fidei, quos ſcire, & credere tenemur, neceſſitate medii?*

℞. *I.* Fides explicita de primo Articulo, 15
nempè de exiſtentia Uuius Veri Dei, qui eſt Creator omnium, & Juſtus Remunerator hominum decernens præmia æterna Juſtis, & ſupplicia improbis, eſt omnibus adultis uſum rationis habentibus neceſſaria ad ſalutem *neceſſitate medii*. Probatur ex claro textu Sacræ Scripturæ ad Hebræos c. 11. *Sine Fide eſt impoſſibile placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit*; ideſt, oportet credere, quòd datur, & eſt Unus Deus, & quòd eſt Remunerator ſe inquirentibus, præmians bonos ejus cultores; qui enim hoc non credit expreſsè, negliget Deum, nec curabit, ad Deum ipſum accedere, eumque colere, timere, & amare; Ergo ut quivis homo accedat ad Deum, eique placeat, neceſ-

neceſſe eſt, neceſſitate abſoluta, & ſimpliciter, ut Fidem habeat, qua in Deum, *ut Deum*, & ut *Judicem*, *Vindicem*, *& Remuneratorem* credat explicitè.

16 Ubi obſerva, quòd hic agitur de Fide Divina, & Supernaturali tam habituali, quàm actuali; Unde non ſufficit ad ſalutem, hoc eſt, ad Gratiam, & Gloriam obtinendam à Deo naturalis Dei cognitio, cultus, & reverentia; quia hæc non eſt Fides, ſed ſcientia de Deo naturaliter acquiſita ex effectibus, rebuſque creatis, ſolùmque inſervit ad cognoſcendum Deum, ut Primam Cauſam, & ut Auctorem Naturæ, non autem ut ultimum Finem noſtrum, & ut Auctorem Gratiæ, & Gloriæ; Deus enim vult coli ab hominibus, non tantùm ut Auctor Bonorum naturalium, ſed etiam, ut Auctor, & Largitor bonorum ſupernaturalium, & æternorum, ad quæ obtinenda creavit hominem, & elevavit mediante Lumine Fidei; nec alia via poteſt homo ad Deum ſic accedere, niſi per hanc Fidem. *Vide à Lapide in illum textum Epiſt. ad Hebr. c. 11. v. 6.*

17 Hinc jure merito Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem n. 22. quæ dicebat: *Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* -- Ratio damnationis eſt: quia textus citatus Epiſtolæ D. Pauli ad Hebr. c. 11. exprimit utrumque: nempè oportere credere: *Deum eſſe Deum & Remuneratorem*; Sed Fides de Exiſtentia Dei eſt neceſſaria neceſſitate medii; ergo eodem modo neceſſaria eſt Fides de Remuneratione Dei; ut ſuprà explicavimus.

18 Et pariter damnavit idem Pontifex ſequentem theſim, quæ eſt n. 23. & dicebat ſic: *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.* Ratio damnationis eſt: quia hæc non eſt vera Fides Divina, prout definitur à Theologis Catholicis: ſed eſt quædam Fides humana, vel potiùs notitia Dei ex puris naturalibus. Sed certum eſt, quòd Fides, ad juſtificationem ſufficiens, debet eſſe Fides Theologica, & Supernaturalis, ut probavimus ſuperiùs; ergo &c.

19 *Rt. II.* Poſt Chriſti adventum, & ſufficientem Evangelii promulgationem, nempè his noſtris temporibus, Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Jeſu Chriſti Filii Dei expreſsè credenda ſunt ab omnibus adultis uſum rationis habentibus, *neceſſitate medii, & præcepti Divini*, ad eorum juſtificationem, & Beatitudinem conſequendam: quod eſt dicere: Iſti duo Articuli Fidei *de Trinitate, & Incarnatione* ſunt expreſsè credendi de neceſſitate ſalutis æternæ: ſeu, Fides explicita iſtorum Myſteriorum eſt neceſſaria nobis neceſſitate abſoluta; ita, ut qui ea ignorat Myſteria, non poſſit ſalvari, de Lege ordinaria.

20 *Probatur I.* Chriſtus Dominus mittens Apoſtolos ad Fidem Euangelicam propagandam, injungit eis expreſsè Matthæi cap. 28. *Ut doceant omnes Gentes, & baptizent in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* qui ritus ſemper fuit in Eccleſiam, quæ neminem ad Baptiſmum recipit, quin priùs inſtruat in his Myſteriis, & diligenter à Catechumeno inquirat: An *credat in Deum Patrem, in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum:* quæ Sacra cæremonia apertè demonſtrat, & probat, explicitam Sanctiſſimæ Trinitatis fidem eſſe neceſſariam ad juſtificationem.

21 *Prob. II.* Symbolum S. Athanaſii, quod legitur in Breviario Romano docet ſic: *Fides autem Catholica hæc eſt, ut Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur:* ſubdens, & concludens: *Quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit; ergo &c.*

22 *Probo III.* Chriſtus dicit Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* -- Quæ verba ſic explicat à Lapide cum Cajetano, Titelmano, & aliis: *Hæc eſt vita æterna*: ideſt, hæc eſt cauſa vitæ æternæ, vel, hæc eſt via ad vitam æternam: ut per fidem cognoſcant homines, & credant, Te Patrem eſſe verum Deum, & Jeſum Chriſtum eſſe tuum Filium tibi conſubſtantialem, à Te miſſum ad eorum ſalutem. Fides enim in Deum, & Chriſtum eſt recta via ducens nos ad vitam æternam, juxta illud Joan. 3. *Ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

23 *Prob. IV.* Chriſtus Dominus Marci cap. ultimo dixit Apoſtolis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* -- Sed numquid Euangelium continet ſolùm ea Myſteria Fidei, quæ credebat Synagoga Judæorum

ante adventum Meſſiæ? Patet quòd non. Ergo ſi Euangelium continet alia Myſteria credenda, non ſufficiet modò ad ſalutem credere explicitè ſolam *Unitatem Dei, & Remunerationem æternam*, ſed requiretur etiàm fides expreſſa præcipuorum Myſteriorum, quæ ſunt in Euangelio: hæc autem ſunt utique *Myſteria Trinitatis, & Incarnationis*: ergo &c.

24 *Prob. V.* Innocentius Papa XI. damnavit hanc propoſitionem ſa 64. quæ ſonabat ſic: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei: & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

Hæc propoſitio habet, ut patet, duas partes; prima aſſerit, eſſe capacem abſolutionis Sacramentalis hominem Chriſtianum, qui ignorat Myſteria Fidei noſtræ: & hæc pars abſtrahit ab ignorantia quacumque, ſive invincibili, ſive vincibili: &, prout jacet, damnatur. -- Secunda pars exprimit, ſeu ſpecificat ignorantiam vincibilem, & culpabilem. -- Item prima pars loquitur de Myſteriis Fidei in generali; ſecunda verò pars loquitur ſpecialiter de Myſteriis Trinitatis, & Incarnationis. Ergo à contrario ſenſu dicendum eſt, quòd homo Chriſtianus qui, ignorat ſive invincibiliter, ſive vincibiliter Myſteria Fidei principaliſſima, quæ ſunt duo, nempè *quòd datur Unus Deus, & quòd Deus eſt Remunerator* bonorum operum, & Vindex malorum in æterna, & alia vita; & quòd ſi ignoret vincibiliter alia duo Myſteria principaliora noſtræ Fidei, nempè, *quòd Deus eſt Trinus in Perſonis, & quòd Secunda Perſona incarnata eſt &c.* homo, inquam, iſte non eſt capax Sacramentalis abſolutionis, quia non eſt ſufficienter diſpoſitus ad Gratiam Dei recipiendam.

25 *Quare?* Quia Fides explicita horum quatuor Articulorum eſt neceſſaria ad Juſtificationem; ſed qui ignorat hos Articulos non poteſt elicere actum Fidei explicitæ erga illos; Ergo hæc Myſteria explicitè credita neceſſaria erunt neceſſitate medii, & præcepti Divini; nam ſunt veluti quatuor baſes, & fundamenta totius noſtræ Juſtificationis, & Salutis. Quomodo enim peccator poterit juſtificari coram Deo, & acquirere Divinam ſuam Gratiam, & Amicitiam, niſi priùs credat Fide ſupernaturali, quod Deus eſt, & Auctor Gratiæ, & Gloriæ eſt? quòd Deus punit æternaliter peccatores in Inferno, & præmiat juſtos in Cœlo? quòd Deus Pater miſit Filium ſuum Unigenitum in hunc mundum, ut ſalvetur mundus, ideſt homo in mundo exiſtens, per ipſum Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, qui paſſus, & mortuus eſt pro Redemptione omnium noſtrum? Et quòd Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ in Remiſſionem peccatorum pro adultis lapſis in mortale peccatum poſt Baptiſmum?

Eſt igitur impoſſibile, quòd homo Chri- 26
ſtianus ſit capax Juſtificationis, & abſolutionis Sacramentalis, niſi priùs ſciat, & credat firmiter illos Articulos Fidei, & ſic, prævio actu Fidei, & Spei, ſe præparet, cum Dei adjutorio, ad actum contritionis, vel attritionis, & ita ex corde convertatur ad Deum, confitendo peccata ſua legitimo Sacerdoti &c.

Quæro XI. *Peccatne Confeſſarius abſolvendo hominem ignorantem prædicta Myſteria?*

℞. I. Si advertat talem ignorantiam pœ- 27
nitentis, utique graviſſimè peccat. Quia abſolvit incapacem, & indiſpoſitum: & abſolutio eſt invalida; nam ſcire, & credere illa Myſteria, eſt medium neceſſarium ad juſtificationem; ergo &c. Tum quia talis pœnitens neſcit quid faciat; quid enim ſcire poteſt de Sacramento hoc ille, qui ignorat fundamenta noſtræ Religionis, & Fidei.

℞. II. Si advertat nimiam ruſticitatem, & inſcitiam pœnitentis, tenetur Confeſſarius, vel inſtruere, vel dimittere illum, ut inſtruatur, antequam abſolvatur; nam actualiter eſt incapax abſolutionis propter obicem ignorantiæ eorum Myſteriorum, quæ ſcire, & credere tenetur ſub mortali; urget enim præceptum Divinum de Fide explicita illorum Myſteriorum ſpecialiter, dum pœnitens vult juſtificari: neque enim eſt alia via perveniendi ad juſtificationem, quàm Fides, *ſine qua impoſſibile eſt, placere Deo*, & per pœnitentiam placare Deum ipſum iratum contra ignorantes peccatores; Ergo ſicuti pœnitens ignarus peccaret mortaliter petendo abſolutionem ante inſtructionem, ita à fortiori peccaret Confeſſarius, cum abſolvendo.

Sed quid, ſi & pœnitens, & Con- 28
feſſarius afficiantur inadvertentia invincibili de obligatione præcepti hujus Divini?

℞. In

Digitized by Google

℞. In tali caſu Abſolutio eſt invalida, ſed non Sacrilega. *Eſt invalida* ob incapacitatem pœnitentis ad juſtificationem, vel Gratiam Dei obtinendam. *Et non ſacrilega* ob ignorantiam invincibilem hic, & nunc, quæ excuſat utrumque à novo peccato pro formali. Difficile tamen eſt, ſupponere talem ignorantiam, aut inadvertentiam in Confeſſario, qui ſub mortali tenetur, ſcire hoc Divinum Præceptum, & propoſitiones damnatas magis, quàm pœnitens. Unde talis, & tanta ignorantia in Confeſſario non præſumitur, niſi ſit valdè Novitius in hoc Officio; quinimò etiam in illo non poteſt præſupponi; quia ſine ſufficienti ſcientia quis non poteſt tuta conſcientia exercere hoc Officium; ut ſuo loco videbimus.

Quæro XII. *Quinam ſunt Articuli Fidei, quos unuſquiſque Fidelis adultus ſcire, & credere explicitè tenetur ex ſola neceſſitate præcepti?*

29 ℞. *I.* Sunt omnes alii Articuli, qui continentur in Symbolo Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico: Omnia præcepta Decalogi: Sacramenta, & mandata Eccleſiæ magis neceſſaria, & Oratio Dominica. Et hæc omnia, ſaltem quoad ſubſtantiam contentorum in ipſis; ita, ut ſi quis interrogetur de illis, rectè, & catholicè ſciat reſpondere. In hoc Reſponſo omnes DD. conveniunt.

30 ℞. *II.* Hæc obligatio, & neceſſitas ſciendi, & credendi explicitè prædicta Myſteria, & Articulos, & cætera, non eſt æqualis reſpectu omnium Fidelium; Nam Majores Eccleſiæ, ut Epiſcopi, Parochi, Prælati &c. tenentur habere Fidem magis explicitam omnium prædictorum, majoremque doctrinam de illis; quia ad eos ſpectat ex Officio inſtruere alios in rebus Fidei. Deinde alii inferiores, & minores Fideles tenentur ad ea omnia cognoſcenda, ſcienda, & explicitè credenda, quæ ſecundùm particularem exigentiam ſui ſtatus, & conditionis, juxta Divinæ Legis præſcriptum, ad ſalutem conſequendam ſunt ſibi neceſſaria; nam certum eſt, quòd Confeſſarius, Sacerdos, Paterfamilias &c. plura tenentur ſcire de rebus Divinis, quàm pœnitens, Clericus, filiusfamilias &c. Item plura tenentur ſcire Cives, quàm ruſtici: & ſic de ſimilibus.

31 ℞. *III.* Homines rudes, & ſimplices tenentur, eos ſaltem Articulos credere explicitè, qui communiter prædicantur in Eccleſia, & quos manifeſtat eis Eccleſiaſticus Ritus annualis in Feſtis principalioribus; nam hos Articulos in particulari cognoſcere, & credere poſſunt expreſsè ex ipſis ſolemnitatibus, quas Eccleſia celebrat per anni circulum; alios verò Articulos non ita manifeſtos, tenentur credere implicitè, credendo ſcilicet in generali omnia, quæ credit Sancta Mater Eccleſia; ita tamen, ut in particulari à nullo illorum poſitivè diſſentiant. — Ita D. Bonaventura, Maſtrius, & alii DD. docent communiter.

Quæro XIII. *Eſtne peccatum mortale, neſcire memoriter Symbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi, Sacramenta omnia, & mandata Eccleſiæ, atque Orationem Dominicalem?*

℞. Per ſe loquendo non eſt peccatum 32
mortale, dummodò ſciantur prædicta craſſo modo, ſaltem quoad ſubſtantiam. Nam dantur aliqui homines ita rudes, ingeniique hebetes, ac duri, qui, quamvis ſæpiùs inſtruantur à Parochis, aut ab aliis viris doctis, non valent memoria retinere verba illa per ordinem: iſti certè excuſantur à gravi culpa, imò & à levi, ſi faciant quantùm poſſunt, ut addiſcant, & retineant in memoria doctrinam Chriſtianam, quia ad impoſſibile nemo tenentur, & jugum Chriſti ſuave eſt, nec vult aliud à ſuis ſequacibus, niſi quod ab eis moraliter agi poteſt; Tum quia neceſſitas ſciendi hæc Fidei rudimenta eſt præcepti dumtaxat Divini Eccleſiaſtici: unde poteſt excuſare impotentia, aut invincibilis ignorantia, non minùs, ac in aliis præceptis, ad differentiam neceſſitatis medii, in qua ut vidimus, nec impotentia, nec ignorantia invincibilis excuſat. Tum quia, iſti homines ingenio obtuſi jam, ut ſupponitur, explicitè credunt ea omnia, quæ tamen memoria labuntur non quoad quidditatem, ſed quoad ſeriem, & ordinem verborum; ergo nullo modo peccant &c. — Quòd ſi aliqui ex negligentia ignorent prædicta Fidei elementa, utique peccant, pro qualitate negligentiæ gravis, vel levis, mortaliter, aut venialiter. Et ſi mortaliter peccent, non poſſunt regulariter abſolvi, niſi ſeriò proponant, addiſcere quæ ſcire ſub mortali obligantur. — Ita Anacletus, Baſſæus, Azorius, Bonacina, Reginaldus, Sanchez, Geſualdus, & alii DD.

QUÆRO XIV. *Quandonam tenemur elicere actus Fidei?*

33 Ante reſolutionem hujus quæſiti præmitto tres concluſiones certas. *Prima* eſt: Præceptum Fidei aliud eſt affirmativum, & aliud negativum. *Affirmativum* importat, & obligat, ut ea omnia, quæ à Deo ſunt revelata, atque ut talia per Eccleſiam nobis propoſita, credamus. *Negativum* importat, & obligat, ut Fidem, vel aliquem ejus Articulum nunquam negemus, neque diſſentiamus rebus Fidei: nec etiam Fidem præſtemus erroneis dogmatibus Divinæ Scripturæ contrariis, atque ab Eccleſia Catholica reprobatis, & anathematizatis.

34 *Secunda*: Duplex eſt obligatio eliciendi actum, vel actus Fidei; *Una* dicitur *per ſe, & directa*; quando nimirùm Fides ex ſe ipſa, & vi propria immediatè obligat ad talem actum eliciendum, ſeu faciendum; ita, ut omittens talem actum, contra Virtutem Fidei, vel ejus obligationem directè peccet; *Alia* dicitur *per accidens, & indirecta*; quando nempè actus Fidei requiritur ratione alterius Virtutis, aut præcepti obligatorii, quod impleri non poteſt ſine prævio actu Fidei.

35 *Tertia*: Non ſufficit, ſemel in vita credidiſſe explicitè Myſteria, & Articulos Fidei noſtræ: ſed neceſſarium eſt per vitæ noſtræ decurſum ſæpè ſæpiùs elicere veros actus Fidei, tum ex vi præcepti Divini, ad Virtutem Fidei Theologicæ pertinentis, tum ex ratione aliarum Virtutum, quæ ſine Fide exerceri non poſſunt. His præmiſſis.

36 ℞. I. Homo adultus tenetur ſub mortali elicere actum Fidei, ex præcepto ipſius Fidei per ſe obligante de Jure Divino, quando Fides ei primitùs ſufficienter, ac debitè proponitur ab Eccleſiæ Miniſtris. Et hoc eſt verum, loquendo de adultis infidelibus, & etiam Fidelibus: illi, ut Fidem Chriſti ſuſcipiant; iſti, ut Fidem jam habitam exerceant. Unde pueri inter Fideles educati, quando audiunt à Parocho, vel ab alio vices Parochi gerente explicationem Myſteriorum, & Articulorum noſtræ Fidei, apprehenduntque, quòd illa credere ſit neceſſarium ad ſalutem, tenentur credere ſeu elicere actum Fidei; & ſi non eliciant, peccant contra iſtud Divinum mandatum, ac Virtutem, niſi fortè excuſentur ex inadvertentia. Ita Henrincx Epiſcopus, Sanchez, Anacletus, Cardenas & omnes poſt propoſitiones damnatas Scribentes.

37 ℞. II. Item eodem præcepto tenetur Fidelis elicere actum Fidei, quando urget gravis tentatio contra ipſam Fidem, quæ tentatio aliter commodè vinci nequeat, niſi reſiſtendo fortiter in Fide; quia tunc etiam præceptum Fidei obligat nos ad firmandum cor noſtrum in Fide: juxta illud D. Petri. *Reſiſtite fortes in Fide.* 1. Petri c. 5. Nomine autem tentationis contra Fidem (ut obſervat Cardenas) intelligitur illa, quæ exponit intellectum hominis periculo vacillandi advertenter in Fide: non autem infeſta quævis ſuggeſtio Diaboli contra Fidem reſpectu ejus, qui firmiſſimè adhæret Fidei, in quo nullum eſt periculum labendi in hæreſim, aut formidinem advertenter; hic enim (ut omnes docent) poteſt cogitationem aliò divertere, nullo actu fidei poſitivè eliciendo, & ſic contemnere Sathanæ pravam ſuggeſtionem. Quod valdè obſervandum eſt pro ſcrupuloſis, & timoratis.

38 ℞. III. Item in articulo mortis quilibet Fidelis adultus tenetur elicere bonos actus Fidei; quia tunc magis, ac magis tenetur ſe ſe munire adversùs urgentiores tentationes Dæmonum, ſeque ſtrictiùs conjungere Chriſto Domino tanquam ultimo Fini, ad quem iturus eſt; quod non poteſt fieri, niſi per actus veræ, & vivæ Fidei, quæ eſt radix, & fundamentum reliquarum virtutum, nempè Spei, Fiduciæ, Contritionis, & Charitatis, quarum virtutum exercitium tunc maximè eſt nobis neceſſarium, ad benè, ſanctèque moriendum.

39 ℞. IV. Et inſuper per vitæ noſtræ curſum aliis quandoque temporibus urget præceptum eliciendi actus internos Fidei; veruntamen in aſſignando determinato tempore hujus obligationis, multum variant Theologi, & Doctores; Nam aliqui, (ut Ledeſma, Sanchez, & alii DD. apud Illuſtriſſimum Tapiam) ſtatuunt tempus unius anni; ita, ut Fideles omnes adulti teneantur ex præcepto Fidei per ſe obligante ſaltem ſemel in anno ad eliciendum actum Fidei circa principaliſſima, vel principaliora Myſteria: – Alii aſſignant Feſta ſolemniora anni Eccleſiaſtici, in quibus celebrantur aliqua Myſteria ex præcipuis; tunc enim dicunt, teneri nos virtute hujus præcepti elicere actum Fidei

dei circa talia Myſteria. Ita D. Bonaventura, & Maſtrius videntur tenere. -- Alii aſſerunt, ſingulis diebus Dominicis adeſſe talem obligationem. Ita DD. citati à Cardena, & Anacleto, quibus favere videtur Doctor noſter Subtilis. -- Alii cenſent, hanc temporis determinationem relinquendam eſſe cujuslibet boni viri arbitrio, eò quòd tempus præciſum hujus obligationis nullibi clarè uſque modò determinatum reperiatur. Ita DD. citati à Sanchez, & Suarez.

40 Ego autem teneo cum Cardena, & Doctoribus ab eo relatis, *diſert. 11. n. 46. & ſeqq* præceptum Fidei obligare nos ad eliciendos frequenter actus Fidei; ita ut, ſi diuturno, vel longo tempore Fidelis homo ceſſaverit advertenter ab actibus Fidei eliciendis, peccabit mortaliter.

Ducor I. Ex Sacra Scriptura ad Romanos *cap. 1. v. 17.* ubi Apoſtolus ait: *Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex Fide in Fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex Fide vivit.* Ubi noſter Lyranus gloſſat, *Ex Fide in Fidem*: ideſt, ex Fide informi procedendo ad Fidem formatam. Licèt enim ſit idem habitus Fidei, tamen dicitur informis, ſine Charitate exiſtens: &, ſuperveniente Charitate, formatur; quia per hoc actus ejus efficitur meritorius Vitæ æternæ, & beatæ: & talis formata Fides vivificat & juſtificat: *Sicut ſcriptum eſt* Abacuc Proph. c. 2. *Juſtus autem ex Fide vivit.* -- Et Gloſſa Ordinaria ibi dicit: Juſtus ex Fide Chriſti vivit, ex hac enim Fide prudenter, fortiter, temperanter, & juſtè, rectè, ſapienterque vivit, qui fideliter vivit.

Cornel. à Lapide ibi explicat: *Juſtus autem ex Fide vivit*, quaſi dicat: Vita Gratiæ vivit, qua vivit Juſtus. I. Incipit à Fide ſola; II. Creſcit, & perficitur Fide, licèt non ſola, ſed creſcente ad Fidem vivam Gratiæ, & Charitatis per obſervationem mandatorum, ut ea facias, quæ Fides jubet. Nam alioquin implicat vivere ſine vita, aut Fide viva. Sicut ergo dicitur Prov. 4. v. 23. quòd *ex corde vita procedit*: ideſt, quòd homo ex corde vivat, & vitam hauriat; quia ſcilicet cor eſt radix vitæ, eſtque in homine primum vivens, & ultimum moriens; per hoc tamen non excluduntur cerebrum, pulmo, jecur, & cætera, quin ex iis quoque homo vivat; ita pariter dicitur, quod *Juſtus ex Fide vivat*: quia Fides eſt initium, radix, & quaſi cor vitæ ſpiritualis Gratiæ; per hoc tamen non excluduntur Spes, Charitas, aliæque Virtutes, quin ex iis quoque vivat Juſtus.

Deinde cùm in Hebræo dicitur: *Juſtus in Fide ſua vivet*: Significat cauſa tam inchoantem, quàm conſervantem vitam. Senſus enim eſt: *Juſtus in Fide ſua* vivere pergit, uti in eadem vivere cœpit. Sic dicimus: Animal calore ſuo vivit: ideſt, vivere pergit, uti cœpit. Eodem modo: *Juſtus in Fide ſua vivit*: ideſt, Juſtus, uti cœpit, ita pergit vivere in eadem Fide: eadem inquam, quoad objectum formale, & genericum, quod eſt *Credere Deo*; licèt, quoad objecta materialia, & ſpecifica, alia ſæpè ſit Fides, quæ inchoat, alia quæ continuat Vitam Gratiæ, & Juſtitiæ... Genericè ergo verum eſt: *Juſtus in Fide ſua vivit*: ideſt, Juſtus, & ſperans in Deum incipit vivere ſpiritualiter: incipit habere rectam Animam, qua placeat Deo: ac rurſum pergens, & proficiens in hac ſua Fide, & Spe in Deum, pergit pariter, & proficit in vita ſpirituali, in rectitudine, & juſtitia Animæ: in gratia, & amicitia Dei, ut magis, magiſque Deo placeat. -- Hæc Cornelius à Lapide.

P. Joan. Cardenas *diſert. 11. à n. 51.* 41
dicit: Ex Sacra hac Scriptura Rom. c. 1. *Juſtus ex Fide vivit*: quam ſententiam repetit Apoſtolus ad Galat. c. 3. & ad Hebr. c. 10. probatur, quòd Fides neceſſaria eſt ad nutriendam, & conſervandam vitam ſpiritualem: Sicut neceſſarius eſt cibus ad nutriendum, & conſervandum corpus: Sed quod neceſſarium eſt ad nutriendam vitam (corporalem, vel ſpiritualem,) neceſſe eſt, quòd frequenter adhibeatur: ergo neceſſarium eſt (ſcilicet neceſſitate præcepti) frequenter adhibere, vel elicere actus internos Fidei. Quod comprobat aliis Scripturis, & auctoritatibus Sanctorum Patrum. *à n. 53. & ſeqq.*

Ducor II. Rationibus his Theologicis. 42
I. Fidelis homo non poteſt diù permanere in Gratia ſine exercitio actuum internorum Fidei: patet: nam, attenta hominis fragilitate, difficillimum eſt, longo tempore conſervari ſine peccato mortali, niſi homo, repetitis actibus veræ Fidei circa maximas, & regulas ipſius Fidei (V. G. circa malum infinitum peccati mortalis, offenſam Dei, pulchritudinem Gratiæ, fœditatem culpæ, pœnas æter-

nas, promiſſiones Gloriæ ſempiternæ &c.) niſi, inquam, homo actibus Fidei ſe muniat, & contineat in ſtatu Gratiæ. Atqui homo tenetur vi præcepti Divini continere ſe in ſtatu Gratiæ: ergo vi præcepti Divini tenetur homo ad non differendum longo tempore actus internos Fidei.

43 Præterea: Magna pars vitæ Chriſtianæ conſiſtit in credendo; nam vita Chriſtiana eſt exercitium virtutum, inter quas prima eſt Fides, quæ etiam ſemper prærequiritur ad omnem actum aliarum virtutum; ergo actus interni Fidei frequentes maximè neceſſarii ſunt ad vitam Chriſtianam exercendam. Sed tenemur, vitam Chriſtianam exercere; ergo tenemur etiam frequenter elicere actus Fidei.

44 *Dices I.* Hæc opinio de obligatione frequentandi actus Fidei non ſolùm ſemel in anno, ſemel in menſe, ſemel in hebdomada: verùm etiam frequentiùs, eſt nimis rigida; ergo non eſt tenenda; Quia timorati etiam viri tenentes hanc opinionem, & conſiderantes præceptum Divinum de tali, & tanta frequentia actuum Fidei, faciliter dubitabunt, an ſingulis etiam diebus teneantur elicere actum Fidei; & ſi non elicuerint, dubitabunt, ſe peccaſſe mortaliter; Ergo rigida, & nimis ſcrupuloſa eſt hæc opinio.

R. I. Si eis non placet hæc opinio, ſequantur unam mitiorem ex ſuprà recenſitis *n. 39.* Non enim ego intendo obligare homines legentes hæc Scripta ad ſequendam meam opinionem; Nam in opinionibus unuſquiſque poteſt licitè ſequi opinionem verè & ſundatè probabilem, relicta probabiliori, & tutiori: Etenim nolo eſſe de numero illorum, quos Diana *Coordinatus tom. 1. tr. 1. reſol. 12. in fine*: reprehendit, dicendo: *Sunt nonnulli, qui ita firmiter adhærent opinioni, quæ ſibi placet, ut omnes alias opiniones oppoſitas anathematizent, & deteſtentur, ac in eas cenſurando delirent*; — quia experientia me docet, Confeſſarium quandoque talibus premi anguſtiis, ut libenter quærat, & amplectatur opinionem aliorum contra propriam, & ſic prudenter à multis ſe liberat ſcrupulis, & tricis. Nihilominus

45 *R. II.* Quod eſt falſum argumentum propoſitum, & meum erit probare, hanc opinionem non eſſe rigidam, nec ſcrupuloſam, nec nocivam conſcentiis timoratis, ſed potiùs eſſe facilem, utilem, & jucundam. *Probo ergo I. ſic.* Praxis communis virorum timoratorum eſt, elicere frequentiſſimè actus Fidei; nam quavis ſæpè ſe ſignant Signo Sanctæ Crucis; ergo tunc eliciunt actum Fidei de Unitate Dei Trinitate Perſonarum, de Myſteriis Incarnationis, Paſſionis, Mortis, & Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti; nam in tali ſigno, & verbis illius continentur hæc Myſteria, ut docent communiter Catechiſtæ: (Vide Bellarminum in Explicatione Doctrinæ Chriſtianæ: Reginaldum *lib. 2. cap. 13.* Geſualdum *tom. 3. ad 1. Decal. præcepto tract. 3. cap. 2.*) — Item devotè, & attentè recitant quotidiè Symbolum Apoſtolorum: ergo tunc eliciunt actum Fidei circa omnes Articulos. — *Item* ferè omnibus diebus audiunt Miſſam, & adorant Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ: ergo credunt in Chriſtum ibi realiter præſentem. *Item* recitant paſſim aliquas Orationes ad Deum, ad Beatam Virginem, & ad Sanctos; ergo credunt in Deum Remuneratorem: in Matrem Chriſti, & in Sanctos. — *Item* in ſero recitant Pſalmum *De profundis*, vel aliam Orationem pro Defunctis; ergo credunt vitam æternam, & Purgatorium. — *Item* ſæpè confitentur Sacramentaliter, & recipiunt Euchariſtiam; ergo credunt Remiſſionem peccatorum, quæ nobis datur ex Chriſti meritis, & credunt Veritatem, ac virtutem Sacramentorum &c. *Item* ſæpè tentantur à Diabolo, à mundanis hominibus, & à propriis concupiſcentiis, eiſque reſiſtunt in Fide, & Oratione: & ſic de ſimilibus. Igitur ſæpiſſimè ſatisfaciunt præcepto Fidei, licet non reflectant, nec conſiderent, ſe ſatisfacere: Ergo facilis, utilis, & jucunda eſt noſtra opinio.

Probo II. Fideles timoratæ conſcientiæ non debent ſibi perſuadere, hoc præceptum Fidei obligare ſub mortali tali die determinato, vel tali hebdomada, aut menſe; quia, ut diximus *ſuprà num. 39.* non reperitur uſquemodò taxatum, aut determinatum tempus: neque noſtra opinio determinat hoc, vel illud tempus; ſed tantùm aſſerit probabiliter, actus fidei debere eſſe frequentes ita, ut diuturno, vel longo tempore non omittantur cum advertentia; ergo ſi ſine advertentia omitteret quis tales actus, non peccaret mortaliter: & ſi cum adverten- 46

vertentia omitteret tales actus non ſtatim peccaret graviter, niſi per longum tempus, puta ſi *per unum*, *vel alterum menſem*, deliberatè omitteret omnem actum Fidei, quod eſt difficile, ut eveniat in praxi homini timoratæ conſcientiæ: Ergo hæc opinio non eſt rigida, ſed ſuavis, & diſcreta.

47 *Dices II.* Illi actus Fidei frequentiſſimi, quos ſolent elicere Fideles timorati, non videntur eſſe actus Fidei *per ſe*, ſed *per accidens*, occaſione, vel neceſſitate aliarum Virtutum, ut Orationis, Religionis, Adorationis, Contritionis, Sacramenti &c. ergo per illos actus non videntur ſatisfacere præcepto Fidei *per ſe* obligante. — ℞. Cum P. Cardena *loc. cit. numero 67. & 68.* quòd licèt præceptum Fidei exigat frequens exercitium actuum Fidei *per ſe*, & ex vi propria, impletur tamen ſufficienter, quamvis tales actus eliciantur ex motivo alterius virtutis; nam licèt præceptum hoc Fidei *per ſe* detur ex ipſo motivo Fidei, non prohibet tamen exercitium hujuſmodi ex motivo, vel præcepto aliarum Virtutum; Ergo ex quocumque motivo eliciantur actus Fidei, impletur præceptum Fidei, & ſimul alterius Virtutis, V. G. Contritionis, Religionis, Orationis &c. Ergo facilis redditur noſtra opinio.

Ex dictis, & probatis patebit cauſa, & ratio damnationis harum theſium, videlicet: numero 16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* — numero 17. *Satis eſt, actum Fidei ſemel in vita elicere.* — & numero 65. *Sufficit illa Myſteria* (Trinitatis, & Incarnationis) *ſemel crediidiſſe*: Quas Innocentius XI. tamquam falſas, & ſcandaloſas damnavit. 48

Ex damnatione ultimæ theſis colligitur, quàm frivola ſit illa frequens excuſatio nonnullorum ſenum infimæ conditionis, qui dum interrogantur à Confeſſario de prædictis Myſteriis, dicunt, *ſe illa percepiſſe in pueritia, at modò ampliùs non recordari*: ergo, *inferas*, ſi non ampliùs recordaris, quomodo ſatisfacies præcepto Divino de eliciendis frequenter actibus Fidei circa illa principalia noſtræ Fidei Myſteria? Confeſſor timens Deum, te deprecor, ut tu recorderis obligationis tuæ, & hujuſmodi ignorantes, aut charitativè inſtruas, aut remittas ad eorum Parochos; quia ut vidimus, conſtat manifeſtè, eos incapaces eſſe Abſolutionis Sacramentalis. Oh ignorantia, mater cunctorum errorum, quot Animas perdis! *Qui enim ignorat, ignorabitur*; ut dicit Apoſtolus in epiſt. 1. ad Corinth. capit. 14.

TRACTATUS IX.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

QUæro I. *Quænam ſunt vitia, ſeu peccata contra Fidem Divinam?*

1 *Reſpondeo I.* Sunt omnia peccata *Infidelitatis*. Infidelitas eſt vitium, ſeu peccatum genericum ex natura rei Fidem à Deo revelatam excludens. Duplex autem eſt Infidelitas; Una dicitur negativa: altera privativa. *Infidelitas negativa* eſt, quæ reperitur in illis, qui nullam habent notitiam veræ Religionis, & Fidei Catholicæ, ut Gentiles, & Pagani, qui nihil de noſtra Fide, & Religione audierunt. — *Infidelitas* autem *privativa* eſt, quæ reperitur in illis, qui quidem habuerunt ſufficientem notitiam veræ Fidei, & Religionis noſtræ, ſed noluerunt ei aſſentiri. Prima excuſare poteſt aliquando à peccato; Secunda verò nullo modo excuſat, quia voluntaria eſt; quinimò eſt graviſſimum peccatum; nam opponitur & Virtuti Religionis, & Fidei, tum quia excludit medium abſolutè neceſſarium ad Salutem; *Qui enim non credit, jam judicatus eſt*, dicit Dominus Joan. capit. 3. Ideſt, habet in ſe cauſam manifeſtam ſuæ condemnationis ut gloſſat Lyra; Nam ipſum diſcredere impœnitentis ſupplicium eſt; Eſſe enim extra Lumen veræ Fidei, maximum ſupplicium eſt; ut dicit Chryſoſtomus.

℞. II. Species Infidelitatis privativæ ſunt tres, nempè Paganiſmus, Judaiſmus, & 2
Hære-

Hæreſis. *Pagani* ſunt, qui ſentiunt contraria Fidei Chriſtianæ, quam nullo modo volunt profiteri: ut ſunt *Idololatræ*, nempè colentes plures Deos, ſeu Idola ſua, & ſimulacra Gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Item *Turcæ*, qui licèt unum Deum dicantur colere, impia tamen de Deo ſentiunt, ſicque verum Deum de facto non colunt. — *Judæi* ſunt, qui adhuc Legem Moſaicam quoad Cæremonialia, & Legalia profitentur, at parùm revera de Moralibus curant, totumque novum Teſtamentum negant; quippè qui pertinaciter credere nolunt, Meſſiam jam veniſſe; nam Chriſtum Dominum, quem crucifixerunt, perfidè negant fuiſſe Meſſiam &c. — *Hæretici* ſunt, qui poſt receptum Baptiſmum pertinaciter ſentiunt aliquid contra aliquam Veritatem Fidei Catholicæ.

Quæro II. *An detur, vel poſſit dari Infidelitas purè negativa, excuſans à peccato pro formali?*

3 ℞. I. Plures DD. cenſent, dari non poſſe in adultis infidelitatem purè negativam, ſeu ignorantiam invincibilem circa verum Deum, veramque Religionem; Quia *vel* homo adultus, ratione utens, facit quod in ſe eſt, ut cognoſcat verum Deum, veramque Religionem, vivendo ſecundùm Legem naturalem, quæ inſerta eſt in corde humano; & tunc ſuo tempore illuminabitur à Deo immediatè, vel mediatè, nempè mediante Angelo, vel homine Fideli, prout Deo placuerit, & conſequenter non habebit Infidelitatem purè negativam, nec ignorantiam veri Dei, veræque Religionis (quæ eſt noſtra Catholica, extra quam nulla eſt Religio, nec Spes Salutis æternæ.) Nam facienti quod in ſe eſt, Deus regulariter non denegat ſuam Gratiam; Chriſtus Dominus eſt *Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum*. — Vel homo adultus non facit quod in ſe eſt, non ſervans Legem Naturæ quantum poteſt; & tunc ponit obicem per ſua peccata, ſicque culpa illius eſt, ut non illuminetur: ideoque talis ignorantia, aut infidelitas in ipſo culpabilis eſt; ergo non eſt pure negativa.

Et hoc maximè verum eſt his noſtris temporibus, quibus, evulgatio Evangelii ſufficienter facta eſt vel in re, vel in fama per totum, univerſumque Mundum; ergo &c. Ita ſentiunt Alexander de Ales: D. Bonaventura: Scotus: Gabriel: Adrianus Guilielmus Paris: & alii Doctores.

4 ℞. II. Alii non pauci DD. cenſent contrarium, nempè dari poſſe, & aliquando de facto dari Infidelitatem purè negativam, ac ignorantiam invincibilem circa Catholicam Fidem, veramque Religionem excuſantem à peccato pro formali. Quia multi, non ſolùm temporibus antiquis, ſed etiam noſtris, inventi ſunt Populi, qui nullam de Euangelio notitiam habuerunt. Patet hoc ex relatione Religioſorum Miſſionariorum, qui noviſſimè noſtram Sanctam Fidem in variis Regionibus longinquis prædicantes, teſtati ſunt, nec leve quidem veſtigium, aut fundamentum veræ Religionis ſe reperiſſe in illis hominibus; Et cùm hoc paucis abhinc annis acciderit, videtur moraliter certum. Et quid in aliis Orbis partibus remotioribus, quas ignoramus? At iſti miſeri homines non damnabuntur ex ſola hac ignorantia veræ Religionis, quia eſt eis invincibilis, & inculpabilis, ſed ob eorum peccata contra Legem Naturæ facta. Ita D. Thomas: Cajetanus: Medina: Vega: Vittoria: Petrus à Soto: Dominicus à Soto: Valentia: Azorius: Sanchez: Suarez: Vaſquez: Filliucius: Becanus: Fagundez, & alii cum Geſualdo: Maſtrio *Moral. diſp.* 10. *numero* 17. Laymanno *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *numero* 1. & *capit.* 8. *numero* 3. & *cap.* 12. *num.* 1.

Sed quæres: An de facto Fides Chriſti per totum Orbem terrarum ab Apoſtolis fuerit prædicata? ℞. Affirmativè: Quia ipſe Dominus Jeſus Chriſtus dixit eis: *Euntes ergo docete omnes gentes* &c. Matth. 28. Et Marc. 16. *Euntes in Mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. — Tum quia noſter Nicolaus de Lyra in Pſal. 18. ad illum verſum, *In omnem terram exivit ſonus eorum &c.* ſic gloſſat, dicens: Paulus Apoſtolus in lege, & Prophetis edoctus per eruditionem humanam, & Divinam allegat litteram hujus Pſalmi, ut dictam de publicatione Euangelii per Apoſtolos, & Diſcipulos Chriſti, Rom. 10. *Sed dico: Numquid non audierunt?* quaſi dicat: *Sic*. Quod probat per litteram hujus Pſalmi, dicens: *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum &c.* — In die autem Pentecoſtes Apoſtoli, & Diſcipuli Chriſti prædicaverunt Euangelium in Jeruſalem, quo tempore erant ibi Judæi ex omni Natione quæ ſub cœlo eſt, & unuſ-

quiſ-

quiſque audivit linguam ſuam, in qua natus fuit &c. poſtea publicaverunt magnalia Dei per alias Mundi partes: ſicque brevi tempore fuit prædicatum Euangelium omnibus nationibus in tota terra habitabili, vivente adhuc D. Petro Apoſtolorum Principe, uti teſtatur Lyranus ibi, & in pſal. 147. v. *Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo ejus*: cui concordat Gloſſa ordinaria, & Interlinearis, quæ dicit: Sermo Chriſti citò mundum implevit cognitione veritatis. Ergo &c.

Hoc etiam docet, & probat Jacobus de Valentia in Pſal. 18. v. 3. ubi dicit: Nec fuit aliqua Provincia, vel pars aliqua Mundi, quæ eorum prædicationem non audiret & v. 4. dicit: Nulla fuit pars in Mundo, aut lingua, ad quam non pervenerit Euangelium aut per Apoſtolos, aut per Diſcipulos, vel Succeſſores eorum: & ibi optimè explicat, ac probat. – Idem ſentit noſter Franciſcus Titelmanus in Elucidatione ejuſdem pſalmi 18. & 147. v. 4. ubi ait: Atque per hos Apoſtolos, cœteroſque Fidei Prædicatores emiſit Verbum Salutaris Fidei in omnem terram, & in omnes fines Orbis terrarum: ac Verbum hoc velociter cucurrit, cellerimèque pervolavit per totum Mundum.

Unde ego adhæreo ſententiæ primæ ſupra numero 3. probatæ: & ad ſecundam numero 4. reſpondere poſſum, hanc ignorantiam veræ Fidei accidiſſe talibus hominibus vel ex culpabili incuria ſuorum Parentum, & Avorum, vel ex propria accidia circa ſpiritualia, & æterna Bona, quia noluerunt intelligere Spiritus Sancti inſpirationem, nec quærere debito modo veritatem: ſicque ipſimet fuerunt rebelles Luci Divinæ, & cum propriis vitiis poſuerunt obicem ulterioribus donis ſpiritualibus: ut jam vidimus, modòque videmus in multis Regionibus, & Sectis, quæ reſpuunt Miſſionarios, atque occidunt plures Eccleſiæ Sanctæ Miniſtros; ergo nolunt intelligere veritatem veræ Fidei; & conſequenter eorum ignorantia eſt voluntaria, & culpabilis.

Hic tamen cavendæ ſunt ſequentes propoſitiones damnatæ. la 68. Baii, quæ dicebat ſic: *Infidelitas purè negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*. Et la 2. ex 31. damnatis ab Alex. VIII. quæ ſic ſonabat:

Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato proformali.

Item videndæ ſunt duæ theſes ſimul, & ſeorſim damnatæ ab eodem Pontifice, tractantes de *Peccato philoſophico*: *quas reperies in fine 2. Partis hujus Lucis &c.*

Quæro III. *Quid eſt Hæreſis?*

℟. *I.* Eſt error pertinax hominis Chri- 5
ſtiani, contrarius alicui veritati Fidei Catholicæ. – Explico ſingulas particulas. I. Dicitur *Error*: nempè exiſtimatio veri pro falſo, aut falſi pro vero; Ubi enim non eſt error intellectus, non eſt hæreſis, quamvis factum ipſum eſſet contra Fidem materialiter. II. Dicitur, *contrarius alicui veritati Fidei*. Quia non quilibet error eſt hæreſis; Errare enim V. G. in ſcientia aliqua humana, aut naturali, vel in opinionibus, non eſt hæreſis, quia hæreſis eſt error tantùm in his, quæ Fidei Catholicæ, & Divinæ Veritatis ſunt: ſicque hæreſis eſt error contrarius primæ Veritati. III. Dicitur *alicui veritati &c.* Quia Hæreticus propriè eſt, qui non totam negat Religionem Chriſtianam, ſed aliquam partem, V. G. negat unam, vel alteram propoſitionem, aut Articulum unum, vel alterum Eccleſiæ Dei. Qui enim totam negat Religionem Chriſtianam eſt Apoſtata, vel Infidelis, aut Gentilis.

IV. Dicitur, *Hominis Chriſtiani error*: 6
Ideſt Baptizati validè: Qui enim numquam baptizatus fuit validè, quantumvis erret in dogmatibus, non vocatur hæreticus propriè, ſed Infidelis, Incredulus &c. V. tandem dicitur: *Error pertinax*, ideſt cum pertinacia voluntatis. Tunc autem datur hæc *pertinacia*, quando homo ſcit, hoc, vel illud, quod tenet, affirmat, vel negat, eſſe contra Eccleſiam, & adhuc vult illud ſuſtinere.

℟. *II.* Duo neceſſariò requiruntur ad 7
Hæreſim propriè captam I. Error intellectus contra Fidem. II. Pertinacia voluntatis: Unde Hæreſis poterit breviſſimè ſic definiri: *Eſt error pertinax contra Fidem*. Taliter autem neceſſaria eſt iſta pertinacia, ut ſine illa quilibet error contra Fidem numquam ſit hæreſis, ſeu hæreticalis pro formali, nec homo talem habens errorem dicatur hæreticus propriè, & formaliter; quia neſcit hoc eſſe contra Eccleſiam, vel Sacram Scripturam; & quia eſt (ut hic ſupponitur) animo paratus credere quod tenet Eccleſia Dei: Quare multi homines rudes habentes errores contra

tra

tra Fidem, excuſantur ab hæreſi; ſed à peccato mortali ignorantiæ rerum Fidei, non facilè excuſantur, quia tenentur addiſcere, & ſcire Articulos Fidei.

Quæro IV. *Quandonam homo rudis cenſeri poteſt pertinax in ſuo errore?*

8 ℞. Quando tenet aliquid, quòd certò ſcit, eſſe contra Sanctam Matrem Eccleſiam; quia hæc eſt ratio tali homini credendi: credit enim quod credit Eccleſia, vel ſcit, ſe teneri ad ſic credendum; & tamen hoc, vel illud non vult credere: ergo &c.

Quæro V. *Sed quid, ſi talis homo ruſticus teneret aliquid, quod ſciret eſſe contra determinationem Papæ, vel Concilii? Eſſetne tunc hæreticus?*

9 ℞. Quòd non: Quia adhuc non eſt pertinax; nam ipſe non tenetur ſcire, Determinationem Papæ, vel Concilii Generalis eſſe bonam, & certam Regulam Fidei; niſi ſciat, illam determinationem eſſe quid de Fide Catholica, & quod tenet, & docet Eccleſia. Ita Cardinalis Toletus, *Inſtruct. Sacerd. lib. 4. c. 3. n. 4.* & alii DD. Generaliter enim tunc datur pertinacia ſufficiens ad hæreſim, quando dignoſcitur aliquid eſſe contra Eccleſiam, & adhuc tenetur, defenditur, & ſuſtinetur.

Quæro VI. *Quandonam dignoſci poteſt pertinacia in homine docto?*

10 ℞. Quando doctus homo tenet aliquid, quod ſcit eſſe contra Eccleſiam, vel contra Traditiones Apoſtolicas: vel contra aliquam Canonicam Scripturam, vel contra Determinationes Pontificum, vel contra Concilia; ſtatim eſt pertinax, & hæreticus; quia ex propria voluntate eligit, vel amplectitur illum errorem in Fide, & facit Sectam; quia à Fide recepta, & ab unione Fidelium ſe disjungit, & ſic ab Eccleſia Catholica diſcedit.

Quæro VII. *Quot modis peccare quis poteſt peccato hæreſis?*

11 ℞. Tribus modis. I. *Interiùs tantùm*: quando quis in corde ſuo habet, & voluntariè retinet aliquem errorem cum pertinacia erga materiam noſtræ Sanctæ Fidei: nullo tamen actu exteriori illum manifeſtavit. II. *Exteriùs tantùm*: quando quis jam in corde retinens veritatem, & unitatem Fidei, exteriùs tantùm facit, vel metu, vel ira, vel alio motivo, aliquem actum contra Fidem. III. *Interiùs, exteriùſque ſimul*: quando quis & intùs in corde, vel animo ſuo tenet aliquem errorem contra veram, & Catholicam Fidem, & etiam foris ſigno aliquo ſenſibili, & intelligibili, ſive coram aliis, ſive ſolus nullo nunc, vel tunc præſente, illum errorem manifeſtat.

Primus, & *Tertius* modus faciunt homi- 12
nem verè hæreticum: quia per talia peccata amittitur Fides interior. *Secundus* autem modus non facit hominem ſimpliciter hæreticum: quia ibi verè non eſt error, qui neceſſarius eſt in hæreſi: eſt tamen peccatum mortale contra Fidei Confeſſionem. Quamvis in foro fori, ſeu exteriori Judicio S. Inquiſitionis, (quod de externis conſiderat, & judicat) præſumatur hæreticus, & puniri poſſit ut hæreticus.

Peccatum hæreſis primo modo factum, 13
nempè interiùs tantùm nulli ſubjacet excommunicationi; Quia Eccleſia, (quantum ad Forum exterius) non ſe intromittit in judicando, & puniendo actus ſolos interiores... Ergo tale peccatum nullam habet reſervationem. — Peccatum autem hæreſis tertio modo factum, nempè interiùs, exteriùſque, quantumvis occultiſſimum, & nulli hominum cognitum, habet annexam Excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini fulminatam *num.* 1. Unde ipſius abſolutio ad Papam ſpectat. Peccatum tamdem hæreſis ſecundò modo factum, nempè exteriùs ſolùm nullam habet annexam Cenſuram, ſicut nec primo modo factum, poteſtque à quovis Confeſſario abſolvi; quia Excommunicatio Papalis lata, & fulminata eſt contra *Hæreticos formales*: atqui ille, qui tantùm exteriùs protulit hæreſim, vel fecit aliquem actum externum contra Fidem, non animo tamen hæreticali, non eſt hæreticus pro formali, cùm Fidem, ut ſupponitur, retineat veram, & Catholicam: præſumitur tamen, ut dixi, eſſe hæreticus, & eſt denunciandus &c.

Unum hic adverto pro Confeſſario tyrone: 14
In aliquibus Diœceſibus reſervatur *Blaſphemia hæreticalis* contra Deum, Beatiſſimam Virginem Mariam, & Sanctos: intelligitur iſte Caſus de Blaſphemia *hæreticali pro materiali*, ut ſuperiùs dictum eſt, nimirùm quando quis ex iracundia, vel alia paſſione agitatus externam tantùm profert hæreſim, ſeu Blaſphemiam hæreticam; nam ſi interiùs adhæreret tali hæreſi, eſſet etiam hæreticus formalis, ſicque ejus peccatum eſſet reſervatum non Epiſcopo,

ſed Papæ ſoli: ut patet in Bulla Cœnæ: num. 1.

Quæro VIII. *Dubius in Fide eſtne hæreticus?*

15 ℞. Moraliter loquendo, qui voluntariè, ac deliberatè dubitat de rebus Fidei, exiſtimatur tamquam hæreticus à Sacris Canonibus: Cap. 1. De hæreticis: ubi dicitur: *Dubius in Fide eſt infidelis idest hæreticus*. Ratio eſt: quia dum quis, jam Chriſtianus, voluntariè de tali Fide, vel Articulo Fidei dubitare vult, habet etiam conjunctum judicium practicum, quo judicat, quòd hæc res Fidei ſit in ſe dubia, vel ambigua, aut opinabilis; maximè quando pertinaciter vult dubitare, & non ſit paratus corrigi à Doctiore ſe in tali materia. Sed cum Fide Divina, (quæ eſt veritas certiſſima, & infallibilis) nequit ſtare voluntaria dubitatio de oppoſito: Ergo ſcienter dubitans non eſt Catholicus, nec Fidelis.

16 Duo autem neceſſaria ſunt, ut dubitans ſit hæreticus. *Primum*, ut tale dubium ſit cum pertinacia volitum: ſcilicet, qui dubitat de aliquo Articulo Fidei, ſciat etiam illum Articulum eſſe de Fide, & doceri ab Eccleſia. *Secundum*, ut tale dubium ſit deliberatè voluntarium, nempè quòd quis propria ſpontè habeat, & acceptet tale dubium.

17 Hoc eſt valdè notandum pro perſonis timoratis, & ſcrupuloſis, quæ patiuntur quandoque multa, & varia dubia contra Articulos Fidei, ſed nimis involuntariè, & ex ſola Dæmonis ſuggeſtione; Ideoque vera dubia non ſunt, ſed meræ apprehenſiones argumentorum ſophiſticorum, quæ militant contra Fidem Divinam. Hæc igitur dubia apprehenſa, (ſed non admiſſa) tam longè diſtant ab hæreſi, ut, ſi patienter propter Chriſtum ferantur, materia ſint magni, & continui meriti, juxta illud D. Jacobi c. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem &c.*

Quæro IX. *Qui ſcit Titium eſſe hæreticum, ad quid tenetur?*

18 ℞. Si ſciat ex certa ſcientia, vel evidentia talem eſſe hæreticum pertinacem, ſive ſecretum, ſive publicum, tenetur ſub mortale revelare: & denunciare eum Inquiſitori, aut Ordinario: Et non denuncians incurrit Excommunicationem ab Inquiſitoribus S. Officii fulminatam in Edicto ſingulis annis publicato per omnes Eccleſias noſtræ Italiæ.

Quæro X. *Quid ſi conſtaret, talem hominem errare ex ignorantia, non verò ex pertinacia?*

19 ℞. Aliqui dicunt, quòd non eſſet tunc ſtatim denunciandus, ſed ſemel admonendus, quàm admonitionem ſi ſperneret, jam ut pertinax eſſet judicandus, & denunciandus. Ita Cardin. Toletus, Alphonſ. de Caſtro, Durandus, Div. Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *artic.* 7. Alii autem dicunt oppoſitum, quod eſt tutius in praxi, vide Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 32. *numero* 47. ubi plura ad propoſitum. Ratio eſt: quia error in fide, etiam materialis, extrinſecatus ſolet deferri ad Tribunal S. Officii, ad quod ſpectat indagare de intentione delinquentis in hac materia. Diana Coord. *tom.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 3. & 5.

Quæro XI. *Scio Titium eſſe hæreticum pertinacem, at non poſſum probare per Teſtes, teneor ne eum denunciare?*

20 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia Denunciator non tenetur probare quod deponit, ſed tantùm fateri meram veritatem facti: maximè quando urget præceptum Eccleſiæ, vel S. Inquiſitionis, de denunciatione peragenda in materia Fidei contraria, nempe hæreſi, vel ſuſpicione prudenti de hæreſi. Unde meritò damnata eſt ab Alexandro VII. hæc propoſitio n. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.*

Quæro XII. *Quale remedium eſt dandum eſt illis, qui affliguntur, & anguſtiantur tentationibus contra Fidem?*

21 ℞. Hoc optimum; ut ſic tentati nullam faciant exiſtimationem talium cogitationum, quæ à Diabolo immittuntur timoratis, & timidis conſcientiis ad impediendam Animi tranquillitatem, & ut ſic anguſtiati faſtidiant vitam ſpiritualem. Nullo autem pacto diſputent cum illis, quia cum Serpente antiquo indirectè litigabunt, & facillimè decipientur ab eo, ſicut decepta fuit Mater Heva, ex qua ruina Mundi originem habuit, Ita Div. Bonaventura *in opuſc. de profec. Relig. capit.* 3. Gerſon *Alphab.* 62. *litt.* O. & plures alii DD. cum communi Sententia SS. PP.

Quæro XIII. *Quænam eſt differentia inter propoſitionem hæreticalem, & blaſphemiam hæreticalem?*

22 ℞. Differentia eſt iſta, quòd Blaſphe-

mia

Digitized by Google

mia hæreticalis ultra hæreſim, quæ continetur in propoſitione tali, continet etiam convicium contra Deum, vel Beatam Virginem Mariam, vel Sanctos: Propoſitio autem hæreticalis eſt aſſertio contra aliquem Fidei Articulum. V. G. Si quis diceret ſeriò hæc verba: O *Deum injuſtum*! proferet blaſphemiam hæreticalem: Et ſi in corde ita teneret, *Deum* nempè *eſſe injuſtum*, eſſet hæreticus, & blaſphemus; Si autem non ita teneret in corde quod ore protulit, eſſet tantùm blaſphemus, non verò hæreticus. – Si quis autem diceret: *Credo quòd Deus ſit injuſtus*; vel *Deus eſt improvidus*: diceret propoſitionem hæreticalem: Et ſi ita credit, ut dixit, eſt hæreticus; Quia eſt certum de Fide, quòd Deus eſt juſtus, & providus; ergo oppoſitum dicere, & tenere, eſt hæreſis.

Quæro XIV. *An ignorantia craſſa excuſet à peccato hæreſis?*

23 ℞. Quòd ſic: Ratio eſt, quia hæreſis formalis debet eſſe actus intellectus practici, conſentiente voluntate, & eligente talem errorem, quem certò novit eſſe contra Veritatem Catholicæ Fidei, ſeu Eccleſiæ: At in caſu noſtro, quando V. G. Titius per ignorantiam, quomodocumque craſſam, credidit aliquem errorem contra Fidem, vel illum etiam pronunciavit, non per hoc dicitur pertinax in tali errore; ergo talis error dici debet potiùs materialis hæreſis, quàm formalis: dummodò Titius ſemper ſit paratus credere, & tenere quod docet, & tenet Eccleſia Catholica. *Ita Geſualdus cum pluribus DD.* Tum quia, peccatum hæreſis non eſt peccatum ex ignorantia, ſed ex malitia, ac infidelitate poſitiva: ad hoc autem requiritur, ut Titius, poſtquam contrarium eſt ſibi ſufficienter propoſitum, ideſt, quando ſcit contrarium teneri, & doceri ab Univerſali Eccleſia, adhuc ſuum errorem in Fide retineat: Ita Anacletus, Maſtrius, *& alii cum communi*. At in caſu noſtro hoc non accidit: ergo &c.

Quæro XV. *Quomodo ſe gerere debet quiſque ſtudioſus, & doctus, ne in aliquam incidenter cadat doctrinam hæreticam, aut erroneam?*

℞. Debet, corde, ore, & Scriptura 24
omnia ſua dicta, & ſcripta judicio, & correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt *Columna, & firmamentum Veritatis*, ſubjicere; ut faciunt omnes Scriptores Catholici. Qui enim ignorat, hanc, vel illam opinionem adverſari Doctrinæ Catholicæ, licèt adhæreat libenter tali opinioni, eamque acriter tueatur, non eſt dicendus *hæreticus*, ſed *erraticus*: ut dicit Fagnanus *ad capit. Damnamus, numero 26.* quia adhuc non eſt pertinax in tali errore; Ergo qui in doctrina Fidei, & morum ſe ſubjicit Regulis, & Cenſuris Eccleſiæ Romanæ, numquam incidet in doctrinam aliquam erroneam, aut hæreticam, ſaltem formaliter loquendo: nec ut hæreticus umquam reputabitur: Ut colligitur *ex Canon. dixit Apoſt. 24. quæſt. 3.* Nemo enim eſt hæreticus formaliter, qui paratus eſt corde, & animo, lingua, & calamo ſe retractare, ac judicium ſuum Eccleſiæ Dei ſubmittere: Prætereà omnes, & ſinguli hæretici ſe opponunt Univerſali Eccleſiæ, cujus caput Romanus eſt Pontifex, ſeu Papa, cujus infallibilem, in proponendis, & definiendis Fidei dogmatibus, auctoritatem contumaciter negant; Si enim eam agnoſcerent, & crederent, aut ab Eccleſia corrigi parati eſſent, ſi fortè à via veritatis deflecterent, hæretici non forent: ut obſervat Laymannus cum Gabriele, & Lopez. Nam ille propriè hæreticus eſt, & judicatur, qui in ſententiis, ſive dogmatibus Fidei Catholicæ ab Eccleſia contumaciter recedit.

TRA-

TRACTATUS X.

DE PRÆCEPTO SPEI, & vitiis contra Spem.

QUæro I. *Quid eſt Spes?*

1 *Reſpondeo I.* Spes in communi capta eſt, inclinatio quædam voluntatis, vel appetitus in bonum abſens difficile, at poſſibile obtineri. -- ℞. 2. Spes autem Chriſtiana eſt inclinatio ad futuram Beatitudinem, Dei auxilio conſequendam. Ita Toletus. -- ℞. 3. Spes Theologica, eſt virtus divinitùs infuſa, qua deſideramus, & expectamus conſequi bonum Infinitum, quod eſt Deus, (ex gratia, & meritis) in Patria adipiſcendum. Ita Anacletus cum Scoto. -- At iſtæ definitiones ſunt juxta ſtrictiorem Spei acceptionem, traditam à Scholaſticis cum Magiſtro Sententiarum, nempè Petro Lombardo *in 3. diſt. 26.* qui ſic eam definivit: Spes eſt expectatio certa Beatitudinis, ex Dei Gratia, & noſtris meritis: ideò Spes noſtra Catholica poterit exactiùs definiri ſic: Spes eſt Virtus theologica, quæ facit tendere in Deum, tamquam in bonum noſtrum finale adipiſcendum, & in adjutorium Divinum efficax nobis promiſſum ad vitam Æternam obtinendam. Ita ex D. Thoma *2. 2. q. 17. a. 6. ad 3.*

2 Ex dictis *colligitur I.* Quòd objectum terminativum hujus Virtutis eſt Deus, quatenus nobis bonus eſt: Seu conſecutio Boni Infiniti conſiſtens in viſione, & fruitione beatifica ipſiuſmet Dei: & hoc à Theologis Scholaſticis vocatur Objectum primarium, ſeu principale Spei.

Colligitur II. Quòd Spes habet pro objecto ſecundario omnia auxilia Divina tam ordinis Supernaturalis, ut ſunt condonatio peccatorum, remiſſio pœnæ, collatio gratiæ, gratia efficax, & plura alia: quàm etiam ordinis naturalis, nempè bona corporalia, quæ aliquo modo conducunt, vel inſerviunt ad attingendum objectum primarium Spei. Siquidem ea omnia ſperanda ſunt à Deo, quæ ſunt media vel proxima, vel remota ad poſſidendum ipſummet DEUM.

3 *Colligitur III.* Quòd Objectum motivum ſperandi omnia prædicta eſt Summa, & infinita Dei promittentis Fidelitas, qui, quod promittit, poteſt præſtare, quia omnipotens eſt: vult præſtare, quia benigniſſimus, & optimus eſt: & certiſſimò præſtabit, quia fideliſſimus eſt.

Colligitur IV. Quòd Spes noſtra habet in ſe conſtantem, & infallibilem certitudinem, & fiduciam obtinendi rem ſperatam: quia innititur Divinæ Promiſſioni, & obtemperat Divino præcepto ſperandi in ipſo Deo. Hoc patet ex D. Paulo, qui vocat Spem *Anchoram Animæ tutam, ac firmam*: Hebr. 6. Et dicit, quòd *Spes non confundit*: Rom. 5. Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 13.* docet, quòd *In Dei auxilio firmiſſimam Spem collocare Omnes debent*.

Colligitur V. Quòd per accidens, & ex parte noſtra Spes poteſt eſſe incerta, & fallibilis: Quia ſupponit, & exigit noſtra merita, & cooperationem fidelem: atqui de his non poſſumus habere certitudinem infallibilem: ergo &c. Quare Concilium loc. cit. dicit: *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur*. 4

Nihilominus, ut docet optimè Layman cum D. Bernardo, D. Bonaventura, D. Antonino, & Navarro, poſſumus habere quamdam certitudinem moralem, quæ oritur ex ſingulari Dei providentia circa nos, ex tot Spiritualibus beneficiis, & ex aliis Signis Prædeſtinationis noſtræ (maximè verò quando quiſque Fidelis timoratæ conſcientiæ nullum ſentit in ſe amorem erga peccatum mortale, quinimò mori potiùs paratus eſt, quàm grave peccatum admittere, ac firmiùs Deo etiam impoſterum ſerviendi propoſitum in ſe experitur:) ſicque pia fiducia conſolatur, ne dubitationis noſtræ ſalutis Æternæ anxietate cruciemur, neve in laqueum diffidentiæ incurramus.

Quæro II. *An aliquis poſſit eſſe certus de propria ſalute æterna?*

℞. Ex ſupradictis patet reſolutio hujus quæſiti; Nemo enim hominum viatorum, ſine ſpeciali revelatione (quæ raro fit etiam 5

iam Viris Sanctis) certus eſſe poteſt, (*certitudine Fidei, quæ auſert omnem dubietatem*) ſe vitam æternam beatam abſolutè, & finaliter conſecuturum. Quod ſapienter Deus ordinavit; quia timor iſte eſt valdè utilis ad humilitatem continuò ſervandam, & ad ſalutem ipſam, majori cum merito, cautione, ac diligentia procurandam. Quare nec peccator deſperare debet, cùm uno tandem die ſe juſtum efficere poſſit; nec innocens, vel Sanctus debet eſſe ſecurus, cùm quovis die poſſit evadere malus, & injuſtus, ac reprobus; Ergo omnes inter Spem, ac timorem ambulare in via Dei debemus: ut docent omnes Sancti Patres.

6 *Attamen major eſſe debet Spes*; quia principalior, & potior eſt Gratia Dei, quæ per merita Chriſti Redemptoris noſtri nobis communicatur: quandoquidem etiam merita noſtra à meritis Chriſti dependent in fieri, & conſervari, & ab ipſis vim, & efficaciam accipiunt, ſicuti palmites à vite, & in vite pendentes, & manentes, vivunt, creſcunt, & fructificant; major, inquam, debet eſſe Spes Salutis, quàm timor damnationis: quia Sacræ paginæ magis inculcant Amorem Dei, quàm Timorem: & Deus plus amari vult, quàm timeri. Spes autem cauſat, & auget amorem, dilatat cor, corroborat voluntatem, ac fortiſſimum confert nobis ſolatium; ergo &c.

Quæro III. *Quales ſunt actus virtutis Spei Theologicæ?*

7 ℞. Sunt iſti, videlicet, I. Amor concupiſcentiæ erga Deum, tamquam Summum bonum noſtrum: & per hunc amorem homo juſtus, ac timoratus præfert hoc bonum omni alii bono concupiſcibili, eſtque paratus ad quærendum illud ſummum bonum omnibus modis ſibi proportionatis, & poſſibilibus. Ex hòc amore oritur *II. Actus*, qui eſt deſiderium obtinendi, & habendi tale bonum abſens; Ex quo naſcitur *III. Actus*, qui eſt ipſius Spei, quo voluntas conatur tendere in illud bonum, tendendo etiam per media apta, & neceſſaria; quia poſſibile eſt acquiſitu talibus mediis; Ex hoc procedit *IV. Actus*, qui eſt expectatio talis boni; expectamus enim illud propter mediorum efficaciam, præſertim ex efficacitate Sacramentorum, ac cæterorum, quæ ſe tenent ex parte Dei auxiliantis, & promittentis, ſcientes pleniſſimè, quòd quæcumque promiſit nobis Deus, potens eſt, & facere, atque miſericorditer, ac benignè faciet; *Et iſte eſt proprius, ac principalis actus Spei Theologicæ*, nimirùm certa expectatio Beatitudinis Æternæ per media efficacia Divinitùs ordinata, nobiſque conceſſa: quoniam Deus Fidelis eſt, ac miſericors. Hoc enim tantum bonum ſperamus, & expectamus gaudentes, non quaſi confiſi noſtris meritis, ac viribus, ſed Dei, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui meruit nobis, ac promiſit Vitam Æternam.

Quæro IV. *Si Deus exigit noſtra bona opera ad noſtram Salutem, quare non poſſumus ſperare in ipſis?*

℞. Ex dictis num. 6. patet reſponſio: 8 Licèt enim hæc duo, *Gratia Dei, & opera noſtra* conjunctim neceſſaria ſint hominibus adultis, veluti media ordinata à Deo ad Beatitudinem Æternam conſequendam: tamen Gratia eſt medium principalius, quod per merita Chriſti nobis præſtatur, & ab eo merita noſtra vim, & efficaciam accipiunt. Etenim hoc eſt certum de fide: Quòd ſine Chriſto nihil poſſumus facere, quod ad juſtitiam coram Deo, & quod ad vitam æternam utile ſit. — Aliquo tamen modo poſſumus in noſtris bonis operibus Sperare, ſeu confidere, videlicèt, non quatenùs præcisè ex nobis, aut viribus naturæ ſunt, ſed quatenùs ex Dei gratia, & adjutorio proficiſcuntur, ac Dei dona ſunt, atque media miſericorditer ordinata ab ipſo Deo ad vitam æternam, tamquam Mercedem, & Præmium conſequendum à nobis. Tanta enim eſt Dei erga nos Bonitas, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt verè ipſius Dona. Vide Tridentinum Conc. *ſeſſ. 6. cap. 16.* Laymannum *lib. 2. tract. 2. cap. 1. num. 7.*

Quæro V. *Quænam à Deo Speranda ſunt nobis?*

℞. Ex dictis numero 2. patet reſponſio. 9 I. enim debemus ſperare in ipſum Deum tamquam ſupernaturalem finem ultimum, & Beatitudinem noſtram. II. Media ſupernaturalia ad hunc finem conducentia. III. Bona naturalia, & temporalia aliquo modo neceſſaria, ac utilia; Ratio eſt, quia horum omnium Auctorem Deum eſſe, ac Largitorem credimus fide ſupernaturali: ergo etiam à Deo ipſo obtinere ea omnia deſideramus, ac petimus, expectamus, & tamquam à Deo Optimo pro-

Digitized by Google

proveniencia nobis delectamur habere, ac poſſidere.

Quæro VI. *Quandonam infunditur nobis habitus hujus Virtutis Spei?*

10 ℞. In prima hominis Juſtificatione ſimul cum habitibus Fidei, & Charitatis: ut docet Conc. Trid. *ſeſſ. 6. c. 7. de Juſtificatione*: Igitur quando homo, ſive infans, ſive adultus baptizatur, tunc eum Gratia Sanctificante recipit etiam habitus Virtutum Theologalium, nempè Fidei, Spei, & Charitatis.

11 Habitus autem Fidei imprimitur immediatè in Intellectu noſtro: Habitus autem Spei in Voluntate: ſicut & habitus Charitatis: Nam Fides perficit ipſum Intellectum & habilitat ad credendum: Spes, & Charitas perficiunt Voluntatem, & inclinant ad ſperandum, & diligendum Deum ut Auctorem Gratiæ, & Gloriæ.

12 Habitus Charitatis nequit eſſe in Anima Juſti ſine habitu Fidei, & habitu Spei. Habitus autem Fidei, & Spei poſſunt ſtare ſine habitu Charitatis, & de facto ſtant, quando homo jam baptizatus peccat mortaliter, nam Charitas corrumpitur: ſeu annihilatur per peccatum mortale. Habitus Spei deſtruitur ſolùm per peccatum deſperationis formalis. Habitus tamdem Fidei amittitur per ſolum peccatum hæreſis formalis: quo amiſſo, conſequenter amittuntur reliqui habitus Virtutum Theologalium, Spei, ſcilicet, & Charitatis; Nam Fides eſt, ut vidimus, fundamentum, & Subſtentaculum Spei, & Charitatis.

Quæro VII. *Daturne præceptum Divinum de actibus Speis eliciendis?*

13 ℞. Affirmativè; Quia pluribus in locis Sacræ Scripturæ reperitur mandatum de ſperando in Domino Deo noſtro. — Pſalm. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* — Oſeæ cap. 12. *Spera in Deo tuo ſemper.* — Eccli. c. 2. *Qui timetis Deum, ſperate in illum.* — Prov. cap. 3. *Habe fiduciam in Domino.* — Matth. 14. *Habete fiduciam: Ego ſum.* — Jerem. cap. 39. *Erit tibi Anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam.* — Habere autem fiduciam, eſt habere Spem firmam, fortem, & conſtantem: Tum quia, omnes tres Virtutes Theologicæ obligant ex natura ſua, ſeu per ſe ad eliciendos quandoque actus proprios, aliter fruſtrà nobis donatæ eſſent à Deo Benedicto, niſi eis uteremur in vitæ decurſu. Tum quia ſicut ſine Fide explicita, (loquendo de adultis) non poſſumus Deo placere, nec juſtificari, nec mereri &c. ita pariter ſine Spe; Nam dixit D. Paulus Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt Deus, & quia inquirentibus ſe Remunerator eſt*: Sed hæc non eſt ſola Fides, benè quidem Fides cum Spe, & Fiducia: nam per Spem incipimus accedere ad Deum noſtrum: Ergo Spes obligat nos ad ſperandum.

14 *Sed quando?* ℞. I. Circa initium noſtræ vitæ, quando nimirùm ſufficienter inſtruimur de rebus Fidei, & Spei. *II.* In fine vitæ, quando homo in extremis conſtitutus tenetur ſe diſponere ad mortem, quæ diſpoſitio maximè fit per actus expreſſos Virtutum Theologalium; Sperare enim tenemur tunc, & remiſſionem peccatorum, & Vitam Æternam, & virtutem reſiſtendi tentationibus Dæmoniorum. *III.* Sæpiùs per vitæ curſum; verumtamen hujuſmodi obligationi ſufficienter ſatisfit per actus Spei, qui eliciuntur à nobis in exercitio aliarum Virtutum, quæ ſine Spe exerceri non poſſunt, ut in *Oratione* facienda: Non enim poſſumus valdè orare Deum: niſi ſperemus impetrationem &c. in *contritione*, vel attritione; in qua Spes veniæ neceſſariò includitur; in *reſiſtentia* vitiis, & tentationibus, quibus non valemus contradicere viribus naturæ, niſi Deus adjuvet nos viribus Gratiæ ſuæ, quòd fit ſperando, & aſpirando in Deum Adjutorem &c. Et tamdem in *cæteris operibus bonis*, quæ fiunt utique cum Spe remunerationis temporalis, & Æternæ à Deo obtinendæ; Spes enim præmii movet, & confortat cor noſtrum ad benè operandum.

15 Ad præceptum autem hoc affirmativum ſperandi in Deo reducitur præceptum timendi ipſummet Deum, quod ſæpiſſimè nobis intimatur à Sacra Scriptura: *Eccli. c. 1.* Timor Domini expellit peccatum: Et qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. *Prov. ca. 1.* Timor Domini principium Sapientiæ. — *Et c. 14.* In timore Domini Fiducia. — *Et c. 23.* Eſto in timore Domini. — *Eccli. 27.* Si enim in timore Domini non te tenueris inſtanter, citò corruet domus tua. — *Luca cap. 12.* Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittere in gehennam: ideſt in Infernum. — Et alibi ferè innumeris vicibus intimatur Timor eſt Sanctus.

16 Ultra præceptum affirmativum, de quo ſupra, datur etiam præceptum negativum

Spei: nempè ne deſperemus de Divina bonitate, & miſericordia, & ne præſumamus de ipſa contra Juſtitiæ ordinem. Et hoc obligat ſemper, & pro ſemper; Numquam enim eſt licitum, nec poteſt eſſe licitum vel deſperare noſtram ſalutem ſempiternam: vel temerè abuti Dei miſericordia, ac bonitate; Ergo &c. Et de his vitiis, nimirum præſumptione, & deſperatione, quæ opponuntur Spei, una per exceſſum, altera per defectum, agendum eſt in ſequentibus.

De vitiis contra Spem Theologicam.

Quæro VIII. *Quid eſt deſperatio?*

17 ℞. Eſt fuga, ſeu receſſus voluntarius à Beatitudine conſequenda, & procuranda. Fit autem hoc modo: Quando peccator ob multitudinem, vel gravitatem ſuorum delictorum exiſtimat ſibi impoſſibilem veram pœnitentiam: vel erroneè putat, Deum nolle ſibi remittere tot, & talia crimina: vel ob difficultatem, quam ſentit in obſervandis mandatis Dei, Eccleſiæ, & ſui ſtatus, judicat, ſibi eſſe impoſſibilem viam ſalutis: vel ex conſuetudine peccandi mortaliter, credit, Deum ſibi denegare ſuam gratiam efficacem, & conſequenter ſe eſſe de numero reproborum; vel ex alio motivo erroneo, vel hæretico, aut falſo, non vult ampliùs proſequi, vel conari ad Beatitudinem Vitæ Æternæ, nec media opportuna inquirere, aut adhibere, unde vivit more illorum impiorum, qui dicunt apud Jeremiam c. 18. *Deſperavimus: poſt cogitationes noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui faciemus &c.*

18 Deſperatio formalis aliquando eſt cum hæreſi conjuncta, aliquando eſt ſine hæreſi; poteſt enim perdi Spes, manente Fide. Unde examinandus eſt actus intellectus, & judicii, à quo procedit illa deſperatio. Et ſi reperiatur error voluntarius contra Fidem, tunc adeſt hæreſis, & amiſſa eſt etiam Fides: eſtque duplex peccatum. V. G. Titius deſperavit, quia putavit Deum nolle, vel non poſſe remittere talia peccata: vel credit certò, ſe eſſe de numero damnatorum, aut quid ſimile, tunc adeſt error contra Fidem, qui ſi fuerit pertinax, erit etiam error, ſeu hæreſis formalis. Si verò non adfuit talis error contra Fidem, erit ſimplex deſperatio: V. G. Cajus deſperavit, quia putavit, ſe non perſeveraturum in bonis operibus laborioſis, vel quia ſentit ſe nimis proclivem ad aliquod grave peccatum, vel quia non valet fateri aliquod peccatum inhoneſtiſſimum, vel quid ſimile &c. Simplex deſperatio eſt peccatum directè contra Spem; ut enim Spes inclinat, ita deſperatio avertit voluntatem à Bono Æterno. Quando autem eſt compoſita cum errore contra Fidem eſt duplex peccatum, ideſt contra Fidem, & contra Spem. Si error ſit invincibilis, ſeu materialis tantùm, tunc non erit hæreſis propriè, ut vidimus ſuperiùs. Multi enim deſperant ex ignorantia ſive culpabili, ſive inculpabili, & tunc non ſunt hæretici formaliter; Verumtamen deſperatio iſta ex aliqua Fidei infirmitate poterit facilè provenire, quod cognoſces ex interrogationibus.

19 *Deſperatio vera, & voluntaria* eſt graviſſimum peccatum, atque inter omnia maximè periculoſum, magiſque irremediabile nam; connumeratur inter peccata in Spiritum Sanctum; quia avertit hominem directè ab ultimo Fine Supernaturali, & aufert omnia media ad illum finem conſequendum, eſtque contra Divinam Bonitatem, Munificentiam, & Gratiam remiſſivam omnium delictorum. Unde meritò dicit S. Iſidorus; “Perpetrare peccatum, mors animæ eſt: deſperare autem, deſcendere in infernum eſt. De ſolis enim damnatis, & Angelis malis deſperanda eſt correctio, & ſalus.”

20 Dixi: *Deſperatio vera, & voluntaria*: Ut ſciat Confeſſarius, quòd quandoque venient ad pedes ejus pœnitentes, qui dicunt, & credunt, ſe eſſe deſperatos, cùm revera ſint tantùm tentati; accidunt enim tentationes aliquæ violentæ, fixæ imaginationi, ac phantaſiæ, & inde afflictiones graviſſimæ, atque inconſolabiles mœſtitiæ, quibus interdum Animæ timoratæ cruciantur taliter, ut omni Spe deſtitutæ ſibi videantur. Hi ſunt timores, & anguſtiæ excitatæ vel à diabolo, vel à turbatione animi, aut etiam à complexione melancholica ſimul; ideòque cùm accidant illis præter intentionem, ſintque meræ cogitationes naturales, vel diabolicæ torquentes cor, & caput abſque vero, ac deliberato conſenſu voluntatis, potiùs evadunt materia, & occaſio patientiæ, & meriti, quàm demeriti, & peccati.

Animæ iſtæ debent ſe ſe projicere ad pedes Crucifixi Domini, petendo cum fiducia

Digitized by Google

ducia liberationem, aut patientiam invictam, & in ſinum Bonitatis, & Miſericordiæ Dei Patris, qui eſt *Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra:* Expectantes Beatam Spem, & Conſolationem Divinam: Et non obſtantibus prædictis tentationibus, minimè deſiſtant à bonis operibus: quia *Vincit patientia, vincit:* Et *quoties reſiſtes, toties coronaberis?*

Quæro IX. *Eſtne peccatum ſperare in hominibus.*

21 ℞. I. Licitum eſt ſperare in hominibus bonis, ſicut in Inſtrumentis adjuvantibus miniſterialiter ſub Deo; qui enim ita confidit in homine, ut per hoc non recedat cor ejus a Deo, ſed tantùm confidit veluti in medio à Deo ordinato in noſtram ſalutem corporalem, & ſpiritualem, is in Deo potiùs confidit, quàm in homine, quia ſequitur in ſua Spe Divinam Providentiam, & Voluntatem, confidens principaliter in ipſo Deo tamquam in primo Movente, à quo omnes homines, cunctaque creata dependent in fieri, eſſe, & operari, minùs autem principaliter confidit in homine iſto tamquam in ſecundo movente moto à primo, hoc eſt, à Deo Motore primo &c.

22 ℞. II. Non eſt autem licitum ſperare, vel confidere taliter in homine ſive bono, ſive malo, ut cor noſtrum recedat à Spe, ac fiducia principali, & potiſſima, quæ in ſolo Deo habenda eſt. Nam Deus dixit *Jerem. capit.* 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & cor ejus à Deo recedit. – *Et Pſalm.* 145. Nolite confidere in Principibus, nec in filiis hominum, in quibus non eſt Salus: ideſt, à quibus certa Salus non provenit: cùm ob inopiam ſuam non poſſint, nos adjuvare; & ob inconſtantiam, aut malitiam interdum qui poſſunt, nolunt.

Quæro X. *Quale eſt peccatum deſiderare magis terrena bona, quàm cœleſtia?*

23 ℞. I. Si quis magis concupiſceret hæc tranſitoria bona, aliàs licita, quàm Æterna, & Cœleſtia ita, ut eſſet animo paratus relinquendi Deo Cœlum, dummodò ſibi concederet terram cum ſuis bonis in perpetuum, peccaret mortaliter contra Virtutem Spei Theologicæ, qua Chriſtianus homo ex Divino præcepto tenetur ſperare, deſiderare, & expectare firmiter Beatitudinem Angelorum, & Sanctorum in Cœlo, quia ad hunc finem creatus eſt &c. Et qualis amentia eſſet hæc! Relinquere Creatorem pro creatura, Summum bonum pro minimo? Quare, data etiam hac licentia, factaque hac electione, dico, quòd numquam homo ille eſſet perfectè felix, & quietus; quia Solus Deus poteſt ſatiare appetitum rationalem hominis, juxta dictum Prophetæ: Satiabor cùm apparuerit Gloria tua: Et Auguſt. Creaſti nos, Domine, ad Te, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in Te.

24 ℞. II. Deſiderare autem magis intensè hæc terrena bona, aliàs ex ſe licita, quàm cœleſtia, & ſpiritualia, ſine horum contemptu, non eſt ex ſuo genere peccatum mortale, dummodò virtualiter ſaltem animus ſit paratus, non peccandi umquam graviter pro illis bonis acquirendis, aut retinendis, vel conſervandis; Quia non per hoc excluditur Spes Chriſtiana futurorum, & æternorum &c.

Quæro XI. *Quid eſt Præſumptio?*

25 ℞. Eſt peccatum contra Spem per exceſſum, quo homo appetit Beatitudinem æternam non eo modo, quo appetenda, & ſperanda eſt; Duplici autem modo poteſt contingere. I. Quando quis vult Beatitudinem, tamquam debitam ſuis viribus, & meritis naturalibus, abſque Dei Gratia. V. G. Si quis ſperaret Beatitudinem ſibi deberi, & dandam eſſe, quia Nobilis, vel Potens, vel Doctus, vel pulcher eſt; ſicuti fecit Lucifer. – II. Quando quis vult Beatitudinem ſola ex Divina miſericordia conſequendam, vel dandam ſibi, abſque ullo bono motu, ex opere bono, & meritorio, ſeu abſque cooperatione propria. V. G. Si quis malè vivendo adhuc ſperaret Salutem æternam ex ſolis meritis Chriſti, & ex mera Dei miſericordia, ſine propria converſione ad Deum, & pœnitentia vera, tempore opportuno facta.

26 Utraque præſumptio poteſt eſſe cum hæreſi conjuncta, & ſine hæreſi, prout diximus de deſperatione; faciliùs tamen eſt, ut accidat, hæreſim conjungi cum præſumptione temeraria, quàm cum deſperatione timida; Nam multi dantur hæretici, qui temerè, & pertinaciter ſperant Beatitudinem ſine bonis operibus; ut notum eſt Scientibus errores hæreticorum Lutheranorum, & Calviniſtarum noſtri temporis.

27 Quando quis, Spe veniæ obtinendæ finaliter, pœnitentiam differt uſque ad ſenectutem, interim ſine lege vivendo, aut in peccatis perſeverando, utique peccat

peccato præſumptionis periculoſæ, quod propriè dicitur *Impœnitentia finalis*.

28 Item qui tentat Deum, indebitis modis ſperando ab ipſo auxilia neceſſaria, & opportuna Gratiæ, V. G. remiſſionem peccatorum obtinendam ſine Sacramento in re ſuſcipiendo, cùm poſſit ſuſcipi; vel mediis tantùm eleemoſynis, aliiſve operibus materialiter bonis, ſine Confeſſione vera, integra, & doloroſa; peccat utique peccato præſumptionis: nam Deus de lege ordinaria non vult juſtificare, nec ſalvare hominem, niſi mediis ordinariis ab ipſo jam conſtitutis, quæ ſunt Sacramenta Eccleſiæ ritè, ac debitè ſuſcepta.

29 Idem dicendum de eo, qui ſine reſtitutione bonorum fortunæ, aut famæ, quam poteſt facere, aut ſine omiſſione, & fuga occaſionis proximæ peccandi mortaliter, ſperaret ſalutem, vel remiſſionem delictorum ſuorum; Quia iſte non facit quantum in ſe eſt, & quod Deus vult fieri ad Juſtificationem, & ſalutem obtinendam, etiam mediis Sacramentis, quæ non cauſant ſuos effectus in malè diſpoſitis ſubjectis.

30 *Præſumptio* eſt peccatum mortale ex ſuo genere, & valdè grave, ac periculoſum; quia velle obtinere bona ſupernaturalia Dei, præter, vel contra ordinem Divinæ Providentiæ nobis notum, & revelatum, eſt valdè gravis injuria, quæ irrogatur Divinæ Bonitati, ideoque hoc peccatum eſſe unum ex illis, quæ ſunt contra Spiritum Sanctum.

Ex dictis colliges, ac deduces, in hanc 31
peccati ſpeciem labi quaſdam perſonas, quæ volunt tendere, aut intendere ad vitam Spiritualem, & Perfectionem Chriſtianam, aut Religioſam, mediis quibuſdam indebitis, inefficacibus ac potiùs ſibi nocivis in rei veritate, quandoquidem fundamenta hujus Spiritualis ædificii, (quæ ſunt vera mortificatio proprii judicii, propriæque voluntatis, veraque humilitas cordis) aut negligunt, aut ſpernunt; Unde fit, (uti experientia docet quotidiana) quòd Perſonæ iſtæ miſerrimè cadant in hypocriſis vitium, hoc eſt, ſimulent Sanctitatem, Sacrilegè vivant, & augeant ſibi damnationem. Quod, utinam intelligeretur, & recogitaretur à quibuſdam Confeſſariis, qui prætendunt ſe habere Zelum, at non habent ſecundùm ſcientiam Sanctorum. Legant Libros de hac materia tractantes, & veritatem comperient, modumque verum regendi Animas per viam rectam addiſcent. *V. Opera S. Franciſci Saleſii; & ſignatè la Filotea: Et Il Direttore del P. Pinamonti &c.*

TRACTATUS XI.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS erga Deum.

QUæro I. *Quid eſt Charitas?*

1 *Reſpondeo*: Charitas, pro ut hìc ſumitur, eſt tertia Virtus Theologica, omnium aliarum Virtutum præſtantiſſima, & excellentiſſima, qua Diligimus Deum propter ſe ſuper omnia diligibilia, & proximum noſtrum propter Deum, vel in ordine ad Deum.

2 Ex hac definitione *colligitur I.* Quòd Objectum terminativum primarium hujus Virtutis, & Amoris, ſeu Dilectionis eſt ipſe Deus, qui eſt Summum bonum, atque ultimus finis noſter, qui ſecundùm ſe, & propter ſe diligendus eſt; & propter quem, ſive in ordine ad quem reliqua omnia diligenda ſunt. — Objectum verò ſecundarium ipſius virtutis ſumus Nos, proximus noſter, & omnia alia honeſtè amabilia.

Colligitur II. Quòd Objectum formale, 3
& motivum Charitatis erga Deum, eſt ipſius Dei Infinita Bonitas, qua Deus in ſe Bonus in ſummo eſt, & amabilis Amore Amicitiæ ſuper nos, & ſuper omnia alia amabilia objecta. Deus enim eſt Fons totius Bonitatis & amabilitatis.

Colligitur III. Charitas dicitur perfectiſſima inter omnes Virtutes tam Morales, 4
quàm

Digitized by Google

quàm Theologales, quia circa perfectiſſimum Objectum formale verſatur, & quidem perfectiſſimo modo, quàm aliæ Virtutes. Unde Charitas vocatur forma reliquarum virtutum, puta Fidei, Spei, Religionis, Juſtitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis &c. quia ſine Charitate reliquæ Virtutes non ſunt Virtutes hominis Chriſtiani, ſeu quatenùs homo conſideratur à Theologo cum elevatione, & ordine ad Supernaturalem Beatitudinem Æternam; Nam Virtus propria hominis Chriſtiani talis eſt, ut operationes ejus ordinet, ac dirigat ad finem ultimum, qui eſt Gloria Cœleſtis. Etenim Theologi omnes Catholici conveniunt in hoc, quòd Opera reliquarum Virtutum ſine Charitate Regina virtutum, non ſunt meritoria Gloriæ Æternæ.

Quæro II. *Quale influxum Charitatis Opera aliarum Virtutum exigunt, ut ſint meritoria de condigno.*

5 ℟. In hoc diſcrepant Theologi; Quandoquidem alii ſentiunt, quòd ſufficiat ſtatus Gratiæ, vel habitus Charitatis. Ita Vaſquez cum aliis. *Alii ſentiunt*, quòd requiratur (ultra habitum Charitatis) etiam motivum aliquod Supernaturale, hoc eſt, ut opera illa procedant ex fine aliquo ſupernaturali, V. G. Fidei, aut Spei Theologicæ, quamvis nullus actus Charitatis anteceſſerit. Ita Suares cum aliis. *Alii ſentiunt*, quòd nullum opus hominis Juſti, ſeu in gratia exiſtentis ſit; vel eſſe poſſit meritorium de condigno Gloriæ æternæ, & augmenti juſtitiæ, ſeu gratiæ Sanctificantis, niſi vel eliciatur à Charitate actualiter, vel ab ea imperetur ſaltem virtualiter. Ita Layman cum multis Doctoribus, & rationibus. – *Alii tamdem ſentiunt*, quòd ſufficiat quædam habitualis emanatio, ſeu influxus radicalis à Charitate jam exiſtente: ſeu intentio ſemel habita, & numquam retractata operandi omnia bona, ut Deo placeamus, voluntatem ejus faciamus, & in laudem, & gloriam ipſius omnia habitualiter operemur. Ita Sotus *lib. 3. de nat. & gratia, capit.* 4. – Valentia *tom. 2. diſp. 8. quæſt. 6. p.* 3. Bart. Medina 1. 2. *quæſt.* 114. *artic.* 3. -- Probabilior autem eſt opinio media, quæ eſt Laymanni, de virtuali intentione & electione; nempè ut opera bona eliciantur ſaltem virtualiter à Charitate, & dirigantur ad Deum. Ita ex D. Thoma, D. Bonaventura, Scoto, & aliis DD. probat P. Anacletus noſter *in Moral. Theol. T. 1. diſt. 2. q. 3. n. 26. & 27.*

Quæro III. *An charitas differat à Gratia Sanctificante.*

℟. Secundùm Scotiſtas Gratia habi- 6
tualis non diſtinguitur realiter, nec formaliter ab habitu Charitatis, ſed tantùm per connotata, aut per rationes, & officia; Nam Gratia dicitur vita Spiritualis Animæ noſtræ, qua Deo vivimus, eique unimur per Charitatem, quæ eſt principium dilectionis meritoriæ, ſeu proximum principium merendi. *Vel* Gratia dicitur in ordine ad Subjectum, quod Sanctificat, redditque gratum, ac Deo acceptum: Charitas autem dicitur idem habitus in ordine ad operationem meritoriam faciendam.

Secundùm Thomiſtas verò Gratia, & Charitas ſunt duæ qualitates ſpirituales diſtinctæ realiter, vel potentialiter; nam Gratia afficit Animam noſtram ſecundùm ſe; Charitas autem afficit voluntatem ad operandum. Gratia facit meritum, ſicut principium remotum, conſtituens nos in eſſe ſpirituali, & ſupernaturali, ſine quo non poſſumus mereri; Charitas autem eſt ſicuti proximum merendi principium.

At, ſecundùm Eminentiſſimum (dignitate, ac doctrina) Cardinalem Bellarminum, Gratia, & Charitas differunt tantùm hac ratione, quia idem habitus, eademque qualitas aliquando vocatur Gratia Dei, aliquando Charitas Dei: Gratia vocatur, eò quia gratos nos Deo reddit, & Amicos; Charitas nominatur, eò quia nos excitat, & adjuvat ad diligendum Deum ſuper omnia.

Quæro IV. *Quid eſt Amor erga Deum?*

℟. Amor noſter erga Deum vocatur 7
Amor Amicitiæ, & benevolentiæ: quia volumus Deo Bonum duplex: nempè *Bonum intrinſecum*, quod in ipſo Deo eſt, eſtque omne Verum Bonum: V. G. quando volumus: ſeu gaudemus, Deum eſſe Deum, Ens infinitum, juſtum, Sanctum, potentem, miſericordem, ſicuti eſt & ſic de aliis ejus Attributis, & Perfectionibus infinitis: Et *Bonum extrinſecum* Deo volumus, quando volumus ſuam voluntatem in omnibus rebus, & eventibus impleri, omnes gentes ad ipſum converti, ejus Gloriam manifeſtari, ſuumque Nomen Sanctum ſemper, & ubique exaltari. Omnia talia Deo vult, qui

Deum vera Charitate diligit; Nam vera Charitas eſt vera Amicitia Supernaturalis hominis ad Deum. Iſte eſt Amor in Deum, ideſt Amor, & dilectio; quam Deo debemus, ſeu qua amandus eſt Deus.

Quæro V. *An Charitas erga Deum poſſit dici Amicitia hominis cum Deo?*

8 ℞. Quòd ſic; Nam habet omnes conditiones veræ Amicitiæ, quas ponit Card. Toletus *lib. 4. c. 8. Prima eſt, ut ſit Amor*; Ubi enim nullus amor, nulla eſt amicitia: Si non amas, non es Amicus. Atqui Nos per Charitatem diligimus, & amamus Deum: ergo &c. *Secunda, ut ſit amor benevolentiæ:* Amor benevolentiæ eſt, quo amamus aliquem propter ſe, eique benè, ſeu bonum volumus. Atqui per Charitatem benè volumus Deo: ergo &c. *Tertia, ut ſit amor mutuus:* quo ſcilicet ſic amamus aliquem, ut reamemur ab eo; nam quando amor ſolus eſt, nec redamantem habet, non tenet rationem Amicitiæ, quæ eſt ad alterum. Atqui ſic diligimus Deum, qui prior dilexit nos: ergo &c. — *Quarta, ut ſit aliqua converſatio*, aut communicatio inter amantes; nam Amicitia exigit aliquod commune, & mutuum commercium ne ſit otioſa: Atqui Deus converſatur cum homine juſto, & homo juſtus cum Deo multis, & miris modis, præſertim in Oratione, in Sumptione Corporis Domini; ergo &c. Hoc totum confirmatur verbis ipſius Chriſti Joan. c. 15. *Jam non dicam vos ſervos, ſed Amicos: quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Quæro VI. *An detur nobis præceptum de diligendo Deo?*

9 ℞. Utique datur, & exprimitur Deut. cap. 6. Matth. c. 22. & Lucæ cap. 10. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* — Senſus autem horum eſt: Quòd homo debet Deum diligere ex omnibus potentiis, & facultatibus ſuis, quatuor præcipuæ ſunt: Una intelligendi, altera appetendi, tertia ſentiendi, & quarta loco movendi; nempè Intellectus, Voluntas, Senſus Internus, & externus, quibus omnibus Homo debet Deum diligere ſuper omnia; ideſt, homo ſecundùm ſe totum Deo ſubjici tenetur; & omnes operationes ſuas in Deum referre, ut illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Ita Layman ex D. Auguſtino.

Hoc tamen præceptum de ſic diligen- 10
do Deum non poteſt ſimpliciter impleri in hac vita mortali ſecundùm totam ejus perfectionem, ac latitudinem; Quia perfectio iſta conſiſtit in actuali continua unione voluntatis noſtræ cum Deo & in relatione omnium prorſus actionum in ipſum Deum; ſed hujuſmodi dilectio ſine ulla imperfectione non hic in via, benè quidem illic in Patria haberi poteſt; nam Beati in Cœlis per claram, & intuitivam Dei viſionem, continuò ſibi propoſitum habent Deum ſummum Bonum, & per fruitionem illius Infinitæ Bonitatis perpetuò in Dei amorem rapiuntur; At verò in hac via, & vita mortali, propter inſitam Naturæ humanæ poſt lapſum primi hominis infirmitatem, mentis ignorantiam, & diſtractionem, effugere non poſſumus, quominùs ab actuali Dei conſideratione, & amore ſæpè abſiſtamus, & ad noſtrum proprium, ac aliarum creaturarum amorem deſcendamus, & in tali amore quandoque excedamus adeò, ut multa peccata venialia committamus, quæ, licèt Divinæ Charitati, & Amicitiæ Dei non omninò repugnent, tamen imperfectionem aliquam voluntatis, & amoris ſecum afferunt.

Nihilominus illud præceptum Divi- 11
num poteſt in hac vita ita perfectè, & egregiè impleri, ſicuti ad hominem viatorem, & perfectum pertinet, & ordinatur. Patet hoc exemplis authenticis Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, qui Charitatem perfectam habuerunt erga Deum, & proximum: Et ex Epiſt. 1. S. Joan. cap. 2. *Qui ſervat verbum ejus* (nempè Dei) *verè in hoc Charitas Dei perfecta eſt*: & ibi cap. 5. — *Hæc eſt Charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: &c.* & cap. 4. Pluries nominat, & explicat *Charitatem perfectam*; ergo &c. Hoc tamen addendum eſt, quòd in hac vita non poteſt dari ita perfecta Charitas, cui nulla poſſit fieri additio; nam idem S. Joannes Apoc. 22. dicit: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: Et qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* — Ratio eſt, quia in hac vita, quæ dicitur *Via, ad Patriam*, omni momento temporis poteſt homo mereri augmentum gratiæ, & Charitatis: & ſic creſcere in perfectione: Et nemo, quantumvis Sanctus, ſe ſatis perfectum agnoſcere poteſt, aut debet, ſed in dies magis ad perfectionem altiorem aſpi-

aſpi-

Digitized by Google

aſpirare, atque contendere, juxta doctrinam S: Pauli ad Philip. cap. 3. *Non quòd jam acceperim, aut perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam.* – Et 1. Corint. cap. 10. *Æmulamini chariſmata meliora*, & cap. 14. *Æmulamini Spiritualia.*

Quæro VII. *Quomodo intelligitur præceptum diligendi Deum ſuper omnia?*

12 ℞. Sic intelligitur, ut magis æſtimemus Deum, quàm omnia creata, etiam noſmetipſos, noſtraque omnia; Et iſte amor vocatur *appretiativus* ſuper omnia; quia pluris facimus ſolum Deum, quàm nos, noſtra, & omnia; nam de facto ſic debet æſtimari Deus; qui eſt Ens infinitum, & ſummè, ac infinitè bonum, & appretiabile ſuper omnia, quæ ab ipſo facta ſunt.

13 Iſte autem amor appretiativus cognoſcitur, quando vel purè diligimus Deum, ſiſtendo in tali præciſo actu dilectionis internæ ſuper omnia bona, & vocatur *actus formalis amoris:* vel quando facimus, quæ nobis Deus mandavit, eique ſunt placita; Mandata enim Dei ſervare, & implere ad faciendam ejus voluntatem eſt ipſum diligere, ſaltem virtualiter, & in effectu, prout dicit ipſe Chriſtus Joan. cap. 14. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* -- Ideoque omne peccatum mortale eſt contra hoc præceptum Divinum, ſeu contra Charitatem erga Deum.

Quæro VIII. *Quænam eſt differentia inter Amorem appretiativum, & intenſivum?*

14 ℞. Differentia eſt iſta, quòd Amor appretiativus eſt talis, & tantus in propoſito noſtro, ut Amans ſit animo paratus ſe ſe, omnemque creaturam deſerere potiùs, quàm mortaliter peccare, ac Dei Amicitiam perdere. Et iſte amor cadit ſub præcepto. Amor autem intenſivus, (qui & affectivus dicitur) eſt qui majori conatu, vel cordis teneritudine fertur in rem amatam; qualis eſſe ſolet amor Parentum erga parvulos ſuos. Major autem hæc intenſio amoris non arguit ſemper majorem amorem in appretiatione, aut æſtimatione; nam facilè contingit, ut quis magis intensè unam creaturam diligat, quàm Creatorem Deum, non autem magis appretiativè. Patet ab exemplo; quia V. G. Mater magis intenſè, ac ferventer amat parvulum filium, at magis appretiativè, ac eſſentialiter amat primogenitum adultum; patet experientia, nam ſi Matri daretur optio, ut moreretur alteruter filius, potiùs eligeret mortem parvuli, quàm adulti, imò vellet potiùs ipſa mori, quàm primogenito privari; ergo à ſimili dicendum eſt de amore erga Deum, & Creaturam.

Iſte autem amor intenſivus non cadit ſub præcepto; Sanctiſſimum tamen eſt, Deum noſtrum ſumma cum intenſione diligere, cùm ſit reverà omni amore digniſſimus. Nam *Modus diligendi Deum:* (ut inquit D. Bern.) *eſt eum ſine modo diligere.*

Quæro IX. *An teneamur diligere Deum actu interno, ac formali Charitatis, & Amoris?*

℞. Quòd ſic. Ratio eſt, quia ſicut 15
præceptum hoc Divinum: *Diliges Dominum Deum tuum:* obligat ex ſe, & per ſe independenter ab aliis præceptis: ita per ſe adimplendum eſt, independenter ab obſervantia cæterorum. Atqui non poteſt ſic adimpleri, niſi per actum internum, & formalem Amoris, & dilectionis Dei ſuper omnia, ſiſtendo in ipſo: ergo &c. – Tum quia Virtus Theologica Charitas non ſolùm eſt imperativa impletionis omnium aliorum mandatorum, juxta illud, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, Joan. 4. Sed etiam eſt impletiva proprii, & formalis præcepti, quod eſt primum, & maximum, hoc eſt, *Diliges Dominum Deum tuum.* -- Tum quia Charitas efficiens, & mandata Dei obſervans, non eſt Charitas formalis, & expreſſa, ſed tantùm obedientialis, ac virtualis; ergo per hanc ſolam obſervationem, & obedientiam non habetur actus proprius & formalis Amoris Dei ſuper omnia, qui actus debet eſſe elicitus ab ipſamet Virtute Charitatis per ſe obligante ad diligendum Deum, quia Deus eſt dignus noſtro amore &c.

Confirmatur ex damnatione hujus pro- 16
poſitionis, quæ eſt la prima inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septemb. Anno 1665. *Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* – Ubi notanda ſunt illa verba, *ex vi præceptorum Divinorum pertinentium ad eas virtutes*, quia ſi hæc aſſertio eſt falſa, & ſcandaloſa, ejus contradictoria erit vera, & ædificativa: proptereaque dicendum erit,

quòd homo Chriſtianus tenetur aliquando in vita ſua elicere actum Charitatis erga Deum, ex vi, ſeu obligatione hujus Virtutis, & præcepti Divini de dilectione ipſius Dei.

Quæro X. *Quoties in vita tenemur elicere actum Amoris Dei ſuper omnia?*

17 ℞. I. Cavendæ, & vitandæ in primis ſunt ſequentes propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. die 2. Martii Anno 1679. videlicet

la 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

la 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinqueniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.*

la 7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

Hæ theſes tamquam ad minimum ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ condemnatæ jam ſunt ab Eccleſia Romana.

℞. II. His præſertim temporibus, & circumſtantiis tenemur diligere Deum ſuper omnia, videlicet I. Cùm primùm homo uſum rationis adeptus, ſibi ſufficienter propoſitum, & explicatum habet per lumen Fidei, Deum Optimum Maximum eſſe noſtrum ultimum finem, quem diligere ſuper omnia tenemur. II. In fine hujus noſtræ vitæ, quando nobis imminet certò, vel probabiliter mors, & ille tranſitus magnus *de tempore ad Æternitatem*, ab hoc mundo ad alium. III. Sæpius in totius vitæ noſtræ decurſu, ita, ut non multo tempore differatur actus Amoris Dei: Hoc autem multum erit, ſi per annum integrum omittatur formalis actus Dilectionis Dei ſuper omnia; Ratio eſt: quia videmus, & ſcimus, cætera Dei, & Eccleſiæ mandata obligare nos ſaltem ſemel in anno: ergo à fortiori hoc, quod eſt primum, & maximum Mandatum. Tum quia, alioquin Juſtitiam, & gratiam in Baptiſmo acceptam longo tempore retinere non poſſet homo adultus, neque per bona opera ipſius Juſtitiæ, Gratiæque augmentum, & tandem Gloriam Æternam promereri valeret. Etenim ad ſtatum viatoris pertinet, ut ſæpiùs ad finem ſuum Supernaturalem, qui Deus Optimus eſt, ſe ſe convertat, & aſpiret toto ex corde, eumque rebus omnibus creatis viriliter præferat.

18 Ideoque præceptum de diligendo Deo prærequiritur tamquam neceſſarium principium ad ſervandas Leges Naturæ in Decalogo expreſſas, & contentas; ergo non debet quis diù morari, quin principio hoc utatur; maximè quando urget aliqua tentatio, & incitatio ad peccandum mortaliter; tunc enim palàm fiet, utrùm homo diligat Deum ſuum, an non?

19 Aliqui addunt, nos teneri ad diligendum Deum, quando recipimus aliquod notabile beneficium ab ipſo Deo, vel liberamur ab aliquo graviſſimo malo, vel quando incepturi ſumus aliquod opus arduum, quòd multùm indiget gratia; Verumtamen in primo, & ſecundo caſu videtur potiùs neceſſaria gratiarum actio, in tertio autem oratio, quàm amor formalis. Saluberrimum autem eſt conſilium, maximumque exercitium, atque valdè meritorium opus, frequentes actus Dilectionis Dei elicere: ubique enim, ac ſine labore capitis, vel corporis poſſumus *Deum diligere*. Diligamus ergo Deum noſtrum: quoniam ipſe prior dilexit nos in charitate perpetua: Sicque nos dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret: *Et quomodo*? Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.

Quæro XI. *An licitum ſit diligere Deum propter mercedem vitæ Æternæ?*

20 ℞. Non ſolùm eſt licitum, verùm etiam meritorium, quando quis, Spe vitæ æternæ, vel è contra timore gehennæ infernalis excitatus, ac motus, facit bona, & vitat mala opera, & ad Deum ipſum timendum, & amandum fertur. Quapropter damnata eſt ab Alex. VIII. die 7. Decembris anno 1690. hæc propoſitio, quæ eſt la 10. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.*

Ratio noſtræ Reſponſionis eſt: quia habemus in Pſal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Ergo ſi Sanctus Rex David hoc faciebat, diligendo etiam Deum amore concupiſcentiæ honeſtiſſimæ, licitum, & meritorium erit, ſic diligere Deum propter remunerationem æternam, quæ principaliter eſt ipſe Deus, minùs verò principaliter eſt noſtra Felicitas, ac Beatitudo, quam à Deo peramus, imò & tenemur ſperare: & ſperando firmiter expectamus tamquam Summum Bonum nobis à Deo promiſſum centies, & millies in Sacris Scripturis.

Quæ-

Digitized by Google

Quæro XII. *An etiam ſit licitum diligere Deum propter mercedem temporalem.*

21 ℞. Quòd ſic, dummodò talis amor ſit rectè ordinatus, nempè quòd amemus Deum primò, & eſſentialiter, quia Deus noſter eſt, ſummo amore dignus ob perfectiones infinitas, quas in ſe habet: ſecundariò autem, & minùs principaliter ob beneficia, cæteraque bona ſive ſpiritualia, ſive etiam temporalia, quæ nobis confert, vel promiſit conferre, ſi ipſum timuerimus, & mandata ejus obſervaverimus; prout in Sacra Scriptura legitur multis in locis, quòd Deus promittit bona etiam temporalia juſtis, ac timoratis, & liberationem à malis etiam corporalibus. Iſte tamen amor ſecundus, eſt imperfectus, tamen eſt bonus, rectus, & quandoque meritorius: quia procedit ab Amore concupiſcentiæ ordinatæ, quæ à Virtute Spei theologicæ emanat; ergo &c.

De Charitate erga proximum vide inferiùs ſuo proprio loco à me præfixo: *Tract. 18.*

TRACTATUS XII.

DE VIRTUTE RELIGIONIS ac variis ejus actibus in Deum.

Quærò I. *Quid eſt Religionis Virtus?*

1 *Reſpondeo I.* Eſt virtus moralis inclinans hominem ad debitum cultum exhibendum Deo tanquam primo omnium rerum Principio. — Colere autem Deum eſt, proteſtari internè, & externè Supremam Dei excellentiam, noſtramque ad ipſum, & ſub ipſo ſubmiſſionem; quia Deus nos fecit, conſervat, atque gubernat ſua Sapientia, Bonitate, atque Potentia infinita.

2 ℞. *II.* Virtus hæc *Religio* nominatur: quia nos Omnipotenti DEO religat, ſeu aſtringit: mediante cultu Deo ipſi debito, & à nobis exhibito. Eſtque inter virtutes morales omnium præſtantiſſima: quia magis de propinquo accedit ad Deum tanquam ad Originem, ac Finem noſtrum.

3 ℞. *III.* Actus Virtutum tum moralium, tum Theologalium poſſunt à Virtute Religionis imperari, ſicque aliquo modo ad hanc Virtutem ſpectare. Quia omnes, & ſinguli actus aliarum Virtutum poſſunt aſſumi ut medium collendi DEUM, ac ejus Supremam Excellentiam profitendi. Unde dicebat S. Auguſtinus: quòd *Deus colitur etiam Fide, Spe, & Charitate.*

Quæro II. *Quinam ſunt Actus Virtutis Religionis?*

4 ℞. Multi, ſed præcipui ſunt iſti, nempè Adoratio, Oratio, Devotio, Sacrificium, Votum, Juramentum; Primitiarum oblatio, Gratiarum Actio, & Laus Dei. De primis tribus hic agendum, de reliquis verò alibi ſuis propriis locis.

Quæro III. *Quid eſt Adoratio, & quotuplex?*

℞. *I.* Adoratio eſt ſubmiſſionis nota: ſeu, eſt actus, quo quis alteri ſe ſubmittit in recognitionem excellentiæ alterius; Quoniam autem varia ſunt genera excellentiæ, ideò variæ ſunt Species Adorationis: Et relinquendo Adorationes impropriaſ, ac prophanas, loquemur hìc tantùm de Sacra, ac Religioſa, quæ reſpicit DEUM, & Sanctos ejus. 5

℞. *II.* Adoratio Sacra dividitur in tres Species, quæ ſunt & appellantur I. *Latria*, quæ ſoli Deo convenit, II. *Hyperdulia*, quæ ſoli Beatiſſimæ Virgini, ac Genitrici Dei Mariæ convenit, & III. *Dulia*, quæ Sanctis attribuitur. 6

Latria eſt actus Religionis, quo reveremur Supremam DEI majeſtatem, noſque illi quanta poſſumus corporis, & Animæ demiſſione ſubjicimus. — *Hyperdulia* eſt cultus ſpecialiſſimus, quem exhibemus Mariæ-Virgini propter ſingulariſſimam ejus Excellentiam in Sanctitate, ac dignitate. — *Dulia* eſt cultus, qui Sanctis Angelis, & Sanctis hominibus tribuitur propter ſupernaturalem eminentiam ſuæ Sanctitatis, & Gloriæ, quam habent in Cœlo. 7

Quæ-

Quæro IV. *Quanam ſpecie adorationis adorandum eſt Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum?*

8 Adorari oportet cultu Latriæ. Ita tenet Fides Catholica; quia de Fide habetur, quòd ibi eſt realis præſentia Chriſti Domini; Sed Chriſtus eſt verus Deus, & homo; ergo &c. Et licèt per intellectum poſſit fieri præciſio humanitatis à Divinitate Chriſti; practicè tamen non expedit fieri; quia Chriſtus eſt unum quid ex Divinitate, & Humanitate conſtans, ſicut V.G. Homo eſt unum quid ex Anima, & Corpore. Ergo practicè adorandum eſt Sacramentum hoc Admirabile una tantùm Adoratione Latriæ. V. Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 5.

9 Crux Chriſti, Sanguis relictus in Sindone, & Clavis, Cruce, & alibi, præputium, & ſimilia de Corpore Chriſti nobis relicta in conſolationem, & augmentum fidei, & Amoris, adoranda ſunt adoratione, & cultu Latriæ, non abſolutè, ſe reſpectivè; patet, quia hæc non habent ſecum annexam Divinitatem Chriſti, ſed tantùm connotant, & repræſentant nobis Chriſtum; ergo relativè adorantur.

Quæro V. *Sacræ Imagines quomodo adorantur à nobis?*

10 ℟. Adorantur, & coluntur à nobis Catholicis cultu reſpectivo, ſeu relativo ad ipſarum Originalia; quia honor, qui eis Imaginibus, & figuris Sacris exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant; ita, ut per Imagines, & figuras, quas oſculamur, & coram quibus genuflectimus, vel caput aperimus, Chriſtum, Mariam, & Sanctos adoramus, qui ſunt in Cœlis, & Orationes noſtras vident in eſſentia Divina, tanquam in Speculo, quod eis repræſentet omnia, quæ videre volunt in terris. Vide Conc. Trid. 25. in principio: *De Veneratione Sacrarum Imaginum*.

Quæro VI. *An detur præceptum poſitivum adorandi Deum?*

11 ℟. Maximè. Primum namque præceptum Decalogi eſt hoc, ut Uni Soli Deo verum cultum exhibeamus. Dixit enim Deus Exodi cap. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Quaſi dicat: Me unum, ſolum, verum, & vivum Deum coles, & adorabis.

Quæro VII. *Quare ſub his formalibus verbis: Me unum, ſolum, & verum, ac vivum Deum adorabis: expreſſum non fuit.*

℟. Quia ex verbis antecedentibus evi- 12
denter deducitur. Verba ſunt iſta: Ego „
ſum Dominus Deus tuus.... Non habe- „
bis Deos alienos coram me: Non facies „
tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudi- „
nem &c.... Non adorabis ea, neque co- „
les: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* — Si „
enim Dominus Deus prohibet cultum, & adorationem Deorum alienorum, & ſculptilium, quia iſti non ſunt Dii, ergo ipſe, cùm ſit Deus, verus, vivus, & ſolus, erit colendus, & adorandus prout expreſsè habetur variis in locis Sacræ Scripturæ: & præcipuè Deut. cap. 6. Tob. 11. -- Matth. 4. -- Joan. 4. -- Apoc. 19. & alibi.

Tum quià, cuilibet rationali Creaturæ ſolo inſtinctu, ac lumine naturali notum eſt, vel eſſe poteſt, Unum tantùm eſſe Deum omnium rerum Creatorem, Motorem, & Rectorem, ergo eodem lumine notum eſt, vel eſſe poteſt, hunc ſolum Deum eſſe colendum, adorandum, timendum, & amandum. Igitur cùm in hoc primo mandato exprimatur quinam ſit iſte Deus, & quòd non ſit alius Deus præter iſtum, ſequitur evidenter, quòd iſte ſolus ſit dignus cultu, & adoratione Divina.

Quæro VIII. *Quare Deus eſt adorandus?*

℟. Quia Deus eſt; ipſe enim eſt Altiſ- 13
ſimus Creator omnium, Omnipotens, Sempiternus, Optimus, Maximus, & omne Bonum. Ipſe fecit nos ex nihilo; nos conſervat, ne in priſtinum nihilum reducamur; nos regit, atque gubernat; nos tuetur, & à malo liberat; nos ipſe redemit à captivitate Dæmoniorum, & peccatorum noſtrorum; nobis Ipſe ſuam confert Gratiam; nos vocat, allicit, movet, & flectit ad Bonum; nobis tandem Ipſe promiſit Gloriam Cœleſtem, & Æternam, idcòque ipſi ſoli Deo noſtro debetur ſumma reverentia, adoratio, cultus, timor, amor, oratio, ſupplicatio, gratiarum actio, honor, & gloria nunc, & in perpetuum.

Quæro IX. *Quomodo eſt adorandus Deus noſter?*

℟. Adorandus eſt adoratione interna, 14
& externa. *Interna adoratio* Latriæ conſiſtit in recognitione, ſeu mentali confeſſione Supremæ excellentiæ, ac Dominii ipſius Dei, & in pio affectu ſubmiſſionis, ac reverentiæ noſtræ erga talem, & tantam Majeſtatem.

Exte-

Digitized by Google

Exterior autem *adoratio* Latriæ conſiſtit in exhibitione alicujus ſigni externi, quo proteſtamur, ac profitemur internam adorationem. Hæc autem Signa plura, & varia ſunt; principaliora autem hæc æſtimantur, Sacrificium, videlicet, Oratio, genuflexio, incenſatio, capitis inclinatio &c. Excepto autem Sacrificio, cætera ſigna poſſunt eſſe indifferentia ad Latriam, Hyperduliam, & Duliam: determinatur tamen ab intentione, & mente operantis, reverentis, & adorantis; Et ne quis erret, debet ſaltem virtualiter intendere, ſe adorare Deum per tale, vel tale ſignum adoratione, ac reverentia ſoli Deo debita, ſe adorare Virginem Matrem Dei per tale, vel tale ſignum adoratione, ac reverentia ipſi debita: & ſic de reliquis Sanctis diſcurrendum eſt. Ad vitandos autem ſcrupulos ſufficiet intentio habitualis adorandi eo modo, quo Eccleſia Sancta adorat, per hujuſmodi ſigna, Deum, Virginem-Mariam, & Sanctos.

Quæro X. *Quandonam, & quoties tenemur Deum noſtrum adorare?*

15 ℞. Saltem diebus Feſtis, dum Miſſæ Sacrificium Deo noſtro offerimus; Nam non ſolùm Sacerdos, qui eſt in Altaris Miniſterio, verùm etiam populus adſtans offert illud Sacrificium Deo Patri, quod eſt primarius, & proprius actus Adorationis Latriæ; Et hoc tempus videtur determinatum fuiſſe ab Eccleſia, etiam ad hoc primum præceptum Decalogi implendum, dum obligat Fideles adultos ad Miſſam devotè audiendam diebus Feſtivis.

De Oratione.

Quæro XI. *Quid eſt Oratio?*

16 ℞. Oratio propriiſſimè capta, eſt poſtulatio alicujus boni rationabilis à Deo Vel, eſt practica quædam explicatio noſtri deſiderii obtinendi aliquid à Deo omnium bonorum Largitore, qua conamur inducere Divinam bonitatem ad præſtandum, quod petimus.

Quæro XII. *Quænam conditiones requiruntur ad bonam Orationem?*

17 ℞. Quatuor iſtæ, I. Ut Oratio ſit pia: II. Ut ſit de re neceſſaria, vel utili ad ſalutem æternam: III. Ut fiat pro ſe ipſo: & IV. Ut perſeveranter fiat. His omnibus poſitis conditionibus ſemper impetrabimus quod poſtulamus à Deo, ut docent communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. *q. 83. art. 15. ad 2.* Explico ſingulas conditiones.

Ut ſit pia Oratio. Ideſt, quòd Oratio 18
ſit vera, & propria petitio, & actus Virtutis Religionis, per quem homo orans ſe Deo humiliat, & ſubjicit tanquam Supremo Domino; eſt iſte actus prærequirit Fidem, & Fiduciam impetrandi à Deo quod petitur.

Ut ſit de re neceſſaria, vel utili ad ſalu- 19
tem æternam. Patet: quia Oratio ſecundùm ejus eſſentiam, ac divinam inſtitutionem, eſt *decentium petitio*; quæ enim nos decent, nobiſque neceſſaria ſunt, ac utilia poſtulanda ſunt, ut bona Spiritualia, auxilia, Gratia, Virtutes &c. Temporalia verò bona poſſunt, ac debent peti, ſed cum conditione tacita, vel expreſſa, *ſi expediunt*; Nam multi abutuntur his tranſitoriis, & amittunt æterna bona.

Ut pro ſe ipſo fiat Oratio. Nam etſi pro 20
aliis tam privata, quàm publica Oratio poſſit, ac debeat fieri ex Charitate, difficilior tamen cenſetur impetratio pro aliis, quàm pro ſe ipſo. Ratio eſt, quia, ut Deus conferat donum aliquod petenti, recipiens debet eſſe diſpoſitus, & aptus ad illud recipiendum: Atque diſpoſitio aliorum non eſt in mea poteſtate; ergo major invenitur difficultas obtinendi donum, vel gratiam pro alio, quàm prò me ipſo; Quare dicebat S. Joan. Chryſoſtomus hom. 79. ad populum: Bonum eſt, Sanctorum oratione frui, ſed cùm & nos fuerimus cooperatores: Quòd ſi defuerit cooperatio, nihil aliorum, prodeſt orationis auxilium. Quid enim Judæis profuit Hieremias? Nonne ter ad Deum acceſſit, & ter audivit: *Ne Ores, neque petas pro populo iſto, quoniam te non exaudiam?* Jerem. c. 7.

Ut tandem cum perſeverantia fiat: ideſt, 21
non ſtatim ab oratione ceſſemus, ſed iterum, & ſæpiùs idem petamus: Quia ſic Deo placuit, & placet Oratio aſſidua, & importuna, ut quod una, vel altera vice non dat, dabit tertia, vel alia vice; prout legimus in Euang. Matth. cap. 21. *de muliere Chananæa*, quæ perſiſtens audacia quadam imitabili, & pia in petitione ſua, tandem meruit audire bonum illud Chriſti reſponſum: *Fiat tibi ſicut vis*. Tum quia, ideò tardiùs dat Deus quod petimus, ut ferventiùs, & meliùs petentibus nobis, plus etiam, & abundantiùs tribuat. Tum quia, quando, & quoties oramus

mus Deum, ſemper aliquid impetramus; vel quod petitur, aut aliud melius, nobiſque utilius. Nam, ut dicit S. Iſidorus in ſent. *Sæpè non exaudit Deus ad voluntatem noſtram, ſed ſemper exaudit ad ſalutem.*

Quæro XIII. *Quantam vim impetrandi à Deo Oratio noſtra habet?*

22 ℞. Si debitæ conditiones ſupra expreſsæ adſint, Oratio noſtra habet vim indubitatam, & infallibilem impetrandi omnia, quæ juſtè petimus à Deo. Patet ex promiſſione Chriſti Domini Marc. c. 11. v. 24. *Dico*, (inquit) *vobis Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Et Joan. c. 14. v. 13. *Amen, Amen dico vobis, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. — Et hoc repetitur ibi c. 15. v. 16. & c. 16. v. 23. & alibi.* Et Luc. c. 11. ponit Chriſtus varia exempla, aut ſimilitudines, quæ nos inducunt, & quaſi cogunt ad fiducialiter perendum à Deo Patre noſtro omnia bona cum expreſſa promiſſione Divina dandi bona petentibus. Item Matth. c. 7. *Petite*, inquit Chriſtus, *& dabitur vobis... Omnis enim qui petit, accipit, &c.* Unde de hac veritate, nempè de efficacia Orationis, nullus eſt ambigendi locus. Ergo cum fiducia orare debemus Patrem noſtrum, qui in Cœlis eſt, ut, per Jeſu Chriſti Filii ſui merita, & verba, concedat nobis quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem, ac promiſſionem ejus.

Quæro XIV. *Quænam eſt melior, ac nobilior orandi forma?*

23 ℞. Eſt Oratio Dominicalis, quam Chriſtus Filius Dei nos docuit Matth. 6. v. 9. Etenim forma hæc orandi, *Pater noſter &c.* eſt omnium aliarum Sanctarum, & ordinatarum Orationum veluti exemplar Divinum. Hæc Oratio omnibus aliis eſt excellentior. I. *Auctoritate*: quia ab ipſo Domino condita eſt. II. *Brevitate*, ut patet: nam paucis verbis multa, & maxima complectitur. III. *Perfectione*: quia omnia comprehendit, quæ à Deo petere, vel neceſſarium nobis, vel utile, & expediens eſt. IV. *Ordine*: nam primo petimus nobiliora & altiora, deinde nobilia, & alta, & tandem inferiora, & temporalia, ut patet conſideranti omnes ſeptem ejus partes, ac petitiones. V. *Efficacitate*: quia nil ita valet Deum Patrem noſtrum movere, quàm Memoriale Filii ſui, & Redemptoris noſtris Jeſu-Chriſti. In hac enim formula orandi utimur ipſis verbis, ac vocibus Filii Dei, qui eſt ad Dexteram Patris Advocatus, ac Patronus noſter. VI. *Neceſſitate*: quia quotidie hac Oratione uti oportet, cùm quotidie indigeamus his, quæ in ea continentur, veluti neceſſaria, & utilia ad vitam Spiritualem, & corporalem ducendam.

24 Quare à SS. Patribus, & Conciliis docemur, non licere homini Chriſtiano adulto, Dominicam hanc Orationem, aut non tenere memoria, aut non intelligere, aut, non frequenrare. Et ſpecialiter à Concilio Toletano IV. cap. 6. jubemur, *nullo unquam die Orationem hanc intermittere. Vide, quæſo, Bartholomæum à S. Fauſto de Horis Canonicis. lib. 1. de Orat. in comm. q. 156. & ſeqq. Et la Manna dell' Anima, Opera del P. Paolo Segneri: dal giornò XVI. di Ottobre ſino al XXVIII.* Ubi declarantur, explicantque doctiſſimè totam Orationem hanc Dominicam.

Quæro XV. *An Oratio aliqua ſit neceſſaria ad Salutem Æternam?*

25 ℞. I. Oratio ſuperiùs explicata, prout importat petitionem cordialem, & piam rerum nobis neceſſariarum, eſt neceſſaria adultis neceſſitate medii ad Salutem. Probatur; Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo finis obtineri nullo alio modo poteſt; Sed ſine Oratione homo non poteſt obtinere ſalutem ſuam ſempiternam. *Probo minorem*. Ad ſalutem ſempiternam neceſſaria eſt perſeverantia finalis in ſtatu Gratiæ: ſed hæc gratia non datur niſi Oranti, & corde petenti: ut habetur ex D. Auguſtino *lib. 2. De Dono perſeverantiæ, cap. 16.* Ubi dicit: *Conſtat Deum alia nobis non orantibus, ſicut initium Fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut perſeverantiam uſque in finem. —* Et lib. de Eccl. Dogmatibus, cap. 56. *habetur: Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire: Nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari: Et Nullum, niſi Orantem, auxilium promereri. Ergo &c.*

26 *Confirmatur*: Homo ſuis viribus nequit obſervare omnia præcepta Decalogi, Naturæ, & Eccleſiæ, ergo indiget auxiliis Divinis, viribuſque ſupernaturalibus: hæc non dantur, de Lege ordinaria, niſi Orantibus, ut habetur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. —* Ita etiam dixit Innocentius Pa-

pa ſcribens ad Concilium Carthaginenſe: *Niſi*, inquit, *Gratia magnis precibus implorata in nos deſcendat, vincere non valemus errores, & vitia. Ergo &c.*

27 *Probatur item*: Congruit ſuavi Providentiæ Dei exigentis cooperationem noſtram, ut, poſtquam ex Fide cognovimus ipſum Deum Auctorem eſſe Gratiæ, & Gloriæ, & Adjutorem infirmitatis noſtræ ejus quoque auxilium quæramus, & humiliter petamus; Siquidem Deus vult, & jubet, ut noſtram ſalutem operemur: ergo tenemur etiam adhibere media opportuna, ac neceſſaria, inter quæ unum eſt Oratio, ſeu petitio eorum, quæ nobis deſunt, & tamen neceſſaria ſunt ad talem finem; Igitur ex Lege Charitatis erga noſmetipſos, & ex Virtute Religionis, atque ex præcepto Divino poſitivo tenemur ad aliquam Orationem faciendam.

28 ℞. *II.* Neceſſe eſt neceſſitate præcepti Divini, & Virtutis Religionis, ut non diutiùs ab Oratione prædicta deſiſtamus. Ratio eſt, quia hoc medium, & remedium eſt unum ex præcipuis, & quandoque unicum ad vincendum omnem tentationem, Deique Gratiam retinendam, vel acquirendam. Tum quia præſcribitur, ac præcipitur frequens exercitium Orandi, Luc. c. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Ad Theſſal. c. 4. *Sine intermiſſione orate*. -- Matth. 26. *Vigilate, & orate*. Marc. 13. *Videte, Vigilate, & orate*. Luc. 21. -- *Vigilate itaque, omni tempore orantes*. Et alibi. -- Præfigere autem, vel determinare tempus impletionis hujus mandati relinquitur viri prudentis arbitrio, conſideratis circumſtantiis perſonæ, officii, neceſſitatis &c.

29 ℞. *III.* Per accidens verò, ſeu ob concurrentem cauſam urgentem, plura aſſignantur tempora, quibus obligat nos præceptum Orationis, ſaltem ex Charitatis Virtute. I. Quando urget gravis tentatio, in qua ſit periculum labendi in mortale. II. In mortis propriæ imminenti periculo. III. In valdè magna neceſſitate Reipublicæ, ſeu Communitatis, tam ſpirituali, quàm corporali; quandoquidem conſtat Deum ſæpè populum ingenti malo flagellatum nolle liberare, niſi per orationes, & ſupplicationes; ergo quilibet è populo obligatur ad hoc medium tam facile, & efficax. (Ita Scotus, Navarrus, Sylveſter, Suarez, Laymann, Anacletus, Bart. à S. Fauſto *q. 17. lib. 1. de Oratione in communi.*) IV. Quando peccator tenetur, ſe reponere in ſtatum Gratiæ, ſeque ad Deum convertere ſupernaturali modo, ad honeſtè, Chriſtianèque vitam inſtituendam. V. Quoties homo eſt in graviſſimo aliquo periculo Animæ, vel corporis. VI. Quando, & quoties tenemur, Miſſæ Sacroſanctæ intereſſe, eamque devotè audire, & offerre &c. VII. Quotieſcumque quis vult periculoſum iter, aut negotium magni ponderis ſuſcipere. Ratio horum caſuum eſt: quia præceptum obligans ad finem, obligat etiam ad media neceſſaria ad talem finem. Sed Charitas, ſeu Charitatis præceptum obbligat nos ad prædicta mala vitanda, quæ non poſſunt vitari ſine ſpeciali Dei auxilio, quod Deus non dat niſi debitè petentibus. Scimus enim, ordinarium medium à Deo conſtitutum ad dandum nobis auxilium ſuum ſpeciale, & efficax, eſſe petitionem, ſeu Orationem cordialem; ergo tenemur ſaltem ex vi Charitatis in dictis caſibus orare Deum. Miſſa autem efficaciſſima Oratio eſt, ut videbimus ſuo loco.

Conſiderata neceſſitate, utilitate, & efficacia Orationis, & ponderatis periculis magnis Animæ, & Corporis præſentibus, vel imminentibus, in quibus, ratione præſentis ſtatus miſerabilis exilii, ac pœnæ, vivimus, rationabiliſſimè tenent, atque docent plures DD. nos quotidie teneri ſaltem *ſub culpa veniali* ad aliquam fundendam precem, & orationem DEO: Et eos, qui negligunt Orationem, vel differunt ad Menſem, peccare graviter tam contra Virtutem Religionis, quàm contra Charitatem; Ergo quotidie aliquantulùm orandum eſt. 30

Quæro XVI. *An peccator poſſit utiliter orare, & impetrare?*

℞. *I.* Licèt Deus libentiùs audiat, & exaudiat Juſtos, quàm peccatores, tamen ſi peccator petat bona conducibilia ad ſalutem æternam, exauditur à Deo. Ratio eſt, quia promiſſiones quædam Domini Jeſu Chriſti ſunt omninò illimitatæ, & generales, atque ampliſſimæ: præſertim illæ: *Omnis qui petit, accipit: Petite, & accipietis*: Ergo ad impetrandum (mediante oratione) non neceſſariò requiritur ſtatus Gratiæ, & Charitatis. -- Tum quia, Vis orationis in impetrando non fundantur in dignitate perſonæ orantis, ſed in Divina promiſſione, liberalitate, ac Bonitate, atque in verbis, ac meritis Chriſti; 31

Digitized by Google

ſti ; ergo indignitas peccatoris non obſtat impetrationi. Tum quia, certum eſt de fide, quòd Deus Benedictus etiam peccatores magnos, & maximos exaudivit; Ergo &c. *Probo antecedens*. Patet in Sacris Scripturis, Deum exaudiviſſe Ninivitas, Davidem, Magdalenam, Latronem Diſmam, & Publicanum, qui deſcendit juſtificatus in domum ſuam; ergo & exaudiet ſimiles peccatores. – Tum quia, nunquam Deus hortaretur, & invitaret peccatores ad orandum, & petendum omnia ſibi neceſſaria, & utilia, niſi etiam vellet, poſtulata concedere; Sed multoties Deus hortatur, & invitat, (imò præcipiendo cogit moraliter) omnes peccatores, miſeros, miſerabiles ad Orandum, & petendum: ut conſtat ex illo textu clariſſimo Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis: Omnis enim qui petit, accipit &c.* Ut explicant D. Auguſt. D. Joan. Chryſoſt. D. Baſilius, D. Thom. apud Laymann, & Bart. à S. Fauſto *qu.* 101. ergo &c. – Tum tandem, quia, peccator, quantumvis peſſimus, poteſt, & debet ſuam emendationem, & ſalutem deſiderare: ergo poteſt, & debet, hanc à Deo humiliter petere; Nam, ut S. Auguſtinus docet, *pro omni ea re licitum eſt orare, quam licet deſiderare*; Ergo Oratio peccatoris eſt utilis, & impetratoria, nec vitiatur in virtute impetrandi ex hoc, quòd Orans eſt in peccato mortali habituali &c. Dico, *habituali*: quia ſi actualiter orans reſpiceret iniquitatem, non exaudiretur: ut patet *ex Pſal. 65. v. 18.*

31 ℟. II. Oratio peccatoris multis modis eſt fructuoſa, ſed his præſertim, I. Diſponit ipſum ad Gratiam recuperandam. II. Valet ad promerenda bona temporalia. III. Valet ad evitandum peccatum novum. IV. Valet ad implendum præceptum de Oratione facienda, ſive ex virtute Religionis, ſive ex obligatione voti, ſive ex præcepto Eccleſiæ. V. Valet ad reſiſtendum vitiis, ac tentationibus denuò inſurgentibus. VI. Valet ad acquirendum habitum bonum orandi, & ad generandos bonos mores in mente. VII. Valet ad impetrandam interceſſionem B.V. Mariæ, & Sanctorum pro nobis. VIII. Valet aliquo modo ad adjuvandos Fideles Defunctos in Purgatorio, quoad vim impetrandi ſuffragium eorum; Maximè Oratio Dominicalis, quæ (ſecundùm Magnum Gerſonem) aliquam vim habet ex opere operato, ex ipſa Chriſti inſtitutione, & meritis. Ergo etiam peccatores poſſunt, ac debent orare.

Quæro XVII. *An Fideles vivi obligentur ſub mortali orare pro ſuis mortuis.*

℟. Quòd ſic: ſaltem ex lege Charitatis, & miſericordiæ; quia neceſſitas Animarum, quæ ſunt in Purgatorio, eſt gravis, & graviſſima, quibus per orationes, & Miſſas, ſaltem auditas, facilè ſuccurrere poſſumus; ergo tenemur. Ita Laymann *lib. 4. tr. 1. c. 1. n. 7. cum communi &c.* Dixi, *Saltem ex lege Charitatis, & miſericordiæ*: quia Hæredes ex juſtitia rigoroſa tenentur perſolvere legata pia à Teſtatore relicta in Suffragium Animæ ſuæ, & poſtea aliarum Animarum, quæ cruciantur in Purgatorio, juxta piam Teſtatoris mentem. Nam ſi eleemoſyna corporalis obligat nos; (ut videbimus Tract. 19.) multò magis obligabit nos Eleemoſyna iſta Spiritualis ſuffragandi proximo in Purgatorio graviſſimè indigenti, & patienti. 33

Quæro XVIII. *Quid eſt Devotio?*

℟. I. Devotio, prout eſt ſpecialis actus Virtutis Religionis, eſt actus voluntatis hominis juſti ſe ipſum offerentis ad ſervitium Dei. Vel, eſt voluntas promptè ſe tradens ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. – ℟. II. Eſt pia affectio, ſeu promptitudo animi ad faciendum ea, quæ ſunt Cultus Divini. Quapropter qui promptè affectant Divina, & cum gaudio ſpirituali Deo præſtant obſequia, dicuntur Devoti; Quoniam verò mulieres ſolent quandoque viris eſſe devotiores, ideò Sexus fœmineus appellatur *Devotus*. *Intercede pro devoto fœmineo ſexu*. Eccleſia. 34

Cauſa principalis hujus Devotionis eſt Spiritus Sanctus intellectum noſtrum illuminans, & voluntatem inflammans in bono ſupernaturali. Cauſa autem minùs principalis, & ſecundaria eſt attenta, & frequens meditatio Divinarum Perfectionum, Rerum æternarum, Paſſionis Dominicæ, vitæ, & verborum Chriſti, & Sanctorum, atque propriæ cognitionis, finis, noviſſimorum &c. Nam ex horum fixa, piaque ruminatione, ſeu meditatione oritur in nobis lumen Divinum, & amor Æternorum, voluntas noſtra accenditur, pia creſcit affectio, atque Devotio, & ſic totaliter nos Divino Cultui, ſervitio, & Amori vovemus, & obſtringimus; quia, ut inquit Apoſtolus 2. Corinth. 5. *Charitas Chriſti urget nos, ut,* 35

qui

qui vivunt; jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.

36 Devotio vera eſt in incipientibus, creſcit in proficientibus, perficitur in perfectis Chriſti amatoribus. Devotio eſſentialiter eſt Amor Divinus. Vel eſt elevatio mentis in Deum per pium, & humilem affectum, Fide, Spe, & Charitate ſubnixum: ut dicit Gerſon *tract. 7. ſuper Cant. Magnificat.*

TRACTATUS XIII.

DE VITIIS CONTRA VIRTUTEM Religionis.

QUæro I. *Quænam ſunt vitia, ſeu peccata contra Virtutem Religionis?*

1 *Reſpondeo*. Sunt duo in genere, Superſtitio nempè, & Irreligioſitas. *Superſtitio* eſt peccatum per exceſſum: *Irreligioſitas* autem eſt peccatum per defectum. Utraque habet ſub ſe varias Species; de quibus breviter videndum, ſaltem ad eſſentialem earum percipiendam definitionem.

2 *Superſtitio* in genere eſt falſa Religio, ſeu vitioſus cultus veri, aut falſi Numinis: Vel, eſt vitium Religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum, quo quis Divinum cultum exhibet illi, cui non debetur: vel eo modo, quo non debetur. V. G. Quando quis colit falſos Deos, tunc exhibet cultum eis, quibus talis cultus de Jure non debetur; nam Unus eſt colendus Deus, quia impoſſibile eſt, plures eſſe Deos &c. Et, ſi quis coleret verum Deum per Legalia, vel Cæremonialia Legis antiquæ, tunc coleret modo, vel actu indebito ipſum verum Deum; Sicque uterque peccaret per exceſſum contra Virtutem Religionis, quæ vult, & præcipit, ut verus Deus ſolus, debitis modis; & actibus internis, & externis colatur. Igitur.

3 Duæ ſunt Species Superſtitionis: *prima* eſt Superſtitio ratione rei cultæ, quæ coli non debet: & vocatur *Cultus falſi Numinis*: *Secunda* eſt Superſtitio ratione cultus incongrui, quo verum Numen colitur modo quodam indecenti, & inconvenienti. Utraque Superſtitio ſubdividitur in alias Species; Nam

4 *Superſtitio* ratione rei cultæ dividitur in Idololatriam, Divinationem, & Vanam ſeu Superſtitioſam Obſervantiam. *Idololatria* eſt Servitus, quæ ſoli vero Deo debetur, exhibita alicui Creaturæ: ſeu, eſt cultus, quo Creatura colitur, tanquam Deus, vel loco Dei. Eſt peccatum mortale graviſſimum contra primum Decalogi præceptum.

Divinatio eſt ſuperſtitioſa inquiſitio de re occulta, ope, vel diſciplina Dæmonis facta. Divinatio fit vel per expreſſam Dæmonis invocationem, vel per tacitam; Utraque dividitur in varias ſpecies, quas hic omitto, brevitatis gratia. Quælibet autem eſt ex ſuo genere peccatum mortale, licèt prima, quæ fit per expreſſam &c. ſit gravior, quàm ſecunda, quæ fit per tacitam Dæmonis invocationem. 5

Vana Obſervantia eſt ſuperſtitioſa quædam actio, qua adhibentur media inutilia ad aliquem effectum habendum, vel impediendum, ad quem talia media à Deo, & Natura nullam habent virtutem. Et hæc pariter habet ſuas diviſiones, & ſpecies cum expreſſa, vel tacita Dæmonis invocatione: quæ ex genere ſuo ſunt peccata mortalia. 6

Advertunt tamen Doctores, (ut Anacletus, Leſſius Valentia, Sanchez, Bonacina, Henrixius, aliique communiter) quòd circa Vanam Obſervantiam homines ſimplices ſæpiùs à peccato mortali excuſantur ratione ignorantiæ, aut bonæ fidei, quia nihil mali, aut diabolicæ artis in his rebus contineri putant. Inſuper advertunt Filliucius, Anacletus, & alii, etiam quandoque veniale peccatum eſſe ſi hoc fiat ex quadam levitate, & curioſitate, ut ſolent nonnullæ mulieres, præſertim Juve- 7

Digitized by Google

Juvenes facere, nullam huic rei dantes fidem.

8 Quando autem rationabiliter dubitatur, an talis effectus excedat vires Cauſarum naturalium, præſumendum eſt, non exce-dere, ſed provenire à Cauſa naturali; quia multa ſunt ſecreta naturæ, quæ ingenia etiam Philoſophorum ſubterfugiunt: Tum quia dubium talem in meliorem, & mitiorem partem explicandum eſt.

Quæro II. *Quid eſt Irreligioſitas?*

9 ℟. Irreligioſitas, prout hic accipitur, eſt defectus cultus Deo debiti. Seu, eſt peccatum per defectum contra Virtutem Religionis. Et quidem ſub hoc genere peccati continenrur ea vitia, quæ pertinent, ſeu reſpiciunt ad contemptum, aut irriverentiam immediatam Dei, ac rerum Divinarum, atque Sacrarum; cujuſmodi ſunt *Tentatio Dei*, *Sacrilegium*, *Simonia*, *Blaſphemia*, *Perjurium*, *Violatio voti &c.* De quibus ſingillatim agendum erit tum in præſenti Tractatu, tum alibi fuſiùs propriis in locis à me ordinatis.

Quæro III. *Quid eſt Tentatio Dei?*

10 ℟. Eſt actus Religioni oppoſitus, quo abſque juſta cauſa quis dicit, aut facit aliquid, ad capiendum experimentum de Deo, vel de ejus aliqua perfectione, ut V.G. de ejus potentia, juſtitia, miſericordia, providentia &c. Et fit his modis: Quis V. G. ſinit, vel permittit, parvulum in flumen, aut puteum cadere, ad experiendam Divinam Providentiam erga parvulos. Vel quando non vis adhibere media naturalia, tibique poſſibilia, & obvia ad recuperandam ſanitatem, ſed petis, & expectas à Deo Miraculum. Vel, quando non ſtudens libris, prætendis concionari Populo, ſine erroribus, & ineptiis, ſperando ſcientiam infundendam tibi à Deo miraculosè.

11 Quando fit aliquid ea intentione directa, ut experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione, tunc vocatur *Tentatio Dei expreſſa*. Quando autem expresſè, vel directè non intenditur tale experimentum fit tamen aliquid, quod ex ſe requirit extraordinarium Dei auxilium, quod temerè prætenditur, & expectatur, tunc *Tentatio Dei interpretativa* nominatur. Utraque Tentatio eſt ex ſuo genere peccatum mortale; prima tamen gravior eſt, ut de ſe patet, quàm ſecunda.

12 *Tentatio Dei* aliqua oritur ex infidelitate, ſeu dubitatione de aliquo Dei Attributo, V.G. quando quis dubitans de Præſcientia, vel Omnipotentia, aut Providentia Dei, vult ſe certificare per experimentum aliquod temerarium &c. — Aliqua autem Tentatio Dei oritur ſolùm ex præſumptione, aut nimia confidentia: V. G. quando quis ſine utilitatis magnæ, aut neceſſitatis cauſa, petit à Deo, aut expectat miraculoſam declarationem, aut ſignum, aut effectum extraordinarium, & inſolitum &c. *Prima* eſt conjuncta cum hæreſi, ut patet ex terminis; *Secunda* nequaquam; eſt tamen peccatum grave contra Religionem, ac reverentiam Deo debitam; niſi, propter levitatem materiæ, aut ob imperfectionem judicii, tranſeat in veniale.

Quæro IV. *Quid eſt Sacrilegium?*

℟. I. Eſt rei Sacræ violatio. *Seu*, eſt indigna tractatio rei Deo dicatæ. *Vel*, eſt irreverentia, quæ Deo irrogatur per indignam tractationem rerum Sacarum; Ideòque eſt peccatum ſpeciale Religioni oppoſitum. 13

Tres ſunt Species Sacrilegii, videlicet *Sacrilegium perſonale*, quod fit contra perſonam, vel in perſona Sacra: *Sacrilegium reale*, quod committitur contra rem Sacram: & *Sacrilegium locale*, quod perpetratur contra locum Sacratum Deo. 14

Sacrilegium perſonale eſt V. G. Percuſſio injurioſa Clerici, vel Monachi; & quælibet actio luxurioſa, & inhoneſta facta cum perſona, vel à perſona Religioſa, ſeu voto caſtitatis adſtricta. 15

Sacrilegium reale eſt V. G. Abuſus activus, & paſſivus Sacramentorum: & injurioſa tractatio alicujus rei Sacræ; Sacræ autem res ſunt vaſa ſacrata, veſtes benedictæ, reliquiæ Sanctorum, imagines Chriſti, Mariæ, & Beatorum, Agnus-Dei ſeu cera conſecrata à Papa, & ſimilia benedicta à Miniſtris Eccleſiæ, item Verba ſententiæ Sacræ Scripturæ &c. Igitur abuſio Sententiarum Bibliorum Sacrorum, Miſſalis, Ritualis, & Sacrarum Cæremoniarum Eccleſiæ ad Superſtitiones fabricandas, vel ad carmina amatoria, fabuloſa, vana, ſcurrilia, libellos famoſos, & alias compoſitiones, vulgò *Paſquinate* formandas, eſt peccatum Sacrilegii realis. 16

Sacrilegium locale eſt V. G. malitioſa profanatio Loci Sacri, injurioſa effuſio ſanguinis, vel ſeminis humani in loco Sacro, violenta extractio confugientis 17

ad

Digitized by Google

ad Eccleſiam, vel Cœmeterium, tanquam ad Aſylum; Furtum in Eccleſia factum, &c.

Quæro V. *An delectatio venerea, aut internum tantùm deſiderium de re venerea, ſit peccatum Sacrilegii perſonalis in eo, qui Voto caſtitatis tenetur?*

18 ℞. Affirmativè. Ratio eſt quia tam delectatio venerea deliberatè volita, quàm deſiderium turpe eſt peccatum contra Virtutem Caſtitatis, quam ille vovit; ergo hoc peccatum involvit duplicem malitiam; unam contra Caſtitatem ex libidine ortam, aliam verò contra Religionem ex voti violatione. Ita Suarez, Leſſius, Sylveſter, Valentia, Sanchez, Layman *l. 5. tr. 5. c.* 8. Bart. à S. Fauſto *l. 7. De voto Caſtit. q.* 40. Anacletus *Moral. tr. 5. diſt. 3. n.* 15. Cardenas *in Criſi Theol. p. 2. diſp. 37. c.* 12.

Quæro VI. *An omne peccatum à Perſona ſacra, vel in Perſonam Sacram commiſſum, ſit etiam ſacrilegium?*

19 ℞. Negativè; ſed illud tantùm, quòd directè fit contra voti materiam, vel contra Sanctitatem Perſonæ. Unde ſequitur, quòd V. G. mendacium, ſuperbia, crapula, ebrietas, & ſimilia, quæ committuntur ab aliqua Perſona Sacra, non ſunt propriè, & formaliter Sacrilegia. Item ira, furtum, detractio, & alia hujuſmodi, quæ erga talem Perſonam patrantur, non ſunt Sacrilegia; benè tamen percuſſio corporalis ipſius, & omnis actus libidinis, illius, vel cum ea Perſona, &c. erunt etiam Sacrilegia.

Quæro VII. *An omne Sacrilegium ſit peccatum mortale?*

20 ℞. Ex ſuo genere, & per ſe, regulariter loquendo omne Sacrilegium cujuſvis ſpeciei eſt peccatum mortale; nihilominus per accidens quandoque poteſt eſſe veniale tantùm propter parvitatem materiæ, ſeu rei Sacræ leviter offenſæ, aut ex levi abuſu, ac irreverentia modica rei, loci, vel Perſonæ Sacræ, V. G. proferre verbum jocoſum, vel otioſum in Templo Dei: Omittere aliquam cæremoniam Sacram in Adminiſtratione Sacramentorum: Furari rem parvam in loco Sacro, &c. Ita Anacletus cit. cum communi.

Quæro VIII *Quid eſt Simonia?*

21 ℞. *I.* Simoniæ nomen à Simone mago dicitur, & originem trahit, ob peccatum, quod iſte Simon magus patravit quando obtulit Apoſtolis magnam pecuniam cum pacto dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Act. c.* 8. ℞. *II.* Eſt Species Sacrilegii, quia emere, aut vendere rem ſacram, ut ſacram pretio temporali, eſt contra reverentiam Deo in rebus Sacris debitam. ℞. *III.* Simonia ſic benè definitur: *Eſt Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum pretio temporali. -- De hac agemus fuſiùs alio in loco. Tract. 56. Secundæ Partis.*

Quæro IX. *Quid eſt Blaſphemia?*

℞. *I.* Eſt verbum contumelioſum in 22
Deum, vel de Deo, aut contra Deum prolatum. ℞. *II. Vel* meliùs ſic definitur: Blaſphemia eſt contumelioſa locutio contra Divinum Nomen, vel Attributum Divinum. Et de hoc vitio alibi agendum. *Tract.* 14.

Quæro X. *Quid eſt Perjurium?*

℞. Eſt Juramentum falſum, quo quis 23
ſub invocatione Divini Nominis confirmat aliquod eſſe verum, quod tamen credit eſſe falſum: vel è contra confirmat eſſe falſum, quod putat eſſe verum; Unde breviùs poteſt ſic definiri: Perjurium eſt Juramentum de falſo in opinione Jurantis. Et de hoc meliùs, & pleniùs agam. *Tract.* 15.

Quæro XI. *Quid eſt Violatio voti?*

℞. Eſt tranſgreſſio promiſſionis Deo fa- 24
ctæ mediante voto. De qua re agemus ubi de Voto plenè agendum veniet *Tract.* 16.

Quæro XII *Quodnam Sacrilegiorum maximum eſt, ſeu graviſſimum?*

℞. Eſt illud, quod committitur contra 25
Sacramentum Euchariſtiæ; Quia inter res Sacras primum, & ſummum locum obtinent Sacramenta, quibus homo ſanctificari debet; Sacramentum autem præcipuum eſt Euchariſtia, quæ continet realiter ipſum Chriſtum verum, & vivum; ergo irreverentia contra hoc Sacramentum erit graviſſima, ac indigniſſima homini Chriſtiano. Ita S. Thom. Cajetanus, Suarez, Layman *lib. 4. tract. 10. cap. 7. n.* 12.

Quæro XIII. *An quis poſſit peccare peccato Sacrilegii per meram omiſſionem?*

℞. Quòd ſic; quando ſcilicet omittit ne- 26
gligentia culpabili debitam reverentiam, aut cuſtodiam rerum Sacrarum. V. G. Si Parochus Sacrum Fontem Baptiſmalem ab immunditiis, ſordibus, vel animalibus non cuſtodit. Si Sacra vaſa, & paramenta

Digitized by Google

lavare, vel reſarcire, aut renovare negligat. Si Sacram Euchariſtiam, Sacrumve Chriſma cuſtodire decenter, etiam adhibitis clavibus, intermittat. Et his plura ſimilia omittat, quæ facere quiſque in tali miniſterio conſtitutus tenetur. Ita Bonacina, Suarez, Buſembaus, Laymann cum communi TT. & Canoniſtarum.

Quæro XIV. *An, & quale ſit peccatum, ſi Laicus, aut fœmina attingat, vel contrectet vaſa Sacra, Calices, patenas, aras, Agnos Papales, reliquias, corporalia, purificatoria, & ſimilia?*

℟. Si hoc faciat ex contemptu, aut alio 27
pravo fine erit peccatum mortale Sacrilegii realis. Si verò fiat ſine gravi cauſa rationabili vel ex levitate, aut curioſitate, erit peccatum veniale tantùm. Si tandem fiat cum cauſa gravi, vel neceſſitate, vel ex officio ſibi injuncto, vel ex arte propria &c. tunc nullum eſt peccatum; quia neceſſitas facit licitum, quod ſine ipſa erat illicitum: & cauſa juſta aufert omnem irreverentiam. Vide Thom. Tamburinum *de Sacrif. Miſſæ lib. 1. c. 2.* Tonellium in Enchiridio.

TRACTATUS XIV.

DE BLASPHEMIIS, & IRREVERENTI nominatione Sanctiſſimi Nominis DEI noſtri.

QUæro I. *Quotuplex eſt Blaſphemia?*

1 *Reſp. I.* Blaſphemia dividitur in mentalem, & verbalem. *Mentalis*, quæ & cordis, ac interna dicitur, eſt quæ ſola mente concipitur, & intùs ſolo corde profertur. V. G. quando quis ira correptus aliquod contumelioſum verbum, vel aliquem conceptum maledictionis erga Deum habet, ac dicit in corde ſuo juxta illud Pſal. 13. & 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Verbalis*, eſt Blaſphemia, quæ ore, verboque profertur, V.G. quando quis ex ira, & mala voluntate deliberatè profert, & dicit hæc, vel ſimilia verba: *Maledictus ſit Chriſtus. Ad deſpectum Dei.*

2 Poteſt etiam dari Blaſphemia nutibus, & ſignis facta. V. G. quando quis perverſus expuit in Imaginem Sacram, aut versùs eam, vel contra Cœlum. Vel dentibus fremit contra Deum pravo animo blaſphemandi &c.

3 ℟. *II.* Blaſphemia quælibet eſt vel hæreticalis, vel non hæreticalis. Non hæreticalis (quæ etiam ſimplex dicitur) eſt illa Blaſphemia, quæ in ſe non continet errorem in Fide, ſed ſolùm convicium, contumeliam, dehonorationem, vilipendium, & maledictum erga Deum, B. Virginem, aut Sanctos. V.G. Quando quis dicit: *Pereat Deus. Velit, nolit Deus, hoc faciam*: & ſimilia, quæ videri poſſunt in libris; Varia loca habent & varia blaſphemandi formulas. Uſus te plura docebit.

℟. *III.* Inter blaſphemias ſimplices computantur verba hæc: *Ad Corpus Dei. Ad Sanguinem Dei. Ad conſpectum Dei*; & ſimilia, quando proferuntur per modum ſpernentis. Quia injurioſè nominare *Corpus, Sanguinem, beſtiam, conſpectum &c.* Dei, eſt ponere iſta in Deo tanquam contemptibilia, quod eſt contumelioſum, ut patet. Si autem proferantur hæc verba per modum Juramenti, tunc non erunt Blaſphemia, ſed vel Juramentum, ſi debitè proferantur, vel perjurium, ſi indebitè dicantur ſimilia verba; Sæpè autem ſolent eſſe execratoria perjuria, quia homines ad minas, & vindictas exaggerandas talibus utuntur formulis horribilium vocum, ut timeantur. Ita Toletus *lib. 4. c. 13. n. 3.* Suarez, Sylveſter, Segnerius, & alii DD. 4

Solent homines ſe excuſare, dicendo: 5
ſe iracundia, aliave paſſione motos talia proferre verba: quibus reſpondendum eſt, quòd, ſi velint ſe emendare, oportet refrænare

frænare, & caſtigare linguam; aliàs ſunt in malo ſtatu; Quia docent DD. hominem aſſuetum blaſphemare, & nolentem ſeriò habitum malum deſtruere, eſſe incapacem abſolutionis; Ratio eſt manifeſta: Quia qui ita malè aſſuetus eſt, nec curat ſeriam emendationem, peccat tunc mortaliter, quia eſt in culpa habitus vitioſi inclinantis ad novas, & ſemper novas blaſphemias, etiamſi ſine advertentia, & deliberatione eas proferat; quia non aufert habitum, & cauſam peccati ita ſcandaloſi.

6 Qui autem non habet talem habitum, conſuetudinemve blaſphemandi ut ſupra, ſi blaſphemat ex impetu iræ conceptæ erga homines, vel alias Creaturas ſine advertentia, nempè non advertens verba blaſphemiæ, quæ profert, tunc excuſatur à mortali ob inadvertentiam rationis.

7 Idem dicendum de eo, qui habet quidem habitum, vel aſſuetudinem blaſphemandi, ſed jam ſeriò emendare ſe curat, & deſiderat, & ad hunc finem poſuit media ſibi injuncta à Confeſſario, non peccat tunc mortaliter, ſed venialiter tantùm. Ita Card. Toletus *l. c. n.* 4. cum communi DD. &c.

8 ℞. *IV.* Blaſphemia verò hæreticalis eſt verbum contumelioſum in Deum prolatum ex malo affectu voluntatis, continens in ſe aliquem errorem contra Fidem, vel aliquid Fidei contrarium. V.G. Si quis diceret unam ex his propoſitionibus: *Deus injuſtus eſt: De me, meiſve rebus non curat. Eſt partialis, & acceptor perſonarum. Eſt crudelis.* O *Deum impotentem*! *Abnego Chriſtum &c. Deus non vult, vel non poteſt me adjuvare, me liberare &c. Melius feciſſet, ſi me jumentum, quàm hominem feciſſet. In Creatione mundi hoc, vel illud non benè fecit. Non gubernat omnia. Reliquit me ſine auxilio naturali, vel Supernaturali. Dedit mihi hanc mulierem, vel hunc virum in damnationem meam. Vult ex omni genere peccatorum in hoc mundo. Vult me eſſe meretricem, vel peccatorem obſtinatum. Vult abſolutè me eſſe de numero damnatorum. Per vim debeo damnari in æternum. Non vult me eſſe Sanctum, nec bonum.* -- Et his ſimilia plurima, quæ à perverſis hominibus ſolent ex iracundia, aut deſperatione, vel furore diabolico pronunciari in contemptum Dei, vel B. V. Mariæ, vel Sanctorum ejus. Hæc ſcribens perhorreſco; tamen conatus ſum adnotare; quia ſcio, aliquando hoc, vel illud verbum proferri à quibuſdam, quod Confeſſarius indoctus neſcit, eſſe verbum blaſphemiæ hæreticalis.

℞. *V.* Alia eſt Blaſphemia hæretica, ſeu hæreticalis pro materiali, alia pro formali. *Pro materiali* tunc eſt, quando quis profert, unam ex dictis non credens ita eſſe; vel non advertens quid pro formali ſenſu dicat; aut non intelligens errorem, quem dicit contra Fidem; aut non intendit aſſerere aliquid contra Eccleſiam, aut Fidem. -- *Pro formali* autem, ſeu formaliter tunc eſt, quando proferens unam propoſitionem hæreticam in contemptum Dei, pro illo tunc ita credit, vel tenet, aut aſſentit illi errori, quem corde, vel ore dicit. V. G. Titius dicit per modum indignantis, aut contemnentis: *Oh Deus crudelis, injuſte, improvide &c.* & tunc ita aſſentit; eſt blaſphemus, & hæreticus. Si autem non ita tenet quod dicit, erit quidem blaſphemus, ſed non hæreticus, licèt protulerit Blaſphemiam hæreticalem pro materiali, quæ eſt peccatum mortale, & in aliquibus Diœceſibus eſt caſus reſervatus, ob horrendam ejus turpitudinem. 9

Nihilominus audientes tales nefarias Blaſphemias tenentur denunciare Blaſphemantem Officio S. Inquiſitionis; quia ſic mandat Edictum illius Sacri Tribunalis; tum quia tales blaſphemiæ ſimilitudinem hæreſis gerunt, & ſæpè hominem Chriſtianum ita blaſphemantem de hæreſi ſuſpectum reddunt. 10

℞. *VI.* Omnis Blaſphemia vel fit cum directa intentione inhonorandi Deum, vel Sancta Dei Attributa, vel cum intentione indirecta, & virtuali tantùm. Prima rarò fit, à deſperatis, ac perditis hominibus; Secunda ſolet eſſe frequentior; & fit, cùm quis ſcienter, ac ſeriò loquitur verba, quæ ex propria ſignificatione, vel ex modo proferendi, aliiſve circumſtantiis, Divini Honoris diminutionem continent, quamvis homo eam directè non intendat; eſt tamen verè, ac propriè peccatum Blaſphemiæ. Ut docet Laymann cum D. Thoma, Cajetano, Bannes, Valentia, Sanchez, & aliis DD. 11

Quare non valet excuſatio illa Blaſphemorum dicentium: ſe non intendere inhonorare Deum, nec habere iracundiam contra Divinam Majeſtatem &c. non valet, inquam, quia ſolùm dæmones, damnati, ac pauciſſimi deſperati peccatores ſolent blaſphemare Deum cum intentione 12

hac formali, ipſum inhonorandi, ex odio in eum concepto ob Juſtitiæ ipſius vindictam &c.

13 ℞. *VII.* Denique Blaſphemia alia eſt in Deum, alia in Mariam Virginem Dei genetricem, & alia in Sanctos. Nam ſicut DEUS in Virgine, & Sanctis ſuis laudatur, ita è contra blaſphematur; ſicque hujuſmodi blaſphemia, quæ fit in Sanctos, & in B. Virginem, in Deum redundat. Quare omnis blaſphemia ſive in Deum, ſive in B. V. Mariam, ſive in Sanctos prolata cenſetur eſſe ejuſdem ſpeciei: quia eamdem formalem malitiam continent, nempè diminutionem Divini honoris, contra Virtutem Religionis.

14 Eadem ratione ſi quis vituperium proferat in Sacramentum Dei, Crucem, vel Imagines, aut quaſcumque res Sacras, cenſetur propriè blaſphemus: quia ſicuti cultus earum rerum, ita & contumelia redundat in Deum. Layman, Bonac. & alii.

15 Multi tamen volunt, Blaſphemiam in Deum ſpecie differre à Blaſphemia in B. Virginem, & in Sanctos. Quia ſicuti diverſo cultu honoratur Deus, B. Virgo, & Sanctus quilibet: & iſte cultus eſt ſpecie diverſus, ita etiam blaſphemia, & inhonoratio &c. Ita Maſtrius, Anacletus, & alii DD.

16 Hoc eſt apud omnes certum, Blaſpemiam ſimplicem ſpecie differre à Blaſphemia hæreticali. Quia illa opponitur tantùm virtuti Religionis: hæc autem Fidei etiam opponitur: Sed hæ virtutes ſunt ſpecie diverſæ; ergo &c.

Quæro II. *Quid eſt vana, vel fruſtranea Uſurpatio Nominis Domini Dei?*

17 ℞. Patet ex terminis, quòd ſit peccatum contra Religionem; Nam Sanctum Nomen DEI piè, ſanctè, ac religioſè invocandum, colendum, honorandum, & laudandum eſt.

18 Ideoque præcipit, vel prohibet omnibus Deus, dicens: *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum*: Exod. c. 20. & Deut. c. 5. Quæ verba tribus modis poſſunt intelligi. I. Ut non pro ulla re futili, & vana, nulliuſve momenti Nomen Dei uſurpetur: quia tale, ac tantum Nomen non debet aſſumi per os hominis, ſine rationabili cauſa, aliàs committitur peccatum ſaltem veniale contra Reverentiam, & Honorificationem Deo debitam. 2. Ne juretur per Dei Nomen, niſi ex neceſſitate, & cum omni veritate, & reverentia. III. Ne Deus invocetur in Teſtem Falſitatis, neque Sanctum nomen ejus blaſphemetur. Vide abundantiorem materiam *Tract. ſeq. 25, à n. 37, ad 40.*

19 Pro praxi nota, quòd ſi pœnitens in Confeſſione abſolutè, & in confuſo dicat, & ſe accuſet, *Blaſphemaſſe*: ad officium Confeſſarii pertinet, duas præcipuas has inquirere circumſtantias. *Prima* eſt; Quibuſnam verbis, vel formulis blaſphemiæ? Ut cognoſcat ſpeciem Blaſphemiæ ſimplicis, aut hæreticalis. *Secunda* eſt; An talis blaſphemia fuerit prolata cum formali, ac directa intentione inhonorandi, vel deſpiciendi Deum, Mariam, Sanctos, res Sacras &c. Nam ſi adfuerit hæc perverſa circumſtantia, ſignum erit, quòd talis blaſphemia provenerit ex odio abominationis erga Deum, quod eſt peccatum ſpecie diſtinctum à Blaſphemia, omnium graviſſimum contra Virtutem Charitatis erga Deum Summum Bonum. Vide Laymannum de hac materia more ſolito egregiè, ac diſcretè tractantem. *Lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 12.*

Quæro III. *Quale peccatum eſt maledicere Creaturis?*

20 ℞. *I.* Maledicere, aut imprecari malum ex malo affectu voluntatis Creaturis quibuſvis, quatenus Creaturæ Dei ſunt, adeòque cum habitudine, ſeu relatione intenta ad Creatorem, ſine dubio eſt peccatum Blaſphemiæ: quia ex illa referentia, malaque voluntate in Deum, Deus ipſe inhonoratur, contemnitur, & indirectè, ſeu reflexè blaſphematur. Hoc autem de raro accidit.

21 ℞. *II.* Maledicere, ſeu malum grave imprecari Creaturis rationalibus nempè hominibus ex odio, aut vindicta, aut alia maligna intentione, eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra præceptum Charitatis fraternæ. Quòd ſi talis maledictio, aut imprecatio mali dicatur in faciem proximi, tunc erit etiam peccatum contumeliæ contra Juſtitiam. Et ſi dicatur contra Parentes, erit peccatum contra Pietatem. Unde patet, quòd in Confeſſione explicanda eſt circumſtantia *Perſonæ*, cui imprecatum eſt, aut maledictum fuit: & circumſtantia *Præſentiæ*. Non eſt autem neceſſe, nec expedit, explicare qualitatem mali imprecati, V.G. mortem, peſtem, fulmen &c. ratio eſt, quia omnes imprecationes, aut maledictiones, (utpotè expreſſiones voluntatis malæ, & averſæ à proximo, aut inefficacis, ac ſimplicis malevolentiæ) ſunt ejuſdem malitiæ ſpecificæ: quia ſunt actus contra Charitatem, & Amorem erga proximum;

ergo

Digitized by Google

ergò &c. Vide plura in *Tract.* 22. *num.* 1. *ad* 5.

22 ℞. *III.* Maledicere Diabolum, quatenus Diabolus eſt, non eſt peccatum: quia jam eſt Creatura maledicta, & inimica irreconciliabilis Deo; eſtque noſter adverſarius nil aliud cupiens, quàm noſtram damnationem æternam; ergo rationabiliter poſſumus ei iraſci, ac maledicere: præſertim quando nos tentat ad peccandum.

23 *Dices*: Habetur in Scriptura Eccleſiaſtici cap. 21. *Dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipſe animam ſuam*. Atqui peccatum eſt, maledicere Animam ſuam, ergo & Diabolum. ℞. *Impius ut impius* eſt maledictus, juxta illud Pſal. 118. v. 21. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*; igitur dum impiùs peccator Diabolo maledicit, ſe ipſum qua maledictione dignum judicat, & condemnat: quo ſenſu etiam Apoſtolus Paulus dicit ad Rom. cap. 2. *In quo judicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, qua judicas.*

TRACTATUS XV.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

De Juramentis, & perjuriis &c.

QUæro I. *Quid eſt Juramentum?*

1 *Reſp. I.* Eſt actus Religionis, quo quis Deum in teſtem adhibet ad confirmandum id, quod dicit. Tunc autem, quando debitis modis fit, dicitur actus Religionis, quia eo loquendi, & aſſerendi modo quis profitetur, Divinam Veritatem eſſe indefectibilem, & infallibilem; Unde dicitur Deut. c. 6 *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis*. *Vel* Juramentum eſt invocatio Divini Nominis in teſtimonium alicujus, rei, & veritatis controverſæ. Ratio eſt, quia finis immediatus uſurpationis Juramenti eſt dirimere controverſias, & lites, juxta illud Apoſtoli Hebræorum c. 6. *Omnis controverſiæ finis ad confirmationem eſt Juramentum?*

2 ℞. *II.* Tribus porrò modis Nomen Domini Dei aſſumi ſolet in confirmationem veritatis. I. Tamquam omnis veritatis Amator, Aſſertor, & Teſtis. Et inde formatur Juramentum Aſſertorium. II. In Sponſionem, & velut fidejuſſionem fidelitatis. Et hoc modo formatur Juramentum Promiſſiorium. III. Aſſumi ſolet nomen Domini in vindictam, & judicium, caſu quo dicta veritas abſit, ſeu ſubſit falſitas. Et ſic formatur Juramentum execratorium.

3 Igitur *Jurare* eſt jus Deo reddere, & Deum teſtem, vel fidejuſſorem, vel judicem, ac vindicem facere in aliqua re, ad hoc ut homines nobis credant. Quoniam verò Juramentum non eſt de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda, ut eſt V. G. *Oratio, Adoratio &c.* Sed quæ bona ſunt per accidens, & ſuppoſita neceſſitate, ſeu cauſa rationabili, ideò requiruntur ad licitè jurandum plures conditiones. Et ne homines aſſueſcant Juramentis, & abſtineant, ac elongentur à perjuriis, atque conentur ad ſinceritatis chriſtianæ ſimplicitatem ſe reducere, dixit Chriſtus Dominus Matth. c. 5. *Nolite jurare..... Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, Non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Ubi S. Auguſtinus notat, Chriſtum non dixiſſe: Quod abundantiùs eſt, malum eſt, ſed *à malo eſt*: ideſt, Si non à malo Jurantis, à malo eſt non credentis: hoc eſt, propter infirmitatem ejus, qui exigit Juramentum, quia non vult credere, niſi juretur. Vis ergo longè eſſe à perjurio? Noli omninò jurare; Nam falſa juratio exitioſa eſt: vera juratio periculoſa eſt: nulla juratio ſecura eſt: ideſt, ſecurum tantùm eſt, nullo modo jurare. Dicit enim Eccleſiaſtes c. 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſu in illa.*

Quæro II. *Quænam requiruntur conditiones ad Juramentum licitum?*

Digitized by Google

4 ℞. Sunt iſtæ tres ; nempè jurare in *Veritate*, in *Judicio* , & in *Juſtitia*. Tribus his comitibus, ſive circumſtantiis concomitantibus licitum eſt jurare ; ut colligitur ex Sacra Scriptura Jeremiæ cap. 4. *Jurabis, vivit Dominus , in veritate , & in judicio, & in juſtitia*. Explico ſingulas particulas.

5 *In veritate* jurare dicitur: Qui in aſſertorio Juramento rem certò, & quam hìc, & nunc credit omninò veram, ut veram affirmat, vel ut falſam negat. *Item* : Qui in promiſſorio Juramento nunc, & de præſenti actu habet intentionem, & voluntatem verè adimplendi quod promittit, & ſperat, ſive credit, ſe in futuro adimpleturum. *Item* : Qui in execratorio Juramento falſitatem execratur, quam ineſſe novit rei, quam execratur.

6 *In Judicio* jurare dicitur: Qui jurat juxta regulas Chriſtianæ Prudentiæ, nimirùm: Ubi res eſt gravis momenti, & vel Magiſtratus, aut Judex urget, vel propria, aut proximi neceſſitas, charitas, aut gravis, magnaque utilitas licita id requirit.

7 *In Juſtitia* jurare dicitur: Qui rem honeſtam, licitam, & juſtam jurat; ideſt qui jurat de re, vel in re, quæ ſine ullo peccato adimplere poteſt.

Quæro III. *Quænam ſunt formulæ Juramenti?*

8 ℞. Variæ dantur formulæ jurandi; Nam in Sacra Scriptura hæ reperiuntur, videlicet: I. *Per Deum*: hic modus jurandi eſt antiquiſſimus; quoniam legitur in libro Geneſis cap. 21. verſu 23. Dixit Abimelech ad Abraham : *Jura ergo per DEUM*, ne noceas mihi &c. -- Et inſinuatur ab ipſomet Deo Deuteronomii cap. 6. verſ. 13. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac *per Nomen illius jurabis*. II. *Vivit Dominus*. Et habetur Jeremiæ cap. 4. v. 2. Et jurabis: *Vivit Dominus* in veritate &c. III. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*. Iſte modus jurandi fit in Juramento execratorio, & comminatorio, & habetur pluribus in locis Sacræ Scripturæ, & ſignanter lib. 1. Regum cap. 14. v. 44. Et ait Saul : *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, quia morte morieris, Jonatha. Ubi advertendum, quòd exprimebantur poſtea in hac formula jurandi aliqua mala determinata, V.G. Deus mihi arripiat vitam, *vel* morte ſubitanea me percutiat &c. -- IV. *Teſtis eſt mihi Deus*. Ut legitur in Epiſt. D. Pauli ad Rom. cap. 1. v. 9. Vel, *Teſtem invoco Deum*. 2. Corinth. cap. 1. v. 23.

9 Sunt & alii modi jurandi ſine expreſſa invocatione Nominis Domini Dei; in eis tamen virtualiter, & implicitè Deus invocatur. Et ſunt præſertim ſequentes, nempè. *Per Crucem Domini*. -- *Per Sancta Dei Evangelia*. *Per Fidem Chriſti*. -- *In fide Sacerdotis*. -- *Per Virginem Mariam*. -- *Per Sanctos*. *Per Sacras reliquias*, & ſimilia. Quia ſic jurando, ſaltem virtualiter, & indirectè in Deo, & per Deum juratur. *Item* : Quando juratur per aliquam Creaturam, in qua Dei Sapientia, Potentia, Bonitas, vel aliquid Divinum Attributum reſplendet, cum intentione, vel relatione ad Deum Creatorem. V. G. dicendo : *Per Solem Dei*. -- *Per iſtum ignem Dei*: & ſimilia. Quando autem deeſt talis intentio, vel relatio ad Deum, non eſt Juramentum, ſed quædam exageratio, & expreſſio animi ad veritatem &c.

10 Jurare autem cum his formulis, nimirùm. *Per fidem meam*: Italicè *Alla Fè*. *In conſcientia mea*. *In veritate bona*. *Fide boni hominis*. Et ſimilibus modis variè in variis Regionibus uſurpatis, non continet Juramentum propriè captum. Quia per hujuſmodi verba Deus nec explicitè, nec implicitè nominatur, aut invocatur in Teſtimonium.

11 Quid dicendum de hac ſimplici forma: *Juro?* ℞. cum diſtinctione. Vel habuiſti intentionem veram jurandi formaliter eo modo, quo propriè quis jurat: vel non. Si ſic? Dico, quòd eſt Juramentum: Patet: Nam Judices, & Notarii ſolent ſic exhibere, aut exigere Juramenta dicendo: *Jura*. Et homines ſolent uno verbo dicere : *Juro*: Vel quia, ut inquit D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. Peccata verborum maximè ſunt ex intentione dicentis dijudicanda. Sed ſic eſt, quòd tu habuiſti talem intentionem. Ergo &c. -- Si autem non habuiſti eam intentionem, aut reflexionem, ſed potiùs ex ira protuliſti illud verbum, *Juro*: tunc revera non juraſti, niſi materialiter.

12 Quomodo intelligitur illa forma jurandi, ſolita in quibuſdam locis, dicendo : *Per vitam meam*: Vel *Per filios meos juro?* ℞. S. Auguſtinus Serm. 28. de verbis Apoſtoli cap. 6. ſic explicat hanc formam jurandi : nempè : Cùm dicit quiſpiam: *Per meam vitam, vel ſalutem juro*,

ro,

Digitized by Google

ro, ipſam vitam, vel ſalutem obligat Deo. Quando dicit: *Per meos filios*: oppignorat Deo filios ſuos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ejus, ſi verum, verum: ſi falſum, falſum. Cùm ergo filios, ſalutem, vitam &c. quiſquam in juratione nominat, quidquid nominat, obligat Deo.

13 *Item* quomodo intelligitur alter modus jurandi uſitatus, quo dicitur: *Hoc eſt verum, ſicut Deus eſt verus*: Vel *ſicut Chriſtus natus eſt de Maria Virgine*: Vel *ſicut Chriſtus eſt in Hoſtia*: Vel ſimilibus aliis verbis? ℞. Si quis hoc dicens intendat, proferre, vel aducere quamdam tantùm ſimilitudinem; ita ut ſenſus ſit, hoc eſſe verum ſuo modo ſicut ille Fidei Articulus ſuo modo verus eſt: tunc non videtur eſſe Juramentum, quia Deus non vocatur in Teſtem &c. Eſt tamen irriverens, & indebita uſurpatio Divinæ, & infallibilis Veritatis, quæ nullo modo comparari, aut aſſumi debet in comprobanda veritate humana, niſi in caſu neceſſitatis. -- Si autem uſurpans illa verba intenderet ſignificare, tantam eſſe veritatem ſui dicti, vel facti, quantam habet ille articulus Fidei certitudinem, tunc peccaret mortaliter peccato Blaſphemiæ; quia æquipararet dictum, vel factum humanum Veritati & certitudini Fidei Divinæ, cui repugnat omnis falſitas, & fallacia. Vide Bonacinam *in decal. diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 2. *n.* 13. Tamburinum in decal. & alios DD. Et quamvis homines indocti ſolent uſurpare dicta verba ſine tali reflexione æquiparantiæ, quando tamen hæc dicunt ad confirmandum aliquod falſum, aut mendacium, graviſſimè peccant, & peccato perjurii, & peccato Blaſphemiæ. Unde vehementer ſunt reprehendendi à Confeſſario.

14 *Quæres*. An peccent mortaliter qui jurant hac formula verborum, videlicet: *Per Deum Bacchum*: *Per Deum Ligneum*: *Per Dianam*: & ſimilibus nominibus Deorum fictorum? Ratio dubitandi eſt; quia docent Doctores, & Theologi, eſſe mortale peccatum, jurare, etiam ſuper rem veram per Deos falſos Gentilium, Paganorum, & Poetarum; V. Toletum *lib.* 4. *cap* 21. *n.* 3.

℞. Regulariter loquendo inter Catholicos, & homines ſimplices non videtur eſſe verum Juramentum, neque peccatum grave uſurpatio talis formulæ verborum. Quia, quando ſic loquuntur, nec ſeriò jurare intendunt per Deos falſos: nec ſciunt quid dicant, aut quid ſignificent illa nomina; Imò plerique, ſi interrogentur, reſpondent, ſe addere verbi (quæ ſapiunt juramentum, aut blaſphemiam) illud Nomen Italicè *Bacco*, *di Legno*: ne Deum graviter offendant, aut ne Deum verum in vanum nominent; ergo ſignum evidens eſt, ſe non habere illam malitiam.

Ad rationem dubitandi reſp. Doctores, & Theologos intelligendos eſſe de iis, qui ſeriò jurant per Deos falſos, aut per Dæmones; nam omnes Dii Gentium Dæmonia ſunt. Vix autem invenies aliquem inter nos, qui ſic ſeriò juret, nempè cum malitia jurandi per Deos Gentilium.

Quæro IV. *An detur verum Juramentum ſine verbis expreſſis, ſed tantùm ſignis?*

℞. Quòd ſic. Quia non minùs jurat interrogatus à legitimo Miniſtro, aut Officiali, vel Superiore: An affirmet, vel neget aliquid ſub obteſtatione Dei, & ſuper Sancta Euangelia? Et reſpondet ſigno aliquo ſenſibili, & pro more Regionis, ponendo manum ſuper Scripturam, vel Euangelium, (vel ſi eſt Sacerdos) per tactum ſui pectoris, quàm ille, qui verbo reſpondet, dicendo *Ita*: Vel formam Juramenti pronunciando. Unde alicubi mos eſt, ut, uno formam Juramenti legente, alii jubeantur levare manum in ſignum, quòd jurent. Ratio eſt: quia affirmatio, vel negatio ſimplex fieri poteſt, nedum verbo, ſed etiam alio quovis ſigno expreſſo, ac noto; ergo etiam affirmatio, vel negatio qualificata Juramento. Vide P. Marchant. *tom.* 2. *Tribunalis*, *tr.* 3. *tit.* 2. *q.* 1. 15

Quæro V. *Quot ſunt ſpecies Juramenti?*

℞. Quatuor. Videlicet Juramentum Aſſertorium, Promiſſorium, Execratorium, & Comminatorium. *Aſſertorium*, eſt, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præſens, aut præteritum. *Promiſſorium*, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo. -- *Execratorium*, in quo ſive aſſerendo ſive promittendo aliquid affirmatur, aut negatur, ſibi apponendo pœnam, vel imprecationem alicujus mali. V. G. *Deus me deſtruat*, *niſi hoc ita ſit*, aut *niſi hoc faciam*. Similiter quando quis dicit: *Per vitam meam*, *per caput meum*, vel *per uxorem*, *aut filios meos juro*. Nam 16

ſenſus eſt, ita Deum invoco, ut, niſi hoc ita ſit, me vita privet, capite, vel uxore, aut filiis. -- *Et Comminatorium*, in quo promittitur malum pœnæ alicui. Ut *Per Deum te percutiam, caſtigabo te, occidam te &c.*

17 Nonnulli DD. Juramentum Comminatorium non diſtinguunt ab Execratorio, & alii ad Promiſſorium reducunt; tamen majoris diſtintionis, & claritatis gratia, melius eſt ita diſtinguere cum Eminentiſſimo Toletò, ac aliis Theologis &c. -- Sunt & aliæ diſtinctiones Juramenti; nam omne Juramentum vel eſt explicitum, ſeu formale, quod fit expreſsè invocando Deum, Dominum, Chriſtum in Teſtimonium. Vel implicitum, ſeu virtuale, quod fit per indirectam, & tacitam invocationem Nominis Dei ſpecialiter relucentis in aliqua nobiliori re, vel Creatura præ aliis, cum relatione ad ipſum Deum. Ut cùm juratur per Crucem Chriſti, Per Virginem Mariam, Per Evangelia, Per Sanctos, Per Cœlum, Per Solem &c. -- Item aliud eſt Juramentum ſimplex, ſeu privatum: quod fit communi formula verborum, & à perſonis in actibus humanis privatis. Aliud ſolemne, ſeu publicum: quod fit forma, & ritu ſolemni ex præſcripto Juris Civilis, & Eccleſiaſtici coram Superiore, Judice, vel Miniſtro publico.

De Veritate requiſita ad Juramentum.

Quæro VI. *Qualis, & quanta Veritas requiritur ad licitum Juramentum?*

18 *R. I.* Ex parte rei juratæ ea requiritur veritas, ut ita res ſe habeat ſecundùm humanum, ac prudens judicium, ſicuti juratur; Nempè, ut res certa, ut certa; probabilis, ut probabilis, & dubia, ut dubia aſſeratur. Unde quicumque falſum ſub ratione veri, aut dubium, & incertum ſub ratione certi, aut incautum quaſi debitè examinatum jurat in quacumque materia, peccat mortaliter, & peccatum Perjurii incurrit.

19 *R. II.* Ex parte verò Jurantis requiritur veritas, ſeu certitudo quædam moralis in mente ipſius Jurantis; itaut, quando quis jurat, certò credat, ita rem ſe habere, ut jurat. Contigit enim quandoque, rem juratam non ſic ſe habere à parte rei, attamen, ita ſe habebat tunc in mente Jurantis; ſicque licitè juravit; licèt poſtea cognoverit, rem illam aliter ſe habuiſſe. Ratio eſt: quia ſicuti *Perjurium* eſt Juramentum de falſo in opinione, vel mente Jurantis; ita verum Juramentum eſt de vero in mente, vel opinione ipſius Jurantis. -- Unde etiam ſequitur, quòd quamvis quis juret hoc eſſe verum, vel falſum, & hoc ſit tale à parte rei, ſi tamen Jurans putabat, non eſſe tale, utique pejeravit; quia deliberatè juravit ſuper rem (juxta ſuam æſtimationem) falſam. *Hoc eſt valdè notandum à Confeſſario*, qui debet interrogare pœnitentem, an in actu jurandi crediderit illud eſſe tale, prout juravit; Nam multi rudes confitentur ſe pejeraſſe; quia tractu temporis invenerunt rem juratam aliter ſe habere; Et è contra credunt, ſe falsò non juraſſe, quia poſtea vident rem eſſe veram, quam tamen falſam putabant in actu jurandi de tali re.

20 *R. III.* In juramento ſolemni, publico, & judiciali, quod fit contra unum, vel in favorem tertii, requiritur ſtrictior veritas, & certitudo; nam requiritur ſcientia experimentalis, habita per viſum, vel auditum; non ergo ſufficit opinio, vel credulitas in mente Jurantis. Ratio eſt; quia in Teſtimonio ferendo, & acceptando juridicè, & judicialiter attendenda eſt veritas realis, & de facto, non autem mera intentionalis, opinativa, & mentalis.

21 Nihilominus ſi quis dubietatis, & incertitudinis ſuæ cauſam priùs exponat Judicii, & tantùm ſub ratione opinionis ſuæ juret, non cenſetur Perjurus; quia tunc Deum vocavit in Teſtem ſuæ opinionis, qualis revera eſt, non autem in Teſtem rei, vel facti. *Explico*. Titius in judicium vocatus, ut deponat de furto Sempronii, aſſerit, ſe quidem vidiſſe Sempronium intrantem latenter domum, in qua furtum commiſſum eſt, quod eſt apparens indicium furti ab illo commiſſi, quamvis dubium, & incertum de realitate furti, ideoque dubitare ſe aſſerit. Poteſt quidem jurare, ſe vidiſſe Sempronium intrantem domum illam latenter, & inde ſe opinionem de furto illus concepiſſe: Non poteſt tamen jurare, Sempronium de facto furtum commiſiſſe; quia reverà Titius in opinione ſua falli poteſt; nam opinio non dicit certitudinem, nec importat veram Scientiam, ſed

ſed potiùs dubietatem, & incertitudinem de re tali à parte rei.

22 ℞. IV. Qui, re priùs non examinata, jurat, incautè, & imprudenter jurat, & peccat mortaliter peccato perjurii. Etſi enim tunc veritas Juramento ſubeſſet; hoc eſſet ex accidenti: jurans autem periculo falſitatis ſe certò exponeret; ſicque Deum gravi injuria afficeret. Ergo ad licitè jurandum, oportet, hominem reflectere ad veritatem rei, antequam juret.

23 *Hinc infertur*: Conſuetudinem incautè jurandi conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis. Ratio eſt; quia ex vi illius conſuetudinis verſatur homo in maximo periculo multoties pejerandi, & ſe variis peccatis onerandi; juxta illud Eccli. 23. *Vir multùm jurans implebitur iniquitate*. Quòd ſi talis conſuetudinarius non conatur efficaciter deſtruere malum habitum, non eſt abſolvendus. Si autem ei diſpliceat illa conſuetudo, & adhibeat aliquod medium efficax ad illam extirpandam, tunc vi illius diſplicentiæ, & conatus eam relinquendi, evadit involuntaria, & interrupta, atque ideò non eſt ampliùs in malo ſtatu. Vide Epiſcopum Henrinex *part. 3. diſp. 6. q. 2. num. 15.* Anacletum *in Summa tract. 7. diſt. 2. n. 14.* P. Marchant. *in Tribunali tom. 2. tract. 3. tit. 2. q. 3. reg. 1.* — Azorium *p. 1. l. 11. c. 3. quaſt. 3. & 4.* & multos alios DD.

24 ℞. V. Talis, & tanta requiritur Veritas in quocumque Juramento deliberatè, & advertenter facto, ut etiam in materia levi, aut leviſſima, ſi deſit Veritas, committatur Perjurium mortale. Ratio eſt; quia vocare DEUM in Teſtem mendacii, & falſitatis, eſt quædam gravis irreverentia, quæ habet, vel continet in ſe totam malitiam perjurii; ergo vocare Deum in Teſtem mendacii levis, aut leviſſimi erit quoque perjurium totale, & completum in ſua formali malitia. Quandoquidem etſi materia ſit levis, vel leviſſima reſpectu mendacii jocoſi, vel officioſi, non poteſt tamen reputari levis, (ſed graviſſima judicanda eſt) reſpectu invocationis irreverentis Primæ, & Sanctiſſimæ Veritatis Divinæ, quæ ſemper in quovis mendacio adducitur in Teſtimonium, & confirmationem falſitatis: Quantumvis enim levis res ſit, ob quam, aut in qua juratur falſitas tamen eadem ſemper eſt cujus confirmationem petere à DEO, eſt ipſimet DEO peccatum falſi Teſtis imponere, quod graviſſimæ irreverentiæ, & blaſphemiæ malitiam importat: & graviſſimam injuriam Dei Veraciſſimi in ſe continet. v. Sylveſt. *Sum. Juram. 2. qu. 6.* — Tolet. *l. 4. c. 2. n. 7.*

Quinimò major, vel pejor imbibitur, 25
& arguitur malitia in Perjurio de re levi, quam in Perjurio de re gravi, ac magni emolumenti; nam tunc ſine cauſa, ac ſine utilitate ulla temporali Sanctiſſimum Dei Nomen vocatur in Teſtem mendacii, & falſitatis realis; ergo etiam majus videtur eſſe peccatum vilipenſionis, ac irreverentiæ Divinæ Veracitatis. Unde meritò Innocentius XI. hanc n. 24. Propoſitionem damnavit, velut falſam, & ſcandaloſam: *Vocare Deum in Teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

Hoc tamen eſt advertendum pro Confeſſario novitio. 26
Quando audis pœnitentem indoctum ſe accuſare de perjurio: debes eum interrogare *I.* An deliberatè, & cum advertentia falſitatis realis pejeraverit? Quia (ut communiter accidit in quavis materia, præſertim in actibus ſubitaneis) Perjurium ſine deliberatione factum, non eſt peccatum mortale. Unde quamvis ratione parvitatis materiæ numquam excuſentur homines à mortali, adhuc tamen ratione defectus ſufficientis advertentiæ, ac deliberationis quandoque à mortali culpa contigit excuſari. *II.* Debes interrogare. An pejeraverit in damnum tertii? Quod ſi fecerit, debes eum advertere de obligatione reſarciendi damnum illatum.

Quæro VII. *Eſtne licitum jurare ſine animo formaliter jurandi?*

Senſus quæſiti eſt, An ſit peccatum fingere juramentum, ideſt, proferre formam 27
ſolitam jurandi ſine interna intentione actuali, vel virtuali invocandi Deum in Teſtem?

℞. Hoc eſt omninò illicitum; Ratio eſt; quia eſt mentiri in re gravi; Tum quia eſt pernicioſa deceptio proximi, qui verba conſiderat, & accipit prout humano uſu, ac civili conſuetudine formari, ac proferri ſolent. Unde ex hoc abuſu ſequerentur innumera mala, & fides humana deſtrueretur, imò Juramentum vileſceret, & ejus inſtitutio evaderet fruſtranea. Ad hunc enim finem inſtitutum eſt; ut fides humana roboretur addito Teſtimonio Dei. Quare damnata fuit ab Innoc. XI. hæc propoſi-

poſitio num. 25. — *Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi: ſive res ſit levis, ſive gravis.*

De Juſtitia Juramenti.

Quæro VIII. *Qualis, & quanta eſſe debet Juſtitia, quæ requiritur ad licitè jurandum?*

℞. Talis, & tanta eſſe debet, ut res jurata ſit honeſta, licita, juſta, nulli peccato obnoxia, atque ideò capax Juramenti Chriſtiani hominis. Pro cujus declaratione pono ſequentes Reſolutiones practicas. Videlicet.

Prima Reſolutio.

28 Quicumque jurat deliberatè facere aliquid, quod injuſtum eſt, & illicitum, præter peccatum pravæ voluntatis, peccat mortaliter peccato injuſti Juramenti contra Secundum Præceptum Decalogi. Ratio eſt: quia Primam Veritatem DEUM invocat in Fidejuſſorem, & veluti complicem ſuæ perverſæ voluntatis exequendæ: quod graviſſimam Dei injuriam continet. — Hoc modo peccant: Qui jurant ad confirmandam V. G. detractionem infamatoriam proximi. *Vel* jurant, ſe occiſuros inimicum, ſe fornicaturos, ſe non condonaturos offenſam proximo. *Vel* qui jurant ad confirmandam revelationem alicujus ſecreti, quod celare tenebantur. Et ſic de ſimilibus caſibus.

Reſolutio Secunda.

Omnis res moraliter bona, ſeu quæ intra fines boni moralis, honeſti, ac poſſibilis conſiſtit, eſt materia licita, & legitima Juramenti Promiſſorii: & conſequenter omne Juramentum Promiſſorium de bono morali honeſto, quantum eſt ex parte materiæ, Jurantem obligat. Ratio eſt manifeſta, quia tale Juramentum cenſetur ab omnibus legitimè factum ex par-
29 te materiæ, ſeu rei juratæ; Omne autem Juramentum legitimè factum ex ſe obligat Promittentem ad ſui executionem, tum ex virtute fidelitatis; qua fidem datam unicuique ſervare tenemur, tum ex obligatione veritatis, ſeu veracitatis, qua verborum, & dictorum veritatem ſervare debemus, tum maximè, quia DEI veritatem, & fidelitatem in Teſtem, & Sponſorem in Juramentum aſſumpſimus.

Reſolutio Tertia.

Quævis res màla moraliter, ſive ſit ta- 30
lis ex natura ſua, ſive quia ſpeciali præcepto prohibita, eſt materia illicita Juramenti: *Et conſequenter:* Omne Juramentum de re mala, ſicut eſt illicitum, ſic nullam obligationem in Jurante inducit. Ratio eſt: quia Invocatio Divini Nominis non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Unde qui jurat, ſe facturum rem malam, peccat quidem mortaliter, quia Deum conſtituit Teſtem, & Sponſorem iniquitatis, & peccati; at non tenetur adimplere rem promiſſam, aliàs novum patraret delictum. Etenim Regula 58. Juris in 6. dicit: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum Juramentum.* Quia, inquit Gloſſa, quæ contra conſcientiam, & bonos mores (Chriſtianos, & Religioſos) ſunt, impoſſibilia de Jure dicuntur.

At quæres hîc obiter. An qui jurat face- 31
re rem venialiter tantùm malam peccet mortaliter? ℞. Hoc eſſe controverſum à Theologis. Nam multi defendunt, eſſe tantùm veniale peccatum; Alii ſuſtinent, eſſe ſemper mortale. *Primi* hoc dicunt, quia in hoc admittunt parvitatem materiæ, & levem injuriam Deo factam: *Secundi* è contra in hoc non concedunt levem materiam, & agnoſcunt gravem, imò graviſſimam Dei injuriam. Ego adhæreo Secundis, non tamen condemno Primos. Ratio, quæ meum convincit intellectum eſt: Quia, certum eſt, quòd in Juramento non datur parvitas materiæ ex defectu *Veritatis*; Nam ex propoſitione damnata ab Innoc. XI. numero 24. habemus, *peccatum mortale eſſe*, *vocare Deum in Teſtem mendacii levis*; Ergo tale erit peccatum, vocare ipſum Deum in Teſtimonium ad proferendum, vel confirmandum mendacium leve, quod ratione materiæ eſt veniale; ratione verò Juramenti evadit mortale. Igitur neque dabitur parvitas materiæ in Juramento ex defectu *Juſtitiæ*. *Probo conſequentiam.* Sicuti repugnat Veracitati Dei approbare mendacium leve, ita pariter repugnat Juſtitiæ Dei approbare parvam injuſtitiam erga ſe, vel proximum; Sed qui vocat Deum in Teſtem ſui levis mendacii graviter Divinam Veritatem lædit; ergo pariformiter lædet

Divi-

Divinam Juſtitiam qui eam vocat in Teſtem exiguæ injuſtitiæ. Uterque enim Verum, & Juſtum Deum invocat in Teſtimonium propriæ malitiæ, & peccati, quod eſt irreverentia magna Deo irrogata ratione Juramenti &c. Vide P. Marchantium *tom.* 2. *tract.* 3. *tit.* 2. *q.* 3. *reg.* 2. *in fine*. Et *tit.* 3. *q.* 2. *regula* 2. Communior tamen eſt prima opinio apud Toletum *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 12.

Quarta Reſolutio.

32 Juramentum factum de opere minùs bono, vel quod impedit melius bonum non obligat in conſcientia jurantem; niſi eſſet factum in favorem tertii, & ab iſto acceptatum; ita ut homo, cui Juramentum factum eſt, jam accepiſſet jus ad rem. *Explico*. Titius juvenis jurat, ſe ducturum Uxorem, nulli tamen puellæ ſe obligavit; iſte ſi cœlibatum ſervare, aut Sacros Ordines recipere, vel Religionem ingredi poſteà voluerit, non impeditur à Juramento præmiſſo. *Ratio eſt*: quia licèt inire Matrimonium ſit opus bonum; ex ea tamen parte, qua impedit melius bonum, quale eſt ſtatus continentiæ, & caſtitatis, cenſetur imperfectionem includere, ideòque meliori bono compenſari poteſt, eò quòd Deus ab homine deſideret ſemper quod eſt melius, & perfectius. Neque dici poteſt, quòd frangat Fidem Deo datam per Juramentum; quia ſicuti non frangit fidem, qui nummum argenteum dare promiſit, & dat nummum aureum, nam debitum ſolvit in qualitate præminenti, quod in inferiori debebat; ita in propoſito caſu, quando homo dat Deo quod melius, & excellentius eſt, cenſetur, quod minus bonum erat, compenſare.

33 Dixi (niſi eſſet factum in favorem tertii, & ab iſto acceptatum &c.) Nam tunc promiſſio facta eſſet non tam Deo, quàm proximo. Eo enim ipſo res non eſſet ampliùs in libertate, & poteſtate Jurantis, ſed in alterius tranſiiſſet poteſtatem. Unde ſi Titius promiſiſſet ſub Juramento Matrimonium inire cum Berta, & hæc acceptaſſet, tunc amplius non poſſet Juramentum mutare in melius, niſi Berta Juri ſuo cederet; aut ſibi alio modo ſatisfieri conſentiret, V. G. aſſignatione Dotis. Quod exemplificavi *de Matrimonio*, poterit à ſimili dici de multis aliis caſibus.

Quinta Reſolutio.

Omne Juramentum verè promiſſorium, 34
etſi illicitè, aut peccaminosè factum ſit, tamen ſi poſteà abſque peccato, vel injuria Tertii adimpleri poſſit, ex parte materiæ obligat ad ſui adimpletionem. Ratio eſt: Quia in tali Juramento Deus non invocatur tamquam Sponſor peccati, ſed tamquam Sponſor Fidelitatis in adimpletione rei licitæ. V. G. Titius ſub Juramento promiſit Bertæ dare decem aureos, ſi ipſa conſenſerit fornicationi: adimpleta hac conditione, tenetur ſolvere pecuniam. Peccavit utique mortaliter Titius (intentione, & occaſione hac perverſa fornicationis) jurando; Juramentum tamen valet; quia cadit, non in illud opus malum, ſed in promiſſionem ex ſe licitam dandi talem pecuniam &c. Unde in praxi tenetur Titius non fornicari, & ſic, hac reſipiſcentia poſita, à Juramenti obligatione liberatur.

Dixi (ſi abſque peccato, vel injuria 35
Tertii (quia, ſi abſque peccato novo, aut injuria proximi non poſſit impleri, tale Juramentum cadit ſuper materia illicita, & mala, ideòque non obligat. *Exemplifico*. Mercator Bononienſis promittit ſub Juramento mittere frumentum Mercatori Florentino extra territorium, non obſtante prohibitione rigoroſa Legati Bononiæ, qui in favorem, ac utilitatem illius Civitatis bannum edidit ſub graviſſimis pœnis, ne frumenta extrahantur. Q. An peccaverit, & an teneatur ad Juramentum ſervandum? R. Quòd peccavit, & quòd non tenetur ad Juramentum. *Peccavit*; quia juravit illicitè, nempè de re mala, & prohibita. *Ad Juramentum non tenetur*; quia adhuc peccaret contra Legem juſtam, & in damnum proximi, nempè Civitatis, & Communitatis ſuæ. Et ſic de multis ſimilibus.

Sexta Reſolutio.

Juramentum promiſſorium de re indif- 36
ferenti, inutili, & impertinente, quatenùs res talis eſt, non ſolùm non obligat; ſed nec fieri poteſt abſque peccato ſaltem veniali. Ratio primæ partis eſt: quia invocatio Divini Teſtimonii non poteſt eſſe vinculum rei otioſæ, & inutilis. Ratio verò ſecundæ partis eſt: quia ſic jurans aliquam

quam certam irriverentiam facit Sanctiſſimo, ac Terribili Nomini Dei, quod ſuper re vana invocatur.

De Judicio Juramenti.

Quæro IX. *Quale judicium requiritur ad licitum Juramentum?*

37 ℞. Tale judicium prudentiale requiritur ad religioſum Juramentum, ut vel neceſſitas, vel utilitas, vel alia cauſa rationabilis adſit, quæ te prudenter moveat ad aſſumendum Sacroſanctum DEI Nomen præſuppoſitis jam Veritate, & Juſtitia rei, pro qua jures. Hoc eſt certum apud omnes DD. & TT.

Unde ſequitur; quòd quicumque deliberatè jurat, nulla neceſſitate, aut utilitate, vel cauſa nulla rationabili poſtulante, etſi verum juret, ſemper tamen peccat venialiter ſaltem. Ratio eſt evidens: quia ſaltem tunc invocatur Nomen Dei in vanum, quod eſt prohibitum expreſsè in Secundo Decalogi præcepto illis verbis Exodi cap. 20. v. 7. *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit Nomen Domini Dei ſui fruſtrà*. Et Deuteronomii cap. 5. v. 11. *Non uſurpabis Nomen Domini Dei tui fruſtrà; quia non erit impunitus, qui ſuper re vana Nomen ejus aſſumpſerit.*

38 Ille autem dicitur aſſumere Nomen Domini, Dei, Chriſti &c. in vanum, & fruſtrà, qui vel nullo, vel inutili, vel irrationabili, vel indebito fine Nomen iſtud Sanctum nominat, ſive in Juramento id fiat, (ut in propoſito) ſive extra Juramentum. Quia Nomen Dei, vel Chriſti pronunciandum eſt cum veneratione, & religioſitate. Sanctum enim Nomen illius, qui ſolus eſt Sanctus per eſſentiam, & fons omnis Sanctitatis, ſanctè nominandum eſt: ideſt reverenter, deliberatè, prudenter, & devotè: Ergo ſine cauſa illud nominare, ex levitate cordis, eſt aliqua irreverentia ſaltem venialis. – Dixi (ſaltem venialis,) quia interdum poteſt eſſe gravis irreverentia, & mortalis culpa; quando ſcilicet res, pro qua juratur, eſt adeò vilis, ut non ſine gravi injuria Dei nomen Sanctum ipſius ad illam confirmandam, aut promittendam invocetur in forma Juramenti: aut quando aliquis Nominis Dei contemptus cum ſcandalo (ratione circumſtantiarum) judicatur intervenire; ut docet P. Marchantius *tom. 2. tr. 3. tit. 2. q. 3. regula 3.*

Hoc unum eſt certum, majus eſſe peccatum inter venialia, vocare Deum in Teſtem ſine ſufficienti judicio, aut prudentia, quàm nominare Deum in vanum extra Juramentum; augetur enim irreligioſitas, & irreverentia ex illa circumſtantia aggravante, nempè ex Juramento. 39

Quoniam verò frequentiſſimus eſt abuſus invocationis, & nominationis Sancti Dei, & Chriſti Domini ſine debita reverentia, explicabo Confeſſario tyroni nonnullos terminos ſuprà n. 38. poſitos, videlicet: Quid ſit Nomen Dei aſſumere nullo ſine rationabili? Fine inutili? Fine indebito? – Ille igitur dicitur *nullo fine* Nomen Domini aſſumere, qui ex loquacitate, prava conſuetudine, inadvertentia, abſque reflexione Sanctum Dei nomen aſſumit, vel profert in quovis Juramento (aliàs vero,) aut in ſimplici pronunciatione ex iracundia, aliave paſſione naturali, & vehementi. – Tunc autem *inutili fine* Dei nomen aſſumi convincitur, quando nulla eſt cauſa, vel ratio congruitatis, vel neceſſitatis jurandi, vel nominandi Nomen Dei. Ut V. G. ſi nulla eſt incredulitas ex parte audientis, in Juramento Aſſertorio: nulla diffidentia perſonæ: cui promittitur in Juramento Promiſſorio; & nulla anguſtia perſonæ imprecantis, vel execrantis, in Juramento Execratorio, vel Imprecatorio. – Tunc tamdem *indebito fine* quis aſſumit Nomen Terſanctum Dei, quando jurat ad rem vanam, ridiculam, & levis momenti confirmandam; vel ad leve promiſſum ſtabiliendum: vel abſque motivo rationabili ad imprecandum, aut execrandum, Nomen Domini uſurpat. 40

At quomodo cognoſcam, quando quis abutitur *perverſo fine* Nomine Sancto Dei? ℞. Ille perverſo fine Nomen Dei aſſumit, qui id facit ad confirmandum aliquod falſum, incertum, dubium: Aut ad ſtabiliendum infidele, vel injuſtum promiſſum: Aut in execrationme veritatis cognitæ, aut in maledictum, irriſionem, & contemptum rei veræ, & certæ. 41

De Amphibologiis, Æquivocationibus, & Reſtrictionibus mentalibus.

Quæro X. *Quid eſt Amphibologia?*

℞. Eſt

42 ℞. Eſt ſermo dubiam ſententiam continens. Et ſecundùm Grammaticos eſt figura, quæ fit vitio compoſitionis, cùm in ambiguo poſita eſt ſententia. Secundùm verò Moraliſtas eſt quædam locutio, quæ in verbis ex natura ſuæ inſtitutionis æquivocis, aut analogis conſiſtit: quando nimirum verba ex inſtitutione, & uſurpatione ſua, nata, vel apta ſunt æquivocum ſenſum reddere. V. G. ſi quis dicat, ſe *Gallum* non occidiſſe, intelligendo de Gallo gallinaceo, ſeu pullo: cùm eſſet quæſitum de *Gallo* homine, ideſt de viro in *Gallia* nato qui etiam *Gallus* nominatur. Et hæc ſpecies Amphibologiæ coincidit cum *Æquivocatione*, quæ ex verbis, aut nominibus æquivocis componitur. *Æquivocum* autem vocatur etiam *Plurivocum*: quia pluribus rebus convenit ſecundùm nomen, & appellationem, licèt ſint diverſæ in natura. Ut V. G. *Aries*; Nam & machinamentum, quo in bello muri expugnantur, & Sidus in Cœlo, & animal in terra, *Aries* vocatur.

43 Alia datur in Moralibus *Amphibologia*, quæ, ſervata verborum proprietate, & determinata, ac univoca ſignificatione, Reſtrictione aliqua mentali ſenſum verborum divertit, alienat, & alterat. V. G. Jurat aliquis, ſe non commiſiſſe homicidium (quod de facto commiſit) ſubintelligendo, ac in mente retinendo *die Dominico, vel in mea domo, aut via communi*. Et hæc ſecunda ſpecies Amphibologiæ convenit cum *Reſtrictione mentali*, quæ eſt deceptoria locutio, qua quis aſtutus non profert totam ſententiam, ſed eam detruncat, partem ejus verbis proferendo, & partem in corde, vel mente ſua retinendo. Ad majorem claritatem dicendorum, primam ſpeciem Amphibologiæ vocabimus *ſimplicem Amphibologiam*: Secundam verò *Compoſitam* nominabimus.

44 *Amphibologia* igitur compoſita continet in ſe mendacium. Ratio eſt: Quia Humana loquela, qua homo homini loquitur, non formatur per conceptum mentalem, ſed per vocem. Nam ſoli Angeli; & Animæ ſeparatæ à corporibus loquuntur adinvicem per conceptus mentales; Ergo ut locutio hominis ad alterum ſit vera locutio humana, non debent attendi conceptus mentis, ſed verba, & ſigna externa, quæ communicant, exprimunt, & manifeſtant mentem noſtram. Igitur qui V. G. occidit hominem, & interrogatus legitimè de tali facto, reſpondet ſic: *Non occidi hominem*: intelligendo, ac retinendo intra ſe hoc additum (licèt verum) *die Dominico*, in quo die reverà non occidit, ſed alio die: reverà, ac ſubſtantialiter mentitur; nam homines nequeunt videre illud *additum* in mente alterius reſtrictum; ſed conſiderant tantùm ſenſum verborum. Senſus autem iſte: *Non occidi hominem*, eſt negativus homicidii, quod de facto patratum fuit: ergo eſt ſenſus fallax, & mendax &c. — Tum quia: Homo, ut animal ſociale eſt, tenetur, regulariter loquendo, ad veritatem edicendam, non ſolùm quatenùs enuntiatio in ſe eſt vera, ſeu ut menti loquentis correſpondet, verùm etiam ut communi uſu, ſeu uſurpatione intelligitur, ſicque obligatur audienti illam proponere ſub eadem veritate, qua communiter intelligenda eſt: poſito ſcilicet, quòd velit hic, & nunc cum alio ſocialiter, & humanè loqui. Aliàs nulla ſocietas, nullum commercium humanum ſubſiſteret, ſi, qui ſocialiter, & humanè agit, & agere debet, aliud verbis exprimeret, aliud in in mente teneret per Reſtrictionem; vel Amphibologiam compoſitam; ſicque omnis humana, veraque converſatio, & locutio funditùs deſtrueretur. — Tum tandem: quia ſi liceret homini uti his Amphibologiis, & reſtrictionibus, vix eſſet ullum verbum, quod non poſſet dici ab aſtuto ſic mendaciter, & deceptoriè; Unde fieret talis, & tanta confuſio in verbis, ut nemo poſſet umquam reddi certus de veritate, & veracitate alteriùs; ſicque ſinceritas deſtrueretur &c. Vide plura in Tract. 36. n. 128.

Amphibologia autem ſimplex non continet in ſe mendacium formaliter; Quia 45
verbum æquivocum (ut omnibus ſapientibus notum eſt) habet plures ſignificationes, & ſenſus veros. Et in hoc modo loquendi nihil additur retentum in mente; quia illæ diverſæ ſignificationes ſunt propriæ verbi, vel nominis æquivoci; Ergo quando quis dicit verbum æquivocum, & accipit illud in una ſignificatione ejus; verum dicit ſecundùm illum ſenſum, pro quo illud uſurpat, Hoc patebit meliùs in ſequentibus.

Quæro XI. *Eſtne licitum uti Amphibologiis?*

℞. I. Loquendo de Amphibologiis compoſitis, ut unitis cum Reſtrictione mentali, 46
cer-

certum eſt, non licere umquam eis uti. Patet ex dictis ſuperiùs numero 44. Tum quia Innocentius XI. inter alias damnavit tres propoſitiones, quæ ſunt numero 26. 27. & 28. quia continent modum loquendi amphibologicè cum Reſtrictione mentali. Ergo &c. Vide eas in fine hujus libri ſuo loco.

47 ℞. *II.* Loquendo autem de Amphibologiis ſimplicibus, pro ut conveniunt cum Æquivocationibus, Dico *I.* Non poteſt homo, ſine aliquo rationabili fine, vel cauſa, uti ſermone actualiter amphibologico, ſeu cum æquivocatione. Ratio. eſt: Quia ad minus ſermo ille eſſet verbum otioſum; nam ut ſupponitur, debito, ac rationabili fine caret. Etenim finis extrinſecus loquentis eſt, & eſſe debet, ut non tantùm meum conceptum exprimam reſpectu mei, ſed etiam ut illum communicem, exprimam, ac manifeſtem propriis verbis Petro V. G. audienti. Unde in enuntiatione humana, & vera duplex eſt veritatis reſpectus. ;Unus eſt veritatis in ſe: Alter eſt veritatis in altero, ideſt, quatenùs alteri exprimitur. Igitur ſi Ego loquar amphibologicè, & æquivocè cum Petro, Petrus numquam habebit veritatem ſecundam; & ſic meus ſermo erit fruſtraneus.

48 Dico *II.* Licèt aliquando ex juſta, ac rationabili cauſa Amphibologicis, vel æquivocis verbis uti. Quod *probatur I.* Sic. Quia etſi homo ex natura ſua ſit animal Sociabile, tamen extra actus neceſſariæ Charitatis, vel Juſtitiæ, non tenetur ad actualem ſocietatem, niſi prout vult, quando vult & quomodo vult. Ergo ex pluribus conceptibus mentis ſuæ unum abſque altero communicare poteſt: Unum (pro ratione Prudentiæ, & circumſtantiarum) manifeſtare, & alterum tacere, vel occultare, aut amphibologiarum operimentis diſſimulare, -- *Prob. II.* Exemplis Sacræ Scripturæ; Nam Jacob Patri ſuo Iſaac interroganti, reſpondit, ſe eſſe Eſau primogenitum. *Gen.* 27. Amphibologia utens, & indicans, Jus primogenituræ eſſe in ſe devolutum per venditionem ſibi factam ab Eſau. -- Sic honeſtiſſimæ Judith in ſermonibus cum Holoferne habentur multa, quæ Æquivocationem continent. *Judith.* 11. Item Angelus Raphäel locutus eſt amphibologicè cum Tobia ſene. *Tobiæ* 5. Et, ipſe Dominus Jeſus Chriſtus quandoque uſus eſt myſticis, ſeu figurativis verbis: Ut Joan. 7. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego autem non aſcendo*. Et tamen poſteà aſcendit. Ergo intellexit *de aſcendere manifeſtè, & ſolemniter*; nam aſcendit *quaſi occultè*. Item Joan. 2. *Solvite templum hoc: & in tribus diebus excitabo illud*. Dicebat autem *de Templo corporis ſui*. Item Marci 13. Loquens de die Judicii, dixit: *De die autem illa, vel hora nemo ſcit .... neque Filius*. Ubi Sacri Expoſitores dicunt, & gloſſant ſic: *Neque Filius ſcit*: ideſt ſcientia illa, quæ utilis ſit ad reſpondendum Interroganti: Nam Chriſtus, ut homo, licèt id omninò ſciret, ſciebat tamen tali modo ſecreto, ut manifeſtare non poſſet Diſcipulis ſuis pro illo tempore, quia licentiam non habebat à Patre manifeſtandi hanc veritatem de die præciſa Judicii futuri. Igitur nobis licebit dicere: *Hoc, vel illud neſcio*, quoties tale ſcimus ſcientia ſingulari, quæ non eſt neceſſaria, nec utilis interroganti; quia apud prudentes, & doctos notum eſt, quòd quis neſcire dicit rem illam, quàm non poteſt, aut non debet manifeſtare.

Probatur III. Nam quandoque neceſſarium eſt occultare veritatem; quod alio modo fieri nequit, niſi æquivocando. V. G. Conf. ſſarius Bertæ interrogatur à Viro ejus: de adulterio audito in Confeſſione: tunc debet ſub mortali culpa reſpondere: *Ego nihil omninò ſcio de quo tu me interrogas*: uſurpando verbum *Neſcio* in ſua propria ſignificatione, quatenus ſignificat notitiam humano modo acquiſitam; nam quod audimus in Tribunali Confeſſionis, ſcimus non humano, ſed Divino modo, quia ut Miniſtri, ac Vicarii Chriſti peccata hominum judicamus &c. Quinimò Confeſſarius poteſt in tali caſu jurare, *ſe nihil ſcire*: quia extra Confeſſionem nil audivit, nil ſcivit de tali peccato, quod licèt audiverit, & ſciverit in Confeſſione, audiverit tamen, & ſcivit *ut Deus*, non ut homo; ſed ut homo interrogatur, ergo reverà ut homo nil ſcit. Idem dices de ſimilibus. V. G. De Uxore interrogata à viro ſuo de adulterio occulto. De Titio interrogato ab amico de aliquo ſecreto, quod non licet manifeſtare; nam quod eſt omninò occultum, &, ſi manifeſtaretur, cederet in damnum Tertii, non eſt manifeſtabile, ſicque non eſt ſcibile alteri. 49

Quæro XII. *Quænam ſunt Cauſæ juſtæ, & rationabiles utendi amphibologia ſimplici?*

℞. Mul-

50 ℞. Multæ, ſed præcipuæ ſunt iſtæ. I. Cùm ex aperta, & clara locutione aliquod detrimentum notabile nobis, vel proximo imminet: Tunc, ſi tacere non potes, poteris loqui cum æquivocatione ſtudioſa, & prudenti. II. Quando interrogamur de aliquo facto, quod non attinet ad interrogantem. III. Quoties indebitè interrogaris, nec potes evitare reſponſum. IV. Ubi ratio operis, aliàs juſti, requirit occultationem ejus, ut perficiatur. *Neque objicias*, in his caſibus modum ſic æquivocandi ſapere fallaciam, vel deceptionem; quia reſpondebo tibi cum P. Marchantio *tom.* 2. *tract.* 3. *tit.* 2. *quæſt.* 4. hanc fallaciam eſſe ad ſummum paſſivam, quæ nil aliud eſt, quàm paſſivus error decepti ex ſe, quatenus unum ſignificatum accipit pro alio; non eſt autem error ex parte loquentis, niſi merè permiſſivus erroris paſſivi, ſeu privationis intelligentiæ veritatis, quam non teneor hìc, & nunc pateſacere; ergo non eſt vera deceptio nec fallacia, ſed tantùm mera permiſſio deceptionis, ſeu erroris, quem impedire non obligatur, qui cum cauſa rationabili ſic æquivocè loquitur.

51 Ubi verò rationabiliter timetur damnum ſecuturum ex ſimplici amphibologica reſponſione, non eſt licitum æquivocare; quia tunc ſic loquens peccaret contra fidelitatem, aut charitatem: vel juſtitiam. Tunc autem aderit *detrimentum contra juſtitiam*, quando V. G. dicuntur amphibologiæ in contractibus. *Detrimentum* verò *contra charitatem* erit, quando utimur tali modo loquendi in conſultationibus, conferentiis, & aliis communicationibus charitativis. Et tandem *detrimentum contra fidelitatem* accidet, quando in pactis, promiſſis, & compromiſſis à libera noſtra voluntate, vel liberalitate procedentibus utimur æquivocis verbis. Si autem in aliquo caſu non adſit libera hominis facultas loquendi, ſed potiùs quædam coactio, aut violentia, tunc poterit ſic læſus uti amphibologia ſimplici, ſeu æquivocatione; ratio eſt, quia tunc ad ſimilia verba proferenda non concurrit ſocialiter, & voluntariè, ſed meram patitur violentiam, quæ eſt ſpecies injuſtitiæ ſibi factæ: Unde talem vim inferenti non tenemur ſincerè, ac ſimpliciter loqui, ergo nobis licebit tunc æquivocè reſpondere.

Quæro XIII. *An liceat umquam uti amphibologiis, & æquivocationibus in Juramentis?*

52 ℞. *I.* Numquam licet jurare cum amphibologia compoſita ex Reſtrictione mentali, ut jam diximus ſuperiùs num. 43. & 44. Quia iſte modus loquendi continet mendacium, ergo addito Juramento fiet Perjurium. — ℞. *II.* Aliquando licebit jurare cum amphibologia ſimplici, ſeu æquivocatione, quæ non includit mendacium; quando nimirùm adeſt cauſa gravis, & juſta occultandi veritatem. Si autem adſit cauſa levis occultandi verum, tunc erit illicitum ſaltem venialiter ex defectu prudentiæ, quæ ad Juramentum requiritur.

53 ℞. *III.* Judice legitimè, ac juridicè interrogante: vel alio homine juſtè juramentum exigente, non licet umquam uti amphibologia etiam ſimplici in Juramento. Ratio eſt, quia qui legitimè, juridicè, & juſtè ad juramentum cogitur, perdit jus ad occultandam ſinceram veritatem, ſeu ad celandum totum mentis conceptum, ergo tenetur reſpondere, & jurare ad mentem interrogantis, & juramentum exigentis; qui igitur alio modo tunc jurat, peccat mortaliter contra fidelitatem, charitatem, juſtitiam, ac religionem.

54 ℞. *IV.* Quoties quis illegitimè, aut injuſtè cogitur ad jurandum, toties poteſt licitè uti amphibologia ſimplici in Juramento ſive privato, ſive publico. Ratio eſt, quia talis poſſidet jus ſuum ad ſervandum ſecretum, & poteſt ſe tueri contra injuriam ſibi factam in tali inquiſitione illegitima.

Quæro XIV. *Quandonam quis cenſetur illegitimè cogi ad jurandum?*

55 ℞. *I.* Tunc quis cenſetur illegitimè cogi à Judice ad juramentum, quando non eſt de tali crimine realiter infamatus, vel ſaltem res, de qua quæritur in judicio, non pervenit ad ſemiplenam probationem. ℞. *II.* Quis autem à privato homine illegitimè cogitur ad juramentum, quando cogens non habet juſtam, gravem, ac legitimam cauſam ad ſic cogendum: vel quando aperta veritas tenderet in detrimentum jurantis, aut tertiæ perſonæ: vel quando non expedit, ut perſona urgens, & cogens informetur de talis rei veritate. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 47. Layman *lib.* 4. *tr.* 3. *cap.* 4 *num.* 7. — Marchantius *cit. quæſt.* 4. *concluſ.* 3. — Anacletus *tract.* 4. *diſt.* 2. *n.* 40.

Quæro XV. *An reus criminis capitalis, contra quem adeſt tantùm ſemiplena probatio interrogatus à Judice competente, & impul-*

ſus

Digitized by Google

ſus ad jurandum veritatem, tenea ur ſub mortali declarare, & fateri ſuum delictum?

56 ℞. *I.* Non pauci ſunt DD. qui ſtant pro affirmativa ſententia, & à Joanne de Cardenas in propoſitiones damnatas ab Innoc. XI. *diſert. 19. num. 78.* citantur pluſquam triginta Authores, qui probant ſuam opinionem ſic: Quoties Judex juridicè, ac legitimè interrogat Reum, tenetur Reus declarare veritatem; at quando adeſt ſemiplena probatio contra Reum, Judex interrogat juridicè, & præcipit juſtè: ergo Reus tenetur obedire, & fateri veritatem. Confirmatur: Implicat contradictionem, quòd Judex habeat jus interrogandi, & præcipiendi, & Reus non habeat debitum juſtè reſpondendi, & parendi; nam hæc duo ſunt eſſentialiter correlativa; ergo ſi Judex interrogat, & præcipit juſtè, Reus tenebitur, juſtè reſpondere, & obedire.

57 ℞. *II.* Plures non deſunt DD. qui oppoſitam negativam tuentur ſententiam, quos citat, & ſequitur citatus Cardenas cum Card. de Lugo, qui ſic probant ſuam opinionem: Leges, & præcepta humana non obligant cum periculo vitæ, ut omnes concedunt in materia, & doctrina communi de legibus; ergo præceptum Judicis, de fatendo delicto ſemiplenè tantùm probato non obligat Reum cum periculo capitis, & vitæ ſuæ. Tum quia Lex naturalis de evitanda morte, mediis aliàs licitis, videtur militare in favorem Rei nondum convicti per Teſtes plenè probantes. Caſus enim prædictus ſupponit, unum tantùm eſſe Teſtem, qui faciat ſolam ſemiplenam probationem. Ergo &c. Ad rationem autem contrariæ opinionis reſpondent, eſſe aliquas leges, & præcepta humana, quæ non obligant ad culpam, ſed tantùm ad pœnam; ergo ex hoc optimè intelligitur, quomodo Judex poſſit interrogare, & præcipere juridicè, & Reus non teneatur ſub culpa mortali fateri delictum ſuum. — Et ad confirmationem reſpondent, eſſe eſſentialiter correlativa, Judicem habere jus præcipiendi ſub culpa, & Reum habere debitum parendi ſub culpa; non eſſe tamen correlativa, Judicem habere jus præcipiendi tantùm ſub pœna (poteſt enim torquere Reum, cujus delictum eſt ſemiplenè probatum ad exhauriendam confeſſionem delicti, & Reum habere debitum obtemperandi ſolùm ſub culpa, vel è contra. Igitur tenent iſti Doctores, quòd Judex in hoc caſu habeat facultatem, & jus compellendi Reum ad fatendum crimen ſub pœna Torturæ, nón autem conſtringendi conſcientiam Rei ſub culpa mortali ad confitendum ſuum crimen ſemiplenè probatum. Ergo talis Reus poterit tacere, vel reſpondere cum æquivocatione.

De Juramento promiſſorio.

Quæro XVI. *Quænam conditiones requiruntur ad valorem Juramenti promiſſorii?*

℞. In omni juramento promiſſorio ſemper intelliguntur, & ſupponuntur quinque conditiones intrinſecè, & de jure, quamvis de eis non fiat mentio expreſſa, aut ſuper eas non reflectatur: quarum aliqua deficiente, juramentum non ſubſiſtit, nec valet, ſeu non obligat; imò juramento à principio ſubſiſtente, ſi poſtea una ex ſequentibus generalibus conditionibus tollatur, obligatio quoque ceſſabit, ſine alia diſpenſatione. 58

Conditio I. Eſt: *Si potuero*: Nemo enim cogitur ad impoſſibile. Et ad impoſſibile nemo obligatur; Ita habetur *ex cap. Quemadmodum V. Conditio de jurejurando.* — Attamen ſi ſecundùm aliquam ſui partem res jurata poſſibilis fuerit, juramentum obligabit ad illam partem. *II.* Eſt: *Si licitè potuero.* Juramentum enim non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. *Cap. Quintavallis, de jurejur.* — *III.* Eſt: *Niſi res fuerint notabiliter immutatæ*: Quia jurans cenſetur jurare de rebus in ſtatu, in quo ſunt, vel ei proponuntur dum jurat. *Cap. Quemadmodum* cit. Tum quia notabilis mutatio quaſi aliud objectum facit. *IV.* Eſt: *Salvo jure Superioris. cap. Ad noſtram 21. de jurejur.* Quia ſi Superior juſta auctoritate aliter diſpoſuerit, ergo non poſſum ei contradicere. Et *V.* Eſt: *Niſi is, in cujus gratiam juratum eſt, obligationem remittat*; & hoc ſive expreſsè, ſive tacitè. Quia quilibet poteſt cedere juri ſuo particulari. Ita DD. communiter. Ex hac Doctrina generali multos poteris deducere, & reſolvere caſus particulares.

Quæro XVII. *Quale committit peccatum qui violat juramentum promiſſorium?*

℞. Si promiſſio juramento firmata ſit de re notabili, & gravi, violatio ejus erit peccatum mortale, ut communiter docent Auctores. Ratio eſt, quia graviter Deum, & proximum lædit, qui, ſine juſto 59

juſto impedimento, nullaque ſubſiſtente cauſa, aut conditione ex ſupradictis, non implet id, quod ſe facturum ſub juramento promiſit. Tum quia violans juramentum facit, ut deficiat Veritas executionis, ſeu facti, qua ſuo tempore ſervandum eſt id, quod ſub juramenti Religione promiſſum eſt: tum quia frangit fidem jurejurando datam proximo.

60 An verò peccet mortaliter, qui violat juramentum promiſſorium in re levi, & parvi momenti, variant Doctores. Card. Cajetanus dicit, quòd ſi res levis ſit pars alicujus totius, V. G. Juraſti, te daturum pauperi unum aureum, & deinde promiſſum exſolvens denegas, vel demis unum obolum, vel bajocum, violas votum in re parva, quæ eſt pars modica totius promiſſi, tunc peccas venialiter tantùm; quia non ex toto, ſed ex parte minima jusjurandum violas. Si verò res ſubjecta juramento ſit quidem parva per ſe, ſed integra, & tota materia juramenti, tunc eam non dando peccabis lethaliter: quia jusjurandum ex toto violas, & negligis. - Sylveſter autem, Navarrus, & alii DD. quos citat, & ſequitur Azorius *p.* 1. *lib.* 11. *capit.* 5. *quæſt.* 3. dicunt, non peccare mortaliter eum, qui negligit, vel non implet juramentum de re minima, etiamſi tota, & integra ſit materia juramenti. V. G. Titius juravit, ſe donaturum panem, vel pomum puero, aut recitaturum ſalutationem Angelicam: & poſtea omittit non peccat niſi venialiter. Quia, ut ſuppono, in animo habuit & veraciter jurare, & ſe obligare, & præſtare promiſſum, ergo non peccavit ratione juramenti falſi, vel ficti; deinde, voluntate mutata, fidem jurejurando datam perfregit, in qua violatione, magna, vel parva culpa contrahitur pro varietate rei magnæ, vel parvæ juramento ſubjectæ. Parva autem, vel minima rés jurata non eſt capax niſi obligationis levis; nec à Deo, nec ad homine acceptatur niſi pro tali obligatione, ergo frangens hanc fidem, & negligens hanc obligationem, non peccat niſi venialiter. Ita etiam docent Anacletus *tract.* 6. *diſt.* 2. *n.* 32. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 97. Buſembaus *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 2. *cum aliis.*

61 *Dices:* Qui non implet quod jurejurando promiſit, verè pejerat ex defectu veritatis in executione; nam verè adduxit Deum in Teſtem falſitatis, dum non ſtat promiſſis, vel promiſſa non adimplet, cùm poſſit etiam faciliter adimplere; ergo graviter peccat, quantumvis res jurata leviſſima ſit.

℞. Veritas executionis non eſt dicenda propriè veritas, ſed Fides, ſed Fidelitas, qua quis promiſſionem complet. Hæc autem Virtus Fidelitatis admittit parvitatem materiæ; ita ut qui in modica re eſt infidelis, ſeu non ſervat fidem datam, peccat venialiter, quia leviter lædit proximum, ut patet; ergo ex defectu fidelitatis non debemus ſemper arguere gravem injuriam Deo irrogatam, ſicuti ex defectu veritatis propriè dictæ in Juramentis; & conſequenter negari poteſt, quod qui non ſervat Juramentum promiſſorium dicatur adduxiſſe, vel adducere Deum in Teſtem falſum, aut facere Deum Teſtem falſitatis propriè captæ, quamvis aliquam injuriam faciat Deo, quem vocavit in Teſtem à principio, quando jurejurando promiſit, ſe facturum hoc, vel illud, quamvis modicum &c. Nihilominùs, ut dixi, mulri DD. tenent oppoſitum, ut videre poteris in libris citatis, ob rationem ſuperiùs dictam.

Sed quid dices de illo, qui juravit, 62
per annum ſe recitaturum unam quotidiè ſalutationem Angelicam, vel quid ſimile? ℞. Aliqui DD. dicunt, quòd qui talem devotionem, quæ tranſiit in obligationem ratione juramenti, quotidiè omittit, quotidiè etiam venialiter peccat; & ad finem anni mortaliter peccabit, ſi totum negligatur, quod in rem notabilem crevit; ergo tot debet recitare Salutationes Angelicas ante finem anni, quot omiſit, ut effugiat materiam gravem ſufficientem ad culpam gravem. Ratio eſt, quia ſicuti materia furti, quæ per pauca furta ſublata eſt, quando pervenit ad notabilem quantitatem obligat ſub mortali furem ad reſtitutionem, ita à ſimili, & pari ratione diſcurrendum eſt de materia, & quantitate Orationis, quæ Deo debetur ex juramenti obligatione; ergo cum res magna evaſerit, niſi tota reddatur, aut ſolvatur, gravis culpa committitur. Alii tamen DD. negant. Hos intelligas citra tacitum contemptum, in fine etiam anni eum mortaliter peccare; quia talis materia non unitur &c. *V. infra Tract.* 16. *n.* 30.

Quæro XVIII. *Eſtne licitum exigere Juramentum ab uno, quem ſcis pejeraturum?*

℞. Non eſt licitum, niſi juſta cauſa te ur- 63
geat. Ratio eſt, quia inducere aliquem ad

peccandum, non licet; ſed in caſu noſtro inducitur quis ad perjurium; ergo &c. Tenemur enim, quantum in nobis eſt, tantam Dei, injuriam, & proximi ruinam evitare. Unde generaliter eſt dicendum, non poſſe exigi juramentum ab aliquo, niſi eiſdem conditionibus, quibus licitum eſt jusjurandum: nimirùm, in re vera, in re juſta, & ex cauſa gravi, ac rationabili.

64 Nihilominus licitum eſt Judici exigere à litigante, vel Reo, aut Teſte Juramentum, ſive ſciat eum falsò juraturum, ſive dubitet, &c. Ratio eſt, quia facit id, ad quod ex Officio tenetur: tum quia Judex non debet ſequi privatam ſcientiam, ſed præſcriptum Juris in bonum Communitatis: Et in tali caſu, licèt prævideat, hunc falsò juraturum, non debet tamen cenſeri ut inducens ad hoc falſum, ſed ad verum juramentum, & ad veritatem deponendam, prout in verbis ei proteſtatur.

65 Igitur in neceſſitate gravi, V. G. ad detegendas fraudes, vel fidem adverſarii infirmandam, ſine quibus actibus juſtitiam, & innocentiam probare non potes, licitum erit, exigere ab adverſario, ut juret, etiamſi prævideas ipſum pejeraturum. Ratio eſt, quia tu uteris jure tuo, ut manifeſta appareat adverſarii infidelitas, & perfidia, & ſic evites damnum juſtæ tuæ innocentiæ, & famæ. Ita ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 18. *art.* 4. Anacletus, Leſſius, Marchantius, & alii DD.

Quæro XIX. ***An Juramentum promiſſorium vi, metu, aut injuria extortum obliget jurantem ad ſui impletionem?***

66 Si jurans verè intenderit jurare, & ſe obligare, tale Juramentum obligabit. Ratio eſt, quia etſi metu, vi, & injuria juramentum ſit extortum, jurans tamen voluit ſic ſe obligare, ut ſupponitur, ad evitandum aliquod grave malum; & quamvis tale juramentum ſit tantùm ſecundùm quid voluntarium, veluti ex cauſa impellente, tamen eſt verè voluntarium; ſicuti Mercator, qui ad evadendum naufragium merces in mare projicit, quas non projiceret, periculo tali non compellente. Et hoc habetur *cap. debitores. De jurejurando. Et cap. ſi verò.* – Verumtamen in tali caſu ordinant Canones, ut, ad evitandas hujuſmodi injuſtas extorſiones à quolibet Confeſſario homines ſic jurantes non tantùm abſolvi poſſint à Juramento, ſed etiam mandant, ut abſolvantur à tali obligatione qui abſolutione intercedente, ad nihil amplius tenentur vi illius juramenti. *Ita Cap. Ex adminiſtratione. Et cap. Quæ ad evidentiam de his, quæ vi &c.*

Quæro XX. ***An Juramentum promiſſorium ex errore factum obliget?***

℟. Si error ſit in ſubſtantia, vel in aliqua conditione juramento intrinſeca, non obligat. Ratio eſt: quia tale juramentum non eſt verè voluntarium; error enim prædictus deliberationem, aut omnem neceſſariam advertentiam, & conſequenter libertatem tollit; ergo &c. – Si autem error ſit tantùm in aliquo accidenti, obligabit, & ſervandum erit; quia iſte error non tollit libertatem. Ita P. Marchant. *tom.* 2. *tr.* 3. *tit.* 3. *q.* 2. *dub.* 3. 67

Quæro XXI. *Quomodo Juramenta promiſſoria interpretanda ſint?*

℟. I. Strictè interpretanda ſunt, & ſemper in favorem jurantis, dummodò reſtrictio naturæ actus, cui conjunctum eſt juramentum, non repugnet. Ratio eſt: quia Juramenta pertinent ad materiam oneroſam & odioſam juranti; odia autem, ſecundùm Regulas Juris, ſemper ſunt reſtringenda, non amplianda. Ex qua doctrina multos reſolves caſus. V. G. Titius juravit, quòd ſtabit judicio peritorum. Interpretandum eſt, ſi tamen manifeſtam injuſtitiam non committant: ut habetur *cap. Quintavallis de jurejur.* Et ſic de ſimilibus. – ℟. II. Juramentum promiſſorium intelligendum eſt, quoad vim obligandi, ſecundùm naturam promiſſionis; eamdem enim habet conditionem; ergo eodem modo explicandum eſt, quo ipſa promiſſio: vide naturam Promiſſionis. *Tract.* 33. *num.* 46. *& ſeqq.* Tum quia juxta illud axioma Juris: *Acceſſorium ſequitur principale;* promiſſio autem eſt principale obligatorium; Juramentum autem eſt acceſſorium; ergo quando V. G. non obligat promiſſio, nec obligabit Juramentum ei appoſitum: Et quando promiſſio eſt de re gravi, & obligatoria, ita erit & juramentum; & ſic decet. 68

Quæro XXII. ***Quiſnam poteſt irritare, diſpenſare, remittere, commutare Juramentum promiſſorium?***

℟. I. Juramentum promiſſorium in favorem Tertii poteſt ſolummodò remitti, ſeu relaxari ab eo, cui factum eſt; quia is tantùm acquiſivit jus ad rem promiſſam, & 69

ſuo

ſuo juri poteſt cedere. Tum quia, licèt juramentum promiſſorium reſpiciat Deum executio tamen, & effectus ejus reſpicit proximum, in cujus favorem factum eſt: ergo ab iſto dependet etiam talis juramenti relaxatio, qua poſita, Deus ipſe relaxat obligationem &c. Unde reſolves hos, & ſimiles caſus. V. G. Titius propter Deum juravit Bertæ pauperculæ, eam ducere in matrimonium; Si Berta non acceptat, aut, poſtquam acceptavit, ſi renunciet, tunc Titius eſt liberatus à juramento. -- Item: Cajus juravit Titio, ſe daturum dotem ejus filiæ: filia, in cujus utilitatem factum eſt juramentum, quando eſt ſui juris, obligationem dotis condonare poteſt non autem Titius. -- Item: Sempronius ad preces Confeſſarii promiſit ſub Juramento, dare notabilem eleemoſynam Lazaro pauperi, Confeſſarius non poteſt condonare obligationem, ſed ſolus Pauper Lazarus; quia etſi in Confeſſarii gratiam, vel reſpectum eleemoſyna fuerit promiſſa, non tamen in utilitatem ejus, ſed pauperis.

℞. *II.* Circa irritationem, diſpenſatio- 70
nem, & commutationem Juramentorum id erit cenſendum, & diſcurrendum, quod inferiùs dicemus de Voto; Nam, ſecundùm communiorem ſententiam, qui poteſt irritare, diſpenſare, & commutare Vota, poteſt etiam Juramenta; quia Votum, & Juramentum pium in jure æquiparantur quoad vinculum obligationis ex virtute Religionis; ut docent Sanchez, Laymann, Anacletus, Buſembaus, & alii DD.

TRACTATUS XVI.

DE VOTIS, ET TRANSGRESSIONIBUS Votorum.

QUæro I. *Quid eſt votum?*

1 *Reſp. Eſt promiſſio valida facta Deo*. Explico ſingula verba hujus breviſſimæ definitionis, quæ, ut videbis continet quidquid alii ponunt in longiori Voti deſcriptione. *Promiſſio*, quæ dicit voluntatem firmam, & conſtantem ſe obligandi: & per hanc particulam excluduntur alii actus qui non includunt voluntatem ſe actualiter obligandi, ut ſunt bonum propoſitum, bonum deſiderium, & ſimiles actus bonæ voluntatis, vel intentionis. -- *Facta Deo* nempè ſive verbis, ſive ſcripto, ſive animo, vel corde; & per hoc excluduntur promiſſiones, quæ hominibus fiunt, quæ verbis tantùm, aut aliis ſignis exterioribus ſufficienter manifeſtari, & acceptari pariformiter debent. *Valida*, ad ejus validitatem requiruntur quinque conditiones. I. Ut ſit deliberata. II. Ut ſit libera, ſive ſpontanea. III. Ut fiat cum vera intentione ſe Deo obligandi. IV. Ut ſit de re poſſibili, grata Deo, & de meliori bono. V. Ut vovens poſſit ſe obligare. De quibus in ſequentibus ponam magis diſtinctam notitiam, & doctrinam.

2 Votum propriè captum eſt actus Religionis, quo quis ſe voluntariè Deo obligat; & quidam actus Latriæ, qui ſoli Deo fieri debet. Unde Vota, quæ dicuntur facta Sanctis, intelligenda ſunt facta Deo mediantibus Sanctis; nam dum aliquid vovemus Sanctis, illud Deo vovemus mediatè, in honorem, & devotionem ipſorum Sanctorum, in quibus ipſum Deum colimus, ac veneramur; & dum quis vovet V. G. eleemoſynam pauperi, illam quoque Deo vovet, & promittit, nempè in ipſius Dei cultum, & honorem.

Quæro II. *Quanam, & quanta deliberatio requiritur ad valorem voti?*

℞. Requiritur plena deliberatio, quæ 3
ſit cum plena advertentia rei, quæ agitur, & talis, ac tanta, qualis, & quanta ſufficeret ad peccandum mortaliter. Ita communiter DD. Ratio eſt, quia *votum* eſt lex quædam, obligatio, & ſervitus voluntaria, cui ſe ſubjicere non cenſetur, qui plenè, & perfectè non advertit quid agat. Ex qua conditione infertur.

I. Voluntas in motibus *primò primis*, qui 4
omnem advertentiam, reflexionem, & animadverſionem præcurrunt, aut etiam in *ſecundò primis*, qui ſemiplenam tantùm,

Digitized by Google

& imperfectam advertentiam continent, non ſufficit ad valorem voti, cùm nec ad peccatum mortale (quo homo ſe obſtringit diabolo per reatum culpæ, & pœnæ æternæ) ſufficiat. Nam talis voluntas non importat perfectum conſenſum in rem vel objectum. Ad obligationem autem Voti requiritur actus perfectus, directus, & formalis liberæ voluntatis, adeòque plena rei advertentia; ergo &c. Unde ſi quis impetu naturæ, vel ex paſſione vehementi, calore iracundiæ, timore horribili &c. taliter mente turbatus voveat, tale votum non valet.

5 *II.* Votum metu gravi, & injurioſo extortum eſt invalidum. Ita habetur *cap. Prælatum*. Ratio eſt: quia, ut dicit D. Bonaventura, Deus vult Sacrificia voluntaria, non coacta. Unde Deus non cenſetur, votum ſic factum acceptare, ne videatur approbare injuriam, & iniquitatem Et ſicut injuriam non approbat, ſic nec extorſionem tali injuria factam.

6 Dixi, *metu gravi*: quia metus levis non cogit, nec aufert libertatem viri prudentis. Gravitas autem expendi, ac menſurari debet ex circumſtantiis, & qualitatibus perſonæ voventis. Interdum enim metus reverentialis tantus eſt, ut æquivaleat, imò prævaleat metui gravi per minas, & terrores notabiles extorto: quod praxis ipſa docet apud perſonas civiles, quæ ſub iſto timore educatæ ſunt.

7 Dixi, *injurioſè extortum*: quia metus juſtè, & rationabiliter incuſſus, vel ex naturalibus cauſis ortus votum non irritat. V. G. cùm quis vovet in morbo gravi, naufragio, periculo mortis &c. Votum tenet, & valet, quia in ſui gratiam, ac utilitatem vovet, & à nemine cogitur ad vovendum.

8 *III.* Votum emiſſum ex errore, vel ignorantia, quæ verſatur circa conditiones eſſentiales rei, vel etiam accidentales, quæ graviter, ſeu notabiliter immutant objectum, aut cauſam voti, eſt invalidum, & non obligat in foro conſcientiæ. Ratio eſt; quia talis error, vel ignorantia tollit voluntarium, ac liberum conſenſum; nam voluntas non fertur in incognitum; & communiter, quod præcognitum non eſt, involuntarium eſt, aut cenſeri non debet voluntarium. V. G. Titius vovit peregrinationem ad Sacram domum Lauretanam, quia falsò perſuaſus eſt, non diſtare niſi centum milliaribus, cognovit poſtea revera diſtare ducentis, non tenetur voto. Et ſic de ſimilibus. Item Cajus vovit dare dotem cuidam puellæ pauperculæ exiſtimatæ, quam poſtea reperit divitem eſſe: vel puellæ Virgini, & honeſtæ, quam deinde cognovit eſſe meretricem, non ampliùs tenetur, ob rationes prædictas. Tum quia obligatio voti non extenditur ultra intentionem explicitam, vel implicitam voventis; ergo &c.

Quæro III. *Quænam cenſetur materia grata Deo, & apta Voto?*

9 ℞. Omne opus bonum, quod ſit in poteſtate noſtra, & ſit melius quàm oppoſitum, cenſetur materia apta Voto, & grata Deo. -- Illud autem dicitur eſſe in poteſtate hominis, quod fieri poteſt ab illo homine cum communi concurſu, & auxilio ordinario gratiæ Dei. Nam quæ poſſibilitatem hominis ſuperant, vel extraordinarium concurſum, & auxilium Divinum requirunt, ſub votum non cadunt. -- *Per opus bonum* intelligitur etiam abſtinentia ab opere aliàs licito, ut *jejunium, paupertas, caſtitas &c.* item ceſſatio ab omni opere aliàs malo, & proibito, ut *ampliùs non ſe inebriare, non ludere aleis, non meretricari &c.* -- Per opus autem *melius quàm oppoſitum* intelligitur illud, quod talem bonitatem continet, ut ceſſatio ab illo opere, aut opus ei contrarium non ſit aliquid melius, ac Deo gratius, quàm ipſum opus quod aliquis vovet. Unde V. G. ſimpliciter & abſolutè non licet vovere Matrimonium; quia caſtitas oppoſita matrimonio melior eſt, ac Deo gratior.

10 Dixi, *ſimpliciter, & abſolutè*: quia manente firma, & conſtanti voluntate, vel aliquali neceſſitate Matrimonii contrahendi, liceret alicui vovere, ducere pauperem puellam propter Deum. Et tunc votum non tam caderet in Matrimonium, quàm in beneficentiam, & opus miſericordiæ, quod tali puellæ impenditur.

Quæro IV. *An liceat vovere Matrimonium ei, qui non valet ſe continere?*

11 ℞. Si talis homo paratus ſit, aut velit adhibere alia remedia ad refrænandam carnis concupiſcentiam, non poteſt vovere Matrimonium. Quia melius, & perfectius eſt uti aliis remediis, quàm Matrimonio ad evitandam incontinentiam. Si verò nullum aliud remedium velit ſibi applicare, & fortiter adhibere, tunc poterit Matrimonium vovere; quia *Melius eſt nube-*

Digitized by Google

nubere, quàm uri. 1. Cor. 7. Quòd S. Hieronymus ſic gloſſat: Melius eſt uxorem ducere, quàm fornicari; cùm enim voluntas carnis deſideriis conſentit, uritur. Et in hoc caſu objectum voti eſt potiùs ratio remedii, quàm ipſum Matrimonium.

Quæro V. *An vovens aliquid malum, etiam leve, peccet mortaliter?*

12 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia vovet contra naturam, ac inſtitutionem voti, magnamque irreverentiam, & quaſi irriſionem contra Votum committit, dum Deo per modum gratitudinis, & religionis promittit id, quod ipſi Deo omninò ingratum, & odioſum eſt, ut patet.

Quæro VI. *An opus indifferens ſit materia voti, aut cadat ſub votum?*

13 ℞. I. Opus indifferens, quatenùs, & quamdiù eſt tale, non cadit ſub votum: quia nec eſt gratum, nec ingratum Deo, nec honeſtum, nec inhoneſtum homini. ℞. II Si autem referatur ad aliquem finem honeſtum, jam incipit eſſe opus bonum, & quamdiù finis ille honeſtus durat, tamdiù cenſetur opus bonum durare, & tunc poteſt eſſe materia voti: Ab hujuſmodi tamen voto abſtinendum eſt, ob incertitudinem, & levitatem materiæ.

Quæro VII. *An liceat vovere rem præceptam, & aliàs debitam?*

14 Affirmativè; in hoc tamen caſu præter obligationem, quam res ſecum conjunctam habet ex natura ſua, inducitur ſecunda obligatio titulo religionis, ratione voti: ejuſque tranſgreſſio duplicem includet malitiam, ſpecie diverſam.

Quæro VIII. *Quinam poſſunt validè vovere?*

15 ℞. Omnis homo ratione utens & ſui juris, poteſt vovere; hoc eſt manifeſtum ex natura rei, promiſſionis, & obligationis; cùm enim homo rationis compos, ſit aliquo modo dominus ſuæ voluntatis, eſt etiam capax promiſſionis, & obligationis, quæ fit Deo in voti emiſſione. -- Nullus tamen homo, qui alteri homini perfectè in omnibus, vel ſaltem materia voti ſubjectus eſt, validè vovere poteſt Quia vota ſubditorum non poſſunt fieri niſi conditionatè; nam ex interpretatione juris communis habent annexam hanc neceſſariam conditionem: *Voveo: Si Superior, ille, cujus intereſt, non contradixerit; vel ſi approbaverit*.

16 *Unde Religioſi profeſſi*, qui perfectè in omnibus ſubjecti ſunt Prælato, non poſſunt abſolutè vovere. Excipitur tamen votum ingrediendi Religionem arctiorem, & perfectiorem: cùm enim hunc tranſitum, etiam nolente Prælato proprio, jura permittant, cenſentur ipſa jura eximere Religioſos à poteſtate Prælati in hoc, ita ut ſint etiam ſui juris in hoc facto. Ut habetur in jure Canonico pluribus in locis: Ut *ex ca. Statuimus, ex c. Mandamus 19. qu. 3. Et cap. Licet de Regularibus*. Dummodò ſtudio tutioris, melioris, & ſanctioris vitæ tranſitus fiat. De votis Religioſorum factis poſt Profeſſionem vide meliùs infrà n. 58. 59.

Quinimò Angelus de Clavaſio *in Summa Angelica V. Votum* 2. §. 3. Non credo, inquit, quòd Religioſi poſſint vovere ſine peccato: niſi præſumant, vel præſupponant conſenſum Prælati tacitum. Nec quod voverunt exequi debent, niſi habeant conſenſum expreſſum Prælati, ſi haberi poſſit: (niſi ſit de quo nullum præjudicium ſit Prælato, vel Regulari vitæ) & hoc ſequitur Ricard. in 4. D. Thom. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad* 3. *& Raym*. Ratio: propter altitudinem Status Religioſi: & ita jus ſtatuit 28. *q*. 4. *Monacho*. Tum quia à Monachis, & Religioſis per votum Obedientiæ eſt abdicatum velle, & nolle; nec ſunt ampliùs ſui juris. 17

Filiusfamilias non poteſt vovere aliquid, quod ſit contra regimen domus, vel familiæ, ſeu de pertinentibus ad illam, niſi de licentia Patris. *Excipe* Votum Religionis, & omne, quod nihil derogat curæ, & regimini rei familiaris. Item ſi habet peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, de quo poterit vovere, quia in hujuſmodi eſt ſui juris, & non prohibetur à jure. -- Idem dices de impubere, & minore, qui ſunt ſub Patris, vel Tutoris poteſtate, & Capiti familiæ ſunt ſubjecti. Quia ſic jura ſtatuunt, *Cap. Mulier* 32. *quæſt*. 2. *& cap. Si quis, de Reg.* -- Impubertas (ſecundùm jura) finitur in maſculo ætatis anno quartodecimo completo: in fœmina duodecimo completo, à die nativitatis computando. Minoritas verò incipit poſt impubertatem jam terminatam, & terminatur anno 25. completo ætatis. 18

Uxor non poteſt facere vota, quæ incommoda videntur viro ſuo, proli, & rei familiari: putà longa jejunia ex devotione, longas preces, quotidianam communionem, vel auditionem Miſſæ quotidiè, peregrina- 19

tiones, largas eleemoſynas, dormire ſeorſim, aut veſtitam cum viro cubare, ſurgere ad matutinum media nocte, & ſimilia non poteſt vovere, niſi de licentia viri. Ita colligitur *cap. Gaudemus de divor. & c. Manifeſtum & alibi v. Sum.* Angel. *l. cap.* §. 8. Silveſtrinam *Votum* 5. §. 1. *& ſeqq.* — Idem ferè dices de viro: quia quantùm ad hoc ſunt pares Vir, & Uxor: Secundùm Innoc. & Gloſſam *in d. cap. Manifeſtum*, *& cap. Noluit*. Tum quia conjux in voto non poteſt alteri conjugi præjudicare &c.

Quæro IX. *Quotuplex eſt Votum?*

20 ℞. *I.* Triplex eſt: ſcilicet perſonale, reale, & mixtum. *Perſonale* eſt, quo aliquid promittitur, quod ſolam perſonam voventem reſpicit, ut eſt aliqua ejus actio, vel omiſſio: talia ſunt vota jejunandi, orandi, ingrediendi Religionem, & ſimilia. *Reale* eſt, quo res aliqua externa promittitur: ut dare eleemoſynam pauperi, calicem Eccleſiæ, vel cereum, & ſimilia. *Mixtum* eſt, quo utrumque includitur, perſonale nempè, & reale, ſeu perſona, & res obligantur ſimul: ut Votum peregrinandi ad Sacram domum Lauretanam, ibique offerendi calicem, cereum, Miſſam & ſimilia.

21 Quodlibet ex dictis poteſt eſſe abſolutum, vel conditionatum. *Votum abſolutum* eſt illud, cui nulla admixta eſt conditio. *Conditionatum* eſt, quod ab aliqua conditione dependet. Et hoc dupliciter; aliud eſt *conditionatum ſimplex*, ut voveo intrare Religionem, ſi Deus me liberaverit ab hac infirmitate &c. Aliud *conditionatum pœnale*, ut, ſi me ampliùs inebriavero, voveo, me jejunaturum ſingulis Sabbatis unius menſis.

22 ℞. *II.* Item duplex eſt Votum, ſolemne videlicet, & ſimplex. *Votum ſolemne* eſt, quod fit in faciem Eccleſiæ, vel auctoritate publica Eccleſiæ ſuſcipitur, & ſolemnizatur: ut votum profeſſionis religioſæ, & votum caſtitatis in Ordine Sacro. *Votum ſimplex* eſt, quod privata, vel ſecreta voluntate fit, & in quo non intervenit publica Eccleſiæ acceptatio. Ut ſunt omnia vota ordinaria, quæ ſimplici promiſſione Deo facta, ſine ſolemnitate fiunt.

23 Præterea dividitur Votum ſimplex in temporale, & perpetuum. *Temporale* eſt quod certo temporis termino clauditur. Ut voveo caſtitatem per unum annum. *Perpetuum* eſt, quod ex intentione voventis perpetuò durat. Ut voveo caſtitatem per totam vitam.

Quæro X. *Quanam, qualis, & quanta eſt obligatio Votorum?*

℞. *I.* Vota omnia validè facta in conſcientia obligant duplici titulo, nimirum fidelitatis, & Religionis. Ratio primi tituli eſt: quia vota ſunt eſſentialiter promiſſiones; omnis autem promiſſio acceptata, & valida jure fidelitatis promittentem obligat in conſcientia, ergo & vota titulo fidelitatis obligant. — Ratio ſecundi tituli eſt: quia omne opus bonum Deo dicatum ad ejus cultum, & reverentiam, Religionis virtutem induit: atqui vota ſunt promiſſiones, & obligationes quædam factæ Deo ad ejus cultum, & reverentiam, ergo titulo religionis obligant. 24

℞. *II.* Qualitas, & quantitas obligationis Voti menſurandæ, & interpretandæ ſunt *I.* Ex intentione voventis, *II.* ex materia Voti. Ratio eſt: quia cùm Votum ſit lex quædam privata, & onus a vovente ſibi voluntariè, & proprio arbitrio impoſitum, non cenſetur excedere intentionem ejus, ſicut nec Lex excedit intentionem, & mentem Legiſlatoris. Prætereà, ſuppoſita illa intentione, obligatio conformari debet materiæ, ita ut ex gravitate, aut levitate materiæ ex voto promiſſæ obligatio conſurgat. Unde deduces, & reſolves hos caſus, videlicet.

Qui vovet materiam ex natura ſua, vel ex circumſtantiis gravem, tenetur ad votum ſub culpa gravi. Qui verò vovet materiam levem, tenetur ad votum ſub culpa tantùm levi. — Qui vovet materiam gravem, ſed cum intentione reſtricta ad obligationem tantùm levem (dummodò materia illa ſit aliàs libera) tenetur ſub culpa tantùm levi. Quinimò poteſt vovens in materia quacumque, ſive levi, ſive gravi, ſe obligare ſolùm ad pœnam, vel pœnitentiam aliquam, ſi prævaricetur, & ad nullam culpam. Verùm hæc intellige de votis ſimplicibus tantùm, & de materia, ut dixi, aliàs libera: nam votum ſolemne, cùm ex intentione Eccleſiæ ſit abſolutum, & ſtatum mutans, ſub obligatione quoque gravi, & de materia gravi inſtitutum eſt; & ideò non pendet ex ſola intentione voventis, ſed ex communi acceptatione, & praxi Eccleſiæ. 25

Qui facit votum in re levi, & exigua tam ex natura ſua, quàm ex circumſtantiis, 26

non

non poteſt, etiam de expreſſa ejus intentione, ſe obligare ſub mortali. Quia licèt obligatio numquam poſſit excedere Legiſlatoris intentionem, poteſt tamen materia eſſe incapax tantæ obligationis, quantam indiſcretè intendit Legiſlator, & vovens, ſed ſic eſt, quòd materia levis non eſt capax obligationis gravis ſub mortali culpa, & æternæ damnationis reatu: ergo &c. Tum quia talis promiſſio de re levi non acceptatur à Deo niſi prout eſt levis; igitur ſub culpa tantùm levi obligat.

27 Verumtamen in hoc ultimo caſu adverte, quòd qui vovit levem materiam cum animo ſe obligandi ſub gravi culpa, utique in praxi format ſibi conſcientiam erroneam, ſe ad hoc obligari ſub mortali; quare ſi tranſgrediatur votum, utique peccat mortaliter ex vi conſcientiæ erroneæ, non autem ex vi materiæ.

28 Quando autem vovens abſolutè intendit, ſe obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum, nec determinat, an ſub mortali, vel veniali, tunc recurrendum erit ad materiam, quam vovit, quæ ſi ex natura ſua, vel circumſtantiis gravis, & notabilis ſit, cenſebitur obligari ſub mortali: ſi verò levis, ſub veniali tantùm. Nam actus præſumitur (in dubio) factum ſecundùm ejus naturam.

Quæro XI. *Quomodo dignoſces hanc materiam eſſe levem, aut gravem?*

29 ℞. Dignoſcam ex materia communi præcepta à Lege aliqua Pontificia, vel Eccleſiaſtica; ita ut illa materia voti erit cenſenda gravis, quæ æquivalet alteri materiæ præceptæ ab Eccleſia ſub culpa gravi. V. G. Si quis voveat unam Miſſam, vel Confeſſionem, aut Communionem, vel jejunium unius diei, ſeu Septem Pſalmos, & quid ſimile, talis materia cenſetur gravis, & obligatoria ſub mortali. Contra verò ſi quis voveat quinque Pater, & Ave, vel Litanias B. V. Mariæ, aut unum Pſalmum, & aliquid ſimile, cenſenda erit materia levis, ejuſque obligatio ſub veniali. Ita Sporer *in hac materia cum aliis*.

30 Sed quid, ſi Titius voviſſet rem quidem levem ex natura ſua, at per longum tempus, puta ſingulis diebus per annum integrum? ℞. Tenent nonnulli, ut Ludov. Lopez, Canus, & alii, Titium quotidie omittentem talem rem levem Juramento, aut Voto promiſſam peccare tantùm venialiter, ſed poſteà in exitu anni peccare mortaliter; quia promiſſio æva, ſeu diuturna ſit magna: Et multa pauca faciunt unum ſatis: quam ſententiam notavi ſuperiùs *de Juram. n. 62*. Alii contra in univerſum ajunt, Titium nec quotidie omittentem, nec in exitu anni mortaliter peccare: quia quod vovit in diem certum, eo elapſo, ampliùs ſub obligatione non cadit in alterum diem, & ſic materiæ illæ parvæ neglectæ de die in diem non uniuntur, nec conſtituunt in fine anni materiam magnam. Ita Sotus *lib. 7. de juſt. q. 2. art. 1.* Et hanc opinionem approbat Azorius *p. 1. lib. 11. c. 5.* dummodò promiſſio, ſeu juramentum, aut votum factum ſit ob ſpecialem diurnum honorem; nam ſingulis elapſis diebus promiſſio finitur, & deſinit.

31 Aſt ego diſtinguo ſic. Vel Titius jurando, ſeu vovendo rem levem habuit motivum grave ſic jurandi, ſeu vovendi puta ad vincendam tentationem: vel motivum leve, puta ad honorandum aliquem Sanctum quotidie ex ſpeciali devotione. Si *primum*: mihi videtur, quòd omittendo non per annum, ſed per menſem tale votum, peccet graviter: ratione circumſtantiæ, vel finis gravis: tum quia in fine menſis videtur omiſſio gravis ob notabile detrimentum Animæ ſuæ; nam facilè poterit vinci à tali tentatione, niſi armetur tali voto, tamquam adjutorio Divino ſpeciali. Idem dico, ſi materia voti ſit unibilis, V. G. Si Titius voviſſet, ſe daturum quotidie alicui pauperi unum obulum, ſeu bajocum, vel nummum æreum; nam in fine unius menſis res magna, & notabilis ſumma defraudata eſt. — Si *ſecundum* tunc adhæreo opinioni Azorii, & aliorum; quia in tali caſu materia non eſt unibilis, nec conſequenter conſtituit rem magnam. Nihilominus audi quid ſentiat bonus Marchantius.

Quæro XII. Quomodo materia levis poteſt evadere magna, & gravis ratione circumſtantiarum?

32 ℞. Reſolutio hujus quæſiti petit doctrinam de peccatis, & ſpecialiter de peccato mortali per accidens, an ſcilicet Veniale poſſit fieri mortale, de quo vide in meo Tract. .... n. .... & alios DD. in hac materia. Pro nunc dicam,

P. Marchant. *tom. 1. tract. 3. tit. 1. q. 5. concl. 2. §. Dices ſecundo*: ita optimè diſſerit. Quidquid enim multi in hoc caſu contrarium ſentiant; apud me certum eſt,

Titium, qui noviſſet ſingulis diebus Quadrageſimæ, aut totius anni, dare unum aſſem (vel obolum) pauperibus, etſi nullo die hoc præſtitiſſet, non peccare in Paſchate, aut in fine anni mortaliter. Sicut nec ille, qui voviſſet ſingulis diebus anni dicere unum *Pater*, *& Ave Maria*, non peccaret mortaliter ſi toto anno illud omitteret: Ratio eſt: quia eleemoſyna unius diei, ſicut & *Pater noſter* Oratio, eſt tota, & determinata materia hujus Voti, ſic ad ſingulos dies determinati; Unde ſimpliciter non eſt votum in materia gravi, ſive ſufficienti ad peccatum mortale.... Tum quia, attendendum eſt Votum penes ſingulos dies diſcretim, non in complexo: Dico *diſcretim*: aliud enim eſt: ſi tota maſſa in complexo, ſeu unitim intenderetur à vovente. Et in hoc ſecundo ſenſu arbitror Doctores contrà ſentientes, interpretandos eſſe. *Ita P. Marchant. noſter*.

Quæro XIII. *An circumſtantia Votorum cadant ſub obligatione voventis?* Seu An *qui vovet, teneatur etiam ſub peccato adimplere omnes circumſtantias Voti ſui?*

33 ℞. *I.* Quando omnes circumſtantiæ ſunt æqualiter intentæ à vovente, votum factum obligat ad omnes. V. G. Titius vovet peregrinationem pedeſtrem, pedibus nudis, emendicato victu, cum oblatione eleemoſynæ correſpondentis victui ſuo ordinario &c. Cùm determinatè, & æqualiter hæc omnia intendat, ad omnes etiam has circumſtantias tenetur. Et ſi contingeret Titio impoſſibilitas ex parte unius circumſtantiæ, teneretur ad alias implendas, quæ ſibi eſſent poſſibiles.

34 ℞. *II.* Si vovens intendat principaliter unam circumſtantiam, & alias per modum tantùm acceſſorii, ceſſante principali ad acceſſorias non tenetur. V. G. Cajus vovet ingreſſum Religionis in tali Monaſterio ſimpliciter, propter ſpecialem, & ſingularem complacentiam, quam habet ad modum vivendi in illo, ſi non pateat ingreſſus in illud Monaſterium, non tenetur ad aliud.

35 ℞. *III.* Si vovens aliquid, in actum principalem ſimpliciter feratur, non reflectendo, nec determinando circumſtantias ejus: tunc circumſtantiæ illæ venient in obligationem voti, quæ (juxta modum, & naturam talis actus principalis) comitari ſolent ſimiles actiones: vel quæ rem ex natura ſua circumſtant, & afficiunt; non tamen ad alias. V. G. Berta vovit virginitatem abſolutè; poſtea fregit clauſtrum virginale peccato aliquo carnali externo, adhuc tenetur ad caſtitatem in poſterùm ſervandam: quia in voto Virginitatis caſtitas per ſe includitur, veluti circumſtantia concomitans. – Sempronius vovet jejunium, auditionem Miſſæ, & ſimilia: tenetur ſervare regulas jejunii Eccleſiaſtici, attentionem ad Miſſam. E contra Titius vovet ingredi Religionem; non per hoc cenſetur vovere caſtitatem: quia hæc circumſtantia non ſimplicem ingreſſum Religionis, ſed profeſſionem ſolemnem contingit, & afficit ex natura ſua. Et ſic de ſimilibus.

℞. *IV.* Qui, adhibita morali diligentia, 36
verè dubitat: an incluſerit aliquam voti ſui circumſtantiam? Liber eſt ad eligendam quamcumque dubii partem, etiam ſibi ſavorabilem, vel minùs rigoroſam. V. G. Titius vovit recitationem Roſarii per annum, dubitat autem, an intenderit omnes tres ſimul partes, aut tertiam partem? Poteſt eligere tantùm tertiam partem, & ſatisfacit voto. Cajus vovit decem libras ceræ cuidam Eccleſiæ, dubitat autem, an intellexerit de *libra* majoris, vel minoris ponderis ſuæ regionis; aut dubitat, an de *cera* alba, vel flava? Poterit ſequi partem reſpicientem minus pondus, vel minorem valorem. Et ſic de ſimilibus. Ratio eſt: quia melior eſt conditio poſſidentis: is autem qui dubitat, poſſidet ſuam libertatem; ergo &c. Tum quia: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*: ex regula 30. Juris in 6. Nam de minimo dubium non eſt, de majori autem, vel maximo eſt dubium; ergo ſolùm minimum cadit ſub certa obligatione.

Quæro XIV. *An qui dubitat de ſua intentione vovendi, vel de voto ipſo teneatur ad illud?*

℞. *I.* Quando quis verè, & propriè du- 37
bitat de iis, quæ ex parte voventis eſſentialiter requiruntur ad valorem voti, non obligatur voto. Ratio eſt: quia qui dubitat de eſſentialibus voti, quamdiu dubitat, eſt certus de ſua libertate, quam poſſidet, qua non poteſt ſpoliari niſi per aliquem actum certum ejus obligationis; Unde poteſt prudenter reſolvere, ſe practicè non obligari. Accedit textus *l. quidquid adſtringenda ff. de verborum obligat.* ubi dicitur; *Cum de obligatione agitur, a*

ſtrictè

ſtrictè impetratio facienda eſt; Votum autem gravem continet obligationem: ergo obligatio ejus interpretanda eſt ſtrictè, nempè in favorem voventis, non autem voti. Tum quia.

38 *Regula generalis eſt*. In dubio facti fundantis legem, homo manet in poſſeſſione ſuæ libertatis. Ratio eſt: quia nulla hic eſt poſſeſſio pro lege, quæ dubia manet; lex enim dubia non poteſt fundare certam obligationem contra certam hominis libertatem. Ut cum pluribus DD. tradit Sporer *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *De conſcientia dub. ſect.* 4. *à n.* 83. *& ſeqq.* & P. Marchant. *tom.* 2. *tr.* 3. *tit.* 4. *q.* 3. *reſol.* 1.

39 Unde colliges, quòd qui dubitat, àn de facto votum emiſerit? Et, an deliberatè, & cum pleno uſu rationis, vel cum ſufficienti intentione vovendi, & ſe obligandi? Et an nudè propoſuerit, an autem verè promiſerit, ac animum ſe voto conſtringendi habuerit? In his, & ſimilibus in favorem dubitantis judicandum eſt, non obligari. Ratio eſt: quia quandiù non conſtat de requiſitis, & eſſentialibus votis poſitis ex parte voventis, cenſetur dubitans non eſſe ſpoliatus ſua libertate, adeòque liber manet. Ita P. Marchant. cit.

40 Verumtamen Sporer *l. c. n.* 84. *§.* 3. ſic docet. *I.* Conſtat quidem V. G. me voviſſe, ſed dubito, an habuerim intentionem me obligandi? Teneor voto: quia poſſeſſio, vel præſumptio ſtat pro voto; nam in dubio tali præſumitur quiſque non ſtultè, vel fictè voviſſe. *II.* Dubito, an habuerim ſufficientem deliberationem in voto: utpotè quod factum fuit in aliqua animi perturbatione &c. Maneo obligatus; quia in his caſibus rarò contigit defectus deliberationi requiſitæ. *III.* Dubito, an quando vovi, habuerim perfectum uſum rationis ex tenera, aut puerili ætate? Si explevi ſeptennium quando vovi, præſumendus eſt uſus rationis, proinde obligatio; Si autem non explevi ſeptennium, præſumitur defectus rationis, regulariter loquendo, ac proinde non obligatio. *IV.* Si dubito, an tunc expleverim ſeptennium? Reſpondet Sporer, probabile puto, quando dubitatur de ætate, & ſimul de deliberatione ſufficienti, non teneri; tunc enim rationabiliter dubitatur de aliquo conſtituente eſſentiam voti. *At Ego ſubſumo*, etiam in aliis punctis ſupranotatis dubitatur rationabiliter de aliquo conſtituente eſſentiam voti, ergo neque in talibus dubiis (ut docuit P. Marchant.) teneris ad votum. *Confirmo*; nam idem Sporer *l. c. n. marginali* 84. *&* 2. *imperiali, ſeu* §. 2. dicit: Qui dubitat, an verè promiſerit, ac animum ſe obligandi habuerit, non tenetur obligatione .... Specialiter ob textum *l. Quidquid, de verb. oblig.* Ubi habetur: *Obligatio voti, juramenti, promiſſionis adſtruenda non eſt niſi liquidò cognoſcatur*. Ergo &c. Hanc tamen reflexionem meam relinquo melioti judicio. Hoc unum dico, quòd in libris legendis magna requiritur intelligentia, & multa neceſſaria eſt reflexio, ac cautela, ideoque quaſi continua reflexione, & collatione legendi ſunt omnes Libri, quos præ manibus, & oculis habes. *Hoc opus, hic labor eſt*.

Quæro XV. *Quid dicendum, quando dubitatur tantùm de legitima materia voti?*

℞. *I.* Quando jam conſtat de voto ex parte voventis, & dubitatur tantùm, an materia hujus voti ſit apta, & legitima judicandum eſt in favorem voti. Ratio eſt: quia eo ipſo quo ex parte ſua quis adhibuit quæ ſunt neceſſaria ad votum, jam ſua libertate ſpoliatus eſt, & jus ſive obligatio voti contra illum poſſidet; ergo tenetur votum adimplere quantùm eſt ex ſe. Poſtea tenetur, inquirere à viro docto, & pio, an talis materia ſit apta? *Pro quo notandum eſt*. I. Ad judicandum an materia voti in toto, aut in parte ſit apta; necne? non eſt obſervanda talis matetia ex tempore, quo votum emittitur, ſed ex tempore, pro quo votum emiſſum fuit, ſeu quo implendum eſt. II. Recolenda ſunt quæ diximus de materia voti ſuprà à n. 9. & ſequentibus. III. Quando materia voti à principio fuit inepta in toto, vel in parte, etiamſi poſtea, mutata circumſtantia extrinſeca non intenta à vovente, apta fiat, votum tamen ſicut fuit irritum, ita manet. IV. Quando materia voti ab initio fuit apta, & poſt votum inepta fiat: tunc ſi fiat inepta in perpetuum, votum omninò extinctum manebit; quando verò fit tantùm ad tempus inepta, tunc votum ſolùm pro eo tempore ſuſpenditur: quare redeunte aptitudine, ſeu circumſtantia illa, ob quam votum validum fuerat, ipſum quoque votum redit, & obligat. Ratio omnium prædictorum eſt: quia pari paſſu ambu-

ambulant obligatio voti, & aptitudo materiæ. V. Tandem recogitandæ erunt omnes, & ſingulæ conditiones intrinſecæ, propriæ cuilibet promiſſioni, ac Juramento promiſſorio quas notavi. *Tract. 15. de Juram. n. 58.* quia etiam Voto ſunt communes. Et ex his poterit Confeſſarius judicare, an & quando materia voti ſit legitima, & apta; imò & votum ipſum.

Quæro XVI. *Quandonam Votum obligat?*

42 ℞. *I.* Votum negativum abſolutè factum obligat pro ſemper, & ad ſemper. Ratio eſt clara: quia Votum negativum (V. G. non ludendi aleis) ſequitur naturam præcepti negativi; ergo &c. Dixi, *abſolutè factum*: quia ſi reſtrictio fiat à vovente, votum non obligat niſi juxta rationem reſtrictionis ſuæ. V.G. Si quis voveret, non ludere aleis in die feſto, vel cum tale ſocio &c. & ſic de ſimilibus: tale votum obligaret eum pro feſtis tantùm diebus: vel non ampliùs ludendi cum tali ſocio. — ℞. *II.* Votum affirmativum ſtatim quidem obligat, ſeu incipit obligare, tempus tamen executionis ejus debet ſumi ex intentione voventis, vel ſaltem ex prudenti arbitrio, & circumſtantiis talem executionem concernentibus. Unde vota affirmativa, quæ abſolutè fiunt, obligant primo tempore opportuno: quæ autem cum aliqua conditione, vel reſtrictione, ſequuntur naturam hujus conditionis, vel reſtrictionis. Hæc reſolutio pendet à natura, & qualitate promiſſionis; unde ad meliorem intelligentiam, & explicationem dictorum.

43 ℞. *III.* Quando tempus præfixum, ac detrimentum eſt à vovente ob ſpecialem devotionem talis diei, vel temporis, votum etiam cenſetur reſtrictum ad finiendam obligationem in tali tempore, vel die; ideoque ſi tunc non adimpleatur votum, jam peccatum commiſſum eſt pro ratione materiæ: obligatio autem voti prorsùs extincta eſt. Ratio eſt, quia tunc votum per modum unius comprehendit & rem promiſſam, & circumſtantiam temporis, quo tranſacto, eſt impoſſibile, ut votum impleatur, prout circumſcriptum, & formatum eſt.

Unde deduces plures caſus V. G. Voviſti jejunare die Veneris ob ſpecialem devotionem Paſſionis Domini Jeſu Chriſti: ſi tali die non jejunas, peccas utique graviter; at non teneris altero die ſupplere. Et ſic de ſimilibus.

44 ℞. *IV.* Ubi tempus determinatum eſt hac intentione: ne diutiùs differatur impletio voti: ſi tunc non impleas; peccas, at teneris adhuc implere tempore ſequenti tibi commodo. Ratio eſt: quia res promiſſa ex voto non eſt eſſentialiter intenta, nec conjuncta cum tali differentia temporis. V. G. Voviſti ingredi Religionem hoc anno: ſi non ingrediaris, etiam poſt annum teneris &c. & ſic de multis ſimilibus.

45 ℞. *V.* Tempus opportunum, ſeu commoditas implendi votum abſolutum ſine præfixione temporis, non debet accipi ſimpliciter, ſed moraliter, commodè, neque requirit cauſas omninò neceſſarias impedientes omnimodam impletionem voti pro illo tempore; ſed ſufficiunt cauſæ congruæ utilitatis ipſius voventis, vel alterius: quę omnia relinquuntur prudenti, ac pio judicio, & arbitrio *Ex communi*. V. G. Voviſti peregrinationem Lauretanam ſine præfixione temporis, poteris expectare tempus magis tibi commodum, ſocios, amicum, pecuniam &c. Habita autem omni opportunitate implendi tale votum, ſi non impleas, peccas: & tamdiù, tantòque graviùs, quò diutiùs differs ſolvere culpabiliter.

Quæro XVII. *An obligatio Voti ſit ſemper perſonalis, & propria voventis, ita ut nullus poſſit per ſe obligari voto alterius?*

46 ℞. *I.* Affirmative. Ratio communis eſt: quia obligatio voti, ſicut & cujuslibet alterius promiſſionis, debet oriri ex propria intentione, & conſenſu voluntatis promittentis: ergo votum non poteſt obligare per ſe alium, niſi ipſum voventem. — *Dices*: Poteſt quis ſuſcipere in ſe onus exequendi votum alterius: V. G. Pater moribundus manifeſtat filio ſuo votum peregrinandi Aſſiſium, à ſe factum & non impletum, filius promittit Patri, ſe impleturum ejus votum; ergo tunc filius ſe obligat voto alterius. ℞. Talis obligatio non oritur ex vi voti, & virtutis Religionis, ſed tantùm ex nuda promiſſione facta Patri, quam tenetur filius implere ex virtute fidelitatis. Nam promittens ſatisfacere voto alterius non promittit Deo per novum Votum, (ut ſuppono) ſed tantùm homini, promittit: ergo non dicitur obligari per ſe voto alterius; adeòque filius ſolùm promittit Patri,

tri, ſe præſtare materialiter peregrinationem Aſſiſienſem, quam ejus Pater promiſit Deo formaliter, ſeu votivè.

47 ℞. *II.* Nullus poteſt per alterum ſatisfacere voto ſuo perſonali, rogando, vel quomodolibet inducendo alterum, ut ſuo loco impleat votum ſuum. Ratio patet ex terminis: quia voto perſonali unuſquiſque factum proprium promittit Deo; ergo facto proprio, non alieno debet impleri tale Votum: aliàs non eſſet perſonale. Unde ſi quis V.G. vovit jejunare, orare, peregrinari &c. non ſatisfacit inducendo, vel conducendo alium, ut ſua vice hoc faciat. *Excipe*: Niſi vovens intendiſſet hoc expreſsè, nempè facere hoc per ſe, ſi poſſet, vel per alium, ſi ipſe non poſſet.

48 *Petes*: Ad quid ergo teneretur qui Votum perſonale emiſſum, ampliùs non poſſet per ſe ipſum adimplere?

℞. Ad nihil teneretur in conſcientia: ob rationem jam dictam. Tum quia, Actus ſe non extendunt ultra intentionem agentium, & maximè voventium votum liberum. Præterea in omni promiſſione intelligitur hæc conditio intrinſeca: *Si potuero*. Ergo &c.

49 Quid juris, ſi ille legitimè impeditus jam per alium impleſſet votum ſuum? ℞. Ceſſante tali impedimento, adhuc per ſe teneretur adimplere votum ſuam: quia perſonale votum ſemper obligat perſonam ipſam voventem, adeò ut ad aliam perſonam non poſſit tranſire obſque intentione expreſſa habita in actu voventi; ergo neque per aliam perſonam poteſt adimpleri.

50 Sed quid dicendum, ſi quis culpabiliter in talem impotentiam incurriſſet, ut non ampliùs per ſe valeret exequi votum ſuum? ℞. Adhuc non obligaretur per alium exequi quia culpa commiſſa in obligatione Voti non eſt, niſi ſit de aliquo contento in voto: explere autem per alium in voto perſonali non eſt contentum (ut ſuppono): ergo &c. Peccaſſet autem quis contra votum, ſi prævidiſſet tale impedimentum, vel impotentiam, & non declinaſſet tempore opportuno; quia qui vovet finem, vovet implicitè media, ſaltem ordinaria ad talem finem conducentia: ergo qui auſert, vel impedit media, peccat in finem. Video, te forſan non percipere hanc doctrinam, niſi explicetur, & exemplificetur; at non omnia poſſum explanare, aliàs opuſculum meum creſceret in opus, & onus gravet.

℞. *III.* Obligatio voti perſonalis, vovente defuncto, nullo modo tranſit ad hæredes. Quia hæres ſuccedit Defuncto tantùm in realibus, ſicut commodis, & juribus, ita oneribus, & debitis; non item in Privilegiis, & obligationibus perſonalibus tantùm. *Excipe*: Niſi hæres ſe ſpontè obligaſſet expreſsè ad Defuncti Votum perſonale implendum. 51

Quæro XVIII. *An, & quale ſit peccatum pœnitere de voto jam facto?*

℞. *I.* Pœnitere, ſeu dolere de voto, ſicut de bono actu jam facto, eſt peccatum grave; nunquam enim fas eſt, dolere, pœnitere, aut triſtari de opere honeſtatis, virtutis, aut meriti ſive proprio, ſive alieno. ℞. *II.* Pœnitere de voto emiſſo cum animo ei averſo, aut cum propoſito non ſervandi illud, aut quærendi omnem occaſionem eximendi ſe ab ejus obligatione per diſpenſationem, etiam illegitimam: eſt peccatum mortale. Quia ejuſdem malitiæ eſt, tranſgredi velle, & tranſgreſſio ipſa; qui autem ſic efficaciter averſatur votum jam factum, cenſetur habere continuam voluntatem tranſgrediendi illud, ergo &c. ℞. *III.* Pœnitere tantùm inefficaciter, ſeu cum ſimplici diſplicentia, triſtitia, ac noleitate voti emiſſi ob quaſdam difficultates, vel anxietates in ejus executione: per ſe loquendo, peccatum non eſt, ſed lucta quædam contra arduitatem operis, vel contra incentivum peccati: nam ſuppono, quòd perſeveret firma voluntas ſemper implendi obligationem contractam ex voto: Unde verba iſta: *Utinam non voviſſem! Si non voviſſem, amodò non voverem ampliùs*: Etſi magnæ imperfectionis ſint indicia, peccata tamen non ſunt. Per accidens tamen veniale peccatum eſſet, quando talis diſplicentia redundaret in quamdam negligentiam exequendi votum. At, accedente periculo prævaricandi votum in re gravi, mortale eſſet peccatum. Poſſet tamen petere Commutationem. 52

Quæro XIX. *An melius, magiſque meritorium ſit opus factum ex voto, quàm ex ſpontanea devotione?*

℞. Cæteris paribus, illud eſſe melius, & magis meritorium, quod fit ex voto. Ratio evidens eſt: quia V. G. jejunium ex voto factum habet in ſe duplicem boni- 53

bonitatem: unam ex virtute abſtinentiæ, ſeu mortificationis, alteram ex virtute Religionis. Præterea, nobilioris virtutis nobilior etiam eſt actus, & opus: Religio autem eſt nobiliſſima virtutum moralium: ergo ejus actus, vel opus erit nobiliſſimum. Deinde, qui ex obligatione voti bonum operatur, magis ſe Deo ſubjicit, & impendit; quia tunc non opus tantùm bonum, ſed etiam operandi voluntatem Deo obligat, & conſecrat. Itaque D. Auguſtinus *Epiſt. 45. ad Riparium*: *Nec ideo, inquit, te voviſſe pœniteat; imò gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Aggredere itaque intrepidus, & dicta (per votum) imple factis; ipſe juvabit, qui vota tua expetit. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.* — Nihilominùs S. Philippo Nerio non placebat, pœnitentes, & filios ſuo ſpirituales vovere ſine conſilio Patris Spiritualis, ſeu Confeſſarii prudentis: Et ipſe non facilè eis permittebat uſum votorum, ob magnum periculum tranſgreſſionis: juxta illud Eccleſiaſtæ c. 5. *Melius eſt non vovere; quàm poſt votum promiſſa non reddere.*

Quæro XX. *Quænam eſt differentia inter Juramentum pium, & Votum.*

54 ℞. Juramentum pium eſt quod ſoli Deo fit, ad differentiam juramenti ſimplicis, quod fit homini per Nomen Dei. Juramentum igitur pium, & Votum in honorem Dei abſolutè facta maximam ſimilitudinem habent, ita ut difficilè diſcernantur, niſi per hoc, quòd Votum cenſetur arctius, & fortius vinculum Juramento: de cætero in jure æquiparantur, eò quòd utrinſque planè ſit ſimilis obligatio erga Deum ex eadem virtute Religionis. In Voto enim eſt obligatio: quia vovens fidem ſuam Deo dedit de faciendo aliquo in ejus honorem; in juramento autem eſt obligatio: quia jurans per Deum invocat ipſum Deum Sponſorem ſuæ promiſſionis etiam ad honorem Dei factæ. — Idem judicium fieri poteſt de Juramento, & Voto, quæ fiunt in favorem proximi, principaliter tamen in honorem Dei; quia Deus tam ex Juramento, quàm ex Voto acquirit jus in homine jurante, vel vovente, & conſtituitur Creditor, ſeu Fidejuſſor rei promiſſæ proximo.

55 *Petes*. Quid de Voto firmato cum Juramento? ℞. Votum confirmatum Juramento, dicitur *Votum juratum*, & duplex habet vinculum obligationis ejuſdem tamen ſpeciei, ſeu virtutis; Juramentum autem voto ſuperadditum non parit Deo majus jus, quàm ſi ipſum Votum firmaretur per ſui renovationem. Quia Votum, etiam accedente Juramento eamdem naturam habet, ſeu eamdem obtinet obligationem ſpecificam, licèt majorem, ſeu intenſiorem: Et Juramentum additum actui induit naturam, & conditiones illius, cui additur. Ergo juramentum additum voto non variat naturam, & conditiones ipſius voti, ſed tantùm ratificat, & confirmat.

De Votorum, ac Juramentorum deobligatione, ſeu ceſſatione.

Quæro XXI. *Quot modis voti, ac Juramenti obligatio ceſſat?*

℞. Quatuor his modis: Extinctione, Irritatione, Diſpenſatione, & Commutatione. Juramentum autem factum homini ceſſat etiam quinto hoc modo: nempè Remiſſione, ſeu condonatione alterius, cui, vel in cujus commodum, & utilitatem promiſſio jurata facta eſt. 56

Extinctio voti, ac juramenti pii habetur 4. modis. *I.* Ablatione, vel mutatione notabili materiæ promiſſæ: ut putà quando materia determinata in individuo ſine tua culpa periit: aut quando ex poſſibili facta eſt impoſſibilis; ex licita illicita; ex bona, ac meliori minùs bona, aut majoris boni impeditiva effecta eſt. — *II.* Ceſſatione finis principalis tui voti, itemque juramenti pii; non autem ceſſante fine ſecundario tantùm. — *III.* Ceſſante aliqua circumſtantia per ſe principaliter à te intenta. Idem dic de conditione. — *IV.* Superveniente aliquo improviſo impedimento, vel accidente, quod, ſi ab initio fuiſſet, impediviſſet valorem, & obligationem tui voti, vel etiam juramenti. Ita communiter DD.

Quæro XXII. *Quotuplex eſt Irritatio votorum, ac Juramentorum?*

℞. Triplex: *Prima* eſt irritatio intrinſeca, & de jure naturali: & habetur, quando votum, vel juramentum eſt invalidum, irritum, ac nullum ob defectum alicujus conditionis eſſentialiter requiſitæ. *Secunda* eſt irritatio de jure communi Eccleſiaſtico: Et hæc habetur, quando vo- 57

to,

to, vel juramento deficit aliqua conditio, vel circumſtantia, ſeu qualitas neceſſariò à Jure Canonico ad valorem voti, ac juramenti. *Tertia* eſt irritatio extrinſeca, & de jure perſonali: & fit quando vota, vel juramenta pia irritantur, & annullantur ab homine habente dominativam, vel quaſi dominativam poteſtatem in perſonam voventem, vel jurantem, aut in materiam voti, vel juramenti. Et de hac erit ſermo in ſequentibus punctis.

58 *Duplex eſt hæc irritatio*. Prima vocatur *directa*, qua homo irritat Vota alterius hominis: quia poteſtatem habet in ipſum hominem, vel voluntatem ejus, qui vovit. Sic Prælatus, Pater, Tutor, irritat vota profeſſi, filii impuberis, pupilli. - Secunda vocatur irritatio *indirecta*, qua homo irritat votum alterius, ſolùm quatenùs votum verſatur circa materiam ſibi, ſuoque juri ſubjectam. Sic Prælati, Parentes, Mariti, Domini, irritare poſſunt vota Novitiorum, Filiorum puberum, Uxorum, Servorum.

Quæro XXIII. *An vota Religioſorum, poſt profeſſionem emiſſa propria ſponte, ſint ipſo jure irrita?*

59 ℞. *I.* Communis opinio DD. antiquorum eſt: Omnia vota Religioſarum perſonarum etiam non præjudicantia diſciplinæ Regulari, Inſtituto proprio, aut Prælato ſuo, eſſe omninò irrita ipſo jure: niſi Prælatus poſitivè conſentiat, eaque approbet. Ita ſatis apertè habetur in Jure Canon. *c. Monacho* 20. *q.* 4. Ubi refertur: Monacho non licere vovere ſine conſenſu Abbatis; ſi autem voverit, frangendum eſſe votum. - *Et c. Noluit*: 33. *q.* 5. - Et Ricar. *in* 4. *d.* 38. quia, inquit, talis Religioſus non poteſt vovere: & ſi vovet, votum non tenet: nam nulla alia obligatio poteſt addi profeſſioni factæ ſine periculo, vel præjudicio obſervationis eorum, ad quæ tenetur jam vi votorum Solemnium: vel ſaltem ſine periculo reddendi ſe onerosum aliquando Prælato, vel Religioni, aut fratri ſuo. Tum quia Votum Religionis eſt tantæ arctitudidis, ut alia omnia vota in illud commutari poſſint. Unde Eccleſia pia Mater conſiderans has rationes, & humanam fragilitatem, voluit auctoritate Dei, nullum aliud votum poſſe ſuperaddi, (uno tamen excepto, aſſumendi nempè ſtrictiorem Religionem) propter vitandum periculum tranſgreſſionis &c. Et D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. docet: Nullum votum Religioſi eſſe firmum, niſi de conſenſu Prælati. Vovendo tamen non peccat: quia ſubintelligitur, ſi placuerit Prælato; quòd ſi aliter intenderet, peccaret. Tum tandem, quia Deus non videtur acceptare obligationes privatas Religioſorum, niſi dependenter ab iis, quibus jam propter ipſum Deum ſubjiciuntur totaliter, ob vota ſolemnia.

60 ℞. *II.* Opinio communior inter DD. modernos tenet: Religioſorum vota privata, vel ſimplicia illa tantùm eſſe ipſo jure irrita, quæ Conſtitutionibus Regulæ, præceptis Superiorum, & Monaſticæ diſciplinæ repugnant, vel præjudicant. Ratio eſt: quia lex cit. *c. Monacho*: ſi interpretatur: Non licere Monacho vovere ſine conſenſu tacito, vel expreſſo Prælati. Si autem voverit, non dicit, *irritum eſſe*: ſed frangendum eſſe, nempè ad arbitrium Superioris poſſe irritari tale votum; ergo &c. Certum enim eſt, votum debere eſſe *de meliori bono*: agere autem aliquid contra Regulam, vel juſtam Superioris mentem, aut diſciplinam Monaſticam, non eſſe melius, imò nec bonum; ergo hoc tantùm eſt prohibitum. V. Sylveſtrum *in Summa V. Votum*. 3. *quæſt.* 3.

61 ℞. *III.* Vota prædicta, quæ Regulari Inſtituto non adverſantur, nec præjudicant, valida ſunt, quouſque Superior non irritaverit; Poteſt autem Superior, ſive Generalis: ſive Provincialis, ſive etiam Localis per ſe directè ea vota irritare. Prima pars patet ex dictis. Probatur ſecunda. Quia Religioſus profeſſus quoad omnes actiones externas perfectè ſubjicitur Superioris, ita ut ex communi ſenſu, & uſu Eccleſiæ, ac interpretatione Juris Canonici, omnibus ejus non ſolùm votis, ſed promiſſionibus, & actionibus quibuſcumque cenſeatur intimè annexa hæc conditio: *Niſi Superior contradixerit*. Imò poteſt Prælatus antecedenter irrita facere omnia vota privata ſuorum ſubditorum, E.G. prohibendo, ne quis quiddam voveat; ergo &c. Ita communis.

Quæro XXI. *Quid de Novitiorum votis eſt ſentiendum?*

62 ℞. P. Portel. *in dub. Regul. V. Vota Novitii à n.* 18. dicit ſic. Vota, quæ fecit Novitius ante ingreſſum, vel in Novitiatu non poteſt Prælatus irritare. Eſt communis DD. Quia Prælatus circa Novitium non habet poteſtatem dominativam; poteſt tamen Prælatus diſpenſare vota Novitiorum,

ſive

ſive facta in ſæculo, ſive in Novitiatu; vel poteſt ſuſpendere dicta vota pro tempore Novitiatus; ſubeſt enim juſta cauſa ſuſpendendi &c. vel poteſt commutare in labores Novitiatus: hi enim labores ſemper excedunt quodcumque votum perſonale anteà factum. Imò etiam Confeſſores Novitiorum poſſunt ſic commutare &c. Et citat pro ſe Rodriquez, Suarez, Azorium, Navarrum, Angelum, Sylveſtrum, Sanchez, & Malderum. Et concludit, quòd hæc reſolutio videtur clara. -- P. Marchant. *tom.* 2. *fol.* 483. *reſ.* 2. concedit dictas ſuſpenſionem, & commutationem. -- Et P. Sporer *tom.* 1. *fol.* 267. *reſ.* 4. *n.* 18. ſic docet ad propoſitum: Poteſt Superior Novitiorum vota perſonalia irritare indirectè, vel potiùs ſuſpendere, quatenùs eorum gubernationi, & exercitiis probationis (ad quam ſe Superiori ſponte ſubjiciunt) impedimento, vel prejudicio forent: adeòut ſi Novitius egrediatur obligatio voti, utpotè non extincta, ſed ſuſpenſa tantùm, redeat. *Excipe*: Niſi illa vota fuiſſent facta (ut ſæpè accidit) in ætate impuberi, ſeu pupillari; nam in tali caſu, ut optimè docet P. Leſſius, ſi Novitius in ſæculo emiſit vota in ea ætate, in qua Pater, Tutor, vel Curator potuiſſet talia vota irritare, poterunt etiam eadem irritari à Prælato Religionis, cùm in illorum poteſtatem ſuccedat: ut Sanchez notat: Hæc Sporer.

63 *Quibus addo*. Et hæc poterit præſtare etiam Magiſter Novitiorum: dummodò, ut ſolet, ſit Confeſſarius ſæcularium. Quia Confeſſarius Ordinum Mendicantium (ut ſuo loco videbitur) habet facultatem ex Privilegiis Pontificum diſpenſandi in votis non reſervatis Sedi Apoſtolicæ. Tum quia Magiſtro tali principaliter, imò quaſi totaliter Novitiorum cura, & educatio conſignatur tum à Decretis Pontificiis, tum à Superioribus Religionis. Ergo &c. Si autem Novitius profeſſionem emittat, omnia ejus vota ſimplicia, & perſonalia commutantur ipſo facto in votum Religionis, ſine alia diſpenſatione, quia hoc votum tanquam perfectiſſimum omnia alia abſorbet: juxta communem, & certam DD. ſententiam. V. Navar, Sylveſt. Angel. Roderic. Portel. Suarez, Sanchez, Laymann, Marchant. Sporer, Tambur. D. Thom. & alios; maximè autem hoc habetur ex juris communis diſpoſitione *cap. Scriptura: de voto*: Ergo ſolo voto ſolemni Religionis abſolvitur Novitius ab aliis votis anteà factis ipſo jure.

Quæro XXV. *Quid de votis filiorum, & pupillorum?*

℞. *I.* Oportet primò diſtinguere terminos juris circa filios &c. *Filii*, ut notum eſt, dicuntur qui Parentes habent, *Pupilli* qui carent Parte, ſed habent Tutores, vel Curatores. *Impuberes* dicuntur tam filii, quàm pupilli uſque ad annos quatuordecim. *Puberes* nominantur ab anno quartodecimo completo ad vigeſimum quintum completum: qui alio nomine appellantur etiam *Minores*, ſeu *Minorennes*. Quibus temporibus, ſi Patre deſtituantur, *Tutor* datur pupillis impuberibus uſque ad decimumquartum annum, principaliter ad perſonam pueri tuendam, ut honeſtè educetur, & ſecundariò ad ejuſdem bona adminiſtranda. *Curator* verò datur pupillis Minorennibus principaliter ad bona ipſorum adminiſtranda, ſecundariò autem ad perſonam tuendam; ut docent Juriſtæ, & Theologi. 64

℞. *II.* Omnia vota impuberum per ſe directè irritari poſſunt à Patre: vel, ejus loco à Tutore. Habetur *ex cap. n.* 30. *Numeri*. -- *Inſuper* omnia vota ab impubere in ætate tali edita, non ſolùm durante impubertate, ſed etiam poſteà quocumque pubertatis die, irritari poſſunt à Patre, vel, ejus loco, à Curatore: Si pubes factus talia vota non confirmavit, vel ratificavit. Ita communis Sententia DD. *contra paucos*. *Item* Vota filiorum puberum poſt pubertatem emiſſa, illa ſolùm à Patre indirectè, & per accidens, & ratione materiæ irritari poſſunt, quæ, & quatenùs præjudicant liberæ Patris poteſtati in adminiſtratione familiæ, rerumque ſuarum. Alia verò vota puberum adhuc ſub Patria poteſtate manentium, quæ eidem poteſtati, ac gubernationi paternæ non præjudicant, à Patre irritari nequeunt. Communis DD. 65

Quæro XXVI. *Quid de Votis conjugatorum eſt diſcurrendum?*

℞. *I.* Vota uxorum ſolùm per accidens, indirectè, ac ratione materiæ irritari poſſunt à Maritis, quæ nempè, & quatenùs ipſis viris in conjugii uſu, ſocietate, familiæ gubernatione, & rei familiaris adminiſtratione præjudicant. Ita communior, & tutior ſententia DD. apud Patritium Sporerium. ℞. *II.* Etiam Uxor ita indirectè 66

directè poteſt irritare vota Mariti ſui, quæ juri ſuo matrimoniali derogant, vel præjudicant: quia in hoc uxor, & ejus vir ſunt pares.

Quæro XXVII. *An quæ diximus de irritatione votorum extendi poſſint ad juramenta?*

67 ℞. Affirmativè. *Nempè*: Quicumque, & quavis ratione habet poteſtatem irritandi vota alterius, per ſe, vel per accidens, directè, vel indirectè, is etiam habet poteſtatem eadem ratione irritandi omnia alterius juramenta promiſſoria; non tantùm abſoluta, & per ſe ſtantia in honorem Dei, vel utilitatem hominis facta: & non ſolùm confirmatoria promiſſionis factæ ipſi Deo, (quæ dicuntur *Vota jurata*;) ſed etiam confirmatoria promiſſionis homini factæ, quantumvis acceptæ, quæ dicuntur *Pacta jurata*. Communis cum D. Thoma 2. 2. *q.* 88. & 89. Et ratio eſt: Quia Juramentum recipit naturam, & conditiones actus, cui apponitur; ideòque appoſitum actui irritabili, ipſum quoque irritabile redditur: at irritato, vel quomodolibet ruente ipſo actu, promiſſione, pacto, contractu, jam irritatur, ac ruit juramentum appoſitum, ergo quicumque poteſt irritare vota, poterit etiam irritare juramenta addita ipſis votis, ſeu aliis promiſſionibus, pactis, ſponſionibus &c. Ecce quantam dedit Deus poteſtatem hominibus!

De votorum Diſpenſatione.

Quæro XXVIII. *Quid eſt diſpenſatio voti?*

68 ℞. Eſt ablatio, ſeu remiſſio obligationis totalis ipſius voti, ob juſtam, ac rationabilem cauſam facta ab habente poteſtatem ſpiritualem juriſdictionis in perſonam voventis in caſu, quo alioquin votum validum eſſet, & obligaret.

69 *Unde*: Tam ad validam, quàm ad licitam dipenſationem voti, requiritur juſta, & rationabilis cauſa: ad differentiam irritationis, quæ, etiam abſque cauſa tali facta, ſemper valida eſt: imò plerumque etiam licita. Quia irritatio fit ex poteſtate dominativa in perſonam voventis, aut in materiam voto promiſſam; ideòque irritans velut Dominus utitur jure ſuo. Diſpenſatio autem, cùm fiat ex poteſtate Spirituali, & Eccleſiaſtica gubernatione à Deo collata Miniſtris ſuæ Eccleſiæ, quia (virtute clavium) per modum judicii, & abſolutionis tollitur obligatio voti, debet fieri magna cum cautela; nam diſpenſans minimè agit nomine proprio, & tanquam de re ſua, ſed agit nomine, & authoritate ipſius Dei: ideòque debet Miniſter Chriſti talem, ac tantam poteſtatem exercere ad bonum Eccleſiæ regimen, & ſalutem Animarum: & conſequenter non debet diſpenſare in votis niſi cum cauſa juſta, ac rationabili. Igitur qui temerè diſpenſaret, illicitè, & ſimul invalidè diſpenſaret: quia excederet poteſtatem ſibi collatam à Deo.

Cauſæ verò legitimæ diſpenſationis ſunt: 70
I. Notabilis difficultas exequendi votum: II. Damnum corporale, vel ſpirituale voventis: III. Majus bonum ex diſpenſatione proveniens: & ſimilia. In dubia autem cauſa juſta diſpenſandi, ſemper in clementiorem partem inclinare poterit diſpenſans; Nam Benignitas DEI hoc petit, & ſuave Eccleſiæ regimen.

Porrò: Certa eſt in Eccleſia Catholica 71
poteſtas diſpenſandi in votis, ac juramentis, ac remittendi id, quod vi voti, aut juramenti Deo immediatè debetur. Eaque eſt duplex: *Ordinaria*, quæ ipſi Officio, vel Dignitati diſpenſantis annexa eſt: Et *Delegata*, quæ ab eo, qui Ordinariam poſſidet, vel per Privilegium Papale, alteri conceſſa eſt. Quare.

Summus Pontifex, qui eſt Chriſti Do- 72
mini Vicarius, Succeſſor D. Petri, Univerſi Dominici gregis Paſtor, & Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, poteſt diſpenſare in omnibus Fidelium omnium Votis, tam ſimplicibus, quàm Solemnibus, atque in cunctis Juramentis, & vinculis, quæ contraxit homo Chriſtianus in ordine ad Deum, ubi, & quoties juſta, & rationabilis cauſa id poſtulat. Quia hoc pertinet ad ejus univerſale regimen, & officium, ex poteſtate ſibi à Chriſto communicata. Omnes DD.

Epiſcopi habent ordinariam poteſtatem 73
diſpenſandi in omnibus Votis Papæ non reſervatis, omnium ſuorum Diœceſanorum. Eamdem habent poteſtatem Legati à latere, & Nuncii Apoſtolici in ſuis Provinciis.

Prælati Religioſorum exemptorum, ut 74
Generales, & Provinciales Ordinum: Abbates, & Præpoſiti abſoluti, habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in omnibus

bus Votis Papæ non reſervatis, ſuorum ſubditorum ex jure communi poſitivo. — Eamdemque habent poteſtatem Superiores locales Monaſteriorum, & Conventuum, ac, in eorum abſentia, Vicarii, reſpectu ſuorum ſubditorum, potiùs communi conſuetudine delegatam, quàm jure communi ordinarium.

75 Poteſtatem verò delegatam diſpenſandi in votis Omnes illi habent, quibus à prædictis habentibus Ordinariam committitur. Iſti verò, qui *Delegati* nominantur, id ulteriùs aliis communicare, vel committere non poſſunt. Quia Delegatus non poteſt ſubdelegare, regulariter loquendo.

76 Hæc autem poteſtas ſive Ordinaria, ſive delegata diſpenſandi poteſt exerceri extra Sacramentum Confeſſionis. Quia neque ab ullo jure, neque à clauſula ulla exercitium hujus poteſtatis ad Forum Sacramentale reſtringitur; neque de ſe Sacramentalis eſt actio, ut diſtrictè fieri debeat in ſecreto Confeſſionario; ergo extra &c.

77 Vi Privilegiorum, & conſequenter facultate delegata à Summo Pontifice, Confeſſarii approbati Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare in omnibus Votis omnes Fideles ad ſe accedentes, in quibus Epiſcopi jure ordinario valent diſpenſare: quæ nimirùm Papæ non ſunt reſervata. Ut habetur in variis Bullis, & Brevibus Innoc. VIII. Martini V. Eugenii IV. Pauli III. Gregorii XIII. Pii V. & aliorum apud Card. de Lugo: Dianam: Tambur. Sanchez: Rodriquez, Mirandam: Portel: Marchant: Sporer *tom. 1. tr. 3. c. 3. ſect. 3. à n. 54.*

78 *Vota Papæ reſervata* ſunt tantùm iſta quinque I. Votum ingrediendi Religionem approbatam. II. Votum Caſtitatis, ſeu Continentiæ integræ, & perpetuæ. III. Votum peregrinationis Hieroſolymitanæ ad S. Sepulchrum. IV. Votum peregrinationis Compoſtellanæ ad D. Jacobum: Et V. Votum peregriuationis Romanæ ad limina SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. — Circa quæ notandum eſt. *I.* Excommunicantur commutare præſumentes ea quinque Vota abſque Summi Pontificis licentia: *Extrav. Etſi Dominici, de Pœnit. & remiſs. II.* in generali conceſſione, vel indulto diſpenſandi, aut commutandi omnia vota, ut fit V.G. tempore Jubilæi, non intelliguntur illa quinque vota; niſi exprimantur. *III.* Reſervatio dictorum votorum, cùm odioſa ſit, ſtrictè interpretanda eſt: nempè ut ſolummodò comprehendat ea vota, quæ ſunt propriè vota, perfecta, determinata, abſoluta, quoad ſubſtantiam, & integritatem eorum: & extra caſum urgentis neceſſitatis: Quæ omnia, & ſingula fusè, & ſolidè declarantur, & probantur à Sporerio *l. c. à n. 57. & ſeqq.*

De Commutatione Votorum.

Quæro XXIX. *Quid eſt Votorum commutatio?*

℟. Eſt translatio obligationis à materia voti priùs facti ad aliam materiam priori ſubrogandam in opus manifeſtè melius, Deoque gratius: vel in opus æquale, aut quaſi æquale, facta ab eo, qui poteſtatem habet. Prò cujus declaratione breviter dico: *I.* Votorum commutatio in opus manifeſtè melius, Deoque gratius fieri poteſt ab ipſo vovente. Et ſumitur *ex c. 1. de voto: & ex cap. 2. de jurejurand.* Ubi dicitur. *Propoſitum, ſive promiſſum, non infringit, qui illud in melius commutat.* Excipienda tamen ſunt vota reſervata: & vota præjudicantia Tertio. Commutare autem verum in opus quantumvis æquale viſum, non poterit vovens authoritate proprio. *Ita communior, & probabilior ſententia D. D.* Quia debitor non poteſt aliud pro alio ſolvere, niſi conſtet de Creditoris, vel Promiſſarii conſenſu. At nobis non conſtat, Deum conſentire, ut pro determinato voto ſolvatur ipſi aliud, etſi æquale; quin potiùs videtur velle, ut opus jam determinatum, & promiſſum fideliter reddatur. Neque enim hic adeſt ratio interpretandi Divinam Voluntatem, ſicut adeſt in commutatione operis in evidenter melius. Quòd ſi occurrat cauſa juſta ſic commutandi votum in æquale, hæc cognoſcenda, & judicanda erit à Superiore. 79

II. Quiſquis habens poteſtatem ordinariam, vel delegatam diſpenſandi Vota, poteſt etiam commutare eadem vota. *Communis, & recepta ſententia DD.* Rationem dat Regula 53. in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* Quæ ratio maximè locum habet, quando *minus* ſubordinatur *majori*: ſeu in eo continetur, tanquam imperfectum in ejus perfecto. 80

Digitized by Google

fecto. Atqui voti commutatio eſt veluti imperfecta diſpenſatio, & multò minor illa: ergo &c. Tum quia: qui poteſt remittere totum debitum, poteſt & partem remittere; ſed omnis habens poteſtatem diſpenſandi poteſt remittere totum votum: ergo poterit à fortiori votum commutare; nam in commutatione minima pars voti remittitur.

81 *III.* Commutatio voti in melius eſt valida, licita, & meritoria: Commutatio in æquale, vel quaſi æquale, ſeu non notabiliter minus, abſque omni cauſa legitima ſic commutandi, eſt valida, & non niſi venialiter illicita: Commutatio in notabiliter inæquale, & minùs juſto, abſque juſta cauſa eſt mortaliter illicita: adhuc tamen erit valida, ſed conjuncta cum gravi obligatione ſupplendi id, quod deeſt ad moralem æqualitatem materiæ ſubrogatæ ad materiam votis prioris; ſi verò hæc ultima commutatio fiat ſine tali ſupplemento, tunc & invalida eſt. Ratio hujus ultimæ concluſionis eſt: quia hoc eſt abuti poteſtate commutandi Vota in re gravi; imò potiùs uſurpare poteſtatem non conceſſam; cùm nulla detur poteſtas diſpenſandi ſine juſta cauſa, ergo nec ſic commutandi. Tum quia: qui commutat in caſu ultimo, potiùs cenſetur diſpenſare, quàm commutare votum: nam notabilis commutatio eſt partialis diſpenſatio. *Quare Confeſſarii*, tantummodò habent facultatem delegatam commutandi vota (ut ſunt omnes ſimplices Confeſſarii in tempore Jubilæi) attendere debent hanc doctrinam, nec deficiant in eſſentiali commutatione, quæ in æquivalens fieri debet. Multi enim indocti eſſentialititer errant in hoc facto, ut advertit P. Segnerus in libercul ſuo aureo *Confeſſoris Inſtructi cap. ultimo*.

Quæres *modum legitimum commutandi vota?*

82 His regulis utendum eſt ab illis Confeſſoribus, qui facultatem recipiunt ſolùm commutandi. *Prima*, Commutatio debet fieri in rem æqualem, vel quaſi æqualem, aut ſaltem non notabiliter minorem, penſatis omnibus circumſtantiis &c. Quia commutatio voti eſt actus juſtitiæ reſpectu voti commutandi; & actus benevolentiæ, & allevationis reſpectu voventis. *Secunda*. Omnia Vota perſonalia regulariter commutari poſſunt in frequentiam Sacramentorum; quia Sacramenta ritè ſuſcepta ad ſalutem Animæ magis ſunt efficacia, quàm longæ orationes, peregrinationes, jejunia, & eleemoſynæ. *Tertia*. Habenda eſt præ oculis hæc maxima: Commutatio voti nunquam debet fieri in opus æquè omninò difficile, arduum, & auſterum: aliàs vovens inquireret novam permutationem: aut votum non impleret: ut patet experientia. *Quarta*. In voto peregrinationis longinquæ, quod commutari accipit, habenda eſt reflexio ad expenſas; & labores itineris eundo, & redeundo; ad lucrum ceſſans in arte, & ſimilia: pro quibus imponi debent eleemoſynæ competentes. *Quinta*. Conveniens eſt, commutare vota perſonalia in alia perſonalia, realia in realia, & mixta in ſimilia. Quia in hac materia perdifficili, nempè in commutationibus votorum, quoad fieri poteſt, ſervari debet materiæ æqualitas, itemque finis, ſeu intentio voventis; Etenim votum non aufertur, ſed transfertur . . . . *Sexta*. Confeſſarius ineptus, ſi velit conſulere propriæ, & alienæ conſcientiæ debet remittere pœnitentem ad virum doctum, diſcretum, & pium: Et ad ſummum poteſt dicere: Commuto hoc tuum votum in illud opus, quod ille Sacerdos (nominando ipſum) doctus deſignaverit, cujus judicio in hac re te ſubmitto. Ita Vivaldus, Sanchez, Leſſius, Laymannus, Gobatus, Sporerius, & alii DD. Etiamſi, ut ſuppono, talis Sacerdos non eſſet Confeſſarius; quia in hoc caſu talis Sacerdos, vel alia perſona idonea, deſignando opus ſubrogatum, non exercebit omninò actum Juriſdictionis, ſed nudum conſilium, ſeu miniſterium intellectuale loco Confeſſarii, ſeu juſſu ipſius Confeſſarii habentis poteſtatem &c. ponit judicium ſuum prudens in tali materia.

IV. Cauſa tandem rationabilis Commuta- 83
tionis Votorum ſunt iſtæ: *Prima*: Ad commutandum votum in opus manifeſtè melius, ſufficit bona voluntas voventis. *II.* Ad commutationem voti in aliud evidenter æquale, ſat eſt quæcumque occaſio, vel cauſa rationabilis, etiam levis, ad utilitatem, vel conſolationem voventis. Idem erit judicium, quando commutatur in quaſi æquale, vel non minus notabiliter: quia parum pro nihilo reputabitur; tum quia in his permutationibus difficile eſt, etiam apud doctos, æqualitatem omnimodam attingere. *III.* Quando dubitatur prudenter, an opus ſit æquale? ſuffi-

ſufficiens cauſa commutandi in illud erit quævis cauſa rationabilis: ut V.G. major promptitudo voventis in illam materiam ſubrogatam; nam in hoc etiam caſu parva erit diſparitas materiæ, & conſequenter moralis quædam æqualitas cenſenda. *IV.* Ad commutandum votum in opus aliud notabiliter minus, requiritur cauſa gravior: Ut V. G. magna moleſtia in exequendo priori opere: vel notabilis fragilitas voventis cum periculo violandi votum: vel alia cauſa impediens, aut aggravans notabiliter executionem voti: Sed in hoc caſu requiritur etiam in commutante facultas diſpenſandi; quia permutatio voti in minus (quando opus eſt evidenter, & notabiliter minus) eſt quædam partialis diſpenſatio, quæ non poteſt fieri niſi ab habente facultatem commutandi, & ſimul diſpenſndi in votis. Et tunc quò cauſa apparet gravior, eò minor fieri debet commutatio: ideſt eò minus opus ſubrogandum eſt, ut conſulatur neceſſitati petentis commutationem voti. *V.* tandem pro regula generali notandum eſt: Nunquam requiri tantam cauſam ad voti commutationem, quanta requiritur ad diſpenſationem: Et ubi ſufficit commutatio, fieri non debere diſpenſationem. Ita DD. communiter.

Quæro XXX. *Quando aliquod votum eſt reſervatum, an intelligatur reſervatum tam in diſpenſatione, quàm in commutatione?*

84 ℞. Affirmativè. Quia ita colligitur *in Extrav. Et ſi Dominici: de Pœnit. & remiſſ. in 6.* Ubi Pontifex etiam commutationem votorum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum ſibi reſervavit. Unde hujuſmodi vota nequeunt commutari etiam in opera evidenter meliora, excepto voto ſolemni Religionis approbatæ; in hoc enim omnia prorſus alia vota: etiam reſervata commutari poſſunt ex diſpoſitione Juris Canonici *cap. Scriptura: de voto*: Ut etiam docent omnes ferè DD, cum D. Thoma 2.2. *q.* 88. *art.* 12.

Quæro XXXI. *An dicta de diſpenſatione, ac commutatione votorum, poſſint extendi ad Juramenta?*

85 ℞. Affirmativè: tam ad Juramenta abſoluta, & pia (quæ nempè fiunt principaliter in honorem Dei) quàm ad Juramenta ſimplicia, quæ principaliter in utilitatem hominis eduntur, ſed nondum acceptata; cùm & hæc nullum jus ſtrictum alteri ante acceptationem pariant. Quia Vota, & Juramenta hujuſmodi eamdem ferrè ſortiuntur obligationem erga Deum ex virtute Religionis tantùm. Idem dices de votis juratis: & de juramentis voto confirmatis ob ſimilem rationem: ut alibi etiam dixi. Aliqua enim puncta magis neceſſaria ſcitu quandoque de induſtria repeto, ut meliùs percipiantur.

De cætero apud omnes DD. certum 86
eſt, omnia vota, ac juramenta promiſſoria facta homini, Eccleſiæ Monaſterio &c. & in ejus utilitatem principaliter edita, ac legitimè acceptata, nulla poteſtate ordinaria, vel delegata, relaxari, diſpenſari, aut commutari poſſe, ſine conſenſu ejus, cui tale votum, vel juramentum præſtitum eſt. Ratio evidens eſt, quia ultra obligationem ex virtute Religionis, contraxerunt ſtrictam obligationem ex virtute Juſtitiæ: nam talis homo, vel Eccleſia, aut Monaſterium acquiſivit jus proprium, & ſtrictum ad id, quod ſibi promiſſum fuit: quo jure non poteſt privari abſque ſuo conſenſu, vel culpa ſua. Quare jure merito in Privilegiis, Indultis, & Jubilæis, quando datur poteſtas diſpenſandi, vel commutandi vota, & juramenta, ſemper additur hæc conditio, (& niſi addatur, ſubintelligitur) *Sine præjudicio Tertii*.

Confirmatur. Quando Juramentum, aut Votum reſpicit tantùm Jus Deo acquiſitum, cenſetur ipſe Deus, ut benignus, remittere obligationem per Eccleſiæ ſuæ Miniſtros, quoties iſti prudenter judicant, expedire, ut relaxentur; vel commutentur vota ſibi factas; quando autem Vota, vel juramenta reſpiciunt Jus homini acquiſitum, non cenſetur homo remittere tales Juris promiſſiones, & obligationes ſibi factas: imò neque Deus ipſe cenſetur condonare quod alteri debetur, niſi iſte ex propria voluntate remittat, & condonet.

TRA-

TRACTATUS XVII.

TERTIUM PRÆCEPTUM DECALOGI.

De Feſtis obſervandis: & cæteris pertinentibus ad hoc præceptum.

QUæro I. *Quænam præcipiuntur tertio Decalogi præcepto?*

1 *Reſpondeo*: Tria in præcepto hoc de Sanctificatione Sabbati præcipiuntur. *Primum*, Ut unus dies colatur, qui lege nova ex traditione Apoſtolica eſt *Dominica*. *Secundum*, Ut aliquo cultu, & opere poſitivo externo dies illa, ſeu potiùs Deus in die illa colatur, & honoretur. *Tertium*, Ut ab operibus ſervilibus in tali die abſtineatur, & ceſſetur. De his tribus punctis agendum eſt. Pro quorum meliori notitia.

2 Sciendum eſt *I.* In hoc præcepto Decalogi aliqua fuerunt *cæremonialia*, alia
3 Leg's Divinæ Natuturalis mandata. *Cæremoniale* mandatum fuit, quòd ſeptima dies *Sabbatum* eſſet: (*Sabbatum* dicitur à numero *ſeptem*: nempè ſeptem dierum hebdomadæ, nam apud Judæos omnes dies hebdomadæ denominabantur à Sabbato: ut docet Lyran. in Matth. c.26. v.1. Dicitur etiam *Sabatum* à nomine Hebræo *Sabbath*, quod ſignificat *quieſcere*, & ab operando *ceſſare*: quia Septimo die mundi ceſſavit Deus ab omni opere, quod fecerat in ipſius Mundi creatione.) Et quòd quibuſdam ritibus, ac cæremoniis obſervaretur, & coleretur, quæ referuntur Exodi 16. 20. & 23. Mandatum autem Legis Divinæ Naturalis fuit, quòd aliquis dies colatur, ſeu ad colendum DEUM Creatorem Mundi applicetur. Quod indicat ipſum verbum præceptivum *Sanctifices* diem Sabbati: quod non tantùm ceſſationem ab omni opere ſervili deſignat, ſed etiam cultum aliquem poſitivum Sanctificationis Dei importat.

II. Præceptum hoc, quatenus *cæremoniale*, ceſſavit; quia veteris Legis cæremoniæ fuerunt typicæ Chriſti figuræ, ac myſticæ imagines Lucis, & Veritatis Legis Novæ, ſeu Euangelicæ; quatenùs verò *morale*, ac Legi Naturæ conſentaneum, adhuc perſeverat; quia Chriſtus non venit, ut Legem ſolveret, ſed ut impleret, ac perficeret.

III. Multis de cauſis Sancti Apoſtoli ſtatim in principio Eccleſiæ, Sabbati diem 4 feſtum in Dominicam diem commutarunt. *I.* Ut figura tranſiret in rem figuratam, & ſignum in ſuum ſignificatum; nam Sabbatum celebrabatur in honorem illius diei, quo Deus ab omni opere ceſſavit, & requievit: Dominica autem dies eſt illa ultima dies, in qua Chriſtus reſurrexit, & conſequenter ceſſavit ab omni labore, quem ſponte ſuſceperat in Redemptione, & Reparatione Mundi: ſicque requievit ab omni laborioſo opere, quod patrarat. Parum enim erat, Mundum creaſſe, niſi etiam illum à miſeriis peccatorum redimeret. Et quies illa Sabbatina tranſitoria erat, & ad Chriſti requiem, quæ in æternum duratura erat, referebatur: ergo &c. *II.* Jure optimo Sabbatum in Dominicam Feſtivitatem fuit converſum ab Apoſtolis ob ſingulares prærogativas hujus diei; nam tali die Chriſtus naſci dignatus eſt: in eo Stella Magis refulſit: in eo Baptiſmum in Jordane à Joanne ſuſcepit Dominus: in eo Glorioſus reſurrexit à mortuis: in eo Spiritum Sanctum per Diſcipulos infudit: in eo prædicatio Euangelii publica incœpit: & in eo ſperamus, ipſum Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum venturum cum gloria ad judicandum Mundum. Itaque Venerabilis, & memorabilis eſt hæc dies, quam fecit Dominus, & in qua fecit hæc, & alia mirabilia: *Dies Dominica*, dies prima, atque perfecta. Sic, ex SS. PP. & ex Sexta Synodo Generali, quæ fuit Conſtantinopolitana cap. 8. diſcurrit Azorius *p.* 2. *l.* 1. *c.* 2. Marchantius, Sporerius, & alii DD.

IV. Diei Dominicæ obſervatio, & cultus 5

eſt Juris Naturalis-Divini, & Eccleſiaſtici. Nam ratio ipſa naturalis præſcribit, & jus Divinum confirmat, ut aliquod hebdomadæ tempus Divino cultui conſecremus, quo Divinis rebus operam demus. Tempus autem hoc, quod Jus Naturale, & Divinum præſcribit, SS. Apoſtoli, & Patres *diem Dominicam* cujuſcumque hebdomadæ eſſe, ſtatuerunt: Ut habetur in jure Can. *cap. Pronunciandum*: *& cap. Sabbato, de conſecr. diſt. 3. Et cap. Omnes de feriis*.

6 *V.* Datur in Eccleſia Dei poteſtas inſtituendi alia Feſta de præcepto: Ut patet ex perpetua traditione, & praxi Eccleſiæ. Unde non ſolùm Papa in toto Mundo Catholico, ſed etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt inſtituere quædam Feſta obſervanda ſub mortali; prout habetur *cap. ult. de Feriis*: *& alibi*. Item Summus Pontifex poteſt abolere omnia Feſta, eorumque obſervantiam pro libito mutare: non ita Dominicas dies. Quia aliarum Feſtivitatum inſtitutio, & obſervantia eſt ex jure poſitivo Eccleſiaſtico: Dominicarum verò fundamentaliter eſt Juris Divini Naturalis ex Decalogo, & formaliter Juris Divini poſitivi ex traditione Apoſtolica. Ut docet Sporer *tom. 2. hunc locum cap. 4. n. 6.* – Anacletus: Azorius l. c. & alii.

Quæro II. *Quænam opera præcipiuntur exhibenda diebus Feſtis?*

7 ℞. *I.* Certum eſt: Omnes Fideles adultos, non legitimè impeditos, ſub mortali teneri audire Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium omnibus diebus Feſtis de præcepto, exhibendo præſentiam moralem, & religioſam ad Miſſam integram. -- *Nota hìc* propoſitionem n. 52. damnatam ab Innoc. XI. quæ ſic ſonabat. – *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* – Quam quidem propoſitionem P. Sporer videtur attribuere P. Angelo *in Sum. Angel. V. Feria n.* 42. At ego attentè legi locum citatum, &, ni fallor, comperi, potiùs eſſe affigendam Ricardo Anglo *in quol. 1. q.* 19. cujus opinionem ponit P. Angelus per extenſum; Et licèt eam non confutet; tamen videtur eam non ſequi, ex eo, quod inferiùs notat ibi n. 46. *Utrùm audiens Miſſam dicendo ſuas Orationes ſatisfaciat?* ℞. *Quod non; licèt non credam, quòd peccet mortaliter, quando ex devotione facit.* – Ergo P. Angelus tenet, quòd auditio attenta, imò attentiſſima Miſſæ ſub mortali culpa cadat die Feſto, & quòd præceptum hoc ſit rigoroſum.

℞. *II.* Nonnulli Doctores ſentiunt: Die- 8
bus Feſtis, præſertim Dominicis, Chriſtianos adultos teneri ad contritionem, vel ſaltem attritionem habendam de peccato mortali commiſſo: Et hoc probant: quia de præcepto Divino tenemur vacare Deo in aliqua hora diei Feſti; ſed hoc facere non poteſt qui eſt in peccato mortali, niſi convertatur ad Deum: ergo &c. Tum quia Deus præcipit Exodi cap. 16. *Ut in die Sabbati ſanctificata Domino* (nempè die Feſto) *unusquiſque maneat ad ſemetipſum*: ideſt, ut explicat Scotus, recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum per actus internos virtuoſos. Atqui homo peccator non poteſt convenienter aſcendere ad Deum, niſi deſcendendo ad ſe per contritionem, vel attritionem: ergo &c. Item Levitici 23. *Sabbatum requietionis eſt: affligetiſque Animas veſtras . . . Anima, quæ non fuerit afflicta die hac, peribit*. Affligitur autem Anima per dolorem animi de peccato commiſſo: ergo die Feſto tenemur elicere talem dolorem coram Deo.

℞. *III.* Item ſentiunt aliqui Doctores 9
adultos fideles teneri diebus Feſtis ad Orandum Deum; Namcùm Oratio ſit de præcepto, videtur quòd dies Feſtus ſit tempus aptum, & determinatum ad Orationem cum gratiarum actione. *Item* teneri ad audiendam inſtructionem, ſeu prædicationem, quando eſt qui prædicet, vel inſtruat; præſertim ad hoc teneri eos, qui neſciunt neceſſaria ad ſalutem: alios verò ob alias cauſas, & neceſſitates ſpirituales, & etiam ratione ſcandali vitandi. Vide Baſſæum *tom. 2. V. Prædicatio num* 2. Et quoad ignorantes videtur certum; quia omnis fidelis Iure Divino naturali obligatur ad acquirendam ſibi notitiam neceſſariorum Fidei, & ſalutis Æternæ; ergo tenetur audire Doctrinam Chriſtianam, & prædicationem Verbi Dei, quæ fieri ſolent diebus feſtis. Præterea Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de refor.* mandat Epiſcopis, ut in Eccleſia ſua ipſi per ſe, vel per alios, in aliis autem Eccleſiis per Parochos omnibus diebus Dominicis, & Solemnibus Feſtis, Sacras Scripturas, Divinamque Legem annuncient ad Fidelium Salutem: Et *ut Epiſcopus moneat diligenter populum*,

teneo-

Digitized by Google

teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei. Neque dicas (ut nonnulli dicunt) ly *Teneri* non accipi ſtrictè per modum præcepti obligantis; quia talis interpretatio eſt contraria ſenſui legali, & Canonico: & ſimiles interpretationes damnantur à Romana Cathedra: ut patet in aliquibus propoſitionibus damnatis, & ſpecialiter in 38. & 39. ex damnatis ab Alexandro VII. & in 47. damnata ab Innoc. XI. Vide Barboſam *de Off. Paroc. c. 15. n.* 14. — Nam in Clementina, *de Verb. ſignif. cap. Exivi*, habetur, Verbum *teneri* habere vim præcepti; ergo.

10 ℟. *IV.* Præterea ſentiunt nonnulli DD. quòd Chriſti Fideles teneantur diebus Dominicis, & Solemnioribus Feſtis per annum, elicere actus Virtutum Teologalium, nempè Fidei, Spei, Charitatis in Deum. Quia, dicunt, præceptum harum Virtutum obligat nos ad frequentes actus ipſarum; & tempus remittendum eſt ad arbitrium prudentum, ac piorum; atqui videtur aptum, ac opportunum tempus illud, quod pro cultu ſpeciali Dei aſſignatum eſt ab Eccleſia, & ab ipſo Deo, nimirùm dies Dominica, & ſolemniores Feſtivitates; ergò &c. Tum quia ex Regula juris *lib. 14. ff. de reg. jur.* habemus quod, *In omnibus obligationibus, quibus dies non apponitur, præſenti die debetur*. Cùm ergo præceptum affirmativum credendi, ſperandi, & amandi DEUM ſuper omnia, *quo ad diem* indeterminatum ſit, prudenter, ac piè intelligendum eſt, obligare omni die Dominico, & ſolemniori, in quo Deus exigit à nobis ſpeciale Tributum adorationis, Religionis &c.

11 ℟. *V.* Licèt prædicta probabilia ſint, ac valdè pia: & conſequènter non contemnenda; nihilominus communis opinio Recentiorum DD. eſt, quòd homo Chriſtianus diebus feſtis in rigore conſcientiæ non teneatur ad aliud opus poſitivum, quàm ad Sacrum religioſè audiendum. Quia nullum aliud exiſtit preceptum clarum, & certum obligans Fideles in conſcientia, & per ſe, quàm hoc Eccleſiaſticum, (vel ab Eccleſia determinatum quoad modum ſanctificandi diem Feſtum) de Miſſa devotè audienda: de qua infrà multa reſolutoriè, ac breviter adnotabo.

De Miſſa audienda.

Ad ſatisfaciendum præcepto audiendi Sacram Miſſam, requiritur præſentia moralis: nempè, ut corporaliter ſis, vel intra Eccleſiam, vel in proximo loco tali, ex quo judicetur moraliter, te eſſe Miſſæ aſſiſtentem. Non requiritur autem, ut Sacerdotem celebrantem videas, vel audias; aliàs cæci, & ſurdi non tenerentur ad Miſſam; & tamen non excuſantur. *Communis*. 12

Non ſufficit præſentia corporalis tantùm, qualis eſt illius, qui tempore Miſſæ dormit, vel nugatur, vel qui ſtat in templo tantùm ad conſortium, vel obſequium civile, vel ad pompam videndam. Vel qui fabulatur cum ſocio, vel legit litteras, novitates, libros impertinentes. Sed requiritur moralis, & corporalis ſimul. *Omnes DD.* 13

Non cenſetur moraliter, præſens, nec ſatisfacere, qui, in magno templo dum Miſſa celebratur, ſtaret in ſacello remoto (vulgò Capella,) vel in Sacrario, ſeu Sacriſtia, vel alio in loco omninò ſeparato à templo; niſi tanta eſſet multitudo audientium, ut cum eis conjungeretur, & faceret unum populum contiguum, vel non aliter poſſet commodè audire, vel accedere &c. *Fagundez*. 14

Si è feneſtra, vel porta tuæ domus, quæ eſt extra Eccleſiam, via publica intermedia, videas celebrantem, & ſic audias Miſſam, non ſatisfacies: quia non cenſeris moraliter præſens. *Tamburinus*. Si, dum Miſſa agitur, Sacramentaliter confitearis per notabile Miſsæ tempus, non ſatisfacis; quia ad aſſiſtentiam moralem Miſsæ non ſatis eſt pietas actionis, ſi hæc diſtrahat quaſi totaliter, ut eſt in propoſito. *Sporer*. Niſi tamen magnam haberes neceſſitatem confitendi, nec aliud Sacrum valeres audire; quia tunc neceſſitas excuſat. *Marchant*. 15

Præſentia Religioſa: attenta: devota.

Ad ſatisfaciendum præcepto Miſsæ audiendæ requiritur etiam præſentia, ſeu aſſiſtentia religioſa, devota, & attenta. Ratio eſt: quia auditio Miſsæ eſt actus Virtutis Religionis; igitur audiens debet 16

aſſiſtere per modum adorantis, colentis, & ſupplicantis Divinam Majeſtatem; ſicque requiritur quædam aſſiſtentia, non ſolùm corporea, ſeu materialis, ſed etiam pia, & religioſa. *Item* neceſſaria eſt debita attentio, & intentio, ut ſit devota Miſſæ aſſiſtentia; nempè qui Miſſam audit, debet habere intentionem (ſaltem virtualem) illam audiendi, & Deum colendi: atque debet attendere ad ipſam Miſſam, quatenùs Actio Sacra, & Sacrificium, & cultus Dei eſt; uniendo mentem ſuam cum Eccleſia, & Celebrante; Nam aſſiſtentes, & circumſtantes, ipſi quoque offerre debent tale Sacrificium laudis, (ut habetur in Canone Miſſæ) & reddere Deo vota ſua.

17 Porrò attentio hæc triplex eſſe poteſt. *Prima*, ad res Sacras, & ad ea, quæ Sacerdos facit, & recitat. *Secunda*, ad Myſteria, quæ illis rebus, & ſignis ſignificantur. *Tertia*, generaliter ad Deum colendum, honorandum, orandum, deprecandum &c. Et prima quidem bona eſt, & ſufficiens: Secunda melior: tertia communior, & magis humanæ diſpoſitioni accommodata. Et in his omnibus attentio virtualis ſufficit, quæ nempè excludit planè voluntarias diſtractiones, & incompoſſibiles actiones cum tali actu Religionis. Ex qua doctrina multi deducuntur caſus, videlicet.

18 Audiens Miſſam non tenetur habere intentionem formalem ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ: ſed ſufficit intentio illam religioſè audiendi; nam eo ipſo, quo quis facit quod Eccleſia præcipit, ſatisfacit præcepto. Unde ſi audiviſti Miſſam die Feſto, nil cogitans de Feſto, & obligatione &c. jam ſatisfeciſti præcepto, nec aliam teneris audire &c. Imò ſi ſcires, eſſe Feſtum, & manè audires unam Miſſam ex devotione, ſtatuens, vel determinans intra te aliam audire ex præcepto, ſi poſtea non audias alteram, ſimpliciter, & eſſentialiter impleviſti præceptum; quia non habuiſti abſolutè contrariam voluntatem præcepto, quaſi nolles illa die præcepto ſatisfacere, ſed tantùm habuiſti voluntatem diſparatam, quia ſtatuiſti aliam audire cum expreſſa illa intentione, quæ neceſſaria non eſt. Ita doctiſſimus P. Marchant. -- Addo: Etiamſi ex ſcrupulo habuiſſet quis contrariam voluntatem, nimirùm non ſatisfaciendi per primam Miſſam, adhuc ſatisfeciſſet, ſi primam devotè audiviſſet: Ut cum Laymanno, & aliis DD. dixi *tract. 5. n. 37. de legibus, & præceptis*.

19 Auſcultans Miſſam non tenetur formare, vel recitare proprias preces, ſed ſufficit, ut oret cum Sacerdote orante in perſona omnium præſentium, & totius Eccleſiæ nomine. Eſt tamen licitum, & meritorium recitare preces privatas, non ſolùm voluntarias, verùm etiam obligatorias, ut V. G. Horas Canonicas, ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam à Confeſſario injunctam, alias orationes ex voto debitas &c. Quia attentio requiſita ad Miſſam ſtare poteſt cum orationibus prædictis. *Sporer cum aliis DD.* -- Conſulunt tamen Suarez, Laymann, ut ſaltem ad partes, ſeu actiones principaliores Sacrificii Miſſæ, ſcilicet Conſecrationem, elevationem hoſtiæ, & calicis, & ſumptionem Sacramenti, ſpecialiter attendas, ſuſpendendo modicum tuas ſingulares orationes, ut fieri ſolet à timoratis, & piis &c.

20 Qui voluntariè quibuſvis actionibus, vel occupationibus alienis à Miſſæ Sacrificio, vel Miniſterio Altaris, vacant, peccant mortaliter, nec præcepto ſatisfaciunt; ſicuti etiam qui dormitant, alia cogitant, aliena omninò à rebus Divinis: & hoc faciunt per notabilem Miſſæ partem. Item qui confabulantur, vel garriunt, vel in picturis aſpiciendis (&, quod pejus eſt, mulieribus, & juvenibus contemplandis) occupantur; præter quàm enim quòd ob irreverentias, & alia peccata ſcandaloſa in loco tam Sacro, & tempore Divino cultui aſſignato, commiſſa, Deum offendant, præcepto audiendi Miſſam die Feſto minimè ſatisfaciunt, *Marchant. Sporer: & alii DD.*

Miſſæ integritas.

21 Ad ſatisfaciendum præcepto de Miſſa audienda requiritur ulteriùs aſſiſtentia integra; ut unuſquiſque nimirùm integram Miſſam audiat ab Introitu uſque ad Benedictionem Sacerdotis celebrantis Habetur in Jure Canonico *cap. Miſſas, de Conſecr. diſt. 1. Et cap. Omnes Fideles, & alibi*. Adeò ut peccet quis mortaliter omittendo partem notabilem: ſi hoc faciat ſine cauſa legitima: & ſi partem aliquam non notabilem omittat, venialiter tantùm peccat; cùm certum ſit, hìc parvitatem materiæ dari poſſe. *Ita P. Marchantius*.

Quæ

Quæ verò cenſeatur levis materia in hoc caſu, variant Auctores. Ergo autem, ſequens fundatiſſimum. P. Marchantium noſtrum, dico, quòd levis materia erit, quæ ab Introitu ad Euangelium excluſivè omittitur: Item quæ à peracta Communione ad finem Miſſæ relinquitur: Et ita etiam colligitur *ex cit. cap. Omnes Fideles*. Tum quia Miſſa Fidelium, ſeu Baptizatorum incipit ab Euangelio uſque ad Communionem incluſivè, in qua omnia Myiſteria peraguntur; Unde hæc tota videtur materia gravis, & præcipua Miſſæ; ergo alia pars, quæ Cathecumenorum dicitur, erit materia parva reſpectu totius Miſſæ. Ita etiam ſentiunt Navarrus Toletus, Laymann, Sporer, & alii DD.

22 Mira erat laxitas aliquorum DD. in hac materia; nam docebant hanc propoſitionem: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit*: quæ jure merito damnata eſt (ut ſcandaloſa) ab Innoc. XI. *n.*53. Quare dicendum eſt, quòd Miſſa integra ab uno Sacerdote audienda eſt. Nam, ut inquit Suarez, audire Miſſam à duobus, non tantùm ſimul, ſed & ſucceſſivè Celebrantibus, ſicque prætendere ſatisfactionem præcepti, revera eſt res parùm conſentanea intentioni Eccleſiæ, Religioni, ac reverentiæ debitæ tanto Sacrificio.

23 *Dices*. Qui ſimul duas audit Miſſas, videtur habere meritum de ambabus, quæ ſimul celebrantur coram ſe: ergo poterit à fortiori ſatisfacere pro una, quam tenetur audire. ℟. Si audiret ſimul ambas integras, poſſet eſſe verum antecedens; ſi autem audiret dimidiatas, falſum eſt antecedens. -- Dixi: *poſſet eſſe verum* in primo caſu: quia de hoc dubito; nam attentio debita, & directa non videtur poſſe haberi ad utramque Miſſam. Prætereà aliud eſt mereri, & participare ſimul de duabus Miſſis, & aliud eſt ſatisfacere præcepto de Miſſa integra audienda; ad præcepti enim impletionem ſervare debemus terminos, & naturam rei præceptæ; unde qui obligaretur ad audiendas plures Miſſas, utique teneretur audire eas ſucceſſivè, unam poſt aliam; ergo non impleret præceptum, vel obligationem ſuam, ſi ſimul audiret à diverſis Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus; hæc etenim eſſet quædam ſubtilis deceptio.

Præcepto audiendi Miſſam die Feſto 24 ſatisfit, in quocumque loco ipſa audiatur, etiam in Oratorio ſive publico, ſive privato; niſi in Oratorio privato aliter decernatur à Summo Pontifice in Conceſſione; Nam hæc circumſtantia *loci* eſt quid extrinſecum, & accidentale: Et præceptum Eccleſiæ quò ad hoc eſt indeterminatum. Marchant. Azor. S. Antonin. Sot. Sylveſt. Navar. Tolet. Laym. Lugo, & Buſembaus, qui *lib. 3. Tract. 3. cap. 1. dub. 4.* dicit & optimè probat; Non adeſſe obligationem Parochianis audiendi Miſſam in Parochiali Eccleſia Dominicis, & Feſtis Majoribus: atque confutat Marchantium aliter ſentientem. *Unde Lectorem novitium admonere volo*, hunc Marchantium non eſſe noſtrum à me pluries citatum, ſed alium, nempè R. D. Jacobum Parochum, Decanum &c. qui erat frater germanus noſtri P. Petri Strictioris Obſervantiæ S. P. Franciſci; uterque tamen Marchant, ſeu Marchantius nominatur ex cognomine Familiæ, uterque varia volumina edidit: ut notum eſt. At ego, licèt volumina utriuſque viderim, ex profeſſo tamen legi, quæ ſunt noſtri P. Petri: ſicque quando citavi, & citabo Marchant, intellige de iſto, non de illo; nam doctrina in domo propria jucundiùs ſapit legenti.

Quæro III. *Quanam ſunt cauſa excuſantes ab auditione Miſſæ?*

℟. Sunt multæ, at omnes reducuntur 25 ad quatuor hos titulos: qui ſunt, I. Titulus Impotentiæ: II. Titulus Charitatis. III. Titulus Officii: IV. Titulus Conſuetudinis. Explico ſingulos Titulos.

Impotentia.

Triplex aſſignari poteſt Impotentia: I. 26 Corporalis. II. Spiritualis. III. Moralis. *Titulo impotentiæ corporalis* excuſantur, qui vel ſimpliciter Miſſæ adeſſe non poſſunt, aut non poſſunt licitè. Qui ſimpliciter non poſſunt, ſunt: qui ex gravi morbo decumbunt, vel carceribus detinentur, vel mare navigant, aut in locis degunt, ubi Sacerdotes non inveniuntur, qui velint, aut poſſint celebrare; vel quovis alio impedimento naturali ad Eccleſiam ſe transferre non valent. Qui verò licitè non poſſunt, ſunt, qui legitimè fide data, vel juramento juſto ſe aſtrinxerunt tali die domi ma-

nere: aut ex præcepto Superioris coguntur tali in loco morari, ut ſunt milites cuſtodientes arcem, & ſimiles &c.

27 *Impotentia Spiritualis* excuſat eos, qui excommunicati ſunt, vel Interdicto ſubjacent, quamdiù tales ſunt, nec per eos ſtat, quominùs ab illo ſpirituali vinculo liberentur. Item quando Sacerdos illius Eccleſiæ, in qua Miſſa audienda eſſet, notoriè excommunicatus, vel publicus concubinarius foret. Quid ſi talis Sacerdos eſſet notorius Clerici percuſſor, vel nominatim denunciatus tamquam excommunicatus vitandus? In tali caſu quilibet non ſolùm poteſt, ſed debet abſtinere ab audienda ejus Miſſa, ut jura ſtatuunt: & communis eſt ſententia DD. apud Laymann, Marchantium, Sporerium, & alios DD.

28 *Titulo impotentiæ Moralis* excuſantur, quotquot Miſſam audire non poſſunt abſque gravi detrimento, vel jactura alicujus boni, ſive corporalis, ſive Spiritualis. *Item* qui non poſſunt ire ad Templum ſine gravi labore, aut difficultate juxta judicium viri prudentis. Quia Eccleſia pia Mater non cenſetur velle obligare filios ſuos cum tanto diſcrimine, & rigore. Ex quo multi deduci poſſunt caſus. V. G. Titius habet inimicos, quorum inſidias, & machinationes timet in via ad Templum. – Cajus aliqualiter infirmus timet probabiliter recidivam, vel augmentum morbi. Berta gravida, & partui vicina timet vel ſibi, aut fœtui incommodum grave, vel periculum &c. – Omnes iſti, & ſimiles excuſantur. In quibus omnibus bona fides, vel prudens conſilium ſufficit.

29 Quando perſonæ nobiles, & honeſtæ ob inopiam, ac miſeriam non poſſunt cum decenti, & ſuo ſtatui habitu convenienti comparere, ſine dedecore, vel periculo honoris, vel famæ, excuſantur à publica Miſſa; tenentur tamen, ſi poſſunt, in tenebris, vel in ſecreto eam audire.

30 In familiis ruſticorum, aut paſtorum, & in villis, ubi una tantùm dicitur Miſſa, excuſatur qui domi remanet ad cuſtodiam infantium, aut etiam armentorum, ac bonorum furibus, aut beſtiis expoſitorum; debent tamen hujuſmodi viciſſim ſupplere defectum, & pro Miſſa aliquas recitare preces in Dei honorem, & cultum ſaltem Dominicis diebus.

Charitas.

Titulus Charitatis ab auditione Miſſæ excuſat: quando, ſi quis Miſſam audiat, operi miſericordiæ, & charitatis, (ad quod obligantur omnes ex præcepto Naturali, & Divino) ſatisfacere non poteſt. Unde excuſantur, qui debent aſſiſtere, & ſervire infirmis, vel parvulis filiis. Quia cùm concurrunt duo præcepta, quæ ſimul impleri non poſſint, majus præferendum, & tunc ceſſat minus: atqui majus eſt præceptum juris naturalis, & Divini de Charitate, & miſericordia exercenda erga proximum in gravi neceſſitate conſtitutum, quàm præceptum de Miſſa audienda, quod eſt Juris Eccleſiaſtici: ergo &c. 31

Officium, & Ars.

Titulus officii, vel artis excuſat quandoque ab auditione Sacri; quando nimirum tale officium, aliàs honeſtum, & licitum non poteſt debitè exerceri, vel perfici, ſi Miſſa audiatur, quòd ſi interrumpatur tale officium, vel talis ars ob Sacrum audiendum, ſequitur grave damnum vel ſibi, vel aliis, vel Communitati. Hoc titulo excuſantur ab audiendo Sacro: Milites ſtationarii: Cuſtodes oppidorum, vinearum, gregum: Curſores: Nautæ: Piſtores Communitatum: Laborantes in officinis ſuſoriis, & ſimilibus artibus, quæ, cùm incœptum eſt opus, exigunt continuationem ejus per aliquot dies, ne totum pereat. Matres, vel Nutrices infantium, & aliorum parvulorum, quos non licet deſerere, nec debent deferre ſecum ad Eccleſiam ob indecentiam, ac perturbationem, quæ ſolet excitari in populo & Miniſtris Altaris &c. 32

Conſuetudo.

Titulo conſuetudinis intelliguntur omnes conſuetudines vel approbatæ legitimo uſu inter timoratos, vel per Privilegium Eccleſiæ, vel per tacitum conſenſum ipſius Eccleſiæ; nempè omnis rationabilis conſuetudo ſcientibus Prælatis permiſſa, qua, juxta morem Patriæ, certæ perſonæ ſe domi continent occultæ, vel tempore luctus, vel Sponſalium, vel purificationis 33

poſt

poſt partum &c. Ita Suarez, Sporer, Marchant. Sylver, Filliucius, Cajetanus, Buſembaus, & alii. Quia iſtæ perſonæ habent motivum grave, & rationabile, quo bona fide putant, ſe excuſari.

Quæro IV. *An qui ab auditione legitimè, ut ſupra, excuſantur, teneantur ad alium ſpecialem Dei cultum pro Miſſa?*

34 ℟. Teneri ſaltem die Dominica. Ratio eſt: Quia Præceptum de Miſſa audienda diebus Dominicis, etſi quoad hunc ſpecificum, & determinatum tempus colendi Deum in Miſſa, ſit Eccleſiaſticum, fundatur tamen in generali obligatione colendi ipſum Deum ex præcepto Divino morali, & naturali de colendo Deo una die ex Septem hebdomadæ; unde Eccleſia non tam inſtitutrix præcepti eſt, quàm declaratrix, ſeu potiùs determinatrix *modi, & ritus*, quo Deus colendus eſt in Republica Chriſtiana ad ſatisfaciendum præcepto *de die una Sanctificanda*, quod eſt Juris Divini naturalis; Ergo quando quis tali die non poteſt colere Deum *modo & ritu* Eccleſiæ, hoc eſt, audiendo Miſſam, non per hoc cenſetur immunis à præcepto colendi Deum alio modo, & medio, ut puta adorando, orando, ſupplicando, laudando ipſum Deum; ut ſubſtantiam præcepti de Sanctificando talem diem, adimpleat, cùm hoc præſtari poſſit ubique. — *Confirmatur*. Quia ſic intellexerunt SS. Patres hoc præceptum Tertium; nam dicunt, hominem Chriſtianum debere expendere diem Dominicam in operibus Divinæ laudis, & ſalutis. Et expreſsè S. Greg. *lib.* 11. *epiſt.* 3. *ad Cives Romanos*. S. Auguſt. *ſerm.* 251. *de tempore*. — Et tex. can. *in c. Jejunia, de conſec. diſt.* 3. Videas, quæſo, *Summam Angelicam*, Verbo *Feria*, §. *vel num.* 40. & 43. Ubi dicit: quòd ſecundùm omnes antiquos DD. die Dominica DEO vacandum eſt in aliqua hora de neceſſitate præcepti. — P. Petrum Marchant *tom.* 2. *tr.* 4. *tit.* 2. *q.* 3. *concl.* 2. & 3. Ubi dicit: Qui nullo cordis motu, vel cultu in Dominica die Deum colit, peccat mortaliter; quia præceptum hoc de ſanctificatione illius diei non obſervat.

35 Et quamvis nullas preces, orationes, ritus &c. Eccleſia ordinaverit iis, qui excuſantur à Miſſa, remanet tamen penès illos obligatio realis, & communis colendi DEUM aliquo rigoroſo cultu; Nam, ut docet Doctor Subtilis, & pius Scotus *in* 3. *diſt.* 9. *q. unica*. Obſervatio hujus præcepti non conſiſtit in ſola negatione, ſeu ceſſatione operum ſervilium, verùm etiam in actu poſitivo, nempè in ſanctificando, ſeu magnificando DEUM. Unde qui non poteſt audire Miſſam, & ponere hunc actum ſanctificationis, quem determinavit Eccleſia, neceſſe eſt, ut adimpleat illum in æquivalente, quantùm poteſt, ut ſaltem in die illo ſpecialiter deputato cultui Divino aliquis actus habeatur relatus immediatè in Deum, ad ejus reverentiam. Vide Scotum *moralem pro Confeſſariis, tit.* 23. *num.* 33. & Sporer *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *n.* 36.

Quæro V. *Quid magis eſt præeligendum in Feſto, an Auditio Miſſæ, an Prædicationis: cùm utrumque non poſſit audiri?*

Senſus hujus Quæſiti, (quod facit P. Angelus *in ſua Summa Angelica, V. Feria*, §. *vel num.* 45.) eſt: An ignorantes, vel neſcientes neceſſaria ad ſalutem teneantur potiùs ad concionem, vel catecheſim, quàm ad Miſſam audiendam, ubi, & quando datur caſus, quo non poſſint utramque ſimul audire? 36

℟. Idem P. Angelus, quòd auditio prædicationis præeligenda eſt: Quia ratio legis in hoc magis militat: nempè in audiendo Verbo Dei: ut patet intuenti jura; quod confirmat variis textibus Canonum adductis, nempè *cap. Omnes Fideles. Et cap. Sacerdote. Et cap. Epiſcopus. Et cap. Interrogo vos.* — Quòd autem talis ſit ſenſus Quæſiti illius, patet *ex* §. *vel n. antecedenti* 44. Ubi P. Angelus docuit, eſſe de præcepto audire prædicationem die Feſto, ſi adſit commoditas. *Quod* inquit, *verum eſſe intelligo de illis, qui neſciunt neceſſaria ad ſalutem: alios autem non credo teneri ad hoc, niſi ratione ſcandali.*

Hæc reſolutio P. Angeli mihi videtur valdè rationabilis, & fundata, ut probabo ſtatim. Quare miror, & mæreo, Azorium *part.* 1. *Inſtitutionum Moralium lib.* 7. *cap.* 7. *quæſt.* 10. propoſuiſſe hanc difficultatem ſub his terminis. *Quares: An prædicta Angeli, & aliorum ſententia ſit tamquam temeraria damnanda?* Et poſt multa concludit: *Sed certè illam ſententiam ratione, vel auctoritate non confirmant: & ideò temerè meo judicio loquuti eſſe videntur.* Unde, ut meum defendam P. Angelum, ratione, & auctoritate confirmo ſic illius piam Sententiam. 37

Ratione. Omnes Theologi Morales docent Fideles adultos (vi præcepti Divini naturalis de propria acquirenda Salute Æterna, & vi 38

& vi Virtutis Fidei, qua tenemur ſcire, & inquirere notitiam neceſſariorum ad Fidem explicitam, & vi Virtutis Charitatis, qua obligamur perquirere media neceſſaria ad Finem ultimum obtinendum, qui eſt Deus Benedictus) teneri ſub mortali ad Conciones, Inſtructiones, & catecheſes audiendas, quæ fieri ſolent diebus Feſtis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia: Et pariter omnes DD. docent, adultos teneri ad Miſſam audiendam diebus Feſtis vi præcepti poſitivi Eccleſiæ. Atqui in concurrentia duorum præceptorum, quorum unum Juris Divini Naturalis eſt: alterum juris tantùm poſitivi Eccleſiæ, ſi ambo ſimul, & ſemel impleri non poſſint, præferendum, & præeligendum eſt quod eſt majus, & fortius: (nam ubi majus, ceſſat minus:) Ergo in caſu noſtro auditio Prædicationis Verbi Dei præferenda eſt Miſſæ auditioni: & ſic Sententia P. Angeli firmata eſt ratione.

39 *Auctoritate*. S. Bernardinus Senenſis *tom. 2. ſerm. 10. art. 3. cap. 2. §. Quæſtio autem eſſe poteſt*: Quærit. An populus teneatur audire Verbum Dei? Et reſpondet. Videtur dicendum, quod pro loco, & tempore Populus, & maximè indocti non minùs obligantur audire Verbum Divinum, quàm Miſſam. I. Propter neceſſitatem ipſorum. II. Propter utilitatem Verbi Dei. III. Propter commoditatem diei Feſti. Et hoc præceptum de audiendo Verbum Dei quodammodò dici poteſt præceptum Præceptorum. -- Hæc S. Bernardinus. Addo auctoritatem Barboſæ in Collectaneis *ad cit. cap.* 4. Conc. Trid. *n.* 15. & aliorum DD. ibi cit. Quibus addo auctoritatem Bonacinæ *tom. 2. diſp. 5. qu. un. p. 2. nu.* 28. in 3. præcepto Decalogi. Homoboni *de humana vita ſtatibus p. 2. c.* 17. *num.* 5. cum aliis ibi relatis. -- Bernardini de Buſtis in Roſario *p. 1. ſerm. 3.* 2. P. Segneri *in Chriſtiano inſtructo ſerm. 2. num. 7. P.* 1. Trullench *in Decal. lib. 2. c. 1. dub. 4. num.* 12. -- Fagundez, & alii cum Buſembao *lib. 3. tr. 3. cap. 1. dub.* 3. Et ſic Sententia P. Angeli firmata eſt auctoritatibus. Ergo &c. Unde magis doleo de P. noſtro Sporerio, qui *tom. 1. tr. 3. c. 4. ſect. 1. n.* 7. ſic liberè loquitur de P. Angelo, ut dicere audeat: *noſtrum Angelum perperam, cenſere Sacram Concionem præferendam eſſe Miſſæ, ſi utraque audiri non poſſit*. Sanè qui ſic loquuntur de hoc P. Angelo, ignorant quid de tanto viro ſentiat Religio noſtra.

Lege Martirologium Franciſcanum Annotationibus commentatum à P. Arturo, 40
die undecima Aprilis, lege: *Cunii in Pedemonte, B. Angeli à Clavaſio Confeſſoris, Doctoris eximii, qui ſæpè Commiſſarius Generalis Ultramontanus factus, atque Nuntius Apoſtolicus à Summis Pontificibus creatus, toties hiſce muniis præclarè functus eſt*. -- Ibi in Annotationibus lege: *Erat Vir eruditiſſimus, quippè qui ante ingreſſum Religionis Doctor in Jure Canonico, ac Theologica facultate extiterat: Juriſconſultus celeberrimus, & in Divinis Scripturis exercitatus: ingenio præſtans, eloquio clarus, &c. Quatuor vicibus electus fuit Commiſſarius Generalis: Demùm ſpiritum* Deo *reddidit anno 1495. Præclara edidit opera, inter quæ relucet Summa Angelica, &c.*

De operibus prohibitis die Feſto.

Quæro VI. *Quænam opera prohibentur fieri diebus Feſtis?*

R. Prohibentur omnia opera ſervilia, 41
quæ ut ſervilia communiter reputantur, & quotidianum uſum, & neceſſitatem vitæ humanæ non reſpiciunt; Ut ſunt omnia opera Artium illiberalium, opera ruralia, ut habetur in Canon. & Conciliis: ſpecialiter *cap. Omnes, de Feriis: & Concil. Aurelian. 3. cap. 27. Sueſſionen. cap. ſtatuimus*. Item prohibentur quædam opera, quæ licèt ſervilia non ſint, valdè tamen diſtrahunt homines à Sanctificatione, ac veneratione Feſtorum dierum: & ſunt I. Mercatus publici, & cum ſtrepitu. II. Placita, ſeu actiones Forenſes. III. Judicia ad mortem. IV. Juramenta in Judicio præſtanda. Ut habetur *ca. Omnes cit. de Feriis, & ex Concil. Triburien. cap.* 35.

Unde infertur I. Quæ ad victum, neceſ- 42
ſitatem, & diſpoſitionem quotidianam corporis, domus, animalium homini inſervientium pertinent, & requiruntur, quantumvis ſervilia, & mechanica ex proprio genere ſint, non prohibentur in Feſtis. Ut ex Concilio *cit. Aurelianenſi habetur cap.* 27. Ubi dicit: Ab his abſtinere, ad Judaicam magis, quàm ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur. *Infertur II.* Ea, quæ ſolent vel præveniri, vel differri, etſi ad vitam hominis conſervandam referantur, non licere operari die

feſto:

feſto: quia non ſunt ex ſe quotidiana, nec eorum confectio dietim requiritur; niſi aliqua ſpecialis, & gravis neceſſitas occurrat, *ut patebit n.* 44.

43 *Infertur III.* Licita eſſe die Feſto omnia opera non ſervilia: nempè ea, quæ communi ſenſu prudentum, vel *certò*, vel *probabiliter* pro ſervilibus, illiberabilibus, & mechanicis non reputantur, etſi aliquid ſervitutis adjunctum habeant. *Certò non ſervilia* ſunt V. G. ſtudere, docere, ſcribere, canere, pulſare inſtrumenta muſica, ambulare, iter quovis modo agere. & ſimilia, quæ ſunt opera virtutis, vel artis liberalis, vel naturæ, ſicut & comedere, &c. *Opera probabiliter non ſervilia* reputantur infraſcripta, videlicet, pingere, characteres Typographicos componere, venari, piſcari, acu pingere ad otium repellendum, ludere, digladiari, præliari, & ſimilia; ut videre licet apud Eſcobar *Theol. Moral. lib.* 30. *ſect.* 2. *cap.* 7. *per totum*. Vide etiam P. Marchantium *tom.* 2. *tr.* 4. *tit.* 2. *quaſt.* 4. -- Sporerium *tom.* 1. *tr.* 3. *cap.* 4. *ſect.* 3. Anacletum *tract.* 10. *diſt.* 1. *quaſt.* 2. Buſembaum: Toletum: Bonacinam: Azorium: Laymannum, Maſtrium. -- Hoc unum notant DD. cum D. Thoma 2. 2. *quaſt.* 122. *art.* 4. *ad* 4. *arg.* quòd dies Feſti Chriſtianorum, utpotè poſt ceſſationem legalium Veteris Legis Jure Eccleſiaſtico introducti, modificati, & determinati, non ita ſtrictè obligant, ſicut olim obligabat præceptum de Sabbatis obſervandis; ſimulque circa prohibita in noſtris Feſtivitatibus ex Jure Canon. facilior eſt diſpenſatio, quàm olim in Sabbatis. Navarrus *in Manuale cap.* 13. *numero* 2.

Quæro VII. *Quæ cauſæ excuſent ſervilia opera exercentem in Feſtis?*

44 Illæ omninò, quæ excuſant ab auditione Miſſæ, *ut ſupra à n.* 25. *& ſeqq.* nempè Neceſſitas, Charitas, Officium, Conſuetudo legitima, vel Privilegium. De hoc dicam unum corollarium. Conſuetudo, vel Privilegium excuſat: Ubi in aliquibus Regionibus aliqua fieri communiter conſueverunt: (ut de quibuſdam Nundinis ſolemnibus conſtat:) ſuper quibus operibus permiſſis attendenda eſt approbatio, vel legitima præſcriptio conſuetudinis, ſimul & ratio operis, & authoritas Epiſcoporum. qui talia opera fieri permittunt; ut pro corruptelis non habeantur potiùs, quàm pro Privilegiis. Cæterùm omnes cauſæ ad has radices ſunt expendendæ, & in his fundandæ, in *Veritate* ſcilicet, & *Sinceritate Chriſtiana*; nam Deus nec decipitur, nec deridetur. *Et qui Deo negant obſequium, merentur, ut ipſis Deus neget ſubſidium rerum etiam temporalium*. Unde tranſgreſſio Feſti eſt radix multorum infortuniorum.

Quæro VIII. *An peccet mortaliter qui ſine cauſa legitima die feſto laborat?*

℞. Si per notabilem diei partem labo- 45
ret, utique peccat mortaliter. Quia violat præceptum Divinum -- Eccleſiaſticum in materia gravi contra Virtutem etiam Religionis. *Vide propoſitionem la* 52. *damnatam ab Innocentio XI.* Quænam autem cenſeri debeat *pars notabilis diei?* Communior, & probabilior opinio DD. eſt, quæ tenet, partem notabilem, & gravem eſſe ſpatium duarum horarum. -- Filliucius *tract.* 27. *cap.* 11. -- Anacletus *tract.* 10. *num.* 25. *& alii*. Ergo veniale tantùm erit laborare per unam horam ſine cauſa juſta. Et ſi aliqua cauſa rationabilis concurrat, facilè etiam quis diutiùs, vel plùs, quàm duabus horis laborat excuſabitur à culpa gravi.

Quæro IX. *An peccans mortaliter die Feſto cenſendus ſit ſpeciali modo peccaſſe contra Sanctificationem ipſius Feſti; ita ut duplex commiſerit peccatum, unum ratione operis pravi, alterum ratione inhonorationis talis diei Sancti?*

℞. Ita cenſent S. Bernardinus Senenſis 46
tom. 1. *ſerm.* 10. *art.* 2. *c.* 1. qui citat Alenſem in 3. -- S. Antoninus -- S Bonaventura -- Abulenſis -- Lyranus, & alii citati à Suarez *tom. de Relig. lib.* 2. *c.* 18. Et D. Thomas 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3 Ubi reddit hanc rationem: Quia magis homo impeditur à rebus Divinis per opus peccati mortalis, quàm per opus quantumvis ſervile: ergo magis contra hoc præceptum (de Sanctificatione Feſti) agit, qui peccat mortaliter in die Feſto, quàm qui aliud opus corporale, & ſervile facit: & citat pro ſe D. Auguſtinum *l. de decem chordis*. -- Sed Moderni, & Recentiores DD. reſpondent, quòd non. Vide rationes ipſorum apud Suarez *loc. cit.* Ego enim ſentio cum Antiquis citatis, quòd ſic; quia ſingularem injuriam facit Sanctitati diei DEO dicati qui peccat in eo, ſicut qui peccat in loco Sacro; ſed qui peccat in loco Sacro, dupliciter peccat; ergo &c.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XVIII.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS erga ſe ipſum, & proximum noſtrum.

ANte explicationem Quarti Præcepti Decalogi præmitto nonnullos Tractatus de præcepto Charitatis, & Miſericordiæ erga proximum in communi, & de peccatis contra hoc univerſale mandatum ut ordo Doctrinæ ſervetur, & omnia ſuo loco reponantur, ad vitandam confuſionem.

Quæro I. *An teneamur ex Charitate diligere noſmetipſos?*

1 *Reſpondeo* Affirmativè; nam ex illo Matth. c. 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; tenemur noſmetipſos primùm diligere. Hoc enim ipſo, quòd mandatur, ut unuſquiſque diligat proximum *ſicut ſe ipſum*, dilectio ſui ipſius non ſolùm demonſtratur, ſed etiam præfertur dilectioni proximi; ergo &c. Præterea S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 23. ait: Quatuor diligenda ſunt: *Unum* quod ſupra nos eſt, ſcilicet DEUS: *Alterum* quod Nos ſumus: *Tertium* quod juxta nos eſt, ſcilicet Proximus: *Quartum* quòd infra nos eſt, ſcilicet Corpus. De ſecundo, & quarto nullum præceptum expreſſum dandum erat; quia manet homini dilectio ſui, & dilectio corporis ſui: quia nemo umquam carnem ſuam odio habuit: nam Viri juſti, & Sancti, qui corpus ſuum cruciant, non corpus, ſed corruptiones ejus, & pondus oderunt. Et *cap.* 26. dicit. Deinde præceptum dilectionis ſui in præcepto dilectionis proximi includitur: Cùm enim dictum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: ſimul & Tui abs Te dilectio prætermiſſa non eſt. Hæc S. Auguſt. Tum quia particula *ſicut te ipſum* demonſtrat non ſolum (ut dixi) dilectionem ſui, ſed etiam oſtendit regulam dilectionis proximi; nam ſicut Tu ex Virtute Charitatis Theologicæ debes diligere temetipſum in Deo, & propter Deum, ſic diligere teneris proximum tuum.

2 Unde Amor, ſeu dilectio propria, & proximi duo neceſſaria requirit. *Primum*, ut ſit amor rectus: *Secundum*, ut ad Deum referatur; ideſt, ſicut in bono ſupernaturali, & ad bonum verum te ipſum diligere juberis, ita poſt te debes proximum diligere. Ex quo ſequitur, quòd omnis amor, qui ſingulariter in Deo, & propter Deum non exercetur in ſe, vel in proximo, non pertinet ad Charitatem, & mandatum Dei; ſed vel amori naturali, concupiſcentiæ, vel amicitiæ adſcribendus eſt.

In omni dilectione meritoria ſervandus 3 ſemper eſt Finis ſupernaturalis Charitatis; ita ut homo DEUM propter Deum diligat: ſemetipſum, & proximum diligat propter Deum: & meliùs, Deum, à quo, & ad quem creatus eſt homo, in ſe ipſo, & in proximo diligat; hoc eſt enim ſeipſum, & proximum ex charitate diligere. At quis eſt, qui ſeipſum, & proximum ſic diligat? Et tamen, ut docent SS. PP. & TT. iſte eſt invariabilis, & indiſpenſabilis finis veræ charitatis: ſine quo nullus amor Charitas dici poteſt.

Denique illa particula: *Sicut te ipſum*: 4 poſita in præcepto de dilectione proximi, non debet ſumi ſecundùm æqualitatem, ſive adæquatè; quaſi homo teneatur æqualiter diligere proximum, quantùm diligit ſe ipſum; ſed ſumi debet proportionaliter, & ſimilitudinariè, ideſt, ſervato ordine Charitatis, in iis, quibus ſe ipſum homo diligere tenetur, & in modo ſimili; ſive accomodo, diligat proximum, juxta menſuram, quam exponunt Axiomata illa Naturæ: *Quod tibi vis fieri, facito alteri: Et: Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Quæro II. *Quinam intelligitur per hoc nomen Proximus?*

℞. Proximus noſter intelligitur Omnis 5 Creatura rationalis, Gratiæ Divinæ, Æternæque Beatitudinis nobiſcum capax, vel particeps; ut in primis ſunt Angeli, Animæ Beatæ, ac etiam Animæ in Purgatorio exiſtentes: deinde Omnis homo Viator, fidelis, & infidelis, bonus, & malus, quantumvis peccator, amicus, & inimicus noſter; hos enim omnes novimus

per

per fidem adhuc nobiſcum capaces Gratiæ, amicitiæ Dei, & Beatitudinis cœleſtis; ergo omnes ſunt proximi noſtri, omnes proinde ex Charitate diligendi ſunt propter Deum, & in Deo: omnes quippè comprehenſi magno illo, latoque mandato Divino: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*: nemine omninò excepto, niſi *non proximo*: ut ſoli ſunt dæmones, & damnati: nam hi tantùm ampliùs non ſunt proximi, quia non ſunt capaces Gratiæ, & Gloriæ.

Quæro III. *Quid ſignificat, diligere proximum in Deo, & propter Deum?*

6 ℟. Diligimus amicum Dei *in Deo*: inimicum *propter Deum*. In Deo nimirùm diligimus homines juſtos, quatenùs jam per gratiam juſtificati ſunt, & Amici Dei ſunt; diligimus, inquam, hos amore, vel affectu complacentiæ. Propter Deum verò diligimus omnes alios, ut, ſi nondum ſunt Dei amici, per gratiam, & juſtitiam Dei incipiant aliquando eſſe juſti, & Amici: hos, inquam, diligimus affectu deſiderii. Hæc doctrina traditur à D. Auguſtino *lib. 1. de doctr. Criſt. cap. 2.* — Alio modo, ſeu potiùs aliis verbis declaratur hoc ab antiquis DD. nimirùm *Diligere proximum in Deo, & propter Deum* idem eſſe, ac velle proximum noſtrum diligere Deum, & à Deo diligi, ſibique condilectum habere: quod fit, aut affectu complacentiæ gaudendo, aut affectu bonæ voluntatis deſiderando habere proximum ſic condilectum à Deo; Hoc enim eſt, verè, rectè, & ordinatè velle proximo verum, & ſalutare Bonum in ipſo fonte ſuo, ac ſcaturigine omnis Bonitatis. Hoc etiàm eſt diligere proximum ex Charitate, ſeu amore amicitiæ ſupernaturalis.

Quæro IV. *An detur præceptum Charitatis, ſeu dilectionis ſupernaturalis erga proximum?*

7 ℟. Quòd ſic: ut habetur Matth. 22. Ubi Chriſtus Dominus poſt primum, & magnum mandatum de Deo diligendo, ſtatim poſuit ſecundum, dicens: *Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. Et Epiſt. 1. Joannis cap. 4. *Hoc, inquit, mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*. Et alibi ſæpiùs. Ergo &c.

8 Quod quidem præceptum, ut TT. docent, eſt ſimul affirmativum, & negativum. *Ut affirmativum eſt*, obligat nos ad benè velle interiùs proximo, &, cum opus ſit, ad benefaciendum exteriùs in ſpiritualibus, & corporalibus. Ut autem *negativum eſt*, prohibet odiſſe proximum interiùs, & non malefacere ei exteriùs ullo modo.

9 Ex illo Divino præcepto inſurgit obligatio per ſe diligendi proximum actu interno, & formali in occaſionibus ſublevandæ neceſſitatis ſive ſpiritualis, ſive corporalis proximi, aut deponendi odium, vel inimicitiam contra proximum; Nam in cauſa gravis neceſſitatis noſtri proximi præceptum Charitatis vi ſua obligat nos, non ſolùm ad ſuccurrendum ei exteriùs, ſed etiam ad habendam bonam voluntatem ſuccurrendi; At qui hæc voluntas eſt amor ſeu dilectio interna, & formalis erga proximum, ſeu exercitium, & actus Charitatis nobis præceptæ à Deo; ergo &c. Vide Cardenam *diſſert. 8. à nu. 34. ſuper damnatas propoſitiones 10. & 11. ab Innoc. XI.* — Et quod dixi de neceſſitate ſuccurrenda, dicendum eſt etiam de caſibus, in quibus inſtat obligatio deponendi odium, inimicitiam, vel reconciliandi, dandi pacem &c. In his enim caſibus Charitas per ſe urget ad diligendum interiùs, exteriùſque proximum. Vide eas propoſitiones damnatas in fine hujus libri.

10 Reſpectu proximi in communi eſt obligatio per ſe, ut unuſquiſque ſit paratus ad faciendum, quod tenetur ſecundùm Deum, proximo ſuo, quando, ubi &c. tenebitur. Quæ præparatio animi eſt procul dubio in omni Chriſtiano habente Charitatem Dei; nam iſte utique habet voluntatem actualem, vel virtualem implendi omnia præcepta, quæcumque illa ſint. Cajetanus *in 2. 2. q. 25. art. 8.*

11 Ex dictis colligitur diſcrimen inter præceptum diligendi Deum, & diligendi proximum; Enimverò tenemur Deum diligere *propter amandum tantùm* ipſum Summum Bonum; ideſt, quamvis nullæ aliæ circumſtantiæ extrinſecæ concurrerent, adhuc Deum amare debemus, quia dignus eſt Deus, ut ametur propter ſe. Proximum autem non tenemur diligere *propter amandum ſolùm, ſed propter benefaciendum*: ergo ſolummodò poſitis prædictis circumſtantiis tenemur eum diligere. Ita Cardenas poſt Suarez *l. c. n. 14.*

12 *Dices*. Ergo ſi nulla umquam daretur circumſtantia extrinſeca movens, vel determinans nos ad dilectionem proximi, numquam obligaret nos præceptum hoc charitatis

Digitized by Google

tatis erga proximum . ℞. Iſta conſequentia videtur ſupponere aliquod impoſſibile moraliter. Etenim tanta eſt multitudo occaſionum, & circumſtantiarum, ut videatur quaſi continua occaſio diligendi proximum, vel tolerando, vel compatiendo, vel dimittendo injurias , defectus naturales, & morales, vel adjuvando , largiendo, benefaciendo indigentibus &c. Unde S. Petrus epiſt. 1. c. 4. dixit: *Mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes*. Charitas enim continua petit per ſe continuationem dilectionis, ſuppoſita continuatione occaſionum . Nihilominus data hypotheſi, quòd nulla ſcilicet daretur occaſio extrinſeca , ego dicerem , adhuc præceptum hoc nos obligare aliquando ad eliciendum actum dilectionis erga proximum in univerſali, affectum nempè complacentiæ erga bonos , & juſtos , & ſimul affectum deſiderii , ut cæteri boni , ac juſti fiant: aliàs præceptum hoc nobiliſſimum fruſtraneum foret : quia numquam per ſe obligaret. -- Facilè tamen impletur hoc Divinum mandatum , etiam nulla data occaſione ; nam quando unuſquiſque Fidelium recitat attentè , & devotè Orationem Dominicalem (in qua deſideramus in communi , ut *Pater noſter Deus* ſanctificetur, & glorificetur ab omnibus: & ut *dimittat omnibus peccata* : & *conferat omnibus vera bona* : Et *liberet nos omnes ab omni vero malo*.) cenſetur prædictos affectus elicere: ergo &c.

Quæro V. *Qualis ordo ſervandus eſt in dilectione proximi?*

13 ℞. Ordo charitatis, vel Charitas benè ordinata poſtulat hos gradus. I. Ut (poſt DEUM ſuper omnia , & ſuper noſmetipſos diligendum) unuſquiſque diligat ſemetipſum ſecundùm bona Spiritualia ; & æterna . II. Ut poſtea diligat proximum quoad eamdem bona . III. Ut diligat ſe ipſum ſecundùm bona corporalia: deinde proximum ſuum quoad eadem bona. IV. Ut diligat ſe ipſum ſecundùm alia bona externa, & temporalia: deinde proximum ſuum quoad eadem bona. -- In bonis Animæ propriis , nempè in bonis ſpiritualibus gratiæ, & virtutis non poteſt quis licitè variare ordinem prædictum ; In cæteris verò bonis quandoque licitum erit variare ordinem ex Charitate extraordinaria, & perfecta , ut patet in actis Sanctorum. -- Item in diſpari neceſſitate noſtra, & aliena non ſolùm eſt licitum , ſed ali quando neceſſarium variare ordinem ſupradictum. Quod ut clariùs, & diſtinctiùs percipiatur, ſequentes pono Regulas fundatas.

Regula I. Ob nullam prorsùs cauſam , etiam ſalutis totius mundi, poteſt quis licitè velle peccare , non ſolùm graviter, ſed neque etiam venialiter . Quia Charitas inclinans in ordine ſuo principaliter ad amandum DEUM ſuper omnia , in nullo caſu poteſt inclinare ad offenſam, etiam minimam ipſius Dei . Tum quia homo tenetur diligere ſe ipſum magis , quàm omnes homines ſibi proximos in bonis ſpiritualibus, nimirum pertinentibus ad ſalutem Animæ propriæ , ut ſunt bona Gratiæ , & Gloriæ . -- Omnes ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 26. *artic.* 4. Et Chriſtus Dominus apertè docuit Matth. 16. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum Mundum lucretur , Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* 14

Regula II. Tenemur magis amare ſalutem animæ proximi , quàm vitam , vel ſanitatem corporis noſtri ; Atque adeò proximo in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto , vel in certo periculo damnationis , tenetur quis idoneus ſuccurrere , (quando ſit certa ſpes, eum juvandi , & liberandi) etiam cum detrimento , vel periculo vitæ corporalis . Communiſſima cum D. Thom. *loco cit. qu.* 26. *art.* 5. Et conſtat ex verbis Chriſti Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum , ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos* . Quod explicat idem S. Joan. 1. cap. 3. *In hoc cognovimus Charitatem Dei , quoniam ille Animam ſuam (ideſt vitam) pro nobis poſuit : Et nos debemus pro fratribus Animam ponere* . Ita ſentiunt Sancti PP. cum D. Auguſt. *lib.* 1. *de Civit. Dei c.* 27. 15

Regula III. Nullus tenetur vitam propriam corporalem certo periculo exponere pro ſalute corporali proximi ſibi æqualis . -- Omnes cum D. Auguſtino *lib. de mendacio ad Conſentium cap.* 6. Ubi , ſi quis, inquit, pro alteriùs temporali vita , ſuam ipſam temporalem perdit , non eſt jam diligere illum , ſicut ſe ipſum , ſed plùs , quàm ſe ipſum.... Quod excedit Dilectionis ordinem, & regulam. -- Pro ſervanda verò vita Amici , intuitu virtutis, laudabile, & honeſtum erit, exponere periculo vitam propriam ; juxta illud Chriſti Domini Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet , quàm ut animam ſuam* 16

Digitized by Google

ſuam ponat quis pro amicis ſuis. -- Favet D. Thomas *loc. cit. artic. 4. ad* 2. Pro ſalute autem Perſonæ tibi Superioris, vel Publicæ, ex qua multum dependet bonum commune: ſicut univerſaliter pro bono communi totius Reipublicæ Eccleſiaſticæ, vel Sæcularis, vitam propriam exponere periculo, non ſolùm honeſtum, & laudabile eſt, verùm etiam debitum in extremo aliquo caſu neceſſitatis graviſſimæ. Quia Bonum commune in eodem genere præferendum eſt bono privato, nam Bonum, quantò univerſalius, tantò etiam eſt dignius, & majus bonum; ergo &c. Sic DD. communiter cum Div. Thoma *l. c. ad* 3.

17 *Regula IV.* Cum modico tuo detrimento, vel incommodo in bonis corporalibus, & temporalibus teneris ex communi lege Charitatis ſuccurrere proximo in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituto quoad eadem bona. Quia præceptum affirmativum de diligendo proximo, eique benefaciendo obligat nos ſub mortali certo quandoque tempore, & caſu: aliàs fruſtraneum eſſet: ſed hic aliud tempus, vel alius caſus aſſignari non poteſt, niſi tempus, & caſus veræ neceſſitatis extremæ, vel gravis ita exigentis *ex parte proximi*: & poſſibilitatis moralis *ex parte tui*. Ergo &c. Omnes DD. & ſignatè P. Marchant. *tom. 2. tract. 2. tit. 4. ſect. 2. De dilectione proximi, quæſt.* 1. §. 2. Et P. Sporer (ſequens bonum Marchantium in multis) *tom. 1. tract. 3. cap. 6. ſect.* 1. §. 3. *&* 4. -- Quod à fortiori omninò afferendum eſt ubi, & quando proximus tuo ſubſidio neceſſariò indiget ad vitam ſpiritualem conſervandam: utpotè adminiſtratione Sacramentorum, neceſſaria inſtructione, conſilio, correctione &c. Nam Bonum Spirituale proximi præferendum eſt tuo bono corporali, & temporali: maximè ubi, & quando ſine gravi tuo incommodo potes ſaluti ſpirituali proximi tui opitulari, & ſuccurere.

Quæro VI. *Quinam ordo ſervandus eſt inter perſonas diligendas?*

18 ℞. *I.* Inter conjunctos, & conſanguineos *in extrema neceſſitate* ſpirituali, & corporali ante omnes debes ſubvenire Patri tuo carnali, II. Matri, III. Filiis, IV. Conjugi. V. Fratribus, poſtea ſororibus, cæteriſque conſanguineis gradatim. Communis DD. Sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæſt. 26. art.* 8. Ita enim exigit Amor Naturæ, & Gratiæ. -- ℞. *II. Extra caſum extremæ neceſſitatis*, quoad obſequia communia, & neceſſaria in bonis ſpiritualibus, & corporalibus alius ordo ſervandus eſt. Etenim I. Uxor præferenda eſt Parentibus, & filiis. II. Filii præferendi ſunt Parentibus. III. Parentes præferendi ſunt omnibus aliis conſanguineis. Poſtea diligendi, & adjuvandi ſunt fratres, ſorores, cæterique conſanguinei, & affines ſecundùm gradus ſuos, poſtea ſequuntur domeſtici, Amici, Concives, Collegæ &c. Illicitum tamen non erit, ſingularem Amicum, vel Benefactorem præferre Conſanguineo, & valdè propinquo; ut notat Laymann *lib. 3. tract. 3. cap.* 3. cum aliis DD.

De inordinato amore ſui ipſius, & creaturarum.

Quæro VII. *An amor inordinatus ſui, & creaturarum ſit ſpeciale peccatum contra Charitatem Dei, & proximi?*

℞. *I.* Quando amor iſte (qui veriſſimè Archicapitale peccatum eſt) ita poſſidet hominem, ut paratus inveniatur Legem Dei tranſgredi, ſeu Deum offendere in genere propter creaturam, abſque eo tamen, quòd actu tranſgrediatur, aut tranſgredi proponat aliquod præceptum in particulari: eſt peccatum mortale ſpeciale contra Charitatem Dei; quia tunc nulli alteri virtuti, vel præcepto repugnat, niſi Charitati: qua tenemur amare Deum, ſaltem habitualiter, vel virtualiter appretiativè ſuper omnia. -- Quando autem amor ille inordinatus eſt cauſa tantùm impulſiva tranſgrediendi hoc, vel illud præceptum in particulari (ut communiter eſſe ſolet) utique eſt peccatum mortale, quia eſt voluntaria cauſa peccati mortalis: non tamen eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab eo, quod committitur, ſed idem numero, & ſpecie cum mala voluntate tranſgrediendi tale præceptum. -- Ita Sporer *tom. 1. tract. 2. c. 5 ſect.* 4. §. 3. 19

℞. *II.* Amor ſui, & proprii corporis, quando eſt inordinatus, & exceſſivus, poteſt opponi variis virtutibus, & præceptis, juxta ea mala, quæ amorem illum conſequuntur. Ex. gr. Poteſt quis amore ſui, & proprii corporis peccare contra Temperantiam in cibo, potu, unguentis, veſtibus, deliciis, pompa, inordinato volupta- 20

luptatum ſenſualium uſu, & ſimilibus: Omnia enim ferè peccata conſequuntur Amorem proprium. Adhuc tamen, ſecluſis omnibus peccatis, quæ ex tali amore procedunt, homo poteſt peccare contra Charitatem DEI, & ſui, propter exceſſivam curam, & affectum ſui corporis, & quidem mortaliter, quando prudenti judicio æſtimatur, quòd homo ſe ſuumque corpus præferat Amori Dei, & Curæ ſalutis Animæ: &, iſta cura exceſſiva durante, in ſtatu malo exiſtit; ut, multis Scripturis allegatis, probat P. Marchantius *tom. 2. tract. 2. tit. 4. ſect. 1. quæſt. 3.* §. 1. Ubi etiam dat exemplum de muliere totum ferè tempus, & opus impendente in cultu ſui corporis.

21 ℞. *III.* Amor inordinatus, cujus uſus, vel (ut meliùs dicam) abuſus adeò radicatus eſt inter juvenes utriuſque ſexus, qui vulgò dicitur (*Il far l' amore*) eſt cauſa, & origo omnium vitiorum: ideoque ex genere ſuo peccatum eſt: quia hæc inordinata paſſio vehemens neſcit habere modum. Et quandoque, imò ut plurimùm, mortale eſt ex conſequentiis, periculis, ſcandalis, & aliis circumſtantiis vitioſis. Quare Confeſſarii, ratione Officii *Medici*, debènt improbare, & vituperare hunc peſſimum abuſum: & quos repererint vitioſè agere cum Amaſiis, non poſſunt abſolvere; quia verſantur in occaſione proxima ſcandali, & peccati, quam conſuetudinem nolunt deſerere. Videas, quæſo, inſignem P. Segnerum *in Chriſtiano inſtructo p. 3. ſerm. 27.* -- & P. Antonium à Candelaria *in ſupplemento à foll. 367. & in Opuſculo meliùs, caſu 113. à fol. 650.*

De Odio proximi.

Quæro VIII. *Quid de præcepto negativo diligendi proximum ſentiendum eſt?*

22 ℞. *I.* Ex hoc Divino mandato in primis tenemur, non odiſſe proximum. Odium propriè captum eſt actus, vel motus deliberatus voluntatis, quo malevolè ferimur in proximum. Duplex autem eſt odium: *abominationis, & inimicitiæ.* Odium abominationis eſt alienatio, ſeu averſio voluntatis ab eo, quod apprehenditur, & judicatur ut malum, nobiſque contrarium, & noxium: & hoc reſpectu hominis duplex eſt: *Perſonæ, & qualitatis.* Odium abominationis *Perſonæ* eſt, quo ipſam perſonam averſamur, & abominamur. Odium verò abominationis *qualitatis* perſonæ eſt, quo aliquam malam qualitatem proximo adjacentem abominamur. Odium tandem *inimicitiæ* eſt, quod propriè *malevolentia* nominatur, & quo malum volumus, & optamus proximo nobis inimico.

℞. *II.* Odium abominationis proximi quoad qualitatem indifferens eſt, nempè de ſe nec bonum, nec malum eſt: ſed vel bonum, vel malum eſſe poteſt juxta naturum illius qualitatis, quam odimus; nam ſicut Amor ſpecificat ſuum actum ab objecto amato, ita & Odium. *Unde* Bonum, licitum, & meritorium eſt Odium vitiorum, & peccatorum noſtrorum, & proximi: ut habetur ex Pſalmis 118. *Iniquos odio habui. Odivi omnem viam iniquitatis.* Et 138. *Nonne, qui oderunt Te, Domine, oderam?* -- Contrà, malum eſt odium in qualitates bona, & honeſtas, etſi tibi contrarias; Ut ſi oderis zelum, juſtitiam, pietatem, & aliam virtutem proximi, & maximè Superiorum, & Majorum. — Indifferens denique manebit odium ad qualitates naturales, & indifferentes proximi, ut ſi odio habeas deformitatem faciei, vel corporis, & alios defectus naturæ, quos vides in proximo; (dummodò abſit contemptus perſonæ, velut Creaturæ Dei;) quia tales qualitates ſunt naturaliter odibiles. 23

℞. *III.* Odium quoad perſonam eſt ex genere ſuo mortale peccatum. Quia directè repugnat præcepto Charitatis, quo tenemur diligere omnem hominem, quatenùs homo, & proximus eſt. Intellige tamen ſemper de odio plenè deliberato, cum advertentia ad malitiam; nam, ob imperfectionem actus, inadvertentiam, & ſubitaneam paſſionem, à mortali ſæpè excuſari contingit. 24

℞. *IV.* Odium inimicitiæ etiam mortale eſt ex ſuo genere; quia malè velle proximo, contrarium ex diametro eſt amori, & benevolentiæ, quæ præcipitur à Deo illis verbis: *Diliges proximum tuum &c.* Tum quia expreſſis verbis prohibetur malevolentia, & odium in proximum 1. Joan. cap. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Et cap. 4. *Si quis dixerit: diligo Deum: & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Et Prov. 26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.* Et Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo;* & alibi. 25

Notandum tamen, quòd hic poteſt dari parvitas materiæ excuſans à mortali; le- 26

ve

Digitized by Google

ve enim, & exiguum malum velle proximo ex odio, indicat parvum odium, & conſequenter veniale peccatum. Quando autem grave, & notabile eſt malum, quod quis vult, vel optat, ut eveniat proximo, tunc indicatur etiam odium, magnum, & peccatum mortale. Gravitas igitur peccati odii, inimicitiæ, aut malevolentiæ erga proximum menſuranda eſt ex qualitate mali ei voliti, vel deſiderati ex corde, & animo deliberato. — Cæterùm qui proximo ex odio inimicitiæ ſolùm in genere, vel in confuſo malum vult, non præſumitur velle ei mala levia, ſed gravia; & ſic eſſe in ſtatu peccati mortalis; nam iſta paſſio, & averſio ſemper creſcit, niſi ſtatim reprimatur Charitate Divina.

Quæro IX. *An liceat optare malum proximo ex bona intentione?*

27 ℞. I. Licitum eſt velle inefficaciter, ſeu deſiderare proximo malum, quod ipſi revera non malum, ſed bonum eſt ſecundùm rectam rationem: V. G. Minus malum propter majus malum vitandum: malum inferioris ordinis propter bonum ordinis Superioris: malum corporale propter bonum ſpirituale &c. Quia hæc, & ſimilia deſideria formaliter ſunt de bono proximi, non de malo vero. Vide Caſtro Palaum *tom. 1. tr. 6. d. 4. p. 1. n. 11.* — Et P. Marchantium *tu. 2. tr. 2. tit. 4 ſect. 2. q. 1. §. 1.* Ubi ſic diſcurrit: Licet interdum optare alicui malum, non affectu malo, aut injuſto; neque ex odio, ſed affectu juſtitiæ, vel pietatis; ſed hæc deſideria multa cautela uſurpanda ſunt; ne ſub titulo pietatis, vel juſtitiæ, animus malè affectus habenas impietati, & injuſtitiæ laxet. — Et P. Anacletus Reifenſtuelus *in Theolog. Moral. tract. 4. diſt. 7. numero 8. ait*: A peccato mortali excuſatur, qui de alicujus infirmitate, vel etiam morte lætatur, eò quòd ſic non poſſit ampliùs nocere Communitati, aut ſibi eſſe occaſio peccandi. *Similiter* non peccat, qui triſtatur, Dignitates conferri indignis, impios exaltari &c. quia hæc ſpectant ad odium qualitatis perſonæ, quod alio nomine *Odium abominationis* appellatur. Quinimò Bonacina *de prae. Decal. diſp. 3. qu. 4. p. ult. nu. 7.* hoc extendit ad Matrem, quæ mortem filiarum ſuarum exoptat, eò quòd non habeat, unde eas honeſtis nuptiis tradat, ob inopiam, vel deformitatem earum; vel ad ſubterfugiendas multiplices miſerias &c. Ratio horum, & ſimilium caſuum eſt: quia tale deſiderium, vel gaudium de malo temporali proximi fit ex honeſto, & bono motivo: ergo &c.

℞. II. P. Patritius Sporer *tom. 1. tract. 2. capit. 6. ſect. 1. §. 4.* dicit: Ad hoc, ut odium malevolentiæ in proximum mortale peccatum ſit, omninò requiritur, ut quis proximo inimico malum velit, quod revera ei malum ſit: & quatenus ei verum malum ſit: aut ex diſplicentia, & abominatione perſonæ; Ex qua concluſione multos, & varios caſus deducit, & præſertim hos paucos: I. Licitè potes alicui deſiderare morbum, jacturam bonorum, tribulationem aliquam gravem, hac intentione, ut ejus ſuperbia, inſolentia, peccandi licentia compeſcatur; imò ipſam mortem corporalem, ne graviùs Deum, ac proximum offendat. — II. Licet optare malefactoribus, latronibus, homicidis &c. ultimum ſupplicium, ſeu furcam ob bonum communitatis, pacem, & tranquillitatem loci, civitatis &c. quod enim Magiſtratus, vel Princeps juſtè poteſt, & debet inferre alicui iniquo, & injuſto, licitè quis poteſt ei optare. III. Eſt licitum abominari hominem perverſum, ut perverſum, eique deſiderare mortem, ne tibi, vel aliis noceat, & injuſtè damnum graviſſimum, vel ſcandalum inferat. Verumtamen ſimilia deſideria periculoſa ſunt, & in praxi difficilia, ut fiant recta intentione, & non aliqua paſſione inordinata vindictæ, odii &c. 28

Quæro X. *An ſit licitum optare mortem alicui, non ut malum illius, ſed ut bonum cupienti: non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod notabile emolumentum temporale, quod inde eveniet tibi?*

℞. Quamvis ordinatè, & ſalva Charitate proximi fieri poſſit, quòd quis (ſive ob bonum ſpirituale ipſius, vel alterius, aut propter bonum commune Reipublicæ, vel etiam ad evitandum ingens malum temporale proprium,) optet alteri mortem, vel aliud malum temporale: prout notat tum Doctor Angelicus *2. 2. qu. 76. art. 1.* tum Doctor Subtilis *in 3. diſt. 30. q. un.* Nihilominus illicitum omninò eſt, & Charitati repugnans optare mortem proximo ob aliquod bonum temporale tibi non neceſſarium ad vitam conſervandam: quantumcumque in ſe magnum: Quia tale bonum comparatum vitæ illius hominis, cujus mortem deſideras ſtatim eva- 29

evadit, & cenſetur à prudentibus, & timoratis viris, bonum levioris momenti; ergo inordinatè appetitur, & cum damno proximi. Tum quia vita proximi ex ordine Charitatis debet præferri cuicumque commodo proprio temporali; ergo optare mortem alicui propter ſolum hunc finem eſt contra Charitatem.

30 Nec valet illa abſtractio ſpeculativa, quòd *nimirum deſideras mortem illius, non ut malum illius, ſed ut bonum tuum; non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob tuum inde reſultans emolumentum*: non valet, inquam, hæc abſtractio; quia practicè loquimur in moralibus: atqui in praxi tale deſiderium cadit ſuper calamitatem etiam proximi, ex qua de facto ſequitur tuum illud bonum temporale; ergo moraliter impoſſibile eſt, ut de tali calamitate, vel morte proximi non gaudeas, & læteris, quod eſt contra Charitatem. Præterea, ſi deſiderio voluntario optas mortem proximi ob temporale lucrum tuum, utique practicè non ſiſtis in proprio commodo, ſed voluntas tua fertur etiam immediatè, & directè in mortem proximi, veluti in cauſam tui commodi; ergo realiter, & practicè præponis commodum tuum temporale Vitæ innocentis proximi tui, quod eſt contra rectam rationem, & Charitatem. Ita ex DD. ſcribentibus poſt propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. & nominatim Joan. de Cardenas, Anacletus, Dominicus Viva, Jacobus à Corelia, Antonius à Candelaria; Et anteà etiam, Toletus, Sylveſter, Reginaldus, Sayrus, Bonacina, & plures alii.

Unde jure merito damnatæ fuerunt tres propoſitiones *la* 13. 14. *&* 15. *ab Innoc. XI.* Vide in fine 2. Partis.

Quæro XI. *Quot modis, ſeu motivis poteſt quis induci ad optandam mortem ſibi, & proximo?*

31 ℞. Cum Azorio *part.* 1. *Inſtitutionum Moralium lib.* 3. *c.* 12. *q.* 2. Multis modis, ex odio, ſcilicet, invidia, iracundia, indignatione, metu, juſtitia &c. poteſt quis induci ad optandam mortem proximo; At ſibimetipſi non niſi ex triſtitia vehementi, aut deſperatione. Unde certum eſt, lethaliter peccare eum qui ſibi, vel alteri deſiderat mortem ex pravo, vel levi motivo. Ita etiam docent Diana, Granado *in* 2. 2. *controverſ.* 3. *tr.* 6. *diſp.* 2. *ſect.* 4. *n.* 22. & alii DD.

De Dilectione inimicorum.

Quæro XII. *Ad quid tenetur homo Chriſtianus inimico ſuo?*

℞. *I.* Tenetur non odiſſe, non malum velle. Hoc patet ex dictis; nam odium cujuſvis perſonæ illicitum eſt: II. Tenetur offenſam remittere, veniam dare; quod fit, ac fieri debet actu poſitivo Charitatis, & Dilectionis. III. Tenetur exhibere actus, & ſigna communia Charitatis, & Amoris; nam tenemur ex virtute Charitatis nulli eſſe ſcandalo, ideſt voluntariè occaſionem non præbere alicui, ut ipſe peccet: atqui niſi proximo inimico hunc noſtrum remittendi animum actibus, & ſignis externis communibus charitatis, ac benevolentiæ oſtendamus, in cauſa ſumus, ut ipſe quoque perſeveret in inimicitia, ſicque diutiùs, graviùſque peccet. 32

Porrò actus, & ſigna Charitatis communia ſunt illa, quæ communiter omnibus abſque delectu exhibere ſolemus. Ut orare pro omnibus, ſalutantem reſalutare, alloquenti reſpondere, poſtulanti merces vendere: & cætera officia communia, quæ omnibus paſſim exhibentur, non denegare, vel recuſare. Ratio eſt, quia hæc ſigna, & obſequia communi naturæ, & ſocietati humanæ debentur ex lege charitatis; ergo non eſt particularis hominis hanc communem obligationem infringere abſque nota actualis odii, & averſionis erga proximum, ideòque peccati mortalis. Tum quia ex hujuſmodi communium ſignorum, & obſequiorum ſubtractione, & denegatione proximus intelligit, nos malè in ipſum affici, ideoque & ipſe in peccato inimicitiæ obfirmatur. Ex communi DD. cum D. Thoma. 33

Aliquando tamen licitum erit, negare inimico ſigna communia, præſertim in occulto loco ex motivo charitatis: quando nimirum ex tali denegatione ſperatur inimicus corrigendus, errorem ſuum agniturus, & emendaturus: *Vel* quando timetur ex his ſignis præſtitis deterior futurus, injuriam illatam vilipenſurus &c. *Item* quando prudenter times, ne, habendo conſortium, colloquium, aſpectum alterius tibi inimici, ſuſcitetur recordatio injuriarum, novæ lites inſurgant, mala graviora eveniant &c. Quia in his caſibus prudentia, & charitas erga ſe, & proximum ita expedire docent; Charitas enim 34

non

non eſt contraria ſibimetipſi; ergo licitum erit omittere ad tempus ſigna communia extrinſecæ dilectionis ex motivo charitatis. -- Ita ex communi Marchant, Sporer, & alii DD.

35 Juſtitia etiam ſuadet, quandoque ſubtrahere inimico reo tibi ſubdito ſigna comunia charitatis, ad ipſum corrigendum, & puniendum. Sic Pater, vel Superior ad juſtam punitionem filii, vel ſubditi delinquentis juſtè ei denegat alloquium, aſpectum benignum, aliaque ſigna ſolita benevolentiæ, ut ſuum errorem cognoſcat, & etiam propriam incuriam, proterviam, vel inſolentiam frangat. Hoc tamen eſt limitandum: I. Ne fiat ex animi odio: II. Ne talis vindicta, vel pœna excedat modum, aut qualitatem delicti: ut ſapienter docet Layman *l. 2. tr. 3. c. 4 nu. 4.*

36 Ex vi præcepti dilectionis proximi, etiam inimici non tenemur *per ſe* exhibere ſigna particularia amicitiæ, & charitatis, qualia ſunt quæ ex hominis voluntate pendent, ut colloquium familiare, favor, vel auxilium ſingulare, oblatio muneris, & ſimilia, quæ pro bona voluntate, & affectu ſpecialiter exhibentur amicis, & familiaribus. Comuniſſima cum Div. Thoma 2. 2. *quaſt. 25. art. 9.* Ratio eſt: quia benefacere inimicis per ſigna particularia, & effectus ſpeciales eſt de perfectione charitatis; ſed id, quod pertinet ad perfectionem charitatis non eſt de neceſſitate ipſius: ergo non eſt de præcepto Charitatis, quòd quis ſigna, & effectus particulares dilectionis inimicis exhibeat.

37 Dixi *per ſe*; quia per accidens ſæpiùs obligamur exhibere inimicis ſigna aliqua, & effectus ſpeciales charitatis. *I.* Quando ipſe inimicus humiliter veniam petit, amicè ſalutat, alloquitur, &c. tunc enim tenemur ad reconciliationem, ſalutationem, allocutionem &c. adeòque ad ſpeciale ſignum charitatis exhibendum, ut ſentiat amicitiam reintegratam eſſe. *II.* In quavis extrema, vel gravi neceſſitate ſpirituali, vel corporali, in defectu ſaltem aliorum, tenemur inimico ſuccurrere, ſicut cuivis homini non inimico. *III.* Ratione ſcandali vitandi: ſicuti ſi negando aliqua ſigna particularia benevolentiæ, majus in te odium, vel crudeliorem inimicitiam concites, vel alios etiam id advertentes ſcandalizes. *IV.* Quando exhibitione alicujus ſigni, vel beneficii ſpecialis charitatis, animum durum inimici tui Deo, & tibi faciliùs reconciliandum ſperas, & ſic ſalutem ſpiritualem inimici te lucraturum credas. *V.* Obligaberis ad aliquod ſpeciale ſignum amoris inimico præſtandum, quando id neceſſarium æſtimas ad repellendum, & vincendum tuum odium, quod in talem hominem geris in corde. *VI.* tandem: Quoties ſigna illa ſpecialia dilectionis omittere evaderet ſignum ſpeciale odii, livoris, & vindictæ privatæ erga inimicum, qui hoc facilè advertens in reciproco odio, & inimicitia obduraretur. Ita S. Thomas, Azorius, Layman, Navarrus, Suarez, Valentia, Coninchius, & Tamburinus apud Sporerium *tom. 1. Theol. Moral. tr. 2. c. 6 ſect. 2. §. 3. num. 25.* -- Anacletus *tr. 4. diſt. 6. n. 23.* Segnerus, & alii DD.

Quæro XIII. *An ſit mortale peccatum non ſalutare, vel reſalutare inimicum?*

R. *I.* Communiſſimum eſt inimicitias habentibus nolle, vel (ut ajunt) non poſſe videre, & ſalutem dicere inimicis: & difficillimum eſt, eos inducere ad hoc ſignum (quantumvis minimum) præſtandum proximo ſibi inimico. Quare inter multa: quæ in hac materia, ut brevitati promiſſæ ſatisfaciam, omitto, hoc unum omittere non valeo: Dico igitur cum DD. citatis, & ſpecialiter cum noſtro Sporerio *l. cit. numero 29. & 30.* quòd duo in hoc caſu ſunt examinanda: nempè *Intentio*, *& Significatio externa*. Si negas ſalutationem ex odio, rancore, vindicta, aliove pravo fine, vel mala intentione, utique mortaliter peccas, ut patet ex dictis. -- Si non ſalutas inimicum ex odio, (in illis ſpecialiter circumſtantiis, ex quibus prudenter colligitur, vel colligi poteſt, te omittere ſalutationem ex odio) vel vindicta propter injuriam acceptam, & cum periculo promovendi cauſam continuationis inimicitiæ, vel novi ſcandali inimici, vel aliorum, qui hoc obſervant, certè etiam in hoc caſu mortaliter delinquis ratione ſcandali. -- Nec valet dicere, omiſſionem ſalutationis non eſſe ſignum odii, vel inimicitiæ, nec eſſe cauſam excitandi inimicum ad novum odium, & animum aliorum ad ſcandalum; quia quamvis non ſit tale ſignum *per ſe* ſufficiens ad hoc cauſandum, eſt tamen *per accidens* ratione circumſtantiarum prædictarum, ergo in his circumſtantiis tenetur quiſque ſalutare inimicum; quia omiſſio ſalutationis tunc evadit externa ſignificatio odii, & cauſa vera ſcandali. 38

39 ℞. II. Inimicum amicè te ſalutantem, teneris reſalutare more patriæ; & hoc negligere, per ſe loquendo, mortale eſt peccatum. Quia poſita jam inimicitia, omiſſio reſalutationis non ſolùm imputatur Inurbanitati, ſed manifeſto livori, & odio; eſtque vera cauſa inimicitiæ continuandæ, vel denuò ſuſcitandæ, & ſcandali. *Petes*. Poſſumne in hoc caſu ſimulare diſtractionem, inconſiderationem, oculorum diverſionem, ut prudenter judicetur ab inimico, & videntibus, omiſſionem ſalutationis non ex memoria inimicitiæ, ſed ex oblivione, aliave juſta cauſa oriri? ℞. Nequaquam; Ad quid enim ita ſimulabis, niſi ad occultandum hominibus odium tuum Deo notum? Ergo de facto peccabis peccato odii, aut occultæ vindictæ.

Modi, & Regulæ Reconciliationis cum inimicis.

Quæro XIV. *Quænam Regulæ, vel modi obſervari debent in Reconciliatione inimicorum?*

40 ℞. I. Pro Reconciliatione cum inimico à te offenſo ſervandæ ſunt hæ regulæ. I. Inimicitia interna tantùm, requirit ſolam reconciliationem internam; nempè ut quis ex corde omne odium deponat, elicito contrario actu Amoris, nam Reconciliatio nil aliud eſt, quàm Amoris fraternitatis, & amicitiæ reparatio; ſi ergo ſolo corde amorem, & amicitiam in proximum diſſipaſti, nulla facta læſione externa, nonniſi corde reparare teneris. II. Qui verò exteriùs ſigno, verbo, vel facto alterum læſit, offenſam, injuriam, vel damnum intulit, ex quo inimicitiam contraxit, tenetur ex præcepto Charitatis ad reconciliationem internam, & ſimul externam, ut nimirùm, quantum poteſt, per ſe, vel per alium ſigno, verbo, vel facto veniam, & remiſſionem offenſæ ab eo poſtulet; Nam qua ratione Charitatis vinculum deſtructum eſt, eadem reparari debet. III. Veniam humiliter petere ab offenſo, vel læſo, tunc ſolùm neceſſarium eſt, quando & graviſſima fuit læſio, vel offenſa, & aliud remedium opportunum adhiberi ad reconciliationem, vel non poteſt, vel non convenit, vel non acceptatur; nam multoties aliis humanis ſignis charitatis, & amicitiæ reconciliatio procurari ſolet: relicto hoc veniam petendi rigoroſo modo.

41 Quando duæ perſonæ ſe mutuò offenderunt, & inimicitiam gravem contraxerunt: Illa perſona, quæ vel priùs, vel graviùs alteram offendit, prior eſſe debet ad Reconciliationem petendam, vel procurandam, vel alteram alloquendam, ſalutandam &c. Et quando vix poteſt fieri hæc diſtinctio prioritatis, aut gravioritatis injuriarum, tunc unicuique æquè incumbit, data occaſione, inchoare reconciliationem; niſi fortè inæqualitas dignitatis perſonæ aliud expoſtulet, arbitrio prudentis viri.

℞. II. Pro reconciliatione cum inimico, 42
qui te offendit, ſervabis has Regulas. I. Quantumlibet offenſus, vel læſus à proximo tuo, teneris ſub mortali ad veram, & ſinceram reconciliationem internam, ſimul & externam, cum inimico; ad hanc autem externam, quando proximus tibi veniam & pacem petit, opportunè obligaris (ſalva tamen juſtitia, ac jure) ad illam verò internam ſemper teneris; Quoniam Dominus Jeſus Matth. 6. expreſsè dicit: *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cœleſtis dimittet peccata veſtra*: Et quòd ex corde ſit dimittendum patet ex aliis verbis ſequentibus: *Sic & Pater veſter cœleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis de cordibus veſtris*. ibi cap. 18. -- II. Non eſt coarctandus offenſus, ut ſtatim poſt injuriam acceptam, (attrocem præſertim) det veniam, vel pacem externam petenti, ſed ſufficit, ut promittat, ſe daturum tempore opportuno ad judicium prudentis viri: excluſo ſemper omni odio deliberato, & appetitu voluntario vindictæ privatæ; & tunc dilatio reconciliationis externæ non erit ſignum inimicitiæ, ſed potiùs judicium infirmitatis naturæ humanæ. Eſt enim ſupra humanam fragilitatem velle cogere offenſum, notabiliterque læſum ad poſitivam, & perfectam reconciliationem faciendam, adhuc recenti vulnere accepto, & nedum ſedata animi perturbatione, cordiſque afflictione. Magna hic requiritur vis Divinæ Gratiæ, ad quam aſſequendam neceſſaria eſt Oratio ad Chriſtum Crucifixum, qui Patrem Æternum oravit pro ſuis crucifixoribus, & inimicis dicens: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*. Luca 23. -- III. Nullus tenetur ex præcepto Charitatis remittere inimico jus ſuum ad ſibi ſatisfaciendum, vel compenſandum pro injuria, vel damno illato; ergo ſi inimicus, qui te offendit contra juſtitiam, tibi non offerat debitam ſatisfactionem, poteris illam exigere intra,

vel

Digitized by Google

vel extra Judicium; & ad hunc finem licitè differre poteris reconciliationem, pacemque externam, quouſque tibi ſatisfaciat pro viribus ſuis arbitrio Judicis, vel boni viri.

43 *R. III* Inimicitia gravis voluntariè continuata abſque reconciliatione ſaltem interna, & cordiali, &, cùm opus eſt etiam externa, eſt unum continuum peccatum mortale, ſecundùm omnes Catholicos DD. Quia inimicitia nil aliud eſt, quàm odium continuum, adverſio diuturna, indignatio, & malevolentia adverſus proximum, ergo continuum peccatum, ſaltem habitualiter, & diſpoſitivè, quod conſtituit hominem in manifeſto damnationis ſtatu.

Unde *Regula pro Confeſſariis* eſt iſta infallibilis, quòd pœnitentem, vel confitentem in aliqua inimicitia gravi perſeverantem, nolentem reconciliari proximo, nec ex animo deponere odium, rancorem, averſionem, vindictam injuſtam: vel recuſantem exhibere proximo, etiam inimico communia Charitatis, & amoris ſigna, abſolvere non poſſunt ſub peccato Sacrilegii tam ex parte Confeſſarii abſolventis, quàm pœnitentis abſoluti. Eſt nimis certum, & clarum. Quia talis pœnitens peſſimè diſpoſitus obicem formalem ponit Gratiæ Sacramentali; ergo eſt incapax abſolutionis, etiam in articulo mortis. Et quoad praxim in hac materia (imò & in omni materia morali, & practica) videndus, & addiſcendus eſt liber parvus mole, magnus virtute P. Pauli Segneri, qui inſcribitur *Il Confeſſore Inſtruito c. 11.* -- Et examinandi ſunt pœnitentes, ut omnes DD. inſinuant ad hoc, ut valeat Confeſſarius judicare de recta, & ſufficienti diſpoſitione ipſorum, maximè in hoc facto de reconciliatione, & condonatione inimicitiæ; nam multæ reperiuntur reconciliationes verbales, non veræ, & ſinceræ; ut cum communi SS. Patrum, & DD. obſervat P. Sporer *tom. 1. tr. 2. c. 6. ſect. 3.* per totam.

Quæro XV. *Quanam eſt differentia inter Offenſam, Injuriam, & Damnum?*

44 *R.* Hæc; nam *Offenſa* eſt læſio, ſeu irritatio voluntatis alterius ad indignationem, averſionem, iram, & vindictam. Et eſt peccatum contra Charitatem proximi. Quando autem *Offenſa* fit cum læſione juris alterius, tunc ſpeciali nomine vocatur *Injuria*: quæ eſt læſio juris alterius. Hæc autem injuria poteſt fieri abſque damno alterius; nihil ſcilicet auferendo, quod ſuum erat: & tunc dicitur *Injuria ſimplex*: V. G. ſi quis alicui contumeliam inferat in verbis indignatione plenis: vel in facto, committendo adulterium cum uxore illius, nulla prole procreata; nam verbis contumelioſis læditur jus alterius ad ſuum honorem: facto verò adulterino læditur jus alterius ad uxorem ſuam; nullum tamen damnum reale infertur; ideoque eſt *Injuria* ſimplex, ſeu non damnoſa; eſt tamen contra Juſtitiam, pro qua debetur aliqua ſatisfactio: & in foro externo datur ei actio injuriarum pro ea ſatisfactione. Damnum tandem, ſeu injuria damnoſa, ſeu damnificatio injurioſa eſt læſio ſpecialis, & ſtricti juris alterius per ablationem alicujus, quod ſuum erat in bonis Animæ, Vitæ, Famæ, & Fortunæ; & huic debetur non ſolùm ſatisfactio *pro Injuria*; ſed & reſtitutio, ſeu compenſatio pro damno illato. V. G. Quis occidit maritum Bertæ, ultra injuriam, & offenſam, eam etiam damnificat in bonis fortunæ, & familiæ, quam non poteſt alere; Berta tenetur remittere offenſam, non autem injuriam damnoſam ſibi, &c.

45 Quare, ut dixi, tenemur utique condonare offenſam, non autem injuriam damnoſam; Ratio eſt; quia Charitas obligat nos remittere proximo malum ipſi indebitum, non item bonum nobis de jure debitum; atqui ſola offenſa, averſio, indignatio, & malevolentia, qua proximo tuo malè vis ad odium, & vindictam injuſtam, & malum indebitum inimico, ut proximo, ſatisfactio verò tibi (pro injuria facta) debita, & maximè reſtitutio, vel compenſatio pro damno tibi illato per injuriam damnoſam, eſt bonum tibi debitum ex juſtitia; ergo hoc debitum non non teneris remittere, ſed juſtè exigere potes; Nam non obligaris inimicum diligere extra terminos juſtitiæ, & charitatis erga te ipſum. Marchant *tom. 2. tract. 2. tit. 4. ſect. 2. q. 1. §. 3.* cum communi DD. Valentia, Reginaldus, Baſſæus, Leſſius, Suarez, & alii, quos citat, & ſequitur Sporer *tom. 1. tract. 2. ca. 6. ſect. 2. §. 2.* – Quinimò actionem Criminalem ad juſtam ſceleris vindictam inſtituere potes contra Reum, ut docet Laymann. *lib. 2. tr. 3. ca. 3. num. 3.* Hoc tamen periculoſum eſt: eò quòd pauci inveniuntur, qui in tali caſu ſolùm juſtitiam, bonum commune, & mali juſtam punitionem ſpectent, & affectent, quin potiùs cupiditatem pro-

priæ vindictæ, & expletionem odii in ipſum inimicum veraciter intendant. Et conſequenter Confeſſarius conſulere debet pœnitentes, quos viderit inclinatos ad odium, & vindictam, ut propter amorem Jeſu Chriſti Crucifixi abſtineant ſe ab omni actione criminali, ubi non intervenit damnum notabile in bonis ſuis corporalibus, vel temporalibus.

Quæro XVI. *An teneamur ex Charitate impedire malum proximi?*

46 ℟. Omnis homo titulo, ac præcepto Charitatis communis tenetur impedire malum proximi ſui, non tantùm ſpirituale, (quod eſt peccatum, vel peccandi periculum) ſed etiam quodvis malum injuſtum corporale, Vitæ, Famæ, Fortunæ: quando abſque proprio detrimento poteſt: & quando, & quoties neceſſitas, vel miſeria proximi exigit, & nullus alius ſit, qui poſſit, aut velit ei ſuccurrere. Quia *bonum facere*, *& malum impedire* æquipollent: adeòque ſicut omnis, qui commodè poteſt, tenetur ex Charitate proximo ſuo bonum facere in omni extrema, vel gravi neceſſitate ejus, ſpirituali, & corporali: ita & malum ejus injuſtum, vel injuriam damnoſam impedire tenetur ſub mortali, juxta univerſalem legem naturalem: *Quod tibi vis fieri, fac & tu alteri*: Et Divinum mandatum: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. – Et olim Eccleſiaſticus *c. 17. Et mandavit Deus unicuique de proximo ſuo*. – Ex communi, Marchant. *cit.* §. 4. & poſt illum Sporer *cit. cap. 6. 2. ſect. 1. n. 24.*

TRACTATUS XIX.

DE ELEEMOSYNA CORPORALI, & ſpirituali erga proximum.

Quæro I. *Quid eſt Virtus miſericordiæ?*

1 *Reſpondeo*: Eſt Virtus Moralis Charitati Theologicæ valdè affinis, quæ ſic à D. Auguſtino definitur: Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, qua utique, ſi poſſumus, ſubvenire compellimur: *ſupple*: miſeriæ proximi: Hujus eximiæ virtutis actus externus generatim dicitur *Eleemoſyna*: quaſi miſerans ſubventio. Et quia homo conſtans Anima, & corpore, poteſt in utraque parte miſeriam pati, & miſericordiæ ſubventione indigere, hinc duplex eſt Miſericordia, *corporalis*, *& ſpiritualis*: Et opera ejus duplicia, corporalia nempè, & ſpiritualia; atque utrinque communiter à Sanctis Patribus enumerantur ſeptem, de quibus latiſſimè S. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 2. *& ſeqq.*

2 Opera miſericordiæ corporalia ſunt hæc. I. Paſcere eſurientem. II. Potare ſitientem. III. Veſtire nudum. IV. Viſitare infirmum. V. Redimere captivum. VI. Colligere peregrinum. VII. Condere, vel ſepelire mortuum. Unde Verſus, ſeu Verba:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Quæ omnia comprehenduntur ſub nomine Eleemoſynæ corporalis. – Opera Spiritualia miſericordiæ ſunt iſta. I. Docere ignorantem. II. Conſulere dubitanti. III. Solare mœſtum. IV. Corrigere, & caſtigare errantem. V. Ferre, vel tolerare oneroſum. VI. Remittere injuriam. VII. Orare pro vivis, & defunctis. Unde Verſus, vel Verba:

Doce, conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Quæ pariter omnia includuntur nomine Eleemoſynæ ſpiritualis. In præſenti verò agemus de Eleemoſyna corporali ſtrictè capta, prout cadit ſub præcepto: poſtea de Correctione fraterna.

Quæro II. *Quid eſt Eleemoſyna corporalis?*

℟. Sic definitur à S. Thoma. Eſt opus 3
miſericordiæ, quo datur aliquid indigenti ex commiſeratione propter Deum. Ubi advertendum, quòd hæc definitio competit ſoli eleemoſynæ meritoriæ apud Deum: adeòque conſideratur ut opus miſericordiæ imperatum à Charitate; Nam ſi conſide-

ſideretur ut actus ſolius Virtutis moralis miſericordiæ, poteſt ſic deſcribi: videlicet: Eleemoſyna corporalis eſt opus miſerationis, & beneficentiæ in proximum, qua ſublevatur miſeria alterius ex commiſeratione naturali.

4 Certum autem eſt, Eleemoſynam, ut imperatam à Charitate eſſe de conſilio, utpotè opus valdè meritorium, Deo gratiſſimum, maximè ſatisfactorium, & impetratorium, quo nil ſæpiùs in Sacris Scripturis commendatur, eique præſtantiſſimi effectus tribuuntur, ut videre eſt in lib. Tobiæ cap. 4. & 12. *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, purgat peccata, facit invenire miſericordiam, & vitam æternam*. Et Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: De cujus uberrimis fructibus pleni ſunt libri, & Hiſtoriæ Sacræ: inter quos legendus eſt, ille, cui titulus: *La cauſa de Ricchi limoſinieri verſo li poveri*: compoſitus à P. Pinamonte. At hic loquimur de Eleemoſyna corporali moraliter capta, prout eſt actus Virtutis Moralis Miſericordiæ erga proximum. Et ſic

Quæro II. *An detur præceptum poſitivum de eleemoſyna facienda?*

5 ℞. Ultra præceptum Naturale, datur etiam Divinum poſitivum mandatum, quo obligantur Divites ad dandam aliquando eleemoſynam juxta rationem neceſſitatis alienæ, & facultatis propriæ. Hoc eſt certum apud omnes Theologos. Probatur nihilominùs; De præcepto Naturali conſtat; nam generale, & primum illud principium, ac præceptum lumine naturali cognitum: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: includit hoc ſpeciale de eleemoſyna facienda: Quilibet enim in vera neceſſitate conſtitutus optimo jure naturæ vult, & exigit, ut ſibi ſubveniatur ab habente facultatem: ergo &c. -- Præceptum autem Divinum poſitivum, præter mandatum toties repetitum: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: frequenter, & ſeverè fertur in Divinis Scripturis utriuſque Teſtamenti; & ſignatim Proverb. cap. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur*. Eccleſiaſt. 4 *Eleemoſynam pauperis ne defraudes: & oculos tuos ne transvertas à paupere: Animam eſurientem ne deſpexeris: & non protrahas datum anguſtianti, &c.* -- Deuteronomii capit. 15. *Ego præcipio tibi*, dicit Dominus Deus tuus, *ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra*. -- Lucæ cap. 11. *Verumtamen quod ſupereſt date eleemoſynam*: & cap. 16. in Parabola Epulonis: *Mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt in inferno*. Quia eleemoſynam Lazaro pauperi negavit. -- Et Matthæi cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: Quare damnantur? *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c. Quamdiù non feciſtis uni de Minoribus his, nec Mihi feciſtis*. Ergo, ut obſervant Sacri Expoſitores, multi damnantur ex peccato omiſſionis eleemoſynæ, & conſequenter eleemoſyna cadit ſub præcepto Divino &c.

℞. II. Obligatio eleemoſynæ à duobus capitibus pendet, nimirùm à *neceſſitate proximi & à poſſibilitate Divitis*: ſeu ex parte Dantis, ut habeat bona aliqua ſibi ſuperflua, & ex parte Accipientis, ut habeat veram aliquam neceſſitatem. Explico ſingula capita. 6

Ex parte Dantis. Bona quis habere poteſt neceſſaria, & ſuperflua ſibi. *Bona neceſſaria ſibi*, ſunt quæ requiruntur neceſſariò ad conſervandam vitam propriam, & familiæ ſuæ: ut congruus victus, veſtitus, & domicilium pro ſe, & ſuis domeſticis; & hæc dicuntur *neceſſaria Naturæ*, *ſeu Vitæ*. Item Bona alia neceſſaria ſunt ſtatui perſonæ, ea nempè, quæ ad decentem conſervationem ſtatus, officii, & conditionis talis perſonæ pertinent: Ut conditio Civis, Nobilis, Equitis, Doctoris, Senatoris, Principis &c. Iſtæ enim perſonæ habent jus ad ſtatum, dignitatem, & conditionem ſuam moderatè conſervandam, & tuendam: ergo multa bona non neceſſaria *Naturæ*, cenſentur neceſſaria *Statui*. -- Dixi *moderatè conſervandam* ad excludendum abuſum noſtri ſæculi, quo Nobiles quidam inſatiabiles divitiis apparent, & ſummum quemque luxum reputant eſſe de ratione ſtatus, & conditionis ſuæ. 7

Hæc neceſſaria Naturæ, & ſtatui extendimur non tantùm ad neceſſitatem præſentem, & quotidianam, ſed etiam ad imminentem, & futuram, quæ communiter ſolet accidere, & moraliter certò accidit: Ut pro tempore futuræ infirmitatis, ſenectutis, educandæ, elocandæ, & dotandæ prolis &c. non item pro neceſſitatibus extraordinariis, vel imaginariis, quæ vix, vel numquam accidere ſolent perſonæ, & ſtatui, ut V.G. pro cæcitate, combuſtio- 8

ne domus, fame, ſterilitate agrorum tuorum &c. — Aliqui DD. extendunt hanc proviſionem neceſſariorum etiam ad incrementum, vel augmentum ſtatus; quia (dicunt) expedit bono communi mutatio, & melioratio ſtatus. At ſi hoc pro rationabili neceſſitate concedatur Divitibus, vix invenies in Divitibus aliquid ſuperfluum eorum ſtatui, quia numquam in eodem ſtatu permanentes ſemper appetunt altiorem gradum, pro quo omnia (aliàs ſuperflua ſtatui præſenti) ſibi videbuntur neceſſaria: & ſic facilè incident in propoſitionem duodecimam ex damnatis ab Innocentio XI. quæ ſonabat ſic: — *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad Eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.* Ad eorum autem rationem reſponderi poteſt, magis expedire bono communi ſecundùm regulas Charitatis Chriſtianæ expendere hæc ſuperflua in pauperes, quàm in mutationem meliorem proprii ſtatus; nam ſtatus ſemper in melius mutatur, quando Chriſtianè vivitur; tunc autem ſic vivitur, quando opus miſericordiæ libenter exercetur. Unde S. Leo Papa ſerm. 13. de jejun. dicebat: *Qui pecunias, & opes ſuas multiplicare immodicis optas augmentis, hoc ſanctum fœnus* (eleemoſynæ) *exerceat: & hac uſurarum arte diteſcat.* — Et Sanctus Auguſtinus ſerm. 25. de verb. Dom. *Fœcundus*, ait, *eſt ager pauperum, citò reddit donantibus fructum; Qui enim dat pauperi, non indigebit.*

9 Ex dictis facilè colligitur quænam ſint bona ſuperflua Naturæ, & Statui alicujus; Illa enim, quæ non ſunt neceſſaria ad conſervandam vitam tuam, & tuorum Parentum, filiorum, conjugis, & cæterorum tuæ familiæ, cenſenda ſunt *ſuperflua naturæ*. Illa verò, quæ omninò neceſſaria non ſunt ad ſtatum tuum præſentem moderatè conſervandum, reputanda erunt *ſuperflua ſtatui*. Ergo ex parte Divitis, vel Dantis requiritur, ut habeat bona aliqua ſibi ſuperflua, ad hoc, ut teneatur ſub mortali ad eleemoſynam faciendam. Ex quibus autem ſuperfluis bonis, an ſcilicet ex ſuperfluis Naturæ, vel Statui facienda ſit? videbimus ſtatim.

10 *Ex parte Accipientis* requiritur vera aliqua neceſſitas: quæ triplex eſſe ſolet. *Extrema* videlicet, *Gravis*, & *Communis*: quibus poteſt addi alia, *Quaſi extrema*. Neceſſitas proximi extrema dicitur, qua periclitatur vita ipſa hominis, niſi ei ſuccurras. Neceſſitas quaſi extrema eſt, quando proximo certò imminet aliquod malum morti ſimile, & æquivalens in hominum æſtimatione. Neceſſitas Gravis eſt, cui niſi ſuccurras, vitam ægrè, ac valdè difficulter ſuſtentabit: vel ſtatu, ac dignitate ſua juſtè acquiſita privabitur. Neceſſitas tandem communis, ſeu ordinaria eſt qua pauperes mendicantes laborant, & omnes egeni, qui, duro licèt labore, ægrè tamen ſe, ſuoſque quoquomodo ſuſtentant: quales neceſſitates communiores, (verè nimis communes) hoc tempore innumeri patiuntur plebeii. — *Hoc adde*, vel adverte. Si neceſſitas communis opportunè non adjuvetur, faciliter evadet gravis; Et gravis pariformiter evadet quaſi extrema: & quaſi extrema tranſiet in extremam miſeriam; ut nimis experientia docet.

11 ℞. *III.* Certum eſt, quòd habens bona ſolùm neceſſaria ſibi quoad Naturam, vel Statum, numquam per ſe tenebitur facere eleemoſynam proximo ſimili neceſſitate laboranti. Fundatur hæc reſolutio in naturali ordine Charitatis, quo quilibet quoad bona ejuſdem ordinis magis poteſt, (& quandoque debet) amare ſeipſum, quàm proximum.

12 *Quare infertur* I. Qui habet tantùm neceſſaria vitæ ſuæ, non tenetur dare eleemoſynam proximo etiam in extrema neceſſitate conſtituto: aliàs ipſemet caderet in ſimilem neceſſitatem. II. Qui habet ſolummodò neceſſaria ſtatui ſuo, non tenetur cum æquali, vel ſimili detrimento ſui ſtatus facere eleemoſynam alteri in neceſſitate gravi poſito: ob eamdem rationem. Niſi tamen iſte alter egens eſſet Perſona publica Reipublicæ valdè neceſſaria: quia tunc bonum commune proprio eſt præferendum. III. Multò minùs tenetur quis elargiri bona, ſuo ſtatui omninò neceſſaria, pauperibus in communi neceſſitate repertis: ob eamdem cauſam. Imò ei non liceret hoc præſtare egenis trivialibus, quoties redundaret in notabile detrimentum ſuæ familiæ, vel ſtatus; niſi tamen hoc vellet facere ex conſilio Evangelico, cum ſpe, & fiducia recipiendi centuplum in hac vita, & magnam mercedem in Æterna vita: juxta Divinam promiſſionem Chriſti: *Marci c. 10. v. 30.*

13 ℞. *IV* Proximo extrema neceſſitate laboranti tenetur quiſque ſub mortali ſuccurrere,

rere, non tantùm de bonis ſuperfluis, ſed etiam de aliquibus neceſſariis ſtatui ſuo. -- Omnes DD. Ratio eſt evidens: quia Ordo charitatis poſtulat, per ſe loquendo, & cæteris paribus, ut proximi vitam pluris faciamus, quàm dignitatem, & commoditatem proprii ſtatus: & multò pluris, quàm opes noſtras ſimpliciter, & ſtatui etiam ſuperfluas. Hinc ajebat D. Ambroſius: *Paſce fame morientem; ſi non paviſti, occidiſti*. Et Laymann probabiliter ſentit, Divitem contra juſtitiam peccare, ſi pauperi in extrema famis neceſſitate non ſubveniat, ſed potiùs mori ſinat; quia pauper in tali caſu habet jus petendi panem, & neceſſaria ad vitam, quæ Diviti ſunt ſuperflua: & miſer ille vel expreſsè, vel virtualiter petit, quando manifeſtat propriam neceſſitatem: conſequenter ei injuria infertur, denegando: quia contravenitur juri ejus; nam in tali extrema neceſſitate omnia communia ſunt: ideſt, cuilibet integrum manet jus naturale ad habendum ea, quibus extremè indiget.

14 ℞. V. Habens ſuperflua Naturæ, & ſtatui tenetur ſub mortali facere eleemoſynam proximo gravem neceſſitatem patienti: quando ſciat talem neceſſitatem, & alius non adſit qui debeat, & poſſit, ac velit ſuccurrere. *Et communiſſima DD. ſententia*. Ratio eſt: quia lex charitatis obligat ſuccurrere proximo in vera neceſſitate, quando ſine noſtro gravi incommodo, vel detrimento poſſumus: tenemur enim diligere proximos, ſicut nos ipſos actu interno, & externo: ſeu *non tantùm verbo, & lingua, ſed opere, & veritate*. Sed qui habet multa bona ſuperflua ſibi poteſt facilè ſuccurrere: ego tenetur. *Adde*: Quòd ſi in tali neceſſitate gravi nullus ſuccurrat, proximus noſter ſæpè cadet in extremam miſeriam. Unde Sacra Scriptura tam ſtrictè præcipiens eleemoſynas in neceſſitate proximi, non facit mentionem extremæ tantùm neceſſitatis proximi, ut nimirùm intelligatur omnis vera, & gravis neceſſitas, prout ubique intelligunt, & docent Sancti Patres; alias de raro facienda eſſet eleemoſyna à Divitibus, quia rarò accidit extrema neceſſitas: ſicque præceptum Chriſti de ſuperfluis dandis pauperibus fruſtraretur, vel vix obligaret aliquando in vita; cùm tamen dicat Apoſtolus 1. ad Timoth. c. ult. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, facilè tribuere, communicare*, (bona ſua,) *theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Ubi S. Paulus inſinuat & præceptum, & facilem, ac frequentem actum tribuendi; ergo &c. Vide Laymannum *lib. 2. tract. 3. c. 6.* qui citat multos, graveſque DD. -- Sporerium *tom. 1. tr. 3. c. 6. ſect. 2. §. 2.* citantem alios. -- Bonacinam *diſp. 3 q. 4 p. 6. n. 4 in Decal.* Maſtrium Moral *diſp. 10. n. 58.* -- Examen Eccleſiaſticum P. Felicis Poteſtatis Panormitani *tom. 1. nn. 412.* -- Toletum in Summa, ſeu Inſtructione Sacerdotum *cap. 34. & 35. lib 8.* -- Videas, quæſo, Toletum Eminentiſſimum hanc materiam *ibi cap. 35.* eminentiſſimè tractantem. -- Anacletum Moral. *tract. 4. diſt. 4. q. 4. n. 42.* Et tandem vide, ſi habes, P. Marchantium fundatiſſimum *tom. 2. tr. 2. tit. 4. ſect. 2. q. 1. §. 2. Appendice 2. De Eleemoſyna*, ubi, poſt ſextam propoſitionem, ponit Corollarium, in quo dicit: *Conſtat ſecundò*, qualiter inexcuſabilis ſit Dives Chriſtianus, qui ſciens, & videns pauperes fame, ſiti, nuditate, & aliis miſeriis confectos, ſub prætextu quòd alii adjuvabunt, etſi facultatibus ſufficientibus, imò abundantibus gaudeat, & ſine gravi detrimento ſubvenire poſſit, nihilominus opem, & operam, ac eleemoſynam denegat: mea ſententia: quòd quamvis plures ſint, qui ſciant, & poſſint ſuccurrere, ſi nullus ex illis faciat, exiſtente gravi, vel quaſi extrema neceſſitate proximi, omnes peccant mortaliter: quia ſinguli præcepto charitatis in re gravi non ſatisfaciunt, dum obligantur.

℞. VI. Habentes bona ſimpliciter ſuperflua Naturæ, & Statui ſuo, etiam ſub mortali tenentur quandoque facere eleemoſynas pauperibus communem tantùm neceſſitatem patientibus. *Eſt probabilior, Sanctis Patribus, & antiquis Theologis conformior, atque Sacris Scripturis conſentanea Sententia*. *Quoad probabilioritatem* probo. Illa ſententia eſt probabilior, quæ eſt conformior rectæ rationi; ſed hæc noſtra reſolutio eſt conformior rectæ rationi: *probo minorem*. Recta ratio dictat: *Quod tibi vis fieri, facito alteri*: Sed ſi tu eſſes unus ex pauperibus mendicantibus miſeram vitam ducens, utique optares, ut Divites quandoque tibi ſuccurrerent in neceſſariis ad victum, veſtitum &c. & ſi ægrotus jaceres, etiam peroptares, ut tibi medicamenta gratis 15

dona-

Digitized by Google

donaret ob amorem Dei, vel ob naturalem compaſſionem. Eſtne verum? Utique. Ergo & Tu dives fac ſimiliter proximis tuis pauperibus: quia hoc eſt magis conforme Legis naturæ, & recto dictamini rationis veræ, & ſinceræ. Hæc ratio magis convincit intellectum purgatum ab amore divitiarum; ergo &c.

16 Probo, *quòd ſit magis conformis SS. Patribus*. Nam Eminentiſſimus Toletus, qui optimè legit SS. Patres, dicit *l.* 8. *c.* 35. *n.* 2. hæc verba: Doctores Sancti damnant illos divites, qui in communibus neceſſitatibus non faciunt eleemoſynam ex ſuperfluis: ergo illos obligari ſub præcepto, ſentiunt. Adducam aliquot Sanctorum PP teſtimonia. D. Hieronymus: *& habetur in Decret. diſt.* 42. *c.* 1. Aliena, inquit, rapere convincitur, qui ultra ſibi neceſſaria retinere probatur. -- D. Ambroſius *& habetur diſt* 47. *Can. Sicut*. Non minùs, inquit, eſt criminis habenti tollere, quàm cùm poſſis, & abbundans ſis, indigentibus denegare. -- D Auguſtinus in Pſal. 147. Superflua Diviti neceſſaria ſunt pauperi: aliena rapit, qui iſta detinet. -- D Baſilius in Orat. in textum Luc. 12. *Deſtruam horrea mea*: loquens cum illo Divite ſic ait: At tu nonne ſpoliator es, qui, quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas? Eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi ſervas: diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides otioſum. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres. D. Jo. Chryſoſtomus homil. 34. ad populum Antioch. Neceſſitatem noſtram excedentia vult Deus non facere neceſſaria proximo: & quæ inutiliter poſita ſunt, hæc vult benè diſtribui. Tuarum rerum, ò homo, diſpenſator es. Non ad hoc accepiſti, ut in delicias abſumeres, ſed ut in eleemoſynam erogares. Et D. Gregorius Papa 3. p. Paſtoralis, admonit. 22. Incaſſum, inquit, ſe innocentes putant, qui commune Dei munus, alimenta ſcilicet terræ, ſibi privatum vindicant. -- Vides, mi Lector, tot Sanctos DD. damnantes ſuperflui retentionem ſub mortali? Multum ergo timendum eſt de opinione contraria.

17 Et quòd noſtra opinio ſit conformis antiquis Theologis, probatur. Nam Azorius *p.* 2. *l.* 12. *c.* 7. *q.* 4 dicit: Hæc noſtra Sententia communi Theologorum, & Summiſtarum conſenſu recepta eſt: ibi citat ſolemniter multos DD. antiquos: & concludit aſſerendo, & probando, quòd hæc opinio eſt vera, & tenenda. Poſtea quærit, quidnam ſenſerit de hac quæſtione S. Thomas Doctor Angelicus? Et probat cum Cajetano, citando plura loca librorum D. Thomæ, quòd Doctor iſte Angelicus ſtat pro noſtra opinione in favorem pauperum. Deinde ipſe Azorius *cap.* 8. *l. c.* cum D. Thoma ſentit, & concludit idem, dicens, quòd Divites ſæpè ſunt in malo ſtatu, vel quia avari ſunt, & lucri immoderati cupidi; vel quia ex nimio divitiarum amore eleemoſynas denegant in communibus, & ordinariis indigentium neceſſitatibus; vel quia incidunt in periculum ſubtrahendi eleemoſynam etiam in extremis, vel quaſi extremis, vel gravibus egentium neceſſitatibus: *addo*: vel quia opprimunt, aut angariant pauperes, laborantes, colonos, & artiſtas. -- Quare dixit Dominus Jeſus Chriſtus in Euang. Matth. c. 19. v. 23. *Amen dico vobis: quia Dives difficilè intrabit in Regnum cælorum: Et iterùm dico vobis: faciliùs eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum*. -- Quia cupiditas divitis eſt venenum charitatis: gloſſat Lyranus.

Præterea P. Sporer *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. 18
ſect. 2. §. 3. dicit: Iſta opinio noſtra eſt communiſſima Doctorum, præſertim Antiquorum (quos ibi citat,) & primo loco ponit D. Thomam; at locus ibi citatus, *qui eſt* 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. non eſt ad propoſitum, ut legi in textu; potius citandus eſt D. Thom. quoad hoc, *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 2 *quæſtiunc.* 4. -- *& art.* 4. *quæſtiunc.* 1. *& quodlib.* 8. *q.* 6. *art.* 12. *&* 2. 2. *q* 87. *art.* 1. *ad* 4. *& q.* 118. *art.* 4. *in corp. & ad* 2. Ex his autem locis melior eſt in propoſito ille *in* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *ad* 4. Ubi dicit: In nova lege augentur Decimæ per hoc, quòd Dominus non ſolùm decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, ſecundùm illud Lucæ cap. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*. -- Hoc unum adverto in libris Doctorum, & Theologorum, & Summiſtarum Antiquiorum, quòd nullam aliam neceſſitatem diſtinxerunt præter *extremam*, *& non extremam*: Et quod dixerunt de *non extrema* intelligitur à modernis de *gravi*, *& communi* vera neceſſitate; Nam P. Angelus à Claváſio *in*

ſua

ſua Summa Angelica V. Eleemoſyna §. 1. *in fine*, ait: Si qui habet aliquod ſuperfluum non ſolùm ſuſtentationi naturæ, ſed etiam convenientiæ ſui ſtatus, tenetur de illo facere eleemoſynam, etiam ſi non invenirentur tales, qui eſſent in neceſſitate extrema. -- Et Sylveſter *in ſua Summa Summarum V. Eleemoſyna* §. *vel q.* 1. *in fine*, ait: Habens ſuperfluum ad decentiam ſui ſtatus, tenetur dare ſub præcepto, ubi adeſt neceſſitas decentiæ, licèt non adſit extrema. Et ſic de aliis; ergo &c.

19 Quòd tandem hæc reſolutio ſit conſentanea Sacris litteris utriuſque paginæ, patet ex textibus ſuprà relatis, quibus addo clariores ſententias, 1. Joan. c. 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* -- Et Jacobi Apoſtoli c. 2. v. 14. *Quid prodeſt, fratres mei, ſi fidem quis dicat, ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum? Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis; Ite in pace; calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* -- Et Lucæ cap. 12. v. 16. Ubi loquitur Dominus de quodam Divite, cui ager uberes fructus attulit, nec habens ampliùs quò congregaret copioſiſſimam meſſem, dixit in corde ſuo: *Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi &c. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: Quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Quem locum exponens S. Auguſt. homil. 7. lib. 50. homiliarum, dicit; *Divitem iſtum non ob aliud peccatum eſſe damnatum, niſi quia omnia ſibi ſuperflua retinebat*: & ſic perituros ſibi ſimiles &c. Et pariter S. Baſilius in homil. de illo divite, aſſerit, *quòd damnatus eſt, quia neſciebat, ſe ex præcepto teneri ſuperflua diſtribuere in pauperes: ergo &c.*

20 Confirmatur ratione Theologica. DEUS omnium Pater, Dominus, & Proviſor ordinavit, & voluit, ut in hoc mundo ſint *Divites*, & *Pauperes*: illi ſuperfluis abundent, iſti neceſſariis egeant; ſicque mira providentia divitias inæqualiter diſtribuit: ut Divites per opera miſericordiæ, & Pauperes per patientiam Regnum Dei conſequantur: juxta dictum Sapientis Prov. 22. *Dives, & Pauper obviaverunt ſibi; utriuſque operator eſt Dominus Deus*; Ergo contra voluntatem Dei peccant Divites, qui bona ſibi, ſuiſque ſuperflua, pauperibus autem neceſſaria retinent, vel conſumunt in pompam, luxum, & ludum; nam contra Divinam Providentiam ire nituntur, & totius Univerſi ordinem deſtruunt.

Objicies I. Si teneremus hanc viam, & 21
opinionem, conſequens eſſet, ut omnes Divites, qui, ultra id, quod neceſſarium eſt vitæ, & decenti ſtatui ſuo, & ſuorum, bona ſuperflua retinent, damnarentur; Atqui durus eſt hic ſermo; ergo &c. ℞. cum Azorio *p. 2. lib. 12. cap. 7.* Si Divites nullam unquam per annum eleemoſynam dent egenis, & miſeris petentibus, ſine dubio damnabuntur: Secus verò ſi aliquas eleemoſynas pauperibus erogandas curent, quamvis non ſemper, vel non omnibus dent. Nos enim dicimus, & tenemus, Divites aliquandò obligari ad eleemoſynam præſtandum pauperibus in communi neceſſitate conſtitutis; ergo non eſt durus hic ſermo, niſi omninò avaris, & inhumanis divitibus, qui omnia ſibi retinent.

Petes. Quando igitur eleemoſyna eſt tan- 22
tùm opus conſilii, ſi Dives præcepto cogitur ad dandum in neceſſitatibus non ſolùm extremis, gravibus, & urgentibus, ſed etiam communibus, & ordinariis? ℞. cum eodem Azorio *c. 7. q. 6.* Opus, & actum fore conſilii, quando quis opulentus dat plus, vel pluribus, quàm debeat; aut quando liberaliter etiam non petentibus dat: aut quando in communi inopia non ſolùm dat mutuum indigentibus, ſed etiam eleemoſynam gratis, & amore Dei: aut tandem quando eleemoſynam erogat etiam ex illis bonis, quæ aliàs eſſent ſibi neceſſaria.

Objicies II. Non teneor ego Dives ali- 23
cui erogare gratis bona mea, etiam ſuperflua, quando vel prudenter exiſtimo ejus neceſſitatem eſſe valdè levem, & tolerabilem, vel ſublevandam eſſe, vel poſſe ſublevari ab aliis ditioribus; ergo in communibus, & ordinariis neceſſitatibus proximorum numquam ſub culpa gravi teneor ad eleemoſynas. ℞. cum Sporerio *tom. 1. tract. 3. c. 6. ſect. 2. §. 3.* Quando ex dictis ommittas opus miſeri-

Digitized by Google

cordiæ quandoque; aliquando tamen facias, concedo tuam opinionem eſſe tolerabilem: ſin autem, nego. Hoc eſt, ſi ſemper, vel quaſi ſemper ommittas eleemoſynas, non poſſum tibi concedere, quòd non pecces mortaliter. Ratio eſt evidens ex dictis; Tum quia hæc tua exiſtimatio te, tuoſque condivites ſæpè fallit, & obcœcat in grave damnum proximorum indigentium. Attende. In communi illa neceſſitate pauperum, moraliter loquendo, ſemper invenitur aliqua neceſſitas gravis. Et ſi nullus ſuccurrat, neceſſariò orientur graves neceſſitates plurimorum, & deinde extremæ; quo caſu omnes Divites certò ſub mortali tenentur ſubvenire; ergo in neceſſitatibus communibus, & ordinariis quilibet dives aliquando tenetur ſubvenire, ne tales miſeriæ creſcant, & fiant graves, graviores, & graviſſimæ. Quid dices ad hanc reſponſionem?

24 *Objicies III.* Plures, graveſque DD. me docent, in ſimilibus communibus, & frequentiſſimis neceſſitatibus eſſe conſilium, non præceptum dare eleemoſynas; ergo tuta conſcientia potero ſemper omittere &c. ℞. cum Toleto *l. 8. c. 35. num. 2.* Multi quidem Doctores docent, nullum ſub mortali teneri diſtribuere ſuperflua extra neceſſitates proximi graves; tamen Doctores Sancti ſentiunt contrarium, nempè etiam in aliis neceſſitatibus communibus unumquemque teneri ex præcepto; unde qui ſuperflua habent, multum debent timere; Et Confeſſarii debent illis maximè conſulere, ut diſtribuant ſuperflua; ergo ob timorem iſtum non poteris tuta conſcientia ſemper omittere opera miſericordiæ valdè inculcata à Chriſto, & Sanctis Patribus, & Doctoribus antiquis.

Quæro IV. *An gravi neceſſitate laboranti ſatisfacere poſſis mutuando neceſſaria, an verò tenearis gratis eleemoſynam dare?*

25 ℞. Cum Marchantio *tom. 2. tr. 2. tit. 4. ſect. 2. q. 1. §. 2. append. 2. dub. 3.* Si proximus tuus omninò ſit pauper, & in omnimoda neceſſitate conſtitutus, teneris gratis ſubvenire. Quia tunc urget præceptum eleemoſynæ, quæ eſt gratuita donatio, vel largitio charitativa ex natura ſua. Si autem eſt pauper ſecundùm quid, & juxta præſentes tantùm circumſtantias, tunc poteris per contractum venditionis, vel mutui ei ſuccurrere. Explico. Titius alias dives in patria ſua, dum moratur hic extra patriam incidit in gravem, vel quaſi extremam neceſſitatem: iſte ſimpliciter, & omnimodè pauper non eſt, ſed tantùm ſecundùm quid, & per accidens, ratione loci, & temporis præſentis, aut circumſtantiis carceris, vel alterius accidentis: huic itaque non teneris purè gratis ſubvenire; ſed vel mutuò, vel alio contractu, cum pacto, vel ſpe recipiendi tantundem ſuo tempore, potes, & teneris ſuccurrere; & ſic de ſimilibus, *Contrà*: Sempronius ex ſua conditione eſt omninò pauper, nec habet unde vivat; & hic, & nunc gravem patitur neceſſitatem, petitque à te auxilium, opem, miſericordiam &c. teneris gratis eum juvare, & ſublevare per eleemoſynam; *Et ſic de ſimilibus*: -- Nam verè pauperibus debetur ſubſidium ex præcepto Naturali, & Divino titulo *Eleemoſinæ*: aliàs deſtrueretur, & ad nihilum reduceretur illud expreſſum, & formale mandatum: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* (Vide etiam Azorium *p. 2. l. 12. c. 9. q. 1.* hanc difficultatem optimè reſolventem.) Allis autem perſonis, quæ per accidens gravem patiuntur neceſſitatem, debetur auxilium titulo *miſericordiæ*, qui titulus expleri poteſt per aliud opus miſericordiæ, ut puta per mutuum, commodatum &c. Neque enim *idem eſt miſericordiæ opus facere, quòd eleemoſynam largiri*; quia latiùs patet opus miſericordiæ, quàm opus eleemoſynæ; Etenim opus eleemoſynæ eſt quædam diſtincta ſpecies miſericordiæ in communi. Ex hac doctrina poteris multos reſolvere caſus.

Quæro V. *De quibusnam bonis facienda eſt eleemoſyna?*

℞. Senſus quæſiti præſentis non eſt, an 26
ſit facienda eleemoſyna de bonis tantùm ſuperfluis, an verò quandoque de neceſſariis; quia ſatis egimus de hoc ſuperiùs; *num. 11. 12. & ſeqq.* Sed eſt ſenſus, an facienda ſit de bonis propriis, vel alienis, de juſtè, vel injuſtè acquiſitis; Unde pono has reſolutiones breves?

℞. *I.* In extrema neceſſitate proximi quivis poteſt, & tenetur ſuccurrere ex propriis bonis: & ſi propria non habet, etiam de bonis alienis. Quia Eleemoſyna eſt quædam gratuita largitio; nullus autem poteſt alteri largiri, niſi quod ſuum eſt, aut de aliqua licentia ejus cujus proprium eſt. In neceſſitate autem extrema,

quoad

Digitized by Google

quòad uſum neceſſarium, omnia ſunt communia jure poli, ſeu jure naturæ: ergo &c. Unde deduces, quòd in hac extrema neceſſitate proximorum, ſi non ſuccurrant Mariti, Parentes, Domini, Prælati &c. poſſunt, debent ſuccurrere Uxores, Filii, famuli, ſubditi &c. etiam illis invitis; tali enim caſu eſſent irrationabiliter, & inhumaniter inviti.

27 ℞. *II.* Conſtitutus in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate poteſt licitè accipere, ſurripere, & abripere rem alienam, qua ſublevet ſuam, & ſuorum egeſtatem, quando alio modo hic, & nunc non valet talem neceſſitatem propulſare. Quia in articulo, vel periculo extremæ, vel ſummæ miſeriæ, & neceſſitatis res corporeæ uſui humano neceſſariæ evadunt communes; nam quamvis jure Gentium facta ſit diviſio bonorum temporalium, ut *hoc ſit meum, illud tuum*, ſemper tamen manet jus naturale, & ordo, quo res iſtæ cunctæ ſunt propter vitam hominum conſervandam; Unde fit, quòd adveniente neceſſitate conſervandæ vitæ hujus, vel alterius hominis res, quæ proprium dominum habent, communes ſunt quoad uſum; Ergo ſi ille dominus mihi non det rem neceſſariam ſimpliciter, poſſum eam accipere &c. quia jus habeo ad eam uſurpandam.

28 ℞. *III.* In gravi tantùm neceſſitate poſitus non poſſum licitè auferre rem neceſſariam mihi à Domino inſcio, vel invito: & ſic conſequenter non licebit alteri de alieno, vel invito Domino, dare mihi ſubſidium eleemoſynæ. Quia hoc prohibetur *in cap. Si quis de furtis*, cum Gloſſa ibi. Tum quia in ſola neceſſitate gravi (multò minùs in communi) nullum jus habeo ad rem alienam: ergo ſi illam ſubripiam, committo furtum. – Nec valet dicere: Dives tenetur de bonis ſibi ſuperfluis dare mihi eleemoſynam; ergo ſi non dat, poſſum eam ſubripere: Quia, quando ſunt multi gravem neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri, committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio propriæ rei: ergo licèt dives teneatur dare, non tenetur tamen tibi potiùs, quàm alteri dare. Vide propoſ. damn. la *36.* ab Innoc. XI.

29 ℞. *IV.* De alienis bonis incertis, ſeu certæ perſonæ non debitis, vel ſubjectis, quorum ſcilicet Dominus ignoratur, vel longè abeſt, ut ei reſtitui numquam moraliter poſſint, poteſt: & debet fieri eleemoſyna pauperibus, ſicut etiam de bonis malè acquiſitis per uſuram, & Simoniam. Sed tunc non eſt propriè eleemoſyna, nec opus miſericordiæ, ſed quædam reſtitutio, & opus debitum ex juſtitia. – De illicitè tantùm acquiſitis: ut lucra meretricis, lenonis, ſiccarii, hiſtrionis &c. eleemoſyna fieri poteſt: & in neceſſitate vera proximi etiam debet fieri. – D. Thomas: Laymann: Sporer: & alii &c.

30 ℞. *V.* Quando debitor, & creditor ſimul in extremam neceſſitatem devenerunt, debitor jure ipſo cogitur ad ſolvendum creditori quod debet, & habet apud ſe; Quia duplici jure, ac titulo res creditori debetur: ratione nimirùm rei acceptæ, & ratione neceſſitatis extremæ. Alii tamen tenent oppoſitum: quia, dicunt, quod quoad uſum talis res evaſit communis: & quia melior eſt conditio debitoris, qui tunc poſſidet talem rem. – Quid, ſi quis extrema egeſtate preſſus abſtulerit rem alienam, redacto quoque Domino illius rei in eamdem inopiam? Debet omninò reſtituere: quia ſicut peccavit in auferendo, ſic etiam peccat in retinendo; eſt enim violentus, non legitimus poſſeſſor. *Et in pari neceſſitate melior eſt conditio innocentis.* Azorius cum multis DD.

31 ℞. *VI.* Qui habent bona propria, & ſimul aliena, non poſſunt ex alienis ſuccurrere extremè indigenti; quia obligatio eſt tibi perſonalis, & realis, qui ſcis, potes, & teneris ex tuis bonis ſubvenire &c. Ex alienis enim eſſe liberalem, ſpecie furti eſt. Et Prov. 3. dicitur: *Honora Dominum de tua ſubſtantia.*

Quæro VI. *Quinam poſſint facere eleemoſynam?*

32 ℞. Solùm ii, qui dandi, vel donandi jus, & poteſtatem habent. – De licentia autem tacita, vel expreſſa Virorum ſuorum poſſunt Uxores moderatas dare eleemoſynas de bonis communibus; nam de propriis extradotalibus nulla eſt difficultas. Idem dicendum de filiisfamilias in rebus parvis. Idem de famulis. Idem de Religioſis &c. Vide Azor. *part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 10. Sylveſt. *in Sum. V. Eleemoſyna.*

Quæro VII. *Quibus facienda ſit eleemoſyna?*

33 ℞. Ex præcepto danda eſt eleemoſyna ſolis,

ſolis, & veris pauperibus, qui ſuis manibus, labore, & induſtria operari, & lucrari non poſſunt, aut non inveniunt quid laborent. Etiam malis, peccatoribus, & inimicis pauperibus danda eſt; niſi tamen propter ſecuritatem cibi, & victus juſtitiam negligerent; quia tunc ſubtrahenda eſſet eleemoſyna. Maximè tamen danda eſt Religioſis perſonis, quæ voluntariam propter Chriſtum paupertatem ſequuntur. -- Deputatus ad diſtribuendum certa bona pauperibus in communi, diſtribuere poteſt inter pauperes ſuos conſanguineos, niſi tamen alii in graviori eſſent neceſſitate. -- An verò qui fingit paupertatem, peccet accipiendo eleemoſynam, & ad reſtitutionem teneatur? Dico: Quòd peccet, eſt certum; quia eſt cauſa efficax impediens ſubventionem verorum pauperum. Quòd verò teneatur reſtituere, vel dare aliis pauperibus veris, eſt dubium; verumtamen ſi me practicè conſulas, pro reſtitutione conſulerem.

Quæro VIII. *Quo ordine largienda ſit eleemoſyna?*

℟. *I.* Tibi, tuiſque conjuctis, conſanguineis, & affinibus debes ſubvenire. *II.* Amicis, notis, civibus. *III.* Extraneis: (cæteris tamen paribus) quia tanta poſſet eſſe neceſſitas in extraneo, ut is noto, & conjuncto præponi deberet. Quare circa hoc diſcretionis ratio adhibenda eſt ſecundùm differentiam neceſſitatis, conjunctionis, Sanctitatis, & utilitatis perſonarum: quia multò ſanctiori, & magis indigenti, & magis utili ad commune bonum (ut ſunt Religioſi, & Religioſæ mendicantes) potiùs danda eſt eleemoſyna, quàm perſonæ propinquiori, maximè ſi non ſit multùm conjuncta, cujus ſpecialis cura nobis immineat, & ſi neceſſitatem magnam non patiatur. Sylveſter *in Summa V. Eleemoſyna* cum D. Thoma, & aliis. 34

TRACTATUS XX.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

Quæro I. *Quid eſt correctio fraterna?*

1 *Reſp.* Eſt admonitio conveniens, qua ex charitate, & miſericordia proximum noſtrum à malo culpæ, vel periculo peccati ad bonum honeſtatis, & virtutis convertere nitimur. Et eſt duplex. Una ſcilicèt oſtenſiva, & directiva tantùm, quæ dicitur propriè *Correctio*: & eſt admonitio fratris vel proximi, ut ſuprà definita eſt; & hæc pertinet ad omnes, tam ſubditos, quàm Superiores. Altera eſt coactiva, & punitiva, quæ vocatur propriè *Correptio*: eſtque punitio peccatorum à Superiore facta ad conſervationem juſtitiæ: & hæc convenit ſolis Superioribus, & Prælatis. Ita Sylveſter *in ſumma*. Communiter tamen *correctio*, & *correptio* cum addito hoc *fraterna* pro eadem ſumuntur. Explico primam definitionem.

2 *Eſt admonitio conveniens*: facta nimirùm cum debitis conditionibus, quæ ſunt tres, ut ſcilicèt ſit *ſecreta*, *charitativa*, & *opportuna*; ut videbimus. -- *Qua ex charitate, & miſericordia*; quia correctio fraterna eſt actus Charitatis volentis proximo bonum, maximè ſpirituale: & nolentis malum oppoſitum, adeòque conantis amovere illud pro poſſe. Et eſt actus miſericordiæ ſpiritualis condolentis proximi miſeriam veram, quæ eſt peccati malum, eamdemque pro poſſe conantis ſublevare, vel tollere: juxta Pſ. 140. *Corripiet me Juſtus in miſericordia, &c.* -- *Nitimur convertere proximum &c.* quia finis ejus, qui corripit, delinquentem, debet eſſe talis, ut intendat ſolam emendationem proximi, ſi jam peccavit, vel impedire ne peccet, ſi jam in periculo, vel procinctu peccandi exiſtit. Et hoc ex motivo charitatis, & amoris proximi facere debet, juxta illud D. Auguſtini Serm. 16. de verbis Domini. *Debemus*, inquit, *amando corrigere, non nocendi cupiditate, ſed ſtudio corrigendi.*

Quæro II. *Daturne præceptum de correctione fraterna facienda?*

℟. Affirmativè: & quidem duplex, na- 3
turale

turale nempè, & Divinum poſitivum *Præceptum naturale* patet; Nam ſicut (ut vidimus) præcepto naturali obligamur ſublevare proximi miſeriam corporalem per eleemoſynam: ita eodem præcepto multò magis obligamur ex charitate, & miſericordia ſublevare miſeriam proximi ſpiritualem Animæ &c. Et ſicut eleemoſyna obligat nos quandoque ſub mortali, ita à fortiori correctio fraterna. – Præceptum verò Divinum poſitivum ſæpiſſimè inculcatur à S. Scriptura. Eccl. 19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci: aut ſi fecerit, ne iterùm addat facere: Corripe proximum, ne fortè iteret. Corripe amicum: Sæpè enim fit commiſſio. Corripe proximum, antequàm commineris.* – Epiſt. 2. ad Theſſalon. c. 3. *Nolite quaſi inimicum* (fratrem peccantem) *exiſtimare, ſed corripite, ut fratrem*, & alibi; ſed clariſſimè Magiſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Euang Matth. cap. 18. v. 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; &c.* Ubi per particulam iſtam *in te* non ſignificatur ſolùm peccatum proximi commiſſum *contra te*; ſed omne peccatum commiſſum, vel committendum *coram te*: ideſt, te vidente, aut te certò ſciente; quia rectè hoc intelligitur etiam fieri *in te*, vel *contra te*, quia tibi ſcandalum ponit, vel ſaltem juſtam indignandi cauſam præbet; tum quia obligat te ad correctionem, ne ejus peccati fias particeps; unde mox ſubjungitur præceptum; *Vade, & corripe eum*. Sic explicant Gloſſa *in cap. Si peccaverit*: 2. *q.* 1. Patres, & DD. communiter cum D. Auguſtino ſerm. 16. cit. de verb. Dom.

Quæro III. *Quandonam obligat nos hoc præceptum de fraterna correctione?*

4 ℞. *I.* Certum eſt, hoc præceptum, quia eſt affirmativum, non obligare ſemper, & ad ſemper, ſed aliquando pro loco, tempore, & aliis circumſtantiis. Tunc autem obbligare cenſetur, quando ſimul concurrunt hæ circumſtantiæ. I. Si adſit materia ſufficiens. II. Si habeatur certa notitia peccati proximi. III. Si refulgeat ſpes emendationis. IV. Si opportunitas correctionis urgeat. Una ex his conditionibus deficiente, non obligamur corrigere &c. Explico ſingulas.

5 *Si adſit materia ſufficiens*. Regulariter loquendo, non tenemur corrigere proximum niſi de peccato mortali commiſſo nondum emendato, aut quando eſt periculum moraliter certum de eo committendo. Ergo non tenetur quis (ut perſona privata eſt) corrigere proximum de peccatis mortalibus, ſi ſciat, vel prudenter credat, peccantem mox ſe emendaturum ex ſe; vel jam ſe emendaſſe; vel non adeſſe periculum reiterandi tale peccatum; vel proximum peccaſſe ex ignorantia invincibili. Layman *cum Gloſſa in cap. cit. Si peccaverit, &c.*

Certa notitia peccati. Ut quis teneatur 6
ad correctionem fraternam, debet certò ſcire proximum peccaſſe mortaliter, vel peccare velle. Ergo rejicienda ſunt omnia judicia temeraria, ſuſpiciones, dubia, & rumores incerti de tali, vel tali peccato proximi; quia hæc potiùs ſunt contra charitatem, imò & juſtitiam; & ſi credantur, atque ex his conjecturis proximus corrigatur, læditur fama ipſius. Multò minùs ex profeſſo in aliorum vitam, & mores debet privatus, & ſubditus inquirere, ſcrutari, reflectere, & attendere ad finem corrigendi; nam hoc eſt officium proprium Superiorum.

Spes emendationis. Neceſſariò requiritur, 7
ut habeas certam, vel ſaltem probabilem ſpem emendationis, & fructus in corrigendo fratre tuo. Nam ceſſante fine, ceſſat ratio operandi propter talem finem; finis autem correctionis fraternæ, eſt (ut vidimus) emendatio, & utilitas correcti: qua deſperata, fruſtrà fieret correctio, imò ſæpiùs obeſſet, ſi fieret, ut docet experientia. Unde ratione hujus conditionis deficientis excuſantur plerique non magnæ perfectionis, vel authoritatis homines à correctione facienda. Et minus tenetur privatus corrigere peccantem, quando prævidetur deterior inde futurus; vel exarſurus odio, ira, vindicta; vel correctionem ſuam contempturus; vel audaciùs peccaturus; ut dixit Sapiens Prov. 9 *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.*

In hac conditione excipiuntur Superio- 8
res, & Concionatores, quorum officium poſtulat præſtare quantum præſtare poſſunt in corrigendis vitiis, & peccatis ſubditorum, & populorum, non ſolùm ex charitate ad ipſorum bonum particulare, ſed etiam ex juſtitia ad bonum commune, etiamſi talis correctio non prodeſſet, ſed obeſſet correpto; quia ſemper

aliis

aliis prodeſt, vel poteſt prodeſſe publica peccatorum correptio; juxta dictum Apoſtoli 1. ad Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Et 2. ad eumdem 4. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa &c.* Sed de hac correptione hic non loquimur, ubi agimus tantùm de correctione fraterna, & privata, quæ fit in gratiam ipſius correcti.

9 *Opportunitas correctionis*; Attendendæ enim ſunt omnes circumſtantiæ perſonæ, modi, temporis, & loci, ut opportuna, & utilis ſit correctio. I. *Perſonæ*. Nempè ex parte perſonæ corripientis, & correptæ. *Corripientis*; Ut ipſe corrigens idoneus prudenti judicio cenſeatur ad hic, & nunc corrigendum hunc peccatorem; Ad hoc autem, ut quis ſit idoneus ad corrigendum, non requiritur, quòd ſit par, vel æqualis corrigendo; nam etiam inferior Superiorem peccantem corrigere poteſt, & debet; niſi adſit alius magis idoneus ad hoc. Ubi enim adeſt magis aptus, non tenetur minùs aptus corrigere &c. Benè quidem requiritur, quòd ſit immunis à delicto, quod vult in alio corrigere. Si enim eſſes in ſimili, vel majori peccato conſtitutus, quâ fronte poſſes corrigere proximum? Tibi fortè diceret: *Medice, cura te ipſum.* Munus correctionis proprium eſt Juſtorum, ut dicit Propheta Pſal. 140. *Corripiet me Juſtus* &c. Nihilominus in defectum aliorum magis idoneorum etiam peccator tenetur corrigere peccantem; ita tamen ut in tempore correctionis peccatum ejus non appareat, ſed emendatum ſit, vel emendetur antequàm alius corrigatur.

10 *Ex parte verò perſonæ corrigendæ* attendenda eſt opportunitas loci, temporis, & modi: *Loci*, ut fiat correctio in privato loco, ne proximus nimiùm confundatur coram aliis: *Temporis*, ne ſtatim fiat poſt patratum delictum, aut ne fiat quando peccator eſt conturbatus, vel alia paſſiones agitatus: *Modi*, ut correctio fiat verbis charitate, & diſcretione plenis. *Verba ligant homines, taurorum cornua funes.* Aliter enim corripiendus eſt inferior, aliter æqualis, aliter ſuperior, aliter doctus, aliterque ignarus. Charitas te docebit. Ora Deum, ſpera in eo, & ipſe tecum erit.

11 Ad prædictam opportunitatem reducitur etiam commoditas perſonæ corrigentis: Ut ſcilicèt quis commodè poſſit facere correctionem abſque ſuo gravi incommodo, vel periculo; Nemo enim privatus tenetur corrigere peccantem cum tanto rigore, ut ipſe exponatur diſcrimini gravis alicujus mali, vel mortis: niſi fortè in extrema neceſſitate proximi: V.G. Si corrigendus eſſet moriturus in peccato mortali, & corrigens eſſet in ſtatu gratiæ, cum probabili, vel certa ſpe ſalutis Animæ illius.

Ita *Sporer, Buſembaus, Scotus, Navarrus, & alii.* — At multi D. D. tenent, etiam cum gravi tuo incommodo corporali, imò & periculo vitæ te eſſe obligatum corrigere peccantem, ſi ſcias, profuturam eſſe tuam correctionem fraternam alicui, ut à peccato diuturno liberetur, & non adeſſe alios, qui faciant, aut velint facere hujuſmodi charitatem. Quia, dicunt, vita ſpiritualis proximi præferenda eſt vitæ noſtræ corporali. Ita Azorius *p. 2. lib 12. c. 15. q. 3.* Toletus *l. 4. c. 10. n. 2. in fine.* Et Angelus *in ſumma* Angelica *v. Correctio fraterna*, §. 1. Ubi dicit: Secundò poteſt omitti cum peccato mortali, quando ſcilicet homo ſperat poſſe fratrem à peccato trahere, & tamen propter incommodum corporale vel temporale omittit; quia tunc ordinem charitatis pervertit, plus diligens bonum temporale ſuum, quàm Animam proximi. — Certum tamen eſt, quòd qui facilè poteſt impedire peccatum mortale fratris, vel proximi ſui, & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. Ita Laymann, Suarez, Sanchez *moral. lib. 6. c. 18. & alii.*

Ex dictis colligitur. I. Quòd, poſitis 12
omnibus ſupra explicatis conditionibus, quilibet homo, etiam privatus ſub mortali tenetur corrigere peccantes, & certò mortaliter peccat, omittens, quando facilè, & commodè corrigere poteſt. II. A multis DD. excuſantur ſaltem à mortali qui ob naturalem timorem, verecundiam, puſillanimitatem &c. omittunt quandoque correctionem fraternam; *Item* qui non advertunt, ſe ad hoc tam ſtrictè obligatos eſſe: vel ſe minùs idoneos exiſtimant. III. Apud privatas perſonas, maximè idiotas, & ſæculares non adeò ſæpè currit hæc obligatio gravis: quia rarò concurrunt omnes ſimul conditiones &c. IV. At ſæpè apud ſuperiores tam Sæculares, quàm Regulares, & Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticos currit hæc obligatio: quippè qui invigilare, & explorare tenetur ſuper vitam, & mores ſuorum ſubditorum: dupliciquе titulo, Charitatis nempè, & Juſtitiæ ad corrigendos errores non ſolùm graves, verùm etiam leves, & frequenres ſuorum filiorum, & ſubjectorum, maximè tenentur, ut communiter docent DD. *cum* D. Thoma 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *& ſeqq.* -- Sylveſtro, Angelo, Laymann, Maſtrio, Sporerio &c.

Quæro IV. *Qualis ordo ſervandus eſt in correctione fraterna facienda?*

13 R. *I.* Modus, & ordo ſervari debet, qui exprimitur in Euangelio Matth. c. 18. nempè, ut monitio, ſive fraterna correctio ſit ſecreta. *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Et ſi hæc correctio non ſufficiat, iterùm fiat alia coram teſtibus. *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos* &c. Et ſi frater iſtis modis non emendetur, dicatur Superiori Eccleſiæ. *Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Et tandem ſi non reſipiſcat, habeatur pro incorrigibili. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* -- Ratio hujus ordinis, Divinique mandati fundatur in Jure naturali *de non nocendo proximo*: & ut correctio fiat, quantùm poteſt, cum minimo damno proximi; hoc autem fit, ſervando dictum ordinem; ergo eſt obligatio ex ſe gravis de tali ordine ſervando; niſi adſit cauſa urgens non ſervandi; ut videbimus.

14 R. *II.* Primus modus de ſecreta correctione *inter te, & ipſum ſolum*, obligat, in peccatis ſecretis, & occultis, non autem in publicis, & manifeſtis; quia peccata ſecreta ſecretò, publica verò etiam publicè debent argui; Nam, ut inquit S. Auguſt.; *Si ſolus noſti, quia peccavit in te,* (idest te ſolo conſcio, & teſte) *& eum vis coram aliis arguere, non es corrector, ſed proditor.* -- Ergo quandocumque peccatum proximi eſt occultum, nec Communitati ſpecialiter pernicioſum, nec in damnum tertii cadens, & correctio ſecreta ſatis profutura ad emendationem peccantis ſperatur, adhibenda eſt correctio ſecreta: Et, ea prætermiſſa, aſcendere ad alium modum, & ordinem correctionis, mortaliter illicitum eſt; quia tunc non eſſes corrector, ſed proditor: nam injuſtè infamares proximum in materia gravi.

15 R. *III.* Quòd tibi valdè probabile videatur, correctionem ſecretam nil vel non ſatis profuturam, vel ſubeſſe periculum relapſus, pejoriſque peccati, & maximè in damnum tertii, vel Communitatis, tunc licitum tibi erit, omittere ſecretam correctionem, & adhibere teſtes, vel etiam denunciare delinquentem Superiori, ut ipſe paternè, & charitativè melius corrigat & efficaciùs provideat. Qui tamen in terminis meræ correctionis fraternæ ſiſtere debet, nec pro tunc ad punitionem publicam procedere poteſt; ut docent communiter DD., & ratio ipſa naturalis dictat, & charitas mandat.

R. *IV.* Quando quis ſponté cedit Juri ſuo, & permittit, ut defectus ſui immediatè denuncientur Prælato, (ut Patri) tunc etiam licitè prætermittitur primus, & etiam ſecundus gradus ordinis correctionis fraternæ; quia volenti, & talem Religionem Ordinem, àc Regulare Inſtitutum ſcienter ſuſcipienti cum tali onere, nulla fit injuria: ut (ex Conſtitutionibus, & Statutis à Romano Pontifice confirmatis) accidit, & fit in nònnullo Regularium Inſtituto. 16

R. *V.* Quotieſcumque peccatum proximi tui, etiam aliàs ſecretum, futurorum eſt pernicioſum Communitati, Reipublicæ, vel Eccleſiæ, (ut V. G. Prohibitio, conſpiratio, hæreſis, & omnes caſus in Edicto Sancti Officii Inquiſitionis) denunciare debes Superiori, vel ei, ad quem ſpectat tale malum avertere, impedire, & punire &c. Ratio eſt, quia in tali caſu correctio fraterna, & ſecreta non urget, benè quidem correptio punitiva, coactiva, & publica ad conſervationem juſtitiæ, & boni communis. Tum quia bonum totius Communitatis præferendum eſt bono privato: & averſio mali communis præferenda eſt averſioni mali privati. Tum quia, ut experientia docet, in ſimilibus caſibus correctio fraterna non prodeſt, nec ſufficit ad impediendum maleficium futurum, & imminens Communitati. Tum quia tale peccatum non nocet ſolùm peccanti, ſed omnibus: ergo non ei debetur ſola correctio, ſed correptio propriè capta. Tum denique quia ſic mandarunt Summi Pontifices in caſibus ſimilibus, ut nimirùm non præmittatur correctio fraterna, ſed ſtatim fiat denunciatio ad Superiores Eccleſiæ; hoc ultimum probatur melius ſic. 17

Nam Alexander Papa VII. in Decreto incipiente, *Licèt aliàs* &c. edito de anno 1660. 18

1660. declaravit, omnes, qui ſciunt aliquem eſſe hæreticum, vel etiam leviter ſuſpectum de hæreſi, teneri ad eum denuntiandum Ordinario, vel Inquiſitori, nulla etiam præmiſſa Correctione fraterna. — Et Gregorius XV. in Bulla incipien. *Univerſi Dominici gregis*. data anno 1622. expreſsè mandat omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis Confeſſariis ſollicitos ad inhoneſta, admoneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes Inquiſitoribus &c. quòd ſi hoc officium admonendi prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum &c. pro modo culpæ puniantur ab iiſdem Inquiſitoribus. -- Ergo Papa vult in his delictis tam enormibus, ac Eccleſiæ Dei tam pernicioſis, ut non præcedat fraterna correctio, ſed ſtatim fiat denuntiatio. -- Et eandem Alex. VII. anno 1666. damnavit inter alias hanc propoſitionem n. 5. dicentem: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis*. Quare non potes probare? Quia tibi ſoli notum eſt ejus delictum. Ergo delicta hujuſmodi occulta non petunt correctionem, ſed punitionem: non fraternam admonitionem, ſed judicialem denuntiationem. V. P. Vinc. Candidum, *diſq. 5. art. 2. dub. 5.* -- Felicem Poteſtatis *tom. 2. n. 257.*

19 ℟. *VI.* Ubicumque peccatum proximi mortale inemendatum manet, & ſecreta admonitio inutilis omninò videtur, denuntiandum eſt immediatè Superiori, ut Patri, non ut Judici; Nam opus eſt, ut bonum verum proximi, quod eſt ejus emendatio, & ſalus animæ, procuretur per medium magis efficax, & minùs confuſibile, quàm fieri poſſit. Tum quia Prælatus, vel Superior præſumitur magis idoneus ad fratrem, vel proximum corrigendum, & juvandum, quàm alii; ergo &c.

20 ℟. *VII.* Quando peccatum proximi vergit in damnum Tertii: Si detrimentum, quod Tertio infertur, præponderet famæ peccantis; tunc vel Tertius eſt admonendus, ut caveat, vel Superior, ut emendet. Ratio eſt, quia Charitas ad omnes habenda eſt, & ſic poſtulat fieri; Neque enim teneor ſervare famam peccantis in majus detrimentum alterius proximi. Quod à fortiori dicendum, & agendum eſt, quando peccatum occultum proximi ſervit in grave detrimentum plurium, & fraterna correctio non eſt ſufficiens ad impediendum efficaciter damnum ſecuturum. Ratio eſt evidens: quia ordo præſcriptus in Euangelio in his caſibus nequit ſervari ſine damno Tertii, vel plurium: & proximi fama non poteſt commodè ſervari abſque præjudicio aliorum. Tum quia plurium ſalus debet proferri famæ unius: & Euangelica correctio intelligenda eſt obligare, ubi, & quando aliud non obſit ex parte objecti, materiæ, & aliarum circumſtantiarum, Et tandem quia melius eſt conſulere conſcientiæ, quàm famæ proximi; ergo &c.

Ex dictis colligitur verus ordo practicè ſervandus in hac materia perdifficili; nempè I. Peccans ſecretò in damnum ſui ipſius monendus eſt ſecretò ſemel, vel pluries, quamdiù ſpes de correctione habetur probabilis. II. Dicatur Prælato ut privatæ perſonæ, velut teſti potenti, & adjuvanti. III. Inducantur alii teſtes, ſi emendatio probabiliter ſperatur. IV. Denuntietur Prælato Eccleſiæ, aut perſonæ publicæ. — Quando autem peccatum proximi eſt in damnum Tertii, & aliorum, ſi admonitio ſecreta non ſufficiat, denuntietur Superiori, ut Patri, deinde ut Judici. -- Et tandem ubi peccatum eſt publicum, denuntiandum eſt Superiori, vel ut Patri, vel ut Judici ſecundùm exigentiam cauſæ. 21

Tandem ex dictis diſcooperitur velata illa charitas multorum, qui proximi peccata, quæ vergunt in perniciem, & ruinam Patriæ, Communitatis, Status Eccleſiaſtici, Religionis, Monaſterii &c. putant, ſibi licere perfida quadam fidelitate tacere, occultare, non denuntiare Superioribus, ne, ut inquiunt, agant contra charitatem, & ne peccantes damnum aliquod famæ, vel pœnæ incurrant. Neſciunt enim quid faciunt; Si ſcirent, unumquemque ſub mortali peccato ex præcepto Charitatis regulatæ obligari, præferre bonum commune bono particulari, & averſionem mali communis malo particularis perſonæ, utique denuntiarent; ut & peccantes corripiantur, & cæteri timorem habeant, & malum impediatur, ne ulteriùs ſerpat in ruinam multorum. Vide P. Marchantium *tom. 2. tract. 2. tit. 4. ſect. 2. qu. 1. §. 4. Appendice de correctione fraterna*. — Sporerium *tom. 1. tr. 3. c. 6. ſect. 3. §. 4.* -- Sylveſtrum *in Sum. V. Correctio*. Et alios DD. 22

Quæ-

Quæro V. *An peccet mortaliter Religioſus, qui in viſitatione Prælati manifeſtat ei peccatum ſecretum fratris ſui, ſine prævia correctione fraterna illi facta?*

23 ℞. Si tale peccatum eſt facilis emendationis, itaut prudenter æſtimetur correctio privata, & fraterna profutura; tunc utique peccat mortaliter denuntians illud Prælato, etiam ut Patri; quia prætermittit ſine neceſſitate ordinem correctionis Euangelicæ, ut ſuprà dictum eſt n. 13. -- Si verò tale peccatum eſt difficilis emendationis, vel in damnum Religionis, vel in ſcandalum ſæcularium, vel in præjudicium Tertii; tunc non peccat revelando illud Prælato, ut Patri, ſicut diximus ſuperiùs n. 19.

24 *Inſtabis*. Quare igitur aliqui Prælati in actu viſitationis præcipiunt omnibus ſuis ſubditis, ut in virtute Sanctæ Obedientiæ denuntient, vel deponant ſibi quidquid ſciunt eſſe corrigendum, & emendandum? ℞. Hoc faciunt zelo boni communis & utilitatis Religionis: quod tamen præceptum ſanè, & diſcretè eſt intelligendum; ſalvo ſcilicet ordine fraternæ, & Euangelicæ correctionis; ſive illud præceptum fiat communiter omnibus, ſive ſingulariter alicui; aliàs Prælatus peccaret mortaliter præcipiendo contra ordinem à Domino Jeſu Chriſto inſtitutum, & ſubditus pariter peccaret obediendo Prælato magis, quàm Deo. Vide D. Thomam 2.2. *q. 33. art. 7. ad 5. argum.*

25 *Petes*. Quid faciendum in caſu, quo ego ſciam evidenter, quòd talis Prælatus, ut inſulſus, indiſcretus, & bilinguis, facilè revelabit meam depoſitionem, nullamque curabit peccantium emendationem? ℞. Reſolutio patet ex jam reſolutis, & dico, quòd non teneris revelare, & revelando peccabis. *Non teneris*; quia ceſſante fine, ceſſat quoque ratio operandi propter talem finem. Tum quia, ut inquit Eccleſiaſticus, cap. 32. v. 6. *Ubi auditus non es, non effundas ſermonem.* -- *Revelando peccabis*: quia ſine cauſa, vel utilitate revela peccata occulta fratris tui, eumque infamas; tum quia das cauſam tali Prælato peccandi potiùs, quàm corrigendi: tu ſine lucro confunderis. -- *At inquires*; quid dicam in viſitatione tali; Poteris ſine mendacio dicere: *Nil habeo deponendum contra aliquem in conſcientia.* Quia reverà conſcientia tua non te obligat, nec tibi conſulit, deponere veritatem apud infidelem Prælatum, illegitimè, ac injuſtè acceptantem. Vide Navarrum *lib. 5. conſiliorum. Conſ. 4. n. 3. & conſ. 8. n. 5.* Et in Manuale, vel ſumma ejuſdem *c. 25. à n. 46.* -- Portellum Dub. Regul. *V. Correctio fraterna n. 9.*

Replicabis: Ergo crimina, & defectus 26
incorrecta, impunita, & inemendata relinquam? ℞. Audi Eccleſiaſticum c. 29. *Recupera proximum ſecundùm virtutem tuam: & attende tibi, ne incidas.* Ideſt, ut gloſſat Cornelius à Lapide, Reſtaura, adjuva, ſubleva proximum tuum labentem; at non ſuper vires tuas, te gravando; ſed tantùm ſecundùm potentiam, vires, & facultatem tuam; Et ſimul attende, caveque tibi, ne dum alterum à fovea eripere ſatagis, ipſe in eandem incidas. -- Auſculta verba Eccleſiaſtæ cap. 3. *Vidi ſub ſole in loco Judicii impietatem, & in loco Juſtitiæ iniquitatem: & dixi in corde meo: Juſtum, & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* -- Attende quid dicat Ven. Thomas de Kempis *lib. 1. c. 16. de Imit. Chriſti*: Quæ homo in ſe, vel in aliis emendare non valet, debet patienter ſuſtinere, donec Deus aliter provideat . . . Stude, patientem eſſe in tolerandis aliorum defectibus; quia & tu habes multa, quæ ab aliis oportet tolerari. -- Et tandem cogita illud breve, ſed ponderoſum dictum S. Petri de Alcantara. *Corrige, & reforma temetipſum; & ſic ex parte tua totus Mundus eſt emendatus, & reformatus.* -- Idem dicendum de Religione, & Religioſis perſonis Reforma te ipſum, frater, & tota Religio (ex partem tua) erit reformata.

TRACTATUS XXI.

DE SCANDALO.

QUæro I. *Quid eſt Scandalum?*

1 *Reſpondeo*: Scandalum, prout eſt ſpeciale peccatum contra Charitatem proximi, & opponitur directè correctioni fraternæ, communiter definitur à DD. Moralibus ſic: *Scandalum eſt dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Explico ſingulas particulas.

2 *Eſt dictum, vel factum*: Utique extrinſecum, & manifeſtum. Sub nomine dicti, vel facti comprehenditur etiam ejus omiſſio, quæ eſt *non dictum, non factum*. -- *Minus rectum*, ideſt, rectitudine debita carens, quod tripliciter accidere poteſt. I Quia in ſe malum eſt illud dictum, vel factum, aut ejus omiſſum. II. Quia, etſi non ſit malum, ſpeciem tamen mali habet. III. Quia, etſi neque ſpeciem mali in ſe habeat, ex infirmitate tamen proximi, qui videt, vel audit illud, ejus ruina prævidetur. -- Unde patet, quòd materia ſcandali non ſemper attenditur penès ſubſtantiam facti, vel dicti, ſed ut plurimùm penès, vel ſecundùm circumſtantias loci, temporis, perſonarum adſtantium &c. *Præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*; ideſt, occaſionem veram peccandi, vel ex intentione operantis, vel ex natura illius operis, vel ex circumſtantiis. Dico *veram occaſionem* ad excludendam imaginariam, fictam, aut ex malitia ortam, aut à longè petitam ab altero, qui ſcandalizatur.

3 Unum notabile eſt advertendum in hoc peccato ſcandali, & eſt: quòd non eſt neceſſe, ut ruina proximi reipſa ſequatur ex tuo dicto, vel facto; ſed ſufficit, quòd ex natura ſua, ſeu ex vi talis operis cum his circumſtantiis conſiderati, & conjuncti, ſequi poſſit talis ruina, & ita ſequi prævideatur. *Item*, neque eſt opus, ut ruina proximi directè ſit volita, & intenta à ſcandalizante, ſed ſatis eſt, quòd ſit prævisa ſecutura, & non ſit impedita, cùm facilè poſſet impediri.

Quæro II. *Quotuplex eſt Scandalum?*

4 ℞. Multiplex: & I. Dividitur in activum, & paſſivum. *Scandalum activum*, eſt quod ſuprà fuit n. 1. definitum: nempè operatio illa, qua præbetur alteri occaſio vera peccandi. *Scandalum paſſivum* eſt ipſa ruina ſpiritualis proximi, quam patitur ſcandalizatus. II. dividitur in datum, & acceptum. *Scandalum datum* eſt, quod verè, & culpabiliter oritur ex parte ſcandalizantis. *Scandalum acceptum* eſt, quod ex ſola malitia ſcandalizati originem ſumit. Tertio dividitur in *Scandalum puſillorum*, quod ex hominis ignorantia, vel fragilitate, provenit, & in *Scandalum Phariſæorum*, quod ex mera malignitate accipientis procedit: prout olim Phariſæi ex operibus bonis, & ſanctis Chriſti, & Apoſtolorum ſcandalizabantur.

Circa ſcandalum *datum*, & *acceptum* 5
duo ſunt notanda. *Primum*: In utroque ſcandalo poſſe eſſe peccatum contra charitatem; Si enim Scandalum ſit datum, ratione ipſius actionis, vel dicti, peccatum eſt in ſcandalizante; quia offendiculum, & ruinam proximi cavere debuit ex charitate. Si verò ſit ſcandalum tantùm acceptum, peccatum eſt in ſcandalizato; quia irrationabiliter, & contra charitatem, actionem, vel dictum proximi ſequitur in malam partem, vel pravè interpretatur, unde ſumit occaſionem ipſe peccandi: cùm nulla, ut ſupponitur, ſit ratio offenſionis in illo. *Secundum notandum*: Scandalum datum non oriri præcisè ex aliqua malitia intrinſeca actionis, vel dicti alterius: ſed partim ex eo, quòd dictum, vel factum tale ſit inductivum ad malum, partium ex parte operantis, qui tenebatur ex communi obligatione charitatis impedire omne malum proximi ſpirituale, omneque offendiculum amovere, ne caderet in peccatum.

Præterea *Scandalum activum*, & *datum* 6
dividitur in directum, ſeu inductivum, & in indirectum, ſeu occaſionatum. *Scandalum directum eſt*, quando quis directè, ex propoſito, juſſu, conſilio, ſuaſione, exemplo ſuo vult, & intendit alterum inducere ad peccandum; ſive intendat inducere ad

pec-

Digitized by Google

peccatum pró formali, ſive pro materiali. — *Scandalum indirectum eſt*, quando quis ſuo exemplo malo advertit, ſe dare alteri occaſionem, & animum peccandi; etſi ipſe non intendat expreſsè inducere illum ad ſic peccandum.

Quæro III. *Quale Scandalum eſt peccatum?*

7 R. I. Certum eſt, *ſcandalum directum* eſſe peccatum (mortale, vel veniale pro ratione materiæ, & ruinæ ſpiritualis) ſpeciale contra charitatem proximi: ideoque ſpecialiter explicandum in Confeſſione unà cum ſpecie peccati, ad quod inducere intendit proximum is, qui ſcandalizavit: V.G. Titius locutus eſt turpia ad inducendam Bertam, ut ſecum fornicetur: etiamſi Berta non conſenſerit, peccavit tamen Titius mortaliter duplici malitia. I. peccato ſcandali directi contra charitatem. II. peccato deſiderii fornicationis contra caſtitatem: & hoc quidem dupliciter, I. ex deſiderio proprio fornicandi, II. ex mala voluntate pertrahendi Bertam ad fornicandum. Nam eadem virtus, quæ directè nos obligat ad caſtitatem ſervandam in nobis indirectè etiam nos obligat, ne ſcienter procuremus ab eadem virtute dejicere proximum noſtrum. Et ſic de ſimilibus.

8 R. II. *Omne ſcandalum activum*, & datum eſt ex genere ſuo mortale peccatum. Certiſſimum ex Sacris Scripturis. Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis.... Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Iſta interjectio *Væ* eſt nota, vel comminatio damnationis, ut docent Lyranus, & communiter Sacri Expoſitores. Ratio autem eſt evidens; quia Scandalum directè repugnat præcepto negativo Charitatis, & miſericordiæ, quo tenemur ſemper, & pro ſemper *non nocere proximo in bonis animæ*: & præcepto Divino poſitivo de correctione fraterna ad ſolvendum proximum, & impediendum à peccato &c.

9 Dixi, *ex genere ſuo eſſe mortale*; quia per accidens, vel ex parvitate materiæ poteſt eſſe veniale. Quare gravitas Scandali menſuranda eſt à gravitate peccati, ad quod inducis proximum. Si inducas ad peccatum mortale, erit ſcandalum grave; ſi ad veniale, leve erit. Non autem menſuranda eſt à facto, vel dicto, vel omiſſo ſcandalizantis; quia poteſt accidere, quòd ex peccato tuo veniali graviter ſcandalizes proximum; & tunc ſcandalum erit grave: ut patet ex doctrina data n. 2. in explicatione ſcandali. V. G. Ex levi deceptione in luſu alearum inducis colluſorem ad blaſphemiam &c. utique mortaliter peccas. Et ita à ſimili dices de omni materia.

R. III. *Scandalum indirectum*, ſeu occa- 10
ſionatum eſt etiam ſpeciale peccatum contra charitatem. Eſt communior, & probabilior opinio DD. Ratio eſt: quia hoc ſcandalum, etſi indirectè tantùm volitum, & intentum, revera tamen eſt cauſa, vel occaſio damni ſpiritualis, & ruinæ proximi. Multa hic eſſent exemplificanda; quia materia eſt valdè practica; at ſi in omni reſolutione, & doctrina morali apponerem etiam exempla, & caſus ſingulares, multùm & labor, & liber excreſcerent; verumtamen aliqua apponam, ex quibus Lector novitius poſſit conſimilia deducere.

Quando quis actione, vel omiſſione 11
ſua publica, vel notoria ſcit, & advertit, proximum ſcandalizaturum, ideſt, ſe daturum cauſam, vel occaſionem alicui peccandi; quamvis ille directè non intendat inducere hunc ad peccandum: nihilominus peccat peccato ſcandali indirecti? Quod poteſt contingere variis modis. *I.* Dicendo, vel faciendo aliquid, quod ex ſe malum eſt, & inductivum ad peccatum alterius. V. G. Titius laſcivè ſe tangit coram pueris, vel puellis: vel turpia dicit, vel cantat; vel carnes vorat die prohibito; vel quid ſimile facit, & advertens, vel advertere debens, & alios ad ſimilia excitandos. Peccat mortaliter. *II.* Dicendo, vel faciendo quod ex natura ſua malum non eſt, ſpeciem tamen mali habet, ex quo prævidet alios ſcandalizandos, vel de facto ſcandalizari advertit. V G. Conjuges dant operam debito conjugali audientibus, vel videntibus, aliove modo ſentientibus filiis, aut juvenibus. Clericus alit bono fine domi ſuæ fœminam pulchram populo ſuſpectam, de qua multi murmurant. Omnes iſti, tam conjuges, quàm Clericus peccant mortaliter. *III.* Dicendo, vel faciendo aliquid bonum de ſe, licitum, & juſtum, iis tamen circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, quibus prævidet, aliquos offendendos, & ſpeciem mali, vel occaſionem peccati facilè accepturos. V.G. Concionator prædicans contra vitia carnalia, hæreſes, & ſimilia nimis clarè, bono tamen zelo. Confeſſarius interrogat juvenem

in Confeſſione circa aliquam circumſtantiam peccati luxuriæ valdè periculoſam. Sacerdos converſatur, cum ſuſpectis mulieribus, die nocteque, ut eas convertat, doceat, admoneat &c. Omnes iſti præbent offendiculum, & occaſionem infirmis, imperfectis, debilibuſque peccandi, ergo & ipſi peccant. *IV.* Tacendo, patiendo, tolerando, permittendo fieri aliqua, ex quibus quis prævidet, aliquos ſcandalizaturos, vel ſcandalizandos eſſe. V.G. Pater, Mater, Dominus, Superior, patiuntur in ſua præſentia, & maximè in ſua familia, vel domo dici, vel fieri à ſibi commiſſis, ſubditis, filiis, famulis nonnulla mala, quæ non corrigunt, non arguunt, non caſtigant; Unde cæteri capiunt malum exemplum, & anſam ſimiliter peccandi abſque timore &c. Aut (quod deterius eſt) arrident, & quaſi lætantur, placere ſibi oſtendentes ſimilia, quæ omninò deteſtari, abominari, atque punire deberent ex charitate imò ex officio, & juſtitia; iſti peccant peccato Scandali. - Huc etiam referenda ſunt ſcandala ſaltem indirecta Pictorum, Sculptorum, & Poetarum, qui impudica, & peſſima pingunt, ſculpunt, & componunt, prævidentes, ſeu prævidere certò debentes, multos ſcandalizari poſſe videntes, audientes, legentes opera illa inhoneſta, & turpia. Similiter peccant Parentes, Patres-familias, Domini permittentes prædicta videri, audiri, cantari à ſuis juvenibus.

12 Reſtringendo doctrinam pono aliquas regulares concluſiones, ut pleniùs Confeſſarius recens intelligat, & ſciat, qualiter ſe debeat gerere vir prudens in materia ſcandali puſillorum. *Prima eſt*. Numquam licèt aliquid dicere, agere, pati, diſſimulare, vel quodvis ſignum edere, quod præbeat alicui occaſionem veram peccandi. *Secunda*. Quilibet tenetur abſtinere ab omni verbo, actu, ſigno, opere, aliàs licito, ſed non neceſſario hic, & nunc: quando probabiliter timet, aut timere debet ex vehementi conjectura ſcandalum puſillorum. *Econtra*, *Tertia*. Numquam licet malè operari ad evitandum quodcumque, vel qualecumque Scandalum. *Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, ut inquit Apoſtolus ad Rom. 3. -- Et tit. de reg. Juris in 5. cap. 3. habetur, *Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm Veritas relinquatur*. Ideſt, ut gloſſat Marchant, quàm actu illicito à veritate declinetur: Licitum enim, imò conſultum eſt, interdum veritatem diſſimulare, ut ſcandalum, vel peccatum aliorum evitetur. *Quarta*. Non licet cuiquam opera ad ſalutem neceſſaria omittere, ad evitandum quomodocumque ſcandalum. Opera autem ſupererogatoria omitti poſſunt, & aliquando tenemur illa omittere propter ſcandalum proximi. *Quinta*. Quandocumque doctrina, vel opera noſtra neceſſaria ſunt, vel multùm utilia Communitati, ſive Familiæ noſtræ, non tenemur illa relinquere ob particularium quorumdam ſcandalum; quia tunc eſt ſcandalum non datum, ſed acceptum, non puſillorum, ſed Phariſæorum. *Sexta*. Pro publica utilitate, & neceſſitate Eccleſiæ veritas prædicanda, docenda, & manifeſtanda eſt, non obſtante ſcandalo aliquorum. *Septima*. Tunc cenſetur ſcandalum acceptum, & non datum; paſſivum, & non activum, quando proximus ex propria malitia, pertinacia, odio, aut paſſione Actionem noſtram, aliàs bonam, & honeſtam, neceſſariam, & utilem, in malam partem vertit, & interpretatur, & ex illa occaſionem peccandi ipſe de ſuo malo corde ſumit. -- *Octava*. Scandalum merè paſſivum, & acceptum aliquando vitari debet; quotieſcumque nimirùm nulla ratio neceſſitatis, vel notabilis utilitatis propriæ, vel alienæ nos cogit ad operandum. *Ita ex communi DD. ſententia multis citatis*, *docens* Sporer, Marchantius, Laymannus, *omneſque mei DD. de hac materia tractantes*: Vah quot caſus poſſent deduci ex allatis concluſionibus! En tibi nonnulli.

Primus caſus. Non licebit mihi petere abſolutionem à Sacerdote, quem ſcio eſſe indiſpoſitum, vel impeditum in conſcientia, cùm alius adſit, cui commodè poſſum confiteri. *Ex Octava concluſione*. II. Fœmina ſciens, ſe à Titio vehementer concupiſci in malam rem, ſi foras publicè prodeat, tenetur abſtinere ab inutili egreſſu, & ornatu, & intuitu. *Ex Octava &c.* III. Cajus dives largitur frequenter eleemoſynam pauperibus puellis, eaſque in matrimonium honeſtum collocat, & dotat ex mera charitate: multi de eo malè loquuntur; non per hoc debet ceſſare ab operibus bonis. *Ex concl. ſeptima*. -- IV. Concionator zelo diſcreto vitia manifeſtat, & reprehendit: nonnulli murmurant, & ſcandalizantur; non 13

debet

debet ceſſare, nec tacere veritatem. *Ex Sexta concl.* -- V. Doctor publicus legit materias caſuum conſcientiæ; nonnulli diſcipuli ejus ſcandalizantur audientes certas declarationes, de ſe bonas, fundatas &c. non per hoc debet renuntiare Lecturæ. *Ex Quinta concl.* -- VI. Uxor devota ſolet quotidie Miſſam audire; ejus vir fremit, indignatur, minatur. Talis uxor poteſt, & debet domi manere diebus non feſtivis; non poteſt verò omittere Sacrum in Feſtis, niſi de raro, vel quandoque ob virum moroſum, vel Zelotypum *Ex Quarta concl.* -- Et ſic diſcurras de cæteris.

Quæro IV. *An fœminæ ornantes ſe mundo muliebri, peccent peccato Scandali ſaltem indirecti.*

14 *Rt. I.* Quando fœmina ita ſe ornat mala, & laſciva intentione: vel ſi ſibi certò conſtaret, certam perſonam inde trahere ruinam ſpiritualem: vel ſi ornatus ſui corporis ſit ex ſe nimis turpis, & ad laſciviam provocans, tunc peccat utique mortaliter peccato ſcandali directi, vel indirecti ob rationes ſupra allatas. *Rt. II.* Quando autem fœmina ſe ornat pro ſui ſtatus decentia, & more patrio, ſine alia circumſtantia mala, ſaltem non gravi, tunc non peccat mortaliter; etiamſi præter intentionem, & per accidens aliquis alliciatur, & capiatur amore ejus &c. ob rationes pariter ſuperiùs expreſſas Ita etiam communiter docent D.D. cum Navarro, *cap* 23. *num.* 18. Sanchez, Diana, & aliis. -- *Mundus muliebris* eſt ornatus completus mulierum, quæ tot, tantiſque rebus ſe gravant, ut Mundum parvum geſtare videantur; unde facilè peccant ſaltem venialiter ex immoderato, & immodeſto modo ſe ornandi. His porrò temporibus ſuperbia, pompaque veſtium, & ornamentorum creverunt uſque ad ſummum: ergo ex ſolo hoc capite frequenter peccant mulieres per exceſſum, vel exceſſivum uſum veſtimentorum; & tamen Confeſſarii nonnulli tacent, &c.

Quæro V. *Quomodo ſe gerere debet fœmina, quæ ſcit ſe turpiter amari ab aliquo, ut evitet peccatum ſcandali indirecti?*

15 *Rt.* Caſus iſte eſt valdè difficilis, & implicatus; ex dictis tamen poteſt reſolvi dicendo: Suppoſito, quòd fœmina ſit honeſta, ac timens Deum, & quòd nullo modo voluntariè delectetur de tali amore turpi, & quòd nullam dederit cauſam tali impudico amanti, & amori, nullamve habeat actualem correſpondentiam, aut nullum mutuum amatorium commercium; judicandum eſt, hoc eſſe ſcandalum merè paſſivum, & acceptum; ergo iſta mulier ex parte ſua non peccat: ſolùm igitur debet cautè procedere, ne deinceps peccet juxta doctrinam datam ſupra *n.* 12. *concluſione* 8. -- Et *n.* 13. *caſu* 2. Ideòque tenetur, ſe abſtinere ab inutili egreſſu, & diſcurſu in publicum: à curioſo, vagoque intuitu illius amatoris impudici: à ſuperfluo ornatu ſui corporis: & à quibuſdam aliis actionibus non neceſſariis, aliàs de ſe licitis. Ratio eſt: quia Timor Dei, & Charitas proximi obligat nos, tollere offendiculum, & impedire peccatum mortale alterius, cùm facilè poſſumus; nam, ut diximus, aliquando etiam tenemur vitare, vel ſaltem diminuere ſcandalum acceptum; atqui talis mulier facilè poteſt abſtinere ſe ab inutili egreſſu foràs in publicum, à curioſo intuitu, à ſuperfluo ornatu, & ab aliis actibus; quæ omnia, & ſingula poſſunt eſſe offendicula, & incentiva libidinis illius Amaſii; ergo &c. Tum quia: ubi *majus eſt periculum, ibi cautiùs eſt procedendum*; ſed fœmina illa eſt in periculo magno conſentiendi amori laſcivo, vel ſe delectandi in amore alterius, vel correſpondendi affectui, aut familiaritati illius amantis, ſicque mortaliter peccandi, ergo magna cum cautela debet procedere in actibus ſuis externis erga illum mente, & amore captum. Etenim, ut inquit Salomon, *Mulierem fortem qui inveniet?* Videas Dianam *p.* 3. *tr.* 7. *reſ.* 31. Sanchez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 16. *&* 17. Spoter *tom.* 2. *tr.* 5. *c.* 1. *ſect.* 2. *n.* 33. *& ſeqq.*

16 Ex hac reſolutione, & Doctrina deduces, quantum, & quale ſit peccatum illarum puellarum amantium, & amatarum, quæ ſciunt evidenter, ſuos Amaſios amore perditos, & captos eſſe, atque verſari in malitia, & concupiſcentia earum; & tamen ſecum confabulantur, centum oculis eos aſpiciunt, data opera ſe conſpiciendas præbent, ornant caput, denudant pectus, faciem infucant, delectantur in eorum amore &c.? Sine dubio verſantur in quaſi continuo peccato mortali Scandali indirecti, & quandoque directi, activi, & dati, Quomodo igitur poterunt abſolvi? Nullo modo; niſi effica-

Digitized by Google

citer deſiſtant ab his ſcandalis, quæ ſunt ſomenta, & pabula luxuriæ alienæ, & propriæ. Lege ſupplementum P. Antonii à Candelaria à *fol. 367. ad 372.*, & ejuſdem Opuſculum *caſu* 113. *à fol. 650. ad finem*. Et tamen, heu, nimis! inveniunt illi, & iſtæ Confeſſarios ita indoctos, & imperitos, qui ſemper eos, & eas abſolvunt; ſed invalidè, & ſacrilegè.

Quæro VI. *An chorea ſint ſeminaria Scandalorum?*

17 Pro recta, & ſundata reſolutione hujus quæſiti oportet priùs videre; an Chorea, vel ſaltatio inter mares, & fœminas juvenes ſit licita? Cui difficultati reſpondet P. Angelus à Clavaſio in Summa *v. Chorea*, ſic: Ex dictis, vel ſententiis Doctorum colligitur, quòd Chorea ſit licita, ſi ſeptem conditiones concurrant; nempè *Prima: Tempus debitum*: quòd ſcilicet non fiat tempore deputato Orationi neceſſariæ, vel pœnitentiæ; Unde diebus Dominici choreas ducere, tenent multi Magiſtri, ut refert Ricardus *in 3. diſ. 37. arg. 3. quæſt.* 4. quòd ſit peccatum mortale. quòd quidem credo verum, quando omiſſa Miſſa, vel Prædicatione, aut Veſperorum celebratione, & hujuſmodi intenderent choreis: vel per notabile ſpatium, puta per majorem partem diei Feſti: aliàs non: *Secunda: Perſona conveniens*: Nam Eccleſiaſticis Perſonis prohibetur chorea in pluribus Canonibus (quos ibi citat) *Tertia: Modus honeſtus*: Nam honeſtas eſt unum præceptum Juris &c.; & ideò ſi chorea fiat modo inhoneſto, eſt peccatum mortale; ut puta geſtibus provocantibus ad libidinem, cantibus turpibus, ornamentis laſcivis, & inhoneſtis; unde dicit Lex *in proem. ff. Veteris. §. Illud verò*: Quis illos ludos appellet ex quibus crimina oriuntur? -- *Quarta: Recta intentio*; Quia ſi fiat chorea aliquo malo fine (ut fiunt communiter choreæ), eſt peccatum mortale; ſecùs ſi ex levitate, inani gloria &c. *Quinta: Locus aptus*; ideſt profanus: quia videtur culpa gravis choreizare in loco Sacro. -- *Sexta: Raritas choreæ*; Nam *Rodonenſis gloſſator* dicit, quòd choreas ducens ex conſuetudine peccat mortaliter: choreizans autem raro, & ſine corrupta intentione, non audeo (inquit Rodon.) dicere, quòd peccet mortaliter; ſed nec audeo excuſare à mortali, cùm ingerat ſe periculo alios provocandi ad libidinem, & exemplo ſuo ad ſimilia alios provocet. -- *Septima conditio; Stabilitas choreizantis*; Nam qui ita fragilis eſt, ut, licèt bona intentione choreizare incipiat, non exeat tamen Ludo, quin ad libidinem provocetur, peccat mortaliter advertens de tali fragilitate, & periculo ſe ingerendo; quia Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Et propterea dicit D. Hier. *Non credo viro, ſi dicat ſe illæſum evaſiſſe à talibus ſpectaculis*. Et etiam quia præfatæ conditiones non concurrunt in choreis noſtri temporis; Ideòque non video, quomodo ſine mortali peccato quis choreas ducat ex conſuetudine, ſicut communiter fiunt. Dicit tamen Alex. *tit. de ludo*: Quòd ludus, vel ſaltatio aliquando provenit, vel fit ex recreatione, vel exercitatione; & ſic poteſt eſſe ſine peccato; aliquando ex diſſolutione mentis laſcivæ; & ſic eſt peccatum, mortale, vel veniale juxta intentionem operantis. *Hæc P. Angelus*.

18 P. Sylveſter de Prieriò in Sum. Sylveſtrina, quæ Summa Summarum nuncupatur *v. Chorea* ſic dicit: Choreæ, & hujuſmodi ludi non ſunt mali ſecundùm ſe; quia poſſunt aliquando bonè fieri; ſed triplici de cauſa poſſunt fieri mali. I. Si fiant ad provocandum libidinem, vel alio malo fine. II. Si non conveniant perſonis; ut Clericis, Religioſis, & hujuſmodi. III. Si fiant tempore non congruo; ideſt triſtitiæ, vel pœnitentiæ tempore. -- Si verò fiant ex cauſa alicujus honeſtæ lætitiæ à perſonis ſæcularibus, congruo tempore, & loco; & cum aliis debitis circumſtantiis, non eſt illicitum. Poſſent tamen eſſe illiciti hujuſmodi ludi ex diſpoſitione perſonarum chorejzantium; quia v.g. quis ſe exponit periculo operis, vel cogitatus illiciti: vel probabiliter dubitat, ſe ad hoc expoſiturum alium. -- *Deinde quæritur*. Quot requirantur conditiones, ut licitè, hoc eſt, ſine peccato mortali, fiant choreæ? Et dico, quòd multæ, ſed omnes reducuntur ad ſeptem conditiones, quæ ſunt. I. Debitum tempus. II. Debitus locus. III. Perſona conveniens. IV. Modus honeſtus. V. Recta intentio. VI. Stabilitas choreizantis VII. Raritas hujuſmodi ludorum. -- *Explico*. I. *Debitum tempus*: ut puta Nuptiarum, Victoriæ, liberationis Patriæ, vel hominis, adventus amici diù expectati, & hujuſmodi. Unde ſecundùm *Alanum*

eſt

eſt mortale facere choreas tempore devotionis, aut pœnitentiæ: pura ab Adventu uſque ad Epiphaniam, & à Septuageſima uſque ad Paſcha. Quod verum putarem, niſi fierent occultè, vel ex inſolita honeſta lætitia, ut Victoriæ &c. eſt etiam mortale ſecundùm *Magiſtros* ſi fiant diebus Dominicis. Quod *Summa Angelica* verum limitat, quando propter choreas Miſſa, aut Prædicatio, ſeu Veſperæ, & ſimilia omittuntur: vel per majorem partem diei Feſti fiant ..... -- II. *Debitus locus*: ideſt non facer &c. III. *Perſona conveniens*, quæ ſcilicet ſit talis, quæ inde non ſumat periculum animæ: nec iſtæ choreæ ſibi ſint indecentes, & prohibitæ; Sicut prohibentur Eccleſiaſticis perſonis; itaque iſtis, vel cum iſtis hæc facere, videtur mortale; ratione prohibitionis Canonum, & ratione ſcandali. IV. *Modus honeſtus*. Unde eſt mortale, ſi fiant habitu, geſtu, cantu, aut quovis alio modo notabiliter laſcivo. Sicut V. G. cùm fœminæ inverecundæ pectora exceſſivè nudant: & viri partes pudendas indecenter coopertas oſtentant ... V. *Recta intentio*: Nempè honeſta recreatio. Unde ſi fiant cauſa libidinis, vel alio fine malo, erunt mortalia &c. VI. *Stabilitas ludentis*. Ne ſcilicèt inde periculum immineat labendi. Unde qui probabiliter ſibi, vel alteri periculum operis, vel cogitationis mortalis timet, mortaliter peccat, niſi deſiſtat. VII. *Raritas hujuſmodi ludorum*. Unde ſecundùm aliquos D. D. ducens choreas ex conſuetudine, mortaliter peccat. Sed hoc intellige verum; quia in tali ſemper, vel quaſi ſemper reperitur aliqua de præmiſſis circumſtantiis malis; quæ omnes circumſtantiæ malæ ſi abeſſent, non eſſet mortale &c. Ex quibus omnibus etiam patet, quot modis iſta ſint mortalia. *Hæc P. Silveſter*: qui in multis locis ſuæ Summæ ſequitur, & citat P. Angelum, vel Summam Angelicam: quæ à multis (ne dicam ab omnibus) Summiſtis æſtimatur, citatur &c.

19 Ex his duobus magnæ Auctoritatis Doctoribus colligitur, an, & quomodò Choreæ ſint licitæ? Tunc enim ſunt licitæ, quando fiunt ſine ulla circumſtantia mala. At quis eſt tantæ virtutis, ut in actibus tam lubricis valeat practicè abſcindere omnes circumſtantias malas? Jure igitur optimo à Sanctis Patribus, & Doctoribus piis reprehenduntur, & damnantur Choreæ. Ponam aliquas eorum Sententias. *S. Efrem Syrus* dicit *tom. 1. de abſtin. à ludis*. Ubi choreæ, ibi virorum tenebræ, mulierum perditio, Angelorum triſtitia, & Diaboli feſtum; Draco ille antiquus ſuis voluminibus docuit artem choreizandi. -- *S. Joan. Chryſoſtomus, hom. 6. in Matth.* Diabolus eſt ille, qui etiam in artem jocos, ludoſque digeſſit, ut per hæc ad ſe traheret milites Chriſti, virtutiſque eorum nervos redderet molliores. -- *S. Ambroſius lib. 3. de Virg.* Ubi choreæ, & ludi, ibi intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt; comes deliciarum eſt externa ſaltatio. -- *S. Carolus Borromeus p. 7. Actuum Mediolan. art. 7.* Abominabiles choreæ, & larvæ, ſub quibus verba inhoneſta eloqui, & in geſta, & acta impudicitiæ plena prorumpere, hominibus fas eſſe videntur; ſceleratæ larvæ, & choreæ, impugnatrices honeſtatis, & pudicitiæ, gravitatis inimicæ, Chriſtiani hominis extrema ruina. -- *S. Franciſcus Saleſius, Introduc. Vitæ devotæ p. 3. c. 33.* Choreæ, & tripudia ex ſe indifferentia ſunt: attamen hoc exercitium, communiter uſurpatum, valdè in partem mali propendet: & proinde periculorum plenum eſt. &c. -- *Joan. Gerſon.* Ob fragilitatem humanam difficulter fiunt choreæ ſine diverſis peccatis; omnia penè peccata choreizant in choreis. -- *His poſitis*.

℟. *Ad quæſitum* VI. dicendo. Choreæ 20
dici poſſunt ſeminaria Scandalorum, ſi conſiderentur cum ſuis malis circumſtantiis, cum quibus communiter fiunt temporibus Bacchanaliorum. Ratio deſumitur ex dictis. Tum quia natura humana prona eſt ad malum: *unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua &c.* ſed in hac occaſione concupiſcentia carnis, & oculorum augetur ex objectis delectabilibus, & motibus, intuitibus, tactibus &c. ergo facillimè ſeminantur Scandala directa, & indirecta. Confirmatur ex D. Joan. Climaco, qui dicit: Ligavit Deus concupiſcentiam mulieris fræno verecundiæ; aliter non fieret ſalva omnis caro. -- *Subſumo*; atqui in dicta occaſione ſaltandi frænum verecundiæ ſæpè ſolvitur, vel rumpitur; ergo ex concupiſcentia mulieris non fit ſalva omnis caro choreizans in choreis.

Quæro VII. *An ſit licitum inducere ad peccatum illum, qui jam eſt paratus, & vult peccare?*

℟. Negativè. Ratio eſt evidens; quia hoc 21

eſſet adhuc verum peccatum Scandali activi, & inductionis proximi ad illam ruinam ſpiritualem, à qua tenetur quiſque eum revocare. Nec valet dicere: *jam vult ex ſe peccare, jam eſt paratus; ergo &c.* Non valet; quia licèt tunc non voluntatem peccandi moveas, moves tamen actuale exercitium, aut conſummationem peccati. *Unde deduces*; Numquam eſſe licitum quacumque de cauſa; V. G. Titium volentem ſe inebriare, ad bibendum provocare: volentem fornicari inducere, vel mittere ad talem fœminam meretricem, volentem occidere inimicum animare, provocare &c. & ſic de multis ſimilibus, qui volunt, vel ſunt parati ad peccandum.

Quæro VIII. *Quinam eſt, qui dicatur paratus, ad peccandum?*

22 ℞. Ille cenſetur, & dicitur *paratus ad peccandum*, qui habitualiter ita diſpoſitus eſt ad peccandum, ut, quotieſcumque ei offertur occaſio *vel modica*, ideſt *etiam levis*, *quantumvis parva* talis peccati, ſemper peccet. Ut V. G. meretrices publicæ: Uſurarii publici: Vini perbibitores: Sacerdotes: vel Confeſſarii peccatores notorii, celebrantes, vel abſolventes, & ſimiles. — Ille verò dicitur, & cenſetur *Volens peccare*, qui manifeſtat tibi, vel aliis ſuam pravam voluntatem peccandi, V. G. dicendo, ſe velle inebriare, jejunium frangere, inimicum occidere, rem alterius ſurripere &c. adeòque actu interno de facto jam peccavit; actu tamen externo non conſummavit peccatum ſuum.

Quæro IX. *Poteſtne quis aliquando licitè cooperari peccato alterius?*

23 ℞. 1. Poſitivè, & formaliter numquam licet. Ratio eſt clara? quia ſicut tibi numquam licet peccare; ita neque umquam licebit poſitivè, & formaliter cooperari peccato alterius; nam *agentes, & conſentientes pari pœna digni ſunt*. Tum quia lege charitatis unuſquiſque tenetur impedire quando, & quomodo poteſt peccatum proximi; ergo &c. Neque obſtat, quòd *abſque tua cooperatione proximus tuus certò ſit peccaturus*; hoc enim non mutat tuum concurſum, neque auſert tuam cauſalitatem; ſicque non tollit, neque excuſat tuum peccatum. Tum quia univerſaliter verum eſt: omnes cooperatores ad damnum proximi hic, & nunc inferendum, (etiamſi aliàs ſine unius, vel alterius cooperatione certò inferendum ſit à Titio) omnes reos fieri peccati Titii, & reſtitutionis faciendæ; ergo à ſimili dicendum erit de cooperantibus peccato alterius in alia materia, omnes reos eſſe illius peccati. *Ex quo inferes*: quando ſcis V. G. Cajum velle ſe inebriare, vel jejunium frangere &c. non licere tibi; potum, vel cibum ei ſubminiſtrare; *vel*, ſi ſcias Sempronium velle occidere inimicum, aut infringere domum ad furandum, aut fornicandum &c. non licere tibi, inſtrumenta, vel arma ei præſtare, aut exhibere: & ſic de multis ſimilibus caſibus. Ratio patet ex dictis: quia tunc verè cooperari dicitur, & eſt ad peccatum alteriùs, quando poſitivè, formaliter, & proximè quis cauſa, vel concauſa eſt hic, & nunc peccati, vel conſummationis peccati alterius; ſed ſic eſt, quòd tu, illa præſtando, exhibendo, ſubminiſtrando, vel præbendo, quæ neceſſaria ſunt ad conſummationem peccati alterius, tibi noti, de facto efficeris concauſa, & particeps illius peccati ergo.

℞. II. Idem dicendum de illo, qui 24
actione indifferenti ex natura ſua, hic tamen, & nunc ob præſentes circumſtantias proximà ad peccatum alterius conſummandum determinata, & applicata, cooperatur ſcienter; quia ſemper verificatur, quòd iſte formaliter, & poſitivè conſentit, & cooperatur peccato proximi, quod eſt illicitum omninò, & ſimpliciter prohibitum à Lege charitatis. Patet in exemplis allatis. Nam porigere vinum, vel cibum ſubminiſtrare, inſtrumenta, vel arma accommodare, vel exhibere, & ſimilia ſunt actiones (ex ſe) indifferentes; in illis tamen circumſtantiis, & cum notitia mali finis, & pravi uſus illarum rerum, induunt, vel acquirunt malitiam gravem, & cenſentur concauſæ cooperantes ad conſummationem peccatorum; tum quia propinquè, & proximè tales actiones ſe habent ad peccatum; nam ordinantur, aſſumuntur, & juvant ad exercitium peccati pro formali; ergo ratione circumſtantiarum evadunt actiones illicitæ.

Confirmatur. Nam Innoc. XI. damnavit, 25
ut ſcandaloſam, hanc nu. 51. propoſitionem — *Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendentem per feneſtras ad ſtuprandam Virginem: & multoties ei ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter; ſi id faciat metu*

nota-

notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo ejiciatur. -- Et hinc ſimilia deduces; V. G. Non licere famulis, aut quibuſvis concubinam, vel amaſiam Domini ſui, vel alterius Viri conducere, vocare &c. aut litteras turpiter amatorias ſcienter deferre, vel ſcribere, & ſimilia, quæ de facto adjuvent, & inſerviant ad exequendam, & complendam luxuriam Heri, vel alterius. Nam ſicut luxuria, fornicatio, ſtuprum, & cætera peccata venerea ſunt intrinſecè mala, ſic cooperationes, quæ ſunt ordinatæ ad talem finem inhoneſtum; quia ſapiunt ſpeciem lenocinii.

Quæro X. *An aliquando licitum ſit cooperari ad peccatum alterius remotè, & materialiter: ſcilicet actione de ſe adhuc indifferenti?*

26 ℟. *I.* Ex juſta, & rationabili cauſa neceſſitatis, vel utilitatis: dummodò ſemper abſit mala intentio ad ipſum peccatum pro formali: licitum eſt. Et ratio eſt: quia non teneris ex communi lege charitatis impedire omnia omninò peccata proximi; ergo neque teneris abſtinere te à tali actione materiali, & indifferenti ad peccatum proximi; nam tua operatio non ordinatur ad peccatum illius. Tum quia illa juſta, & rationabilis cauſa operandi tollit à te moralem potentiam impediendi peccatum alterius. Nam, ut diximus ſuprà, inter requiſita ad obligationem Charitatis ſuccurrendi proximo, ac impediendi malum ipſius, numerantur facultas, commoditas, & indemnitas ſuccurrentis, & impedientis; (aliàs totus mundus impleretur ſcrupulis, & perplexitatibus:) ergo tunc non teneris abſtinere à tali actione. Nec moraliter cenſeris velle peccatum alterius, aut cooperari poſitivè peccato illius; ſed ad ſummum cenſeris negativè permittere: prout in caſibus, & exemplis infra ponendis meliùs intelliges. -- Totum ergo fundamentum hujus doctrinæ communis in duobus punctis conſiſtit. I. In natura actionis, vel operis, quod ex ſe non ſit malum, ſed indifferens, imò licitum, & bonum. In cauſa rationabili excuſante, quæ debet eſſe juſta, & proportionata cum opere faciendo, & ipſomet operante taliter, ut cenſeatur moraliter urgens, & neceſſaria hic, & nunc, arbitrio prudentis viri. Igitur

27 *Ex dictis reſolves. I.* Licitè potes petere Sacramenta neceſſaria tibi, & tuis à Sacerdote, Confeſſario, Parocho in ſtatu peccati mortalis notoriè exiſtente, quando alius bonus præſtò non eſt tibi; etſi illum prævideas, non ſine peccato præſtiturum. *II.* In neceſſitate conſtitutus poteris licitè petere mutuum ab uſurario, etiamſi certò ſcias, non daturum niſi cum uſura. *III.* Licitè poteſt fœmina adire Judicem pro ſua juſta cauſa alicujus momenti, vel pro beneficio ſibi, vel alteri ſibi conjuncto, impetrando: aut ægra, infirma vocare Medicum, chirurgum pro ſua curatione; etiamſi prævideat, Judicem, Medicum lapſurum in impuram tentationem; & malam intentionem. *IV.* Caupones, Tabernarii, &c. licitè poſſunt vendere, & miniſtrare vinum adventoribus ſe inebriaturis: cibos non vetitos jejunium fracturis. *V.* Mercatores, Opifices, Artiſtæ poſſunt licitè fabricare, & vendere arma, gladios, & ſimilia: taxillos, chartiſolia, aleas: quibus homines benè, & malè uti poſſunt; etſi prævideant aliquos abuſuros eſſe in vitium, & peccatum. -- Item vendere ſuas merces, vina, frumenta &c. etiam illis, quos ſciunt per fraudem revenditutos, aut extra territorium contra bannum vecturos. Et ſic diſcurres de multis ſimilibus caſibus; quia eſt cooperatio remota, & materialis; ergo &c.

Quæro II. *Eſtne licitum inducere per minas ad peccatum aliquem, quem certò ſcis eſſe paratum ad gravius peccatum committendum?*

℟. Res difficilis eſt, ut ſic in communi reſolvatur, propter diverſitatem circumſtantiarum, quæ poſſunt concurrere in hac materia; Unde melius erit, ut paulatim dividatur per caſus particulares.

I. Caſus. Titius omninò eſt paratus, & 28
vult ſurari mille aureos; ego ejus amicus, & conſcius talis propoſiti poſſum licitè ei ſuadere, eumque rogare, ut contentus eſſe velit de minori ſumma, vel quantitate pecuniæ. Ratio eſt; quia tunc ego utiliter gero negotium alterius; & non induco poſitivè Titium ad furandum, imò abduco, & retraho à majori parte, vel gravitate peccati, cùm à toto avertere non poſſim; nec ſuadeo malum, ſed ſolùm diminutionem mali; ergo non pecco &c. Idem dices de ſimilbius. Ut V. G. Volenti committere adulterium benè ſuades, potiùs fornicari. -- Volenti occidere inimicum rectum ſuades, potiùs verberare &c. Et ſic in omnibus caſibus, ubi peccatum minus, quod conſulis,

lis, in majori intento, & volito includitur formaliter, vel virtualiter: vel eſt pars illius &c.

II. Caſus. Sempronius vult abſolutè furari unum equum, vel aſinum Cajo, qui graviter, imò graviſſimè, indiget tali animali: poſſumne ſuadere ei, ut potiùs furetur ſimile animal Titio diviti, qui multa jumenta habet? ℞. Quòd non. Ratio eſt; quia in iſtis ſuaſionibus minoris mali ad fugendum majus malum ſemper intelligi debet hæc expreſſa, vel tacita conditio: *Salvo jure Tertii*: Ut nimirùm tua ſuaſione nullum damnum inferatur tertiæ perſonæ determinatæ, & certæ. In caſu igitur ſecundo poteris ſolùm ſuadere Sempronio, ut potiùs furetur jumentum alicui Diviti indeterminato, & parcat Cajo pauperi &c. Idem dices de ſimilibus. V. G. Volenti committere Sodomiam nefandam poteris ſuadere indefinitè fornicationem ſimplicem: non autem determinatè cum hac, vel illa fœmina. Ita ex communi docent Layman; Bonacina; Card. de Lugo; Navarrus; Sporer *tom. 2. tr. 5. cap. 1. ſect. 3. §. 2.* cum multis aliis DD.

III. Caſus. Scio certiſſimè militem veniſſe in domum meam ad occidendum Ruſticum, poſſumne tuta conſcientia illum inebriare, ad ſic vitandam occiſionem alterius? ℞. Negativè. Quia hic non datur conſilium, vel mera ſuaſio ad ebrietatem, ſed etiam auxilium, & cooperatio poſitiva in ipſum peccatum determinatum ebrietatis; ergo eſt directè inducere proximum ad peccatum formaliter, quod eſt omninò illicitum: ut vidimus &c.

29 Verumtamen P. Leonardus Leſſius vir Doctiſſimus *libro 4. capit. 3. dub. 4. à numero 33. & ſeqq.* tenet, licitum eſſe inebriare aliquem ad graviſſimum malum impediendum; quia, inquit, licitum eſt ſuadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur majus malum, ut communiter DD. tradunt; atqui hic nihil aliud fit; ergo &c. -- Nec refert, quòd illud minus malum (nempè ebrietas) videatur abſolutè ſuaderi, & ad illud proximum induci; quia mens tua non intendit hoc; ſed tantùm intendit majus malum evitare, eligendo minus, & inducendo ad minus malum; nec alio modo poteſt illud majus malum evitari, aut impediri, niſi hoc minori malo. Et ponit caſus de capto à volonibus, id eſt, militibus in taberna, cui nulla alia ſit ſpes evadendi, & ſalvandi vitam, niſi eos inebriando: *numero* 33. Et ponit alium Caſum de alio, qui captus ab hæreticis, & ductus ad tabernam cœpit ſtrenuè cum illis potitare, ut eos inebriaret, & ſic ſe (fuga mediante) ab eis liberare, & ſalvare efficaciter procuravit *numero* 35. Et probat licitum eſſe cauſa vitæ ſalvandæ ſe ipſum, vel alium ebriare: *numero* 37. quod probat rationibus, & auctoritatibus multorum Doctorum à ſe conſultorum: & optimè reſpondet ad rationes in oppoſitum, & ad auctoritatem D. Auguſtini; brevitatis gratia omitto ejus reſponſiones; nec audeo, nec valeo tantum Virum impugnare; licèt mihi magis placeat contraria opinio ſuprà expreſſa in Caſu tertio.

Solùm dico, quòd, dato tamquam licito caſu procurandæ ebrietatis propriæ, & alienæ ad evitandum majus malum, tunc nec directè, nec indirectè eſſet peccatum ſcandali ipſa ebrietas procurata; ſed evaderet remedium. Sic Medici in morbis quibusdam deſperatis, ut mortem avertant ab infirmo, venena quædam minorem noxam inferentia adhibent; & tunc venenum habet rationem medicamenti, non veneni. Ita in propoſito. Vide dicenda *Tract. 40. numero 31. ad 34.* 30

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XXII.

DE NONNULLIS ALIIS PECCATIS contra Charitatem proximi.

I. De Imprecatione.

QUæro I. *Quid eſt Imprecatio?*

1 *Reſpondeo*: Eſt maledictum in quempiam prolatum, quo imprecatur malum pœnæ. Ut V. G. Veniat tibi fulgur, rabies, morbus, mors, vel aliud ſimile malum corporale. – Peccatum uſurpatiſſimum inter plebeios, & ruſticos. – Hujus peccati malitia potiſſimùm dimentienda eſt ex intentione, animo, deliberatione, & advertentia proferentis, vel Imprecantis. Nam ſi fiat ex animo, & deſiderio pravo, eſt peccatum mortale odii, ſeu malevolentiæ, quod propriè vocatur *Maledicentia*: eſtque contra charitatem proximo debitam; nam eadem ratione, qua illicitum eſt proximo malum velle, etiam illicitum eſt proximo maledicere, vel malum imprecari; Maledicentia enim externa, & verbalis ſumit ſuam malitiam à malevolentia interna; atqui malum velle proximo ex corde in materia gravi, mortale eſt peccatum, ut vidimus; ergo & idem malum proximo imprecari, mortale erit.

2 Quandoque etiam Imprecatio, ſeu Maledicentia, aut Maledictio poteſt eſſe contra Juſtitiam, & ad contumeliam reducitur: quando nimirùm quis ſeriò maledicit præſenti, ac in faciem ipſius; quia lædit honorem proximo debitum. Quandoque etiam eſt contra Pietatem; ut cùm quis maledicit Parentibus ſuis: quod eſt ſpecialiter prohibitum, & punitum à DEO Exodi 21. *Qui maledixerit Patri ſuo, vel Matri ſuæ, morte moriatur*. Et Levitici 20. *Qui Patri, Matrique maledixit, ſanguis ejus ſit ſuper eum*. Proverb. capit. 20. *Qui maledicit Patri ſuo, vel Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*.

3 Excuſat autem à mortali *I.* Materiæ levitas: ſive imprecatio levis, vel ridiculi mali: *II.* Imperfectio actus, ideſt, indeliberatio, inadvertentia, motus primi iracundiæ &c. *III.* Defectus malæ intentionis, ſeu voluntatis; nempè quando, non ex animo, ut eveniat tale malum; ſed ſolùm ad expreſſionem tuæ indignationis, vel doloris de nocumento, vel injuriæ accepta, vel ad terrorem alterius tibi ſubditi, hujuſmodi maledicta evomis, & jacis. Et tunc erunt peccata venialia ex defectu patientiæ, & manſuetudinis. Poterunt tamen *per accidens* eſſe mortalia ratione ſcandali puſillorum; maximè in Parentibus erga filios, quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Nequiſſimi filii eorum; quia maledicti à Parentibus ſuis; Nam, ut inquit Eccleſiaſticus cap. 3. *Benedictio Patris firmat domus filiorum: maledictio autem Matris eradicat fundamenta*. Deus enim, ut legi in multis hiſtoriis, ſæpè approbat has maledictiones Parentum, & præſertim Matrum, quorum filii peſſimè moriuntur poſt miſerrimam vitam, ex maledictionibus &c. *Item* quandoque ſunt mortalia peccata ratione fœditatis, horroris, & perverſitatis mali ſibi, vel aliis imprecati deliberatè quidem, at non ex animo, ut ita eveniat. V. G. cùm quis dicit: *Diabolus te arripiat. Vade ad diaboli domum in ſempiternum. Numquam habeas requiem nec vivus, nec mortuus?* & ſimilia horrenda maledicta.

4 Juſtè, & licitè poſſumus maledicere, ſeu malum imprecari peccatoribus, perverſiſque hominibus zelo juſtitiæ: quatenùs nocent bonis, Communitati, & Reipublicæ: prout diximus *tract.* 18. *quaſt.* 9. *num.* 27. & 28. quia, ſicuti ibi dixi, licitum eſt optare eis malum cum recta intentione, ita dico hic à ſimili licitum eſſe imprecari eis idem malum. Eadem, imò fortiori ratione licitum eſt, maledicere Diabolo, ut auctori omnis peccati in Cœlo, & in terra, ut adverſario noſtro, inimico omnis Boni, pleno omnis malitiæ, & doli, & jurato hoſti ipſiuſmet DEI. – Item maledicere illi horæ, loco, occaſioni &c. in quibus peccavimus, vel offenſam Dei contraximus, non ſolùm eſt licitum, ſed ſanctum.

Quæ-

Quæro II. *An ſit peccatum, maledicere, vel imprecari creaturis irrationabilibus?*

5 ℞. *I.* Si maledicis, aut imprecaris beſtiis, jumentis, pecoribus, cæteriſque rebus proximi tui ex odio in ipſum, & animo ſerio, cum deſiderio nempè, ut eveniant talia mala, utique eſt peccatum mortale odii, & vindictæ. ℞. *II.* Si verò talia maledicta projicias in eas res irrationales ex iracundia, vel impatientia etiam ex animo deliberato deſideres, ut eveniant, non peccas niſi venialiter; & multò minùs, ſi non ex animo, vel ſi res ſint tuæ; quia tunc licèt venialiter peccet ex verbis otioſis, & iracundiæ plenis, nullum tamen damnum reale infert rebus alienis, vel tuis. ℞. *III.* Maledicere vento, pluviæ, tempeſtati, vel cuivis creaturæ inſenſatæ, ſine prava relatione ad Deum; non eſt niſi veniale peccatum impatientiæ, & furoris. Quòd ſi talis maledictio referatur, ſaltem indirectè ad Deum Creatorem, qui utitur illis creaturis, tanquam inſtrumentis ad nos puniendos; tunc erit peccatum mortale Blaſphemiæ; & multò & multò magis grave ſi dicas: *maledicta talis res, & is, qui eam facit*; nempè Creator Deus. ℞. *IV.* Si autem maledictio talis redundet in Parentes, & V. G. ſi maledicas diei, vel horæ, in qua te Parentes genuerunt, erit peccatum mortale contra Charitatem, & Pietatem; & ſic de ſimilibus. *Nihileminus*, quia totus orbis eſt plenus his imprecationibus, maledicentiis, verbiſque maledictis, *Confeſſarius*, ad evitandum ſcandalum puſillorum, qui ſtatim diſcunt has peſſimas lectiones, & repetunt, debet ex charitate admonere, & corrigere delinquentes, eiſque imponere, ut deinceps benedicant omnibus, quibus maledixerunt: juxta dictum Apoſtoli ad Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere.* Lingua enim Chriſtiani, quæ in Baptiſmate benedicta, & ſale ſancto condita eſt, debet repleri benedictionibus. Tum quia in Cœlo abundant verba benedictionis in omnibus Dei operibus, in inferno autem omnia maledicta ſunt, & maledictionibus ſaturantur damnati: juxta illud Pſal. 108. *Dilexit maledictionem, & Veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

II. De Invidia.

Quæro III. *Quid eſt Invidia?*

℞. Eſt triſtitia de bono alieno æſtimato ab invidente ut malo proprio: quatenus minuit, vel obſcurat propriam excellentiam bonum illud, quod in proximo videt. — Eſt peccatum mortale ex proprio genere; nimirùm quia involvit odium proximi, deſtruit charitatem: & ſimpliciter non vult, imò dolet, & triſtatur, tale bonum ineſſe proximo. 6

Hujus peccati gravitas menſuranda eſt à magnitudine boni Spiritualis, vel corporalis de quo quis triſtatur. Nam ſi invideas bonis gratiæ Divinæ, & donis Spiritus-Sancti, quæ ſunt in Anima proximi tui; eſt peccatum graviſſimum, imò diabolicum contra Charitatem Dei, & proximi. Et hæc ſpecies peccati invidentiæ fuit illa, ex qua Diabolus tentavit, & ſeduxit Hevam Matrem noſtram; unde originem duxit omne malum, & peccatum juxta illud Sapientiæ cap. 1. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et ex qua Cain occidit Abel fratrem ſuum: ut dicit Apoſtolus dilectus 1. Joan. cap. 3. *Propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta*: Et ex hac mala, imò peſſima radice naſcuntur odium, detractio, temerarium judicium, perſecutio bonorum, & Sanctorum virorum, homicidia, & tyrannides. Si autem invideas bonis corporalibus, vel temporalibus proximi tui, peccas utique contra charitatem fraternam (quæ gaudet de bonis alterius, ſicut de propriis) mortaliter, aut venialiter pro qualitate materiæ. 7

At in hac materia unum eſt obſervandum *à Confeſſario*; nam multi confitentur, ſe peccaſſe peccato invidiæ; qui, ſi interrogentur, reſpondent, non triſtatos eſſe de bonis proximi, ſed ſolùm deſideraſſe habere ſimilia ſine damno alterius. Hoc non eſt peccatum propriè *invidentia*; ſed ad ſummum *Æmulationis* affectus; Nam æmulatio eſt triſtitia de propria penuria, ſeu de carentia boni, quòd videt in alio, deſiderando ſimile bonum. Et iſte affectus quandoque bonus, & laudabilis eſt, non tantùm quoad bona Spiritualia, Virtutes &c. verum etiam quoad bona naturalia animi, vel corporis. Unde V. G. Studentes, aliorum profectum videntes meritò 8

tri-

triſtantur de propria ignavia, & ſic excitantur ad majorem laborem in ſtudio, ut exæquent, vel etiam ſuperent condiſcipulos. Artifex videns alios ſua induſtria benè alere familiam, & diteſcere, meritò æmulatur, ſe non valere, nec ita proſpicere, & proſperare. Mercator videns pleroſque, vel plurimos adventores divertere ad ſuum vicinum licitè quidem dolet de illo concurſu, quatenùs proprium detrimentum eſt, & ceſſatio lucri, quod alioquin juſtè habere ipſe poſſet, ſi ad ſuam venirent apothecam; at non licitè, nec ſine peccato odii, vel invidiæ doleret, ſi triſtaretur de tali concurſu, quatenùs talis concurſus bonus eſt vicino, & proximo ſuo, vel quia ſuus vicinus juſtus, & bonus vir eſt. -- Neque peccat peccato invidentiæ, qui indignatur, bona temporalia, ut divitias, dignitates, officia, beneficia &c. obvenire impiis, vel indignis; ſi bona illa conſideret, prout humana voluntate contra juſtitiam diſtributivam collata ſunt, aut quatenùs eis ignorantes, & indigni abutuntur; quia tunc eſt actus, vel affectus *Zeli*, ſeu *Nemeſis*, nempè juſtæ indignationis. Hæc tamen indignatio vitioſa, & mala eſſet, ſi tenderet in bonum proximi, aut quatenùs abſolutè bonum illius eſt: (ſic enim eſſet contra Charitatem) aut quatenùs tali homini, quantumvis indigno, hujuſmodi bona provenerunt ex Divina diſpoſitione, ob imperſcrutabiles, ſed ſemper bonos, juſtoſque fines Providentiæ Dei; ſic enim ſaperet blaſphemiam. Unde contra hanc pravam indignationem dicit Propheta Pſalm. 36. *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine faciente injuſtitias.*

III. De Diſcordia.

Quæro IV. *Quid eſt Diſcordia?*

9 ℞. Eſt diſſenſio voluntatum circa bonum, quod ex charitate omnes amare debemus. -- Quod eſt contrarium Charitati, quæ cauſat Concordiam, conſenſionem, unionem, & pacem voluntatum in bonum: facitque cor unum. E contrà Diſcordia eſt diſgregatio cordium ideſt voluntatum in diverſa. -- Dicimus *Voluntatum*; quia diſcordia *Intellectuum* in iis, quæ Fidei Divinæ, & Catholicæ non ſunt, non eſt vitioſa, ſed naturalis, & etiam virtuoſa; Sancti enim Patres, & Doctores inter ſe erant, & ſunt diſcordes in opinionibus; & tamen charitate, atque voluntate concordes. -- Dicitur *circa bonum*; Nam diſcordia circa malum, quod alii volunt, & tu non vis, bona, laudabilis, & neceſſaria eſt. -- Dicitur *quod ex charitate amare debemus*: Sive in quo cum proximo conſentire tenemur, nempè quod neceſſarium, vel utile eſt ad Dei gloriam, & noſtram, aut proximorum Salutem ſpiritualem, vel corporalem; in hoc enim ſcienter, & pertinaciter diſſentire, eſt peccatum contra Charitatem pro ratione materiæ. Nullum autem erit peccatum, diſſentire circa aliquod bonum, in quo concordare obligati non ſumus:

Unde colliges. I. Peccare mortaliter Conſiliarios, aut Theologos, qui ſcienter, & malitioſè diſſident à bono Communitatis, nolentes conſentire aliis tendentibus ad promovendum tale bonum. *Item* II. eos, qui ſuo judicio nimis adhærentes aliorum ſententiis piis circa aliquod bonum, ut ſuprà non cedunt quinimò ex aliqua paſſione ſuperbiæ, elationis, ambitionis &c. eis reſiſtunt, ac impediunt tale bonum, quod promovere tenerentur. *Item* III. eos, qui conveniunt utique in Sententia, aut voluntate Principis, aut alterius Superioris, ſed in damnum Tertii, vel & pauperum. -- IV. Cùm quis diſcordat quidem ab altero, vel ab aliis, ſed non animo pravo diſcordandi, benè quidem rectiùs, & convenientiùs judicandi, & reſolvendi illud bonum; non peccat, niſi materialiter; quia formaliter tendit ad bonum. -- V. In hoc vitium diſcordiæ cadunt ſæpè Uxores, Filii, & Conſanguinei; qui nolunt acquieſcere judicio, ac regimini Mariti, Patrisfamilias, Rectoris; quod quidem peccatum menſurari debet ex damno, vel nocumento conſequente. 10

IV. De Contentione.

Quæro V. *Quid eſt Contentio?*

℞. Eſt impugnatio Veritatis cum confidentia clamoris. Hæc tamen conditio *cum confidentia clamoris* ad eſſentiam Contentionis non pertinet, licèt ſæpè eam comitetur, & aggravet malitiam ipſius. -- Hæc verò poteſt fieri dupliciter: vel ex intentione formali, impugnando videlicet veritatem agnitam vel ex intentione virtuali, Doctrinam nimirùm impugnando, non curando, an vera ſit, vel falſa. Utrumque, quando ſeriò, & malitioſè fit, eſt 11

Digitized by Google

eſt peccatum ex genere ſuo mortale contra Charitatem, & Pacem, qua tenemur cum proximo conſentire in bonis ipſi neceſſariis; Veritas autem ſæpè neceſſaria eſt proximo, cum quo contendimus, vel illis, qui audiunt, ad ſalutem aut profectum Animæ, vel corporis, vel famæ, vel fortunæ; ergo &c.

12 Scienter autem, & feriò impugnare Veritatem agnitam in rebus Fidei, & Salutis æternæ, eſt peccatum graviſſimum in Spiritum Sanctum; ut notum eſt. Et qui pertinax eſſet, & aſſentiret ſuo errori, hæreticus eſſet. In Jure Canonico *cap. Quicumque de hæreticis*, §. *Inhibemus in 6.* Sub excommunicationis ſententia prohibetur Laicis perſonis, ne publicè, vel privatim *de Fide* diſputent: eò quòd tales plerumque in rebus Theologicis nil, vel parùm, aut non ſatis verſati ſunt; unde ſe exponerent periculo eſſentialiter errandi, ac falsò ex præſumptione dogmatizandi.

13 Non damnantur tamen, imò praxi valdè utili, & decorosè approbantur, & laudantur Contentiones Scholaſticæ, ſeu Diſputationes privatæ, & publicæ in omni Scientia, exercitii causâ, aut ad explorandam alterius Doctrinam, (ſi fiant debitis cum modis, & circumſtantiis) aut ad uberiùs, & pleniùs cognoſcendam, ac explanandam Veritatem, quæ DEO honorifica, & hominibus utilis eſt.

Quæres. *Quomodo peccare poſſint Diſputantes in Scholis, vel Templis?*

℞. Cum Silveſtrina *v. Contentio*: quòd Contentio Diſputationis rarò fit cum moderamine, & reverentia debita; Et poteſt eſſe peccatum veniale, ut ſi quis defendat Veritatem cum modo aliqualiter indebito: aut etiam falſitatem nulli præjudicantem. Et poteſt eſſe etiam mortale triplicitèr. I. Defendendo aliquid contra Fidem, & bonos mores: vel contra utilem doctrinam, puta Medicinam. II. Quando fit iſta Contentio Scholaſtica cum modo exceſſivè indebito, vel Scandalo magno; de quo certa regula dari non poteſt, niſi quando interveniunt contumeliæ, vel opprobria, convicia, & hujuſmodi, quæ conſtat, eſſe mortalia, maximè in Religioſis. III. Ratione materiæ prohibitæ diſputari publicè; ut patet de quibuſdam theſibus pertinentibus ad Fidem; quæ vel ſunt damnatæ à Romana Sede, vel prohibitæ, ne defendantur; aut ne publicè diſputentur. 14

TRACTATUS XXIII.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

De Pietate, & obligatione filiorum erga Parentes, & Majores.

QUæro I. *Quid continetur, & præcipitur in hoc Quarto præcepto?*

1 Reſpondeo. Præceptum hoc: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*: formaliter quidem affirmativum eſt, ac debitum honorem, & cultum pietatis præcipit, exhiberi Parentibus: virtualiter verò ſimul negativum eſt: quaſi dicat: *Non inhonorabis Parentes tuos*: ſicque prohibet omnme irreverentiam, & injuriam Parentibus irrogandam?

2 Nomine *Parentum* comprehenduntur quatuor genera Perſonarum. I. Parentes, qui nos ſecundùm carnem genuerunt. II. Superiores Spirituales, ut Epiſcopi, Paſtores Animarum, Confeſſarii, Concionatores. III. Superiores ſæculares, Reges, Principes, Duces, Magiſtratus, Domini. IV. Omnes alii, qui ſuper nos aliquam poteſtatem, vel eminentiam habent, ut Magiſtri, Tutores, Curatores, Benefactores, & Majores.

Quæro II. *Quid eſt Pietas?*

℞. Eſt virtus moralis, qua Parentibus principaliter, deinde aliis majoribus ſupradictis debitum cultum, honorem, & obſequium impendimus. 3

Quæro III. *Ad quoſnam actus ſe extendit Virtus Pietatis erga Parentes?*

℞. Ad

Digitized by Google

4 ℞. Ad hos tres in ſpecie: ad Amorem, Obedientiam, & Reverentiam. Explico Singulos. — Amor Filiorum erga Parentes in tribus punctis conſiſtit. I. *Benè velle Parentibus negativè*: hoc eſt, nihil mali eis volendo, optando, imprecando, cauſando. Unde ex hoc capite peccant mortaliter filii, qui odio, malevolentia, gravi indignatione, vel quovis alio affectu pravo in Parentes deliberatè feruntur. *Item* qui opere, verbo, vel quovis ſigno externo pravum illum affectum erga eos oſtendunt; V. G. duro alloquio, aſpectu torvo, geſtu protervo eos affligunt, vel contriſtant. *Item* qui contemnunt, ſubſannant, irrident, & deſpiciunt eos. *Item* qui verbis injurioſis, contumeliis, maledictis &c. eos afficiunt. Et tandem qui quidvis aliud eis ad inſultandum faciunt, vel omittunt: Has omnes breviſſimas reſolutiones poſſem probare ex variis textibus expreſſis Sacræ Scripturæ; at brevitatis cauſa eos omitto, ſignabo tamen loca, quæ poteris videre in Bibliis. Eccl 3. & 7. *Prov.* 20. 23. & 30. *Tob.* 4. *ad Epheſ.* 6. — *Ad Coloſſ.* 2. — *Deuter.* 21. — & alibi ſæpiſſimè, ſpecialiter in *lib. Eccleſiaſtici*.

5 II. *Eis etiam poſitivè bene velle*: ac reipſa benefacere, atque ſuccurrere, cum facultas adeſt, in quavis eorum neceſſitate: Aut *Spirituali*: ut in periculo mortis curando diligenter, ut Sacramentis muniantur, Teſtamentum juſtè condant &c. Unde peccant graviſſimè Filii, qui negligunt vocare tempore opportuno Parochum, vel alium Confeſſarium idoneum pro infirmis Parentibus ſuis, gravi, & periculoſo morbo laborantibus: qui à Teſtamento condendo impediunt eos: qui eorum legata pia non implent, vel notabiliter differunt &c. An *Corporali*, ut in infirmitate corporis, aliiſque adverſis occurrentibus caſibus, viſitando, conſolando eos, aſſiſtendo eis per ſe, quando eſt poſſibile, vel per alios quando ipſi ſunt legitimè impediti, opitulando, neceſſaria providendo: è miſeria liberando, in paupertate alimenta præbendo, domi ſuæ excipiendo, alendo, fovendo, & ſimilia pietatis officia exhibendo. Quæ intelligenda ſunt non tantùm de neceſſitate quaſi extrema, verùm etiam de gravi, & ordinaria. Ita deducunt ex locis citatis Sacræ Paginæ, & ſpecialiter Eccl. c. 7. & Tobiæ 4. Omnes DD. cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 122. *art.* 5. Navarrus: Toletus: Marchant: Filliucius: Sporer *tom.* 2. *tract.* 3. *c.* 5. *ſect.* 1. §. 1. & 2. *per totum*; qui cum Marchantio advertit, hanc obligationem præbendi alimenta Parentibus, & opitulandi eis in omnibus neceſſitatibus, non ſolùm eſſe de Jure Gentium, ſed etiam de Jure ſtricto naturæ. Nam videmus ipſa animalia dociliora, *ciconias* præſertim, & *leones* alere, & fovere genitores ſuos in ſenectute.

6 Talis, & tanta eſt hæc obligatio, ut, Parentibus in quaſi extrema neceſſitate exiſtentibus, peccet mortaliter Filius Religionem ingrediendo, vel profitendo, etiam ex voto prævio; idque eſſet contra Jus Divinum-naturale, quod antecedit omne opus voluntarium, & liberum quantumvis pium, & ſanctum. Quinimò Filius jam ingreſſus Religionem, vel etiam profeſſus ſub peccato gravi tenetur ad tempus egredi, ſi neceſſitas Parentum ſuorum ſit extrema, invitis etiam Superioribus, vel ipſis Parentibus; ſi verò neceſſitas ſit tantùm gravis, adhuc tenetur egredi, petita licentia Superiorum: dummodò ſemper ſpes ſit egrediendo poſſe eis ſuccurrere, aut manendo in Clauſtris non æquè benè ſuccurrere per alios poſſit.

7 III. *Omne malum, omnemque injuriam notabilem à Parentibus propulſare*: Filii enim obligantur pro poſſe, non ſolùm, ut dixi, abſtinere ab omni injuria propria inferenda Parentibus, ſed etiam impedire, ne ab aliis injuria & aliud malum, vel damnum eis inferatur. Et hoc ex Lege Divina, & naturali: ut patet.

8 *Quoad Obedientiam*, dico, quòd obligatio obedientiæ Filiorum erga Parentes exigit univerſaliter, ut in omnibus licitis, & honeſtis ad eorum curam pertinentibus obediant ſuis Parentibus: idque ſub mortali ex genere ſuo: adeò ut omnis inobedientia formalis, rebellio, contumacia contra mandatum expreſſum, & ſerium Parentum ſuorum, ſit peccatum mortale; niſi levitas materiæ, inadvertentia, vel humana quædam negligentia excuſet. Probatur. I. Ex Sac. Scripturis. Eccleſ. cap. 3. *Judicium Patris audite Filii, & ſic facite, ut ſalvi ſitis*. — Ad Epheſios capit. 6. *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt. Et alibi*. Prob. 2. Ratione. Parentes ſub mortali tenentur Filios inſtruere, educare, & cor-

Digitized by Google

& corripere in iis, quæ ſunt honeſt tis, & ſalutis; adeò ut Parentes hæc omittentes ſæpè puniantur à Deo, etiam in hoc mundo, ut patet I. *Regum c. 2. De Heli* &c. Ergo ex correlativo Filii tenentur obedire Parentius in omnibus curam paternam concernentibus. Tum quia, hoc exigit Jusipſum naturale, & voluntas Dei expreſſa, & ipſa Filialis ſubjectio.

9 Quare *ex dictis inferes*, quòd minimè debent, nec licitè poſſunt Filii obedire Parentibus in illis rebus, quæ manifeſte ſunt contraria Legi Divinæ; nam *oportet Deo magis obedire, quàm hominibus*; tum quia, hoc non eſſet obedire Parentibus *in Domino*, ſed contra Dominum Deum noſtrum II. Non tenentur Filii obedire Parentibus ſuadentibus aliquid contra conſilia Euangelica, puta ne ingrediantur Religionem approbatam, & ſtrictam; nam Filii, ut meliùs infra videbimus, in electione ſtatus ſunt ſui juris; tum exemplo plurimorum Sanctorum, qui inviiis Parentibus perfectionem Euangelicam amplexi ſunt.

10 *Quoad Reverentiam* tandem dico: quòd obligatio Reverentiæ Filiorum erga Parentes univerſaliter exigit, ut eis juxta regulas honeſtatis, & patriæ, atque conditionis morem, competentem reverentiam exhibeant verbis, ſignis, & factis; quorum defectu voluntario pro ratione materiæ, & circumſtantiarum peccant Filii mortaliter, aut venialiter. Ut autem meliùs cognoſcas, & diſtinguas peccata Filiorum, pono tres regulas, quarum.

11 *Prima eſt*. Quandocumque Filius abſque juſta cauſa deliberatè aliquid agit, vel omittit (etiamſi alioquin per ſe malum non ſit,) ex quo prævidet, Parentes graviter offendendos, vel contriſtandos, aut fortè etiam peccaturos nimia ex iracundia, indignatione, blaſphemiis, imprecationibus; ipſo facto peccat mortaliter contra Amorem, Obedientiam, ac reverentiam Parentibus debitam: ideſt contra Pietatem quod eſt peccatum ſpecie diverſum ab eo, quod aliàs fecit &c.

12 *Secunda*. Etiam in dubio, an ſit cauſa juſta agendi aliquid, ex quo Parentes graviter offendendi, vel contriſtandi, aut ſcandalizandi ſint, tenetur Filius abſtinere: imò etſi juſta cauſa quandoque ſubſit, ſi tamen nulla urgeat neceſſitas tale quid agendi, poterit Filius ad tempus condeſcendere Parentibus; idque etiam in operibus bonis, & ſanctis. Quia in tali dubio ſtat poſſeſſio & obligatio reverentiæ debitæ.

Tertia. Quando tamen juſta cauſa omninò urget aliquid agere, vel omittere, & conſtat, offenſionem, vel contriſtationem, aut ſcandalum Parentum ex mera ipſorum moroſitate, melancholia, apprehenſione, amaritie, vel etiam malitia, irrationabiliter oriturum: non peccabit Filius illud agendo, aut omittendo. Videant tamen Filii, & Filiæ, ne ſibi nimis blandiantur in hoc, attendantque Sapientis verba Eccli. cap. 3. *Fili ſuſcipe ſenectam Patris tui, & non contriſtes eum in vita illius; ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua... In opere, & ſermone & omni patientia honora Patrem tuum &c.* & cap. 7. *Fili, honora Patrem tuum, & gemitum Matris tuæ ne obliviſcaris: Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & ipſi tibi.* — Quare Philoſophus optimè dicebat: *DEO, Parentibus, & Magiſtris nemo par reddere poteſt.* 13

Quæro IV. *An Filii teneantur obedire Parentibus in electione ſtatus?*

Rt. I. Electio ſtatus eſt negotium negotiorum: hoc eſt punctum, à quo pendet felicitas totius vitæ: momentum, à quo pari paſſu menſuratur vita noſtra bona, aut mala; quare tanti intereſt benè eligere ſtatum quanti Animam ſalvam facere: ut doctè probat P. Carolus Gregorius Roſignolius in aureo quodam libercul, cui titulus: *La Saggia Elezione*: Et Patriarcha S. Ignatius principaliter ordinavit Exercitia illa (cœleſti induſtria, Divinaque arte à ſe compoſita, Sedis Apoſtolicæ judicio, & omnium utilitate comprobata) ſpiritualia ad hunc finem, nempe ad præparandum, & diſponendum animum circa vitæ noſtræ inſtitutionem, & ſtatus electionem. 14

Rt. II. Quamvis Parentibus competat ſuadere, & conſulere Filiis de bono ſtatu vitæ eligendo, puta vel Religione, vel Clericatu; vel Matrimonio: & etiam decens, rationique conſentaneum ſit, Filios ſuper hoc negotium conſulere ſuos Parentes, aliàs Deum timentes, juſtos, & pios eorumque ſanum conſilium ſequi: attamen ſimpliciter eis obedire in hoc, vel acquieſcere non tenentur. Ratio eſt ſolidiſſima; quia in eligendo vitæ ſtatu Filius naturaliter liber eſt, & eſſe debet; tum quia, unuſquiſque debet eligere illud vitæ genus, ad quod vocatur à Deo per admirabilem, ſua- 15

Digitized by Google

ſuavem, fortemque ejus Providentiam, juxta illud Apoſtoli 1. Corinthiorum c. 7. *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat... Unicuique ſicut diviſit Dominus, & ſicut unumquemque vocavit Deus, ita ambulet... Unuſquiſque in quo vocatus eſt in hoc permaneat apud Deum.* — Et ad Epheſios cap. 4. *Ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis... Unicuique autem noſtrûm data eſt Gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.*

16 ℟. *III.* Unde peccant mortaliter Parentes, ſi Filios, vel Filias invitas compellant ad ingrediendam Religionem, vel ſtatum Clericalem aſſumendum, quocumque modo, metu, vi, fraude, minis: etiam indirectè, ut ſi Pater malè agat cum Filio, vel Filia in victu, veſtitu, verbis, ſignis, eo animo, ut tædio affectus, vel affecta ad talem ſtatum Religionis, vel Clericatus confugiat, & ſe applicet. Ratio eſt clariſſima: quia contra juſtitiam, & pietatem eſt, aliquem ad id cogere, ad quod non tenetur, quodque DEUS ipſe liberum cuique eſſe voluit. Tum quia iſtæ inductiones Parentum erga Filios cauſæ ſunt omnium malorum conſequentium, heu! ſæpiſſimè graviſſimorum; ut quotidiana docet experientia: in maximum detrimentum, & dedecus illius ſtatus, Religionis, & Clericatus. — Meritò igitur à Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Regul.* rigidiſſima prohibitione lata eſt ſententia Excommunicationis contra eos, qui fœminas ad Religionem cogunt: ut nimirùm Religionis ingreſſus liber ſit omnibus. Hoc tamdem peccatum magis aggravatur à quibuſdam Parentibus, qui oculos carnis, & avaritiæ plenos habentes offerunt ſemper Deo filium, vel filiam debiliorem ingenio, & corpore, non attendentes maledictionem, quæ ſupervenit eis ab ipſo Deo ex ore Prophetico Malachiæ, cap. 1. v. 14. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino.*

17 ℟. *IV.* Mortaliter peccant Parentes, & quicumque alii, qui filios, vel filias à Religionis ingreſſu attentato injuſtè impediunt: ſive hoc faciant per vim, fraudem &c. ſive per importunas preces, ſuaſiones, blanditias &c. ſoletque Deus illos, ac filios ita extractos, vel ſeductos graviter etiam in hoc ſæculo punire. Ratio eſt: quia ſine juſta, & rationabili cauſa illos impediunt à meliori bono, majori Dei obſequio, & à propria vocatione, quod Ordini Charitatis Divinæ, & proximi directè repugnat: ſolet quoque eſſe cauſa damnationis ipſorum.

℟. *V.* Etiam graviter peccant Parentes, ſi filios, filiaſve abſque urgenti, juſtaque cauſa compellant ad Matrimonium ineundum. Ratio patet ex dictis. Tum quia in Matrimonio eſt quædam ſpecies ſervitutis perpetuæ, & homo, cùm ſit liberæ conditionis, nequit à Parentibus ad hanc ſervitutem compelli. Tum quia ſtatus matrimonialis exigit mutuum amorem, & communicationem affectus; ergo ſpontaneè debet eligi. Vide Molinam *tom.* 5. *tract.* 4. *de Juſtitia diſp.* 51. *numero* 2. — Sanchez *lib.* 4. *de Matrimonio diſp.* 22. *numero* 4. — Sporer *tom.* 1. *tr.* 3. *capit.* 5. *ſect.* 1. §. 3. — Similiter è contra peccant ſine dubio graviter Parentes, ſi filios, & filias abſolutè à Matrimonio contrahendo impediant, & abſtinere cogant: ſive hoc fiat animo indirectè compellendi ad ſtatum Religionis, ſeu Clericatus, ſive ob alium finem injuſtum. Quia graviſſima eſt injuria, & injuſtitia, velle hominem contra ſuam voluntatem privare libertate eligendi ſtatum à Deo, & à Natura inſtitutum, non tantùm ad propagationem humani Generis, ſed etiam in remedium incontinentiæ; aliàs, ut patet praxi, datur infirmis ſpiritu occaſio occultè delinquendi in re venerea. Tum quia, ut rectè notat Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *artic.* 5. *in cap.* In iis, quæ ad propriam ſuſtentationem, proliſque generationem pertinent, omnes homines natura ſunt pares; atque adeò neque Filii quidem in his duobus ſubjacent Parentibus. — At verò, ſi Parentes ſolummodò impediunt filium, vel filiam à talibus nuptiis cum tali perſona, relicta libertate ad alias nuptias, quoad peccatum Parentum nihil gravius definiunt Doctores: ideſt, non agnoſcunt in hoc culpam valdè gravem. Et de facto, ſi Parentes tunc habeant rationabilem, juſtamque cauſam impediendi tale determinatum Matrimonium, puta veram utilitatem filii, vel filiæ, vel decorem familiæ intendendo; non apparet culpa gravis, & fortè neque levis. Sed quid tunc de obligatione, vel peccato filii, aut filiæ, ſi non acquieſcat judicio Parentum? Videbis in ſequenti quæſito. 18

Quæro V. *An filii teneantur obedire Pa-*

Digitized by Google

rentibus in electione talis, vel determinati Matrimonii?

19 ℞. I. Electo à Filio, vel filia ſtatu Matrimoniali, debent filii, vel filiæ petere conſilium, & aſſenſum Parentum, atque etiam expectare, & obtinere: niſi Parentes injuſtè contrarientur, vel nimis ſuſpendant &c. adeò ut peccent Filii, ſi inconſultis Parentibus, aut juſtè contradicentibus, tale, vel determinatum & individuum ineant Matrimonium. In his terminis ſanè omnes DD. conſentiunt. Et ratio eſt, & ſumitur ex Patria poteſtate, cui jure naturæ impoſitum videtur onus, ut nuptiis tradant filios, & filias volentes nubere. Hoc etiam docent Sacræ Litteræ; nam Eccleſiaſticus c. 7. dicit: *Trade filiam* (viro,) *& grande opus feceris: & homini ſenſato da illam.* – Nota ly *Senſato*: non dicit: diviti, nobili, pulchro, ſed *Senſato*, ideſt prudenti, Deum timenti &c. Et S. Paulus epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. v. 38. *Qui matrimonio* (inquit) *jungit Virginem ſuam, benè facit.* – Et S. Ambroſius ait: Non eſſe Virginalis pudoris Maritum eligere, ſed judicium Parentum eſſe expectandum.

20 ℞. II. At non conveniunt DD. in aſſerendo: Filios, & Filias peccare mortaliter, quando in Matrimonio hoc, vel illo eligendo non petunt conſilium, nec expectant conſenſum ſuorum Parentum. Multi enim DD. (quos citat, & ſequitur P. Thomas Sanchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 23. numero 9.* & Card. Bellarminus *lib. 1. de Matrimonio capit. 19. propoſitione 3.*) tenent partem affirmativam, quæ ſine dubio vera eſt, quando, ultra Parentum diſſenſionem, alia mala ſequerentur, ut puta ſcandala publica, grave dedecus familiæ, diſcordia, & inimicitia implacabilis inter conſanguineos, & ſimilia; tunc enim peccare graviter filium, vel filiam ſaltem contra Charitatem, certiſſimum eſt. – At verò, ſeclulis prædictis inconvenientibus, ratione ſolius diſſenſionis, vel contradictionis Parentum, non peccare mortaliter filium, vel filiam, probabiliſſimum eſſe, docent alii DD. apud Baſſæum *tom. 1. V. Filius, numero 5.* – Dianam *p. 4. tract. 4. reſ. 132.* – Hurtadum *tract. de Matrim. diſp. 6. diffic. 10. num. 35. & 36.* – Et ſingulariter, ac fortiter probat Sporer *tom. 1. tr. 3. c. 5. ſect. 1. §. 4. per totum:*) contra ſuum, & meum Marchantium *tom. 2. tr. 5. tit. 2. q. 4. concl. 4.* qui dicit, & ſolidè probat: In Matrimonio contrahendo prolem debere ſaltem petere conſilium, & aſſenſum Parentum; unde ſi nubat ſine juſta, & urgenti cauſa, abſque poſtulato conſilio, vel aſſenſu Parentum, vel illis juſtè renitentibus, peccat mortaliter, etſi validum ſubſiſtat Matrimonium.

Adducam rationes DD. pro parte negativa. In electione ſtatus, & maximè Matrimonii, filii ipſo jure naturæ omninò liberi ſunt, & nemini ſubjiciuntur: ergo quamvis tales invitis Parentibus contrahentes Matrimonium indecenter agant, & à veniali Paternæ irreverentiæ culpa vindicari, aut excuſari non poſſint, peccati tamen mortalis non ſunt damnandi. 21
Tum quia, ſi adſtringimus eos ſub culpa gravi ad petendum conſilium, & expectandum conſenſum Parentum ſuorum, auferimus etiam eorum naturalem libertatem; ſed hoc jugum nimis durum videtur impoſitum Filiorum collis; Tum quia, tales Filii aut dignè contrahere volunt, aut indignè, aut dubiè. Si *dignè* volunt Matrimonium contrahere, Parentes eorum nec juſtè contradicere poterunt; & ſi contradicant, Filii non tenebuntur obedire. Ad quid ergo tantum onus ad petendum conſilium, quod nemo ſequi tenetur? Si *indignè* contrahere volunt, (& ex hoc capite peccare) & nos ſub mortali peccato velimus obligare Filios ad Parentum conſilium poſtulandum, an non, regulariter loquendo, eos conjiciemus in periculum rixarum? Cùm certum ſit, Parentes in tali caſu contradicturos; idque maximè, ſi Filius, vel Filia in arepto propoſito tenaciter conſtans ſupponatur contra Parentum conſenſum. An non ergo ſatius erit curare, ut ignorent Parentes, quàm ut conſulti reſciant, & eorum authoritas coram deſpiciatur? Si tamdem *dubiè* contrahere volunt: in tali dubio nonnè poterunt petere ab alio prudentiori viro conſilium, & ſic non egere Paterno? Ad quid ergo obligatio hæc ſub mortali? Certum igitur mihi videtur (inquit Sporer,) non adeſſe obligationem ſub culpa gravi: quidquid ſit in communi apprehenſione hominum: Qui Sporer tenet, non peccare mortaliter Filios, vel Filias, etiamſi *indignè* contrahant, nempè ſi Filius ducat indignam, vel Filia nubat indigno contra voluntatem Parentum, ſeclulis aliis

aliis malis. – At mihi videtur in praxi im-
poſſibile, ut ſecludantur alia omnia mala
in hoc caſu, ut patet experientia.
22 ℞. *III.* Certum eſt apud omnes DD.
citatos, & citandos, quòd ſi Filii invitis
Parentibus ineunt Matrimonium cum di-
gnis, ſibique paribus, & alioquin nullum
ſequatur grave incommodum, niſi aliqua-
lis indignatio momentanea ſuorum Pa-
rentum, non peccant mortaliter; imò nec
venialiter, ſi priùs ab eis modeſtè licen-
tiam per ſe, vel per alios petierunt, ta-
metſi nequaquam impetraverint. Ratio
eſt: quia tunc, Parentes irrationabiliter,
& injuſtè contradicunt, filioſque privare
contendunt libertate propria, & optato,
honeſtoque bono ſibi licito, & conve-
niente, hoc eſt, Matrimonio utili, & ſa-
lutari. Ita Sporer *loc. cit.* -- Marchant. *l.
cit.* Baſſæus *loc. cit.* -- Sanchez *loc. cit.* --
Leſſius *lib. 4. cap.* 40. *nu.* 43 Buſembaus
lib. 3. cap. 2. dub. 1. num 3. Filliucius *tr.*
10. *n.* 20. Tamburinus *lib. 5. in Decal. ca.*
2. §. 3. *n.* 5. -- Clericatus *Erotem c.* 49. *n.*
7. qui tandem dicit, & concludit: Cer-
tum eſt, & experientia probatum, infeli-
cia ſemper eſſe Matrimonia contracta per
Filios, invitis Parentibus. -- Quod credo
verum, quando ſunt rationabiliter inviti;
quia multi Genitores, ut dicit Marchant.
loco citato, *in ſeq. Corollario*: multis crimi-
nibus ſe intricant dùm ſolis humanis re-
ſpectibus divitiarum, nobilitatis, honoris,
vel commodi temporalis ad damnoſa con-
nubia filios, vel filias cogunt, & urgent,
ac ſalutaria, & honeſta Matrimonia im-
pediunt. -- Pluris enim faciunt bona cor-
poralia, quàm Spiritualia filiorum, & fi-
liarum: non reſpiciunt exitum, ſed initium
Matrimonii; cùm tamen Sapientis ſit, *re-
ſpicere finem.*

De Pietate, & Obligatione Parentum erga Filios ſuos.

Quæro VI. *Quænam ſunt obligationes Pa-
rentum erga ſuos Filios?*
23 ℞. *I.* Quamvis multa enumerentur Of-
ficia Parentum erga Filios, omnia tamen
reducuntur ad tria: nempè ad Amorem,
ad Educationem corporalem & ad Edu-
cationem Spiritualem; & hæc tria deben-
tur Filiis Jure naturali divino. Ratio hu-
jus triplicis obligationis ſumitur ex ipſis
viſceribus Naturalis Legis, qua videmus
omnia Animantia, etiam Bruta, & fero-
cia fœtus ſuos amare, & educare; cùm
autem Homo ſit Animal rationale ad Fi-
nem Supernaturalem creatum, ideò du-
plici indiget Educatione, una corporali
ad eſſe Naturæ, altera Spirituali *ad eſſe
Gratiæ*, in ordine ad finem ſuum ultimum,
qui eſt ipſe Deus. Hoc agnovit prima no-
ſtra Parens Heva, quæ primogenitum ſu-
um Filium appellavit Cain, dicens: *Poſ-
ſedi hominem per Deum.* Geneſ. 4. quod
Hebraicè ſonat: *Acquiſivi hominem Deo.*
Unde dicit S. Joan. Chryſoſtomus: Tunc
veriſſimè habemus filios noſtros, cùm Deo
noſtro illos tradiderimus – Hæc enim eſſe
debet finis principalis Conjugum Fidelium,
*Generare, & acquirere Filios Deo, & pro-
pter Deum*: ut Deus glorificetur in eis. S.
Aug. l. 1. de nuptiis c. 4.
℞. *II* Obligatio amoris Parentum erga 24
Filios tria requirit. I. Filiis benè velle ne-
gativè, excludendo omne odium, averſio-
nem, rancorem, omnemque pravum affe-
ctum deliberatum. II. Benè velle poſiti-
vè, eis benefaciendo quando, & quan-
tum opus, & poſſibile eſt. III. Omne
malum ab illis, & omne damnum Spiri-
tuale, & corporale avertere pro poſſe.
Unde peccant Parentes pro qualitate 25
materiæ, etiam mortaliter, qui Filios gra-
vi, & injuſto odio proſequuntur: iis ma-
lè volunt, maledicunt, ſeu malum impre-
cantur ſeriò, & animo, ut eveniat eis ta-
le malum; qui in gravi neceſſitate eis non
benefaciunt, non ſuccurrunt: qui mala,
& damna eorum ſpiritualia, vel corpora-
lia non avertunt, cùm poſſint: qui nimis
durè eos tractant, & ſine juſta cauſa ver-
berant, vexant, affligunt.
Majori, & ſtrictiori Jure obligantur Pa- 26
rentes amare Filios, quàm Filii ſuos Geni-
tores; unde nec ſpeciale præceptum datum
eſt Parentibus de amore Filiorum, ſicut
datum eſt Filiis de amore, & honore Pa-
rentum, quia Amor Filiorum eſt innatus,
ſeu naturalis; nam Genitores naturali pror-
ſus impulſu diligunt prolem, tamquam ali-
quid ſui, tantoque affectu amant, ut ſæ-
piſſimè excedant, ideòque non fuit neceſ-
ſarium aliud præceptum; ſicuti diximus de
præcepto dilectionis ſuis ipſius.
℞. *III.* Educatio corporalis triplicem 27
requirit Providentiam, nempè *Vitæ, Vi-
ctus, & Status.* -- Providentia vitæ exi-
git, ut Parentes ab ipſo conceptu prolis
ſedulam gerant curam, ne quidquam agant,

quod prolis vitæ, ſanitati, & naturali perfectioni obeſſe poſſit, ante, & poſt nativitatem.

28 Quare peccant mortaliter Parentes. I. Qui tempore menſtruorum importunis commixtionibus vacant cum evidenti periculo prolis vitiatæ, monſtruoſæ, infirmæ, fatuæ &c. concipiendæ, vel generandæ, aut abortus cauſandi, vel extra illud etiam tempus effrænatis, & pluſquam brutalibus coitibus ſe debilitant, & inhabilitant ad concipiendam prolem. -- II. Patres crudeles, qui uxores prægnantes vexant, exaſperant, percutiunt in grave damnum fœtus, & periculum abortus. -- III. Matres, quæ jam gravidæ currunt, ſaltant, noxia edunt, vel bibunt, onera levant, vel portant, nimium laborant, vel quidquid ſimile faciunt, cum præviſo periculo abortiendi, vel vitiandæ prolis. IV. Conjuges, qui malitioſis quibuſvis modis impediunt, vel impedire intendunt conceptionem prolis. Oh peccatum inhumanum! -- V. Genitores, qui tradunt filios ſuos nutricibus infecti Sanguinis, pravorum humorum (imò & morum) in periculum vitæ, ſanitatis, & malæ indolis ipſorum infantium. *Item* Matres, vel Nutrices; quæ tempore lactationis ſe ipſas non obſervant in cibo, potu, prævidentes periculum; & quæ incautè penes ſe collocant in eodem lecto infantes cum manifeſto, vel probabili periculo oppreſſionis, vel ſuffocationis; vel dum lactant puerum, dormiunt cum periculo. Quibus in caſibus ſi ſequatur mors pueri (ut ſæpè accidit) reæ ſunt homicidii: quod valdè obſervandum eſt à Confeſſario, qui graviter objurgare debet hunc peſſimum abuſum quarumdam matrum, vel nutricum detinendi ſecum in lecto infantes ante completum annum, quod peccatum in aliquibus Diœceſibus noſtræ Italiæ eſt reſervatum.

Quæres obiter. An peccent Matres, quæ per ſe non lactant Filios ſuos, ſed ſtatim natos tradunt Nutricibus.

29 R. Si abſque juſta, gravique cauſa hoc faciant, utique peccant contra pietatem, & amorem Filialem; quia hæ Matres, ut prophetavit S. Job cap. 39. v. 16. *Durantur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui*; eiſque quadrat lamentatio Jeremiæ Thren. 4. v. 3. *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto*. -- *Lamia* eſt animal, quod occidit filios ſuos. *Struthio* verò eſt animal, quod derelinquit pullos ſuos. Applica. -- Juſta, & gravis cauſa tradendi filium nutrici ſola mihi videtur eſſe, aut infirmitas Matris, aut ſterilitas lactis. Non enim omnes cauſæ, quæ ſolent adduci à mulieribus, ſunt legitimæ. Nobiles quæque Matres ſe excuſant, & proponunt hanc cauſam, nempe *timorem dedecoris*: quibus reſpondebis: Matres nobiliſſimas lactaſſe filios ſuos, ut de *Sara* Matre Iſaac, de *Anna* matre Samuelis, de *Hecuba* Regina Trojæ, de *Teſſalonica* Matre Regis Antipatri, & de multis aliis, legimus. ergo non repugnat Nobilitati Matrum lactare filios ſuos. Et *quid nobilius DEI MATRE?* Et tamen ipſa quoque propriis mammis lactavit Filium ſuum; Unde laudatur quotidie à tota Eccleſia, & beatificatur illis verbis: *Beata viſcera MARIÆ Virginis &c. Et beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum*. -- Aliæ Matres ſe excuſant, dicendo: Ita fert conſuetudo: ita faciunt Nobiliores; quibus reſpondebis; Hanc non eſſe conſuetudinem, ſed abuſum pravum, ut dicitur in *cap. Ad ejus, diſt.* 5. Et ut abuſum deteſtantur Canoniſtæ, & Moraliſtæ, quos allegat Barboſa in *d. cap. & in Collect. Doctorum*. Aliæ Matres ſe defendunt, allegando gravia incommoda, & faſtidia, præſertim nocturna, quæ tolerantur in lactandis filiis; ſed & hæc non eſt cauſa legitima omninò; Nam, ut dicit Regula 55. Juris in 6. *Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus*. Hoc autem eſt onum proprium Matris, & Matrimonii, conſequens commodum hujus ſtatus; ergo non eſt recuſandum. Tum quia repugnat inſtituto Naturæ, quæ & mammas dedit Mulieribus, & ac ſubminiſtravit Matribus tam egenis, quam divitibus ad lactandos proprios filios. Tum quia infantes ſugentes alienum, & diverſum lac patiuntur detrimentum, & damnum quandoque etiam notabile in vita, & temperamento, & aliquando etiam moriuntur. Tum tandem quia periculum ſæpè inſtat imbuendi infantes lacte iniquo, & perverſis moribus, quibus imbuta eſt Nutrix; ut patet experientia multorum. Vide Joan. Clericatum *Erotemata cap.* 49. *q.* 16. qui multos, graveſque citat DD. ſcribentes contra hunc abuſum non lactandi proprios filios; ex quo non excuſantur Matres à culpa ſaltem veniali, & quan-

Digitized by Google

quandoque à mortali juxta qualitatem detrimenti parvulorum ſuorum.

30 *Providentia victus*, ſeu alimentorum comprehendit quinque. I. Pertinentia ad cibum, & potum. II. Ad veſtitum. III. Ad habitationem. IV. Ad medicamenta. V. Ad honeſtam artem. Quæ omnia ad vitam humanam, & civilem pertinent, & ea Parentes præſtare tenentur Filiis ſuis. Quare peccant mortaliter Parentes illi, qui I. Filiis in ætate infirma, aut alia gravi neceſſitate denegant alimenta, & alia prædicta neceſſaria ad vitam &c. II. Qui commeſſationibus, potationibus, pompis, ludis &c. omnia ferè dilapidant bona ita, ut filii mendicare cogantur. III. Qui abſque urgentiſſima neceſſitate proprios filios in Hoſpitalibus publicis alendos exponunt. IV. Qui nullam artem docent, vel adiſcere filios conantur.

31 *Providentia tandem ſtatus in futurum* obligat Parentes I. Ut ſedulò applicent filios, & filias ſuas ad aliquod honeſtum opificium ſtatui eorum competens. II. Si filius talentum, & animum habeat ſtudendi, pro facultate expenſas præbeat Pater, & commodum &c. aut ſaltem non impediat. III Ut liberè ſinant filios, & filias eligere ſibi eum ſtatum, ad quem inclinantur, & vocantur à Deo. IV. Tenentur moderatè Filiis theſaurizare, ut honeſtè ſecundùm ſtatum ſuum vivere poſſint; & in hoc puncto dupliciter peccant Parentes, aut *per defectum*, nempè in neglectu, & diſpoſitione bonorum temporalium ex peccato Prodigalitatis; unde ſunt cauſa paupertatis filiorum, & multorum inde conſequentium malorum; aut *per exceſſum*, nempè in nimia cupiditate augendi bona temporalia per fas, & nefas, ex peccato Avaritiæ; quæ bona poſtea ipſis etiam filiis fiunt in laqueum, ſcandalum, & ruinam: atque ita ſibimetipſis, & Filiis ſuis æternam theſaurizant damnationem.

32 *IV. Educatio tandem ſpiritualis*, ad quam præ omnibus obligantur Parentes erga Filios, & Filias, importat diligens regimen, & inſtructionem Filiorum in bonis moribus, in obſervatione mandatorum Dei, & Eccleſiæ, atque in omnibus ad Salutem æternam neceſſariis. Ad hoc autem punctum rurſus tria requiruntur, Doctrina ſcilicèt, Exemplum & Correptio: juxta illud Eccl. 7. *Filii tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia*: & illud D. Pauli ad Epheſ. 6. *Educate Filios veſtros in Diſciplina & correptione Domini.*

Doctrina neceſſaria eſt: ut nimirùm Parentes inſtruant, vel inſtrui efficaciter curent in rebus Fidei, Sacramentorum, Præceptorum Divinorum, & cæterorum, quæ neceſſaria ſunt tam neceſſitate medii, quàm neceſſitate præcepti, juxta capacitatem, & ætatem Filiorum. Unde graviſſimè peccant Parentes illi, qui non docent Chriſtianæ Fidei rudimenta filios ſuos, & non mittunt eos ſedulò ad Eccleſiam, ut ea addiſcant. In hoc peccant ſæpiùs Ruſtici, & plebeii, qui ignorant culpabiliter etiam principaliora Fidei Myſteria; quia efficaciter non curant, ut hæc ipſi, & Filii benè percipiant, & memoria teneant; de Anima nihil ſciunt, de Deo nil intelligunt, & de rebus Divinis, & æternis nihil ſapiunt. *Hoc unum ſciunt, quòd nihil ſciunt.* Quare non mirum, ſi Sacri Canones proteſtentur, quòd *Ignorantia eſt mater cunctorum errorum.* Et Sapiens Prov. 9. ait: *Ubi non eſt ſcientia Animæ, non eſt bonum.* -- Et Oſea Propheta cap. 4. exclamat: *Non eſt Veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt Scientia DEI in terra.* Quid inde? Ecce -- *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.* Ecce novum diluvium, non aquarum, ſed vitiorum. 33

Exemplum, utique bonum. Ut videlicet Parentes ſatagant, ut Filios, & Filias inſtruant bonis exemplis; *magis enim movent exempla, quàm verba*, imò quàm verbera; ideoque Genitores Filiis ſuis præire debent exemplo bonorum operum, & morum. Nam qualis Pater, talis Filius: qualis Mater, ita & Filia ejus. Et ſummè caveant omnia verba mala, omnia opera prava coram Filiis ſuis: quia nil tam facilè eſt, quàm malum imitari exemplum Majorum. De hoc paſſim loquuntur Sacræ Paginæ, præſertim liber Tobiæ *c.* 4. & 14. Eccleſiaſtici c. 13. 30. & 41. -- Et communiter Sancti PP. -- Audi D. Hieronymum *Epiſt. ad Lætam*: ubi inter cætera dicit: Mementote Vos Parentes, magis exemplo docere Filios, quàm voce.... Nil in te Matre, & in Patre ſuo Filius, aut Filia videat, quod ſi fecerit, peccet. -- Proh! quot peccatis, etiam mortalibus ſcandalorum hic ſe intricant mali, & incauti Parentes! Longum valdè texere poſſem Proceſſum de Scandalis Genitorum, quibus Filii pejores iis, qui ſe genuerunt, evadunt. 34

Digitized by Google

Et, quod magis doleo, non agnoſcunt, non confitentur, & numquam emendant hæc ſcandala puſillorum; unde Mundus Catholicus ſemper decreſcit in bonis, ſemperque creſcit in malis moribus. Væ Mundo à ſcandalis! Væ Parentibus, per quos ſcandala veniunt!

35 *Correptio* tandem neceſſaria eſt. Ut ſcilicet Parentes ſeriò, & diſcretè emendent, & caſtigent peccata, vitiaque Filiorum. Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit Filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Et cap. 22. *Stultitia colligata eſt in corde pueri; & virga diſciplinæ fugabit eam.* — Et cap. 23. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam; Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga, non percuties eum: & Animam ejus de inferno liberabis.* — Et Eccleſiaſticus cap. 30. ait: *Qui diligit Filium ſuum, aſſiduat illi flagella, &c.* — Diſcretam tamen, juſtam, & prudentem oportet eſſe correptionem Filiorum, ut neque ſeveritate nimia Parentum adducantur Filii in odium, averſionem, puſillanimitatem, & deſperationem: neque indulgentia nimia inducantur in occaſiones negligendi, & contemnendi juſſa ipſorum Parentum, & ſenſum labendi in pejora vitia &c. Unde dicit Apoſtolus, Epheſ. 6. *Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare Filios veſtros.* Et Coloſſ. 3. *Nolite ad indignationem provocare Filios veſtros, ut non puſillo animo fiant &c.* Quare peccant Parentes, & Majores mortaliter, aut venialiter pro ratione defectus, vel exceſſus in corripiendis Filiis; at multò frequentiùs per defectum, aut per nimiam pietatem, & conniventiam, ex qua participes fiunt omnium malorum, quæ vident fieri, & non corripiunt; cùm tamen non ſolùm ex Virtute Pietatis, & Amoris erga Filios, & Filias, ſed etiam Virtute Juſtitiæ punitivæ teneantur corripere.

36 *Pietas ſuprà explicata* ulteriùs ſe extendit ad quaſi Parentes, ut Tutores, Curatores, & Patrinos. II. Ad Majores Conſanguineos, ut Avos, Avias, & alios ſive in linea recta aſcendentes, ſive tranſverſa, ut Patruos, Amitas, Avunculos, Materteras &c. III. Ad Conſanguineos collaterales, nimirùm Fratres, Sorores, Patrueles, Conſobrinos &c. deinde Affines. IV. Ad ipſos Conjuges ad invicem. — Similiter autem è contra proportionaliter, idest, ſicuti Pietas aſcendit à Minoribus ad Majores ſuos, ita, ſervata debita proportione, deſcendit à Majoribus ad Minores ſuos, ut ſuprà; prout latè probat Sporer poſt Marchantium: ille, *to. 1. tract. 3. c. 5. ſect. 3.* iſte, *tom. 2. tract. 5. tit. 5.*

De pietate Conjugum ad invicem.

Quæro VII. *Qualis eſt obligatio Conjugum viciſſim virtute Pietatis ex Quarto hoc præcepto Decalogi?*

℞. Sub gravi obligatione hujus Virtutis tenentur Conjuges ſibi invicem exhibere Septem, Amorem, ſcilicèt, Honorem, Fidem, Cohabitationem, Debitum conjugale, Alimenta, & Gubernationem, Breviſſimè ſingula explico, & ſimul probo. 37

Amorem. Quia ſicut quilibet amat carnem ſuam, ita Conjux debet diligere alterum conjugem; nam ſunt *duo in carne una.* Tum quia S. Paulus Epheſiorum c. 5. dicit: *Viri diligite uxores veſtras. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit, & alibi.* — *Honorem.* Quia licèt Vir ſit caput Mulieris, ejuſque Superior, & Dominus; Uxor tamen eſt ſocia, non famula. Tum quia in jure petendi, & exigendi debitum, Vir, & Uxor ſunt æquales; ergo ſibi invicem debetur honor. Et D. Petrus epiſt. 1. cap. 3. dicit, quòd *Viri impartiantur honorem Uxoribus ſuis.* — *Fidem:* Quia Vir habet poteſtatem corporis uxoris ſuæ, & Uxor habet poteſtatem corporis viri ſui ad finem honeſtum generandæ prolis, & vitandæ incontinentiæ; & hoc ex contractu ipſius Matrimonii; ergo mutua fides, ſeu fidelitas ſervanda eſt, ut nulli alii detur poteſtas, vel uſus proprii corporis, niſi conjugi ſuo. Fidelitas etiam ſervanda eſt in adminiſtratione bonorum dotalium, & rei domeſticæ, — *Cohabitationem.* Quia Conjuges ex natura contractus Conjugalis tenentur ſimul habitare in eadem domo, menſa, thalamo, & toro, ſeu lecto, nam Geneſ. capit. 2. dicitur: *Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ;* Tum quia Conjugium, ſeu Matrimonium individuam vitæ conſuetudinem importat. — *Debitum conjugale* patet ex dictis; tum quia Apoſt. 1. Corinth. cap. 7. ait: *Uxori vir debitum* 38

red-

reddat: *ſimiliter autem Uxor Viro. Nolite fraudare invicem, &c.* — *Alimenta*, & cetera neceſſaria vitæ, & ſtatui; quæ quidem obligatio principaliter, & per ſe incumbit Viro, juxta illud Apoſtoli Epheſ. 5. *Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua &c.* Nihilominùs etiam incumbit Uxori, ut ſuum præſtet concurſum, & auxilium; maximè viro impotenti, infirmo, captivo: ita ut conjux uterque tenetur ſibi invicem procurare alimenta, & mutua onera familiæ ferre. — *Gubernationem* tandem debet ſpecialiter Maritus gerere erga Uxorem, prolem, familiam, domum, bona &c. quæ ſpectant ad bonum regimen ſpirituale, & temporale ipſorum. In quibus è contra Uxor tenetur Marito obedientiam, & ſubjectionem proportionatam; quinimò & ipſa tenetur curam ſedulam genere de prædictis; nam ait Apoſtolus 1. ad Timot. cap. 5. *Si quis ſuorum, & maximè Domeſticorum curam non habet, Fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

39 *Ex quibus ſeptem punctis* multa, & varia exhauriri poſſent peccata etiam mortalia Conjugum, prout docent communiter DD. & ſignatè Sporer *loco citato ſuperiùs n.36.* — & Marchantius pariter cit. de quorum libris hæc pauca referam delicta Conjugum. *Contra mutuum Amorem* peccant mortaliter qui odio gravi, jurgiis, contentionibus, injuriis, deſpectibus, & percuſſionibus indebitis offendunt uxores ſuas; quæ peccata eò graviora ſunt, quò majus eſt illis impoſitum vinculum mutui Amoris à Deo, & à natura. Huc ſpectat peccatum *Zelotypiæ* inordinatæ, temeræ ſuſpicionis, ac judicii temerarii de fide, ſeu fidelitate alterius conjugis, quod peccatum ſolet eſſe cauſa diſcordiarum, odii, vindictæ. — *Contra Honorem mutuum* peccant mortaliter Uxores, quæ contumeliis, irriſionibus, maledictis, & ſcommatibus inhonorant viros ſuos; & è contra &c. *Contra Fidem* lethaliter delinquunt conjuges quocumque modo peccantes in rebus venereis extra vel contra Matrimoniales actus: ſine ex ſe ſolis, ſive cum alia perſona: — *Contra Cohabitationem* graviter operantur, & peccant conjuges, qui ſine juſta cauſa faciunt divortium: vel quando conjux abſque urgentiſſima cauſa deſerit aut omninò, aut ad longum, & notabile tempus alium conjugem citra, aut contra ejus conſenſum, *Contra Debitum conjugale* peccat mortaliter conjux, qui ſine legitima cauſa negat alteri uſum, & copiam licitam ſui corporis. — *Contra Alimenta* graviſſimè peccat Maritus, qui ferè omnia bona diſſipat, interim permittendo uxorem cum filiis famem, miſeriam, & nuditatem pati. — *Contra Gubernationem debitam* peccat conjux, ſive vir, ſive uxor, quando omittit quæ de jure præſtare tenetur pro conſervatione familiæ, pace domeſtica, educatione filiorum. Item uxor ſpecialiter peccat, quando notabiliter renuit obedire Marito in iis, quæ ad gubernationem domus ſpectant.

De Obſervantia, & obligatione inferiorum erga Superiores, & è contra.

Quæro VIII. *Ad quid tenentur inferiores, & ſubditi erga ſuos Superiores?*

40 ℞. *I.* Ex quarto præcepto Decalogi, & virtute Obſervantiæ debetur Superioribus generatim Amor, Reverentia, & Obedientia à Subditis in omnibus, ad quæ ſe extendunt eorum Poteſtas, & Officium. — Speciatim verò Superioribus Spiritualibus, ut puta Epiſcopis, Prælatis, Paſtoribus, Curatis, Parochis, Rectoribus, Concionatoribus, Sacerdotibus curam Animarum gerentibus, & Confeſſariis, tenentur Subditi, & Filii Spirituales præſtare, & exhibere Amorem, Reverentiam, atque Obedientiam in iis, quæ Curam eorum reſpiciunt, & ad eorum ſpectant Officium. Ita ex Divinis Scripturis Deut. 17. — Hebræorum 13. — 1. Timothei 5. docent comm. DD. — Unde peccant Subditi, & Filii ſpirituales pro ratione, & qualitate materiæ mortaliter, aut venialiter, quando aliquid agunt, aut omittunt contra amorem, reverentiam, & obbedientiam prædictis Superioribus debitam.

41 ℞. *II.* E contra Superiores, & Patres Spirituales tenentur exhibere Subditis, & Filiis ſpiritualibus ſedulam curam, ſanam doctrinam, & bonum exemplum. Quorum proinde peccata ſæpiſſimè mortalia ſunt, ut neglectus Animarum in cura, & adminiſtratione Sacramentorum, in doctrina, & correctione, & in ſcandalis datis, quæ non tantùm contra Charitatem, ſed etiam contra Juſtitiam, & Officium ſuum committuntur ab eis.

℞. *III.* Su-

Digitized by Google

42 ℞. *III.* Superioribus Temporalibus, quocumque nomine nuncupentur legitimis tenentur ſubditi præſtare amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, quæ ad eorum Officium pertinent, & etiam juſta tributa, & obſequia, ut ex Epiſt. ad Romanos cap. 13. docent comm. TT. – Contravenientes, & contrafacientes ſubditi peccant pro ratione materiæ graviter, vel leviter, & accedente contemptu formali, ſemper mortaliter.

43 ℞. *IV.* E contra Magiſtratus Temporales, & quicumque Superiores tenentur exhibere ſuis ſubditis amorem, miſericordiam, benevolentiam, adminiſtrationem Juſtitiæ commutativæ, diſtributivæ, & vindicativæ, curam indemnitatis, pacis, & tranquillitatis. Ubi magis frequenter, & graviter peccant per omiſſionem, negligentiam, conniventiam, & per poſitivam injuſtitiam, injuriam, oppreſſionem pauperum, & cætera innumera, quæ docet experientia.

44 ℞. *V.* Famuli, & ancillæ tenentur ſuis Dominis exhibere reverentiam, obedientiam, & obſequium fidele. Ut habetur ad Epheſ. *6.* – ad Titum 2. – & prima Petri c. 2. Peccata ergo ſervorum regulariter ſunt, irriverentia, contemptus, murmuratio contra Dominos ſuos: Item fraudolentia, infidelitas, inobedientia: irritatio Dominorum ad iram, blaſphemiam &c. quæ pro ratione materiæ mortalia, aut venialia ſunt.

45 ℞. *VI.* E contra Domini tenentur ſervis amorem, benevolentiam, beneficentiam, & juſtam mercedem præbere; quorum peccata ſolent eſſe, iracundia, nimia auſteritas, indignatio, imprecatio, percuſſio injurioſa: defraudatio mercedis, vel ſalarii: neglectus, impedimentum in ſpiritualibus neceſſariis ad ſalutem: omiſſio correctionis, & multa alia, de quibus nonnulli Domini parvum, aut nullum faciunt caſum, vel ſcrupulum.

Quæro IX *Quid de Magiſtris erga diſcipulos? Et de diſcipulis erga Magiſtros?*

46 ℞. *I.* Magiſtri, & Præceptores ſtudiorum tenentur ſuis diſcipulis amorem filialem, doctrinam bonam, correptionem diſcretam, & exemplum caſtum præbere; atque ſervare ſtatuta Academiæ, vel Gymnaſii publici: legant ipſi, ut docti, Summam Angelicam, *V. Magiſter*, per totum: -- Summam Card. Cajetani, *V. Magiſtrorum peccata*. Summam Navarri *c. 25. à n. 55.* Filliucium *tract. 28. à n. 151.* – Baſſæum *tom. 1. V. Parentes n. 12.* Reginaldum in Praxi *l. 2. §. 10. & 11.* & alios libros DD.

℞. *II.* Diſcipuli autem, & ſtudentes tenentur Magiſtris, & Præceptoribus ſuis amorem, reverentiam, gratitudinem, ſtipendium, & obedientiam præſtare in iis, quæ ad eorum Officium, & curam pertinent. Item debent pati, ut corrigantur, & verberentur moderatè: non eſſe contumaces, protervos, litigioſos, inquietos, ſuperbos. Magiſter enim, ſicut & Pater habet jus diſcretè verberandi etiam Clericos in Sacris conſtitutos, ut docent Diana Coordin. *tom. 5. tract. 2. reſ. 15.* – Clericatus, Erotem. *c. 53. qu. 4.* cum aliis DD. 47

℞. *III.* Item in rebus pertinentibus ad ſtudium, & bonos mores tenentur diſcipuli obedire Magiſtris, ſicut Parentibus; quia Magiſti dant benè eſſe, & benè vivere, ſicut Genitores dederunt eſſe ſimpliciter. -- *Item* debent diligenter vacare ſtudiis, & repetitionibus in quibus poſſunt quandoque graviter peccare ratione damni proprii, dedecoris familiæ, triſtitiæ Parentum, & inobedientiæ Magiſtrorum. – *Item* tenentur expendere pecuniam ſibi traditam à Parentibus ſecundùm eum uſum honeſtum, ad quem tranſmiſſa eſt. *Item* debent devitare ſocietatem, & contubernium vitioſorum condiſcipulorum: ſervare ſtatuta Academiæ, Gymnaſii: non ſuffragari indignis: ſtipendium congruum Præceptoribus tribuere: Libros, & ſcientias vetitas, aut damnoſas non addiſcere, nec legere, nec defendere: & cætera vitia ſtudentium juvenum declinare, & fugere. 48

Quæres obiter. An peccet diſcipulus doctorandus, qui clam legit, & addiſcit puncta, & argumenta ſibi publicè objicienda? ℞. Quòd ſic. Et eſt peccatum violati examinis; quia contra mentem Univerſitatis Doctorum examinatur, non ſervata fidelitate exercitii probativi de ſufficientia illius. Eſt peccatum mendacii realis; quia ſimulat ſolutiones argumentorum eſſe in ſe improviſas, & extemporaneas. Et eſt peccatum vanæ gloriæ; quia vult videri ſapiens, plus quàm ſit. Et tandem eſt quodammodò peccatum furti illius Gradus Doctoratus; quia aſcendit aliundè, & non per legitimum oſtium ad carpendam Lauream Doctoralem. -- Vide 49

Bal-

Baldellum in Theol. Moral. *tom.* 1. *l.* 3. *diſp.* 11. *n.* 12. -- Clericatum, Erotem. *c.* 35. *q.* 7. -- Et ſummam Sylveſtrinam, *v. Doctor*, *q.* 5. *&* 6.

" Denique hic agendum eſſet de Studentibus "
" Regularibus; at ne Tractatus iſte nimis pro- "
" lixus evadat, agam in ſequenti breviter in "
" gratiam amicorum Studentium Regularium. "

TRACTATUS XXIV.

DE STUDENTIBUS REGULARIBUS.

QUæro I. *An Religioſus profeſſus Clericus teneatur obedire Prælato præcipienti expreſsè, vel tacitè, ut ſtudiis honeſtis incumbat?*

1 *R. I.* Quòd ſic. Ratio eſt manifeſta; quia Omnis ſubditus ex vi ſuæ profeſſionis tenetur obedire Prælato in omnibus, quæ manifeſtè non ſunt contraria Animæ, vel Regulæ ſuæ: ſed ſic eſt, quòd ſtudium honeſtum reſpectu Clerici non eſt quid contrarium Animæ, vel Regulæ: imò eſt conſonum: ergo tenetur ille Clericus obedire.

2 *R. II.* Religioſus ſcholaris ad Studium deputatus à ſuo Prælato, ſi non ſtudet, aut in ſtudendo notabiliter eſt negligens, peccat omninò mortaliter. Ita S. Antoninus 3. *p. tit.* 5. *c.* 2. §. 11. Navarrus in Manuale *c.* 25. *n.* 59. *v. tertio peccat.* -- Reginaldus in Praxi *lib.* 20. *num.* 55. Laur. de Peyrinis *tom.* 1. *De ſubdito q.* 1. *cap. trigeſimo*. §. *Dico* 4. Sanctorius de Melphi ſuper Statuta generalia totius Ordinis S.P. Franciſci, Conſtitutionum *cap.* 5. *ſtat.* 8. -- Compendium ejuſdem Sanctorii, elaboratum à P. Thoma S. Severini v. *Studium*, *ſtudentes*, *n.* 2. -- Homobonus *de Statibus humanæ vitæ*: *p.* 2. *c.* 11. *n.* 10. ubi multa de ſtatu, & obligationibus Scholaſticorum.

3 Ratio eſt: quia peccat contra obedientiam in re gravi: injuria afficit Magiſtrum, ſeu Lectorem ſuum: abutitur commoditate ſibi data: occupat locum alterius, qui ſtuderet: contemnit ſcientiam: & in re graviſſima Religionem, & Statum ſuum offendit: atque totam damnificat Eccleſiam. Ergo graviſſimè peccat.

4 Confirmatur I. ex multis Textibus Juris Canonici. *Cap. finali*, *diſt.* 38. Ubi habetur formidabilis ſententia: *Qui diſcere negligit, magis Diaboli, quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur*. Et eadem *diſt.* 38. *cap. Ignorantia* dicitur: Quòd *ignorantia, mater cunctorum errorum, Sacerdotibus Dei vitanda eſt &c.* Ergo & Religioſis, qui non ſibi tantùm vivere, ſed aliis proficere debent, quia perſonæ Eccleſiaſticæ debent vacare Scientiæ Theologicæ, & Scripturali: ut habetur *diſt.* 36. *c.* 2. §. *ecce*. Et cap. *Si qui vult*. Item debent ſtudere Philoſophiæ Naturali, Morali Theologiæ, & Juri Canonico: ut conſtat *diſt.* 37. *c. turbat*; *Et cap. qui de menſa*: *Et cap. ſi quid veri*: *Et cap. relatum, in fin. &* alibi. -- Et tandem Clemens V. *Conſt. Ne in agro*, §. penultimo, de Statu Monachorum, ait, & ſtatuit: Ut ipſis Monachis proficiendi in Scientia, via opportuna non deſit, in ſingulis ipſorum Monaſteriis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur Magiſter, qui eos in Scientiis inſtruat diligenter. Quare ex dictis Canonibus, aliiſque Conſtitutionibus tam Papalibus, quàm Regularibus omnes Religiones habent Studia, & Seminaria, in quibus Juvenes ſcientiis imbuuntur. *v.* Sylveſtrum. *V. Scientia*: *& Peyrinum cit.*

Confirmatur II. Thomas de Kempis *tom.* 2. *Opuſc* XI. *cap.* 7. proteſtatur, dicens. 5
Væ Clerico, vel Monacho indocto, qui ſibi, & aliis ſæpè eſt cauſa erroris. Nam Religioſus Clericus ſine ſcientia, & libris Sacris eſt quaſi miles ſine armis: Equus ſine frænis: Navis ſine remis: Scriptor ſine pennis: Avis ſine alis: Aſcenſor ſine ſcalis: Sutor ſine ſubulis; Tector ſine tegulis: Faber ſine malleis: Sartor ſine filis: Raſor ſine cultris: Sagittator ſine jaculis;

Digitized by Google

culis; Viator ſine baculo: Cæcus ſine duce &c. Similiter Clauſtrum Monachorum, vel Congregatio Clericorum ſine litteris, & libris Sacris eſt quaſi Menſa ſine cibis: Coquina ſine ollis: Puteus ſine aquis: Fluvius ſine piſcibus: Arca ſine veſtibus: Hortus ſine floribus: Burſa ſine pecuniis: Vinea ſine botris: Turris ſine cuſtodibus: Domus ſine utenſilibus. *Et cap. 1. ibi:* Ignorantia enim mater eſt erroris, janua mortis, & privatio honoris, virtutis, & Salutis; ergo vitanda per Doctrinam Chriſti, quæ eſt lumen vitæ, ſalus mundi, porta cœli, cibus animæ, jucundi'as cordis. *Et Opuſc. X. c. 3.* Lectio attenta, & ſacra ignorantiam expellit, mentem erudit, dubia ſolvit, errores corrigit, bonos mores inſtruit, oſtendit vitia fugienda, hortatur ad virtutes, excitat ad fervorem, incutit Sanctum timorem, recreat faſtidioſum animum, ducit ad Vitam æternam.

6 *Confirmatur* III. S.Thomas Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 188 *art.* 5. Dicit, quòd S. Hieronymus epiſt. ad Paulinum, invitat eum ad diſcendum in Statu Monaſtico, dicens: Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cœlis. – Deinde docet Angelicus; quòd Studium litterarum Divinarum competit Religioſis tribus de cauſis. I. Quia adjuvat ad vitam contemplativam, illuminando intellectum ad conſideranda Divina, & ad removendos errores, qui in contemplatione rerum Divinarum frequenter accidunt his, qui Sacras ignorant Scripturas. II. Quia Studium Religioſis Inſtitutis eſt neceſſarium ad vitam activam; pura ad prædicandum Verbum Dei, ad conſulendum, corripiendum, & ad alia Charitatis opera erga proximum. III. Quia Studium Divinæ Scripturæ multùm valet ad vitanda carnis vitia, ad auferendam Divitiarum cupiditatem, & ad Obedientiæ religioſæ documentum &c. Verumtamen Religioſis competit principaliter intendere Studio litterarum pertinentium ad Doctrinam, quæ ſecundùm Pietatem eſt; aliis autem ſcientiis inquantùm ordinantur ad Sacram Doctrinam; Nam Studium ad Scientiam aliquam acquirendam ordinatur, quæ ſine Charitate inflat; ſed cum Charitate conjuncta ædificat.

7 *Confirmatur* IV. His rationibus naturalibus. Omnis homo natura ſcire deſiderat; ergo penitùs ab humana Natura degenerat, qui ſcire non affectat. Ecquid à bruto hominem diſtinguit, niſi Ratio, & Scientia? Poſt Divinam Gratiam, Summum bonum eſt homini Scientia rerum appetendarum, ac fugiendarum. – *Scientia unicum eſt bonum hominis contra unicum malum, ignorantiam*; ut dixit Socrates. Denique reſpice omnes Religiones, & in eis videbis multos Viros Doctrina, & Sanctitate celeberrimos, nam Eccleſia Dei his duabus fulcitur columnis, *Scientia*, & *Sanctitate*. Ergo Clerici, & Sacerdotes nolentes ſtudere, ex parte ſua, deſtruunt Religionem, & totam Eccleſiam.

Quæro II. *An Fratres Minores S. P. Franciſci teneantur ex vi Regulæ ſuæ ad Studium Sapientiale?*

℟. Quòd ſic. Nam D. Bonaventura in Expoſitione Regulæ noſtræ in cap. 3. dicit: *S. Franciſcus volebat, Fratres ſuos Clericos in Studio, & Prædicatione exerceri.* Tum quia habetur unum Capitulum integrum in Regula, quod eſt *Nonum*, *De Prædicationibus*. Ubi idem D. Bonaventura in fine explicationis illius capituli, ait; *Ex iſto capitulo patet, quòd Fratribus Clericis ex intentione Beati Franciſci incumbit Studium, quia ſine Studio non poſſunt verba Prædicationis modo debito examinare.* Pater etiam, quòd Fratres Minores ex ſua Profeſſione debent prædicare; in quorum Regula ſpecialis Tractatus de Prædicationis Officio continetur. *Unde certiſſimè conſtat, quòd nullis aliis Religioſis, ex ratione ſui Status, plus competit prædicare, quàm iis, qui hanc Regulam profitentur.* Hæc Doctor Seraphicus. Et ex capitulo X. illa verba Regulæ *Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere*: ſic explicat P. Hugo de Digna; Non enim Sanctus Regulæ Conditor Clericis Fratribus, ſed Laicis Studium vetat: Ut unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat, ſecundùm Apoſtolum: alioquin ſuæ contrarius Regulæ ipſe fuiſſet, qui exiſtens in Ordine, cùm paucas litteras ſciret, poſtmodùm non ſolùm orando, ſed etiam legendo, & ſtudendo profecit; Et unum capitulum de Prædicatoribus compoſuit, & ordinavit eis: *Ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem Populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam &c.* ergo alios Fratres idoneos Divinis ſtudere litteris voluit:

voluit: Et, ut Theologos, Doctores, & Prædicatores; qui miniſtrant nobis Sanctiſſima Verba Divina, honorare, & venerari debemus, mandavit in ſuo Teſtamento. *Hæc ex Ugone*. Quibus addo hanc reflexionem. *Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere*: Ergo à contrario ſenſu in bona conſequentia deducitur: Et curent ſcientes litteras in litteris proficere, ut magis idonei fiant ad prædicandum Verbum Dei, ad audiendas Confeſſiones, ad confutandos errores, & hæreſes.

Quæro III. *Quænam ſit utilitas, & neceſſitas Scientiarum?*

9 ℞. I. Quamvis ex ſupradictis pateat reſponſio ad hoc quæſitum; nihilominus majoris claritatis, & eruditionis gratia nonnulla ex aliis libris proferam diverſa reſponſa; ut Religioſi Studentes magis, magiſque animentur ad Studii laborem fructuoſum. Variæ igitur ſunt utilitates, & neceſſitates Scientiarum.

10 *Prima eſt*; quòd cùm Homo à Nativitate ſua ſit veluti Tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, apta tamen depingi; quia nullius rei notitiam ſecum adfert, capax tamen notitiæ infinitorum: neceſſarium fuit, modum adinvenire, quo ſcientiam debitam ſibi comparare valeret. Etſi enim juxta ſententiam D. Pauli ad Rom. cap. 1. *Inviſibilia Dei à Creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur; Sempiterna quoque ejus Virtus, & Divinitas*: Hoc tamen non accidit nobis abſque manuductione Parentum, inſtructione Magiſtrorum, & Scientia Librorum, imò & illuſtratione Divina, mediante pia Oratione, ut Salomon ipſe Sap. 7. proteſtatur, dicens. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Ubi gradatim deſcribit principia, quibus ad Sapientiam talem, & tantam pervenit. I. Per deſiderium vehemens ſciendi. *Optavi*. II. Per informationem, per ſenſus, & illorum operationes. *Datus eſt mihi ſenſus*. III. Progrediendo ad altiora, quæ ſunt ſupra ſenſus. *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Non dicit Sapientia venit in me; ſed Spiritus Sapientiæ, qui nimirùm dirigit nos ad inquirendam veram Sapientiam. IV. Concludit, ſe per ſtudium, & laborem in diſcendo adhibitum, didiciſſe Sapientiam. *Quam* (inquit) *ſine fictione didici &c.*

11 *Secunda Utilitas* pariter & neceſſitas Scientiarum eſt; quia abſque ſubſidio Philoſophiæ non poteſt haberi ordinario curſu notitia Theologiæ, Divinarum Scripturarum, & mirabilium operum Dei, quæ nos movent ad ipſum Deum cognoſcendum, timendum, colendum, & amandum. Et quantumvis ſimplices, & idiotæ de his, quæ neceſſaria ſunt ad Salutem Animæ, juxta ſuam capacitatem debeant informari, hæc tamen recta informatio nequit debito modo fieri niſi ab illis, qui didicerunt; diſcere autem non poſſunt, niſi per eos, qui ſtudio litterarum Divinarum vacarunt. Quòd ſtudium artium liberalium, & Philoſophiæ ſit via ad cognitionem Dei, & ad veram Sapientiam acquirendam, oſtendit idem Salomon, Sap. c. 7. ubi agnoſcens, & confitens omnem ſcientiam, & Sapientiam eſſe à Deo; *In manu* (inquit) *illius & nos, & Sermones noſtri, & omnis Sapientia, & operum ſcientia, & diſciplina*; gradationem Scientiarum in ſe ipſo declarat, dicens; *Ipſe enim* dedit mihi horum, quæ ſunt, Scientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, commutationes temporum, anni curſus, & Stellarum diſpoſitiones, naturas animalium, differentias virgultorum, & virtute radicum, & quæcumque ſunt abſconſa, & improviſa didici. -- Ex quo liquet, quòd etſi Salomoni infuſa fuerit Sapientia à Deo, & Sapientiæ Spiritus ſimul nihilominùs quantùm ad rem gradatim cognitio illius, & Sapientia ſecundùm gradus in ejus uſu proceſſit; Unde I. de Philoſophicis loquitur notitiis, & poſtea de Divinis, ut patet in dicto *cap. 7. & ſequentibus libris Sapientiæ*; ergo iſta gradatio multò magis eſt neceſſaria nobis, quibus Scientia, & Sapientia per ſe regulariter non infunduntur, ſed acquiruntur ſtudio, & labore.

12 *Tertia eſt*: quòd Divina eloquia, Sacraque Scriptura, quæ neceſſaria ſunt ad nocendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum populum, perfectè capi, & penetrari non poſſunt ſine præviis ſtudiis artium liberalium, Philoſophiæ, ac Theologiæ; nam in Bibliis Sacris multa ſunt, quæ ad dictas pertinent ſcientias; ut patet. Nec obſtat, quòd ſingulis Clericis, & Sacerdotibus iſtæ ſcientiæ neceſſariæ non ſint; ſunt enim neceſſariæ Communitati Eccleſiæ, & majoribus, ſeu Prælatis, & aliis, qui alios docere debent, qui prædicare, qui adverſariis reſpondere,

qui

qui Scripturas explicare ex officio tenentur.

13 *Quarta eſt*; quia Scientiæ omnes utiles, & neceſſariæ ſunt ad regimen etiam civile, & politicum cujuſvis Reipublicæ, Civitatis, oppidi, & Terræ; ſine enim viris eruditis, ſine Conſiliariis, ſine Doctoribus, Theologis, & Magiſtris, Principes, Duces, Reges, & Monarchæ nec benè præeſſe, nec juſtè regere, ac gubernare valent populos; nec populi ipſi diù in pace quieſcunt ſub Rege inſipiente; cùm ſcriptum ſit Eccl. c. 10. *Rex inſipiens perdet populum ſuum*. Et Sap. c. 6. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt: Et multitudo Sapientium Sanitas eſt Orbis terrarum*.

14 *Ex dictis inferendum eſt*, Studia litterarum, & Scientiarum, quæ in Scholis, & Academiis publicis traduntur, non tantùm utilia, ſed etiam ita neceſſaria eſſe, ut ſine illis nec Regna, nec Provinciæ, nec Civitates, nec alia loca rectè regi, & gubernari poſſint; imò nec homines congruè ad finem ultimum ſupernaturalem, nec ad felicitatem, & tranquillitatem naturalem, ac moralem dirigi queant; Ergo ſcientiæ humanæ, & Divinæ utiles, & neceſſariæ ſunt Superioribus ad regendum, & ſubditis ad paſſivam directionem. *v.* P. Marchantium *tom. 3 parte 3. Tract. 4. tit. 6.*

Quæro IV. *Quanam potiſſimùm requiruntur ad Studia fructuosè inſtituenda?*

15 ℞. Quinque. I. Doctrina vera, pura, ſana, Fidei, & Eccleſiæ Catholicæ conformis, & ad finem ultimum ordinata. II. Magiſtri eruditi, & idonei. III. Diſcipuli capaces, & bonæ indolis. IV. Methodus clara, & congrua. V. Leges diſciplinæ. Per hæc quinque puncta (quæ à P. Marchantio doctè, & diffusè explicantur *l. c.*) Studia tam Sæcularia, quàm Regularia optimè florent; deficiente aliquo ex his, ſtudia areſcunt: ut patet experientia.

Quæro V. *Quanam ſunt magis neceſſaria ſtudentibus?*

16 ℞. Tria hæc. I. Natura. II. Exercitium. III. Diſciplina. Explico. *In Natura* conſideratur docilitas ingenii, ut facilè audita à Magiſtro percipiat, & præcepta firmiter retineat. *In Exercitio* labor, & ſedulitas ingenii, repetendo, & conſerendo lectiones ad naturalem animum excolendum. *In Diſciplina* conſideratur morum honeſtas, ut ſtudens laudabiliter vivens, mores cum ſcientia componat. Ita Hugo Victorinus *lib. 3. in ſuo didaſc.* Boetius autem *lib. de Diſciplina Schol. c. 2.* dicit, quòd tria in quolibet verò Diſcipulo requiruntur, nempè triplex Subjectio, ſcilicèt, in attentione, in benevolentia, & in docilitate. Debet eſſe attentus exercitio, benevolus animo, docilis ingenio. Attentus ad audiendum, benevolus ad retinendum, docilis ad intelligendum. -- Et P. Petrus Marchant ait, quòd boni ſtudentes debent eſſe naturalis vivacitatis, perſpicacitatis, & bonæ indolis, quæ & ſcientia imbui, & ad virtutem inclinari poſſit. Debent adhibere magnam diligentiam, & laborem in ſtudiis, & exercitiis. Deus enim laboribus hominem deſtinavit, juxta illud Job, cap. 5 *Homo naſcitur ad laborem*. Et labor improbus omnia vincit. *Sudate virtus parta labore venit*. Item debent eſſe ſtudio benè affecti; ſtudium enim eſt vehemens applicatio animi cum voluptate ad cognitionem veri; nam; ut inquit S. Auguſtinus, *Quid fortiùs deſiderat Anima noſtra, quàm veritatem*.

Quæro VI. *Quo fine ſtudiis vacandum eſt?*

℞. Ex amore Veritatis cognoſcendæ, 17
& Virtutis ſequendæ. Item ad utilitatem, & ædificationem proximi. Quare D. Bernardus *Serm. 36. in Cantica* ſic ad propoſitum diſcurrit: Sunt namque, qui ſcire volunt eo fine tantùm, ut ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Et ſunt item, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque, qui ſcire volunt, ut ædificent proximum: & Charitas eſt. Et qui ſcire volunt, ut ipſi ædificentur: & prudentia eſt. Iſti ultimi duo non abutuntur ſcientia, quippè qui ad hoc volunt intelligere, ut benè faciant. -- Et Abbas Jacobus de Graſſis *l. 1. c. 1. De Arbitrariis Confeſſariorum*: dicit: Doctor Eccleſiaſticus pollere debet bona vita, & ſcientia; Etenim ſcientia ſine bona vita arrogantem facit: & vita ſine ſcientia inutilem reddit. Bona vita facit hominem Beatum; ſcientia ſola inflatum.

Quæro VII. *Quibus libris ſtudere debet Religioſus ſcholaris?*

℞. *I.* Studens junior, & minùs aptus 18
unius Doctoris, vel libri eruditione contentus eſſe debet; meliuſque faciet, ſi ſolis

Iis ſcriptis ſibi à Magiſtro dictatis ſeriò ſtudeat. Alius verò magis idoneus ad ſtudia legere debet eos libros, quos ejus Lector utiliores ſibi judicaverit. Inexperti enim in libris, & ſcientiis neſciunt diſcernere quid bonum, quidve malum quid utile, aut quid ſibi inutile ſit. Et ideò (ut inquit Philoſophus) *cùm diſcentem credere oporteat*, debent ſtudentes ſtare conſilio Magiſtri : aliàs oleum, & operam perdent in legendis libris. Et ne hoc nimis durum appareat conſilium, dicam, quòd Magnus Gerſon refert de D. Thoma, qui interrogatus, quiſnam eſſet optimus modus ſtudendi? reſpondit. *Exercere ſe in uno Doctore*. Et notum eſt illud dicterium. *Liberet me Deus à Doctore unius libri*; quia promptus eſt ſemper ad reſpondendum, & convincendum. -- Seneca quoque Philoſophus Moralis *epiſt.* 45. ait: Non refert quàm multos, ſed quàm bonos habeas libros. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui vult pervenire quò deſtinavit, unam ſequatur viam, & non per multas vagetur. -- Hugo Victorinus *lib.* 2. *cap.* 3. *Didaſcal.* fatetur, quòd Scholaſtici noſtri aut neſciunt, aut nolunt modum congruum in diſcendo ſervare: idcircò multos ſtudentes, paucos verò ſapientes invenimus.

19 ℞. *II.* Completo autem curſu Studiorum, Regularis ſtudioſus debet animum, & ſtudia ſua convertere principaliter ad duo, nempè ad *Materiam prædicabilem*, & ad *Moralem Theologiam*; quia hæ duæ Doctrinæ ſummoperè utiles, & neceſſariæ ſunt & ſibi, & populis, ut experientia probat. Circa autem alios libros, dico cum Peyrino *tom.* 1. *quæſt.* 1. *cap.* 30. §. *Unico*, quòd unuſquiſque legat eos, ex quibus ſibi plus vel Devotionis, vel Scientiæ, vel etiam honeſtæ recreationis noverit provenire.

Quæro VIII. *Quænam eſt differentia inter Scientiam, & Sapientiam?*

20 ℞. *Sapientia* ſignificat altam notitiam Veritatum Divinarum, qualis eſt ea, quam habent Theologi Catholici, & Scripturales, nempè verſati in Scripturis Sacris. -- *Scientia* verò ſignificat notitiam Veritatum naturalium, & humanarum, qualis eſt ea, quam habent Philoſophi, Matematici, Morales, Juriſperiti &c. Nam, ut inquit D. Auguſt. lib. 13. de Trin. c. 19. *Sapientia Divinis, Scientia verò humanis attributa eſt*. Iſtæ duæ res ſunt duo theſauri hominis, qui ſuperant omnes alios theſauros Mundi; Unde Eccleſiaſticus cap. 25. exclamat: *Quàm magnus eſt, qui invenit Sapientiam, & Scientiam!* Quia Doctus major eſt Regibus, & Monarchis indoctis. Verumtamen doctiſſimus vir ſupra ſe habet Majorem Virum, cui cedere conatur, nempè Virum, qui timet, & diligit Deum. Etenim idem Eccleſiaſticus poſtquam dixit: *Quàm magnus eſt, qui invenit Sapientiam, & Scientiam!* ſtatim ſubjunxit: *Sed non eſt ſuper timentem Deum*. Ratio eſt: quia Doctrina quæque ſublimis facit hominem magnum coram hominibus; Bonitas autem, & Sanctitas vitæ facit hominem magnum coram Domino Deo.

Eſt & alia differentia inter Sapientiam, 21
& Scientiam. Quia *Sapientia* reſpicit ultimum finem noſtrum, qui eſt ipſe DEUS; *Scientia* autem conſpicit media apta, quæ nos conducunt ad tam altum Finem. Unde Iſaias Proph. c. 33. ait: *Divitiæ ſalutis Sapientia, & Scientia*. Nam iſtæ benè uſurpatæ dant nobis Æternam ſalutem.

Quæro IX. *Quænam ſunt vitia propria Litteratorum, ſeu Doctorum?*

℞. Sunt iſta ſeptem, Vanagloria, Præ- 22
ſumptio, Pertinacia, Æmulatio, Fraus, Cupiditas, & Faſtus. Explico. *Vanagloria* facit, ut Litteratus vanè inflatur in ſemetipſo: & glorietur ſua ſcientia. Et hoc vitium debet vinci *Humilitate*. *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* S. Paulus 1. Corinth. c. 4. *Omne enim bonum desurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Jac. 1. *Et inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Job 32.

Præſumptio facit, ut doctus velit ſuper- 23
ſapere, ultra ſcilicet proprium ſtatum, & capacitatem. Hoc vitium vincitur *Sobrietate*. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem*. Rom. 12. -- *Et altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus*. Eccli. 3.

Pertinacia facit, ut Litteratus nimis ad- 24
hæreat opinioni, & ſenſui ſuo. Et hoc vitium ſuperatur *Docilitate*. *Ne ſis ſapiens ad temetipſum*. Prov. 3. -- *Via ſtulti recta in oculis ejus: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia*. Prov. 12. *Auris ſapientis quærit Doctrinam*. Prov. 18.

Æmulatio facit, ut Doctus velit ambi- 25
tio.è

tioſè ſibi ſubmittere ſuos fortes competitores. Quod vitium atteritur *Charitate*, quæ pluris valet. quàm omnes triumphi. *Si habuero ſcientiam: Charitatem autem non habuero, nihil ſum*; Apoſt. 1. Corinth. 13. Nam *Charitas non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa*.

26 *Fraus* facit, quòd Doctus fraudulentus ſua ſcientia mixta fallaciis velit decipere, & ſeducere ſimplices. Hoc vitium tollitur *Sinceritate*, quæ nobis præſcribit modum ſincerè utendi rationibus. *Cum Sapientia proferes reſponſum verum*. Eccli. 5. – Nam *gloria noſtra hæc eſt, teſtimenium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali: ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo*. S. Paulus 2. Cor. c. 1.

27 *Cupiditas* facit, ut Litteratus abutatur ſcientiis ad augendum pecuniam. Hoc vitium ſuperatur *Liberalitate*. *Quam (Sapientiam) ſine fictione didici, & ſine invidia communico*. Sap. 7. *Ponam in lucem ſapientiam ejus*. ibi. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. 1. Tim. 6.

28 *Faſtus* efficit, ut vir doctus, & ſuperbus deſpiciat proximum in conferentiis, ac diſputationibus. Hoc tandem vitium vincitur *Modeſtia*, quæ nos pacificè ordinat erga omnes. *Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ*. Jac. 3. – *Doctrina viri per patientiam noſcitur*. Prov. 19. – *Et timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*. Eccli. 25. – Ergo timor Sanctus Dei hæc, & alia vitia Litterarum ſuperare debet; Nam *Corona ſapientiæ timor Domini*. Eccli. 1. *Vide inſignem Segnerum in ſua Manna Animæ, die 9. Junii*.

Sanctus iſte timor, qui facit declinare vitia, & ingerit virtutes, acquiritur meditatione, ac oratione. Quid enim proderit nobis omnia cognoſcere, & DEUM, qui fecit nos, non timere, non diligere, & non acquirere? Qui ſcientiam tantùm ſpeculativam Divinorum, humanorumque habet, aſſimiliari poteſt Dæmoni: quia Dæmon tantùm ſcit, & in Græco idem eſt *Dæmon, ac Sciens*. Niſi ergo Litterati cum ſcientia timorem, cum timore amorem Dei copulent, cum Dæmonibus computabuntur; nam inquit D. Gregorius, *Luciferum cum Angelis ejus aſſeclis de cœlo Deus præcipitavit, ut in lapſis dæmonibus diſceret homo doctus quid timeret*. Vide Cornelium à Lapide *in lib. 1. Regum cap. 2. verſ. 3. Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes: quia Deus ſcientiarum Dominus eſt*. 29

TRACTATUS XXV.

DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non occides.

QUæro I. *Quidnam prohibetur quinto hoc præcepto?*

1 *Reſpondeo* Principaliter prohibetur omnis injuſta occiſio hominis: acceſſoriè verò omnis voluntaria cooperatio inductio, & diſpoſitio ad injuſtam hominis occiſionem. Unde ad peccata contra hoc Divinum mandatum pertinent omnia illa delicta, quibus proximus in ſua perſona læditur: Ut V. G. homicidium ſimplex, parricidium, ſacrilegium, abortus, aſſaſſinium, veneficium &c. *Item* omnis injuſta proximi percuſſio, vulneratio, mutilatio, incarceratio, tortura, præparatio armorum, bellum iniquum, duellum, rixa, pugna, ſtimulatio, proditio, ſeditio, diffidium illicitum, conjuratio, crudelitas; *item* omnis privata vindicta, violentia injuſta in hominis mortem, vel grave nocumentum corporale, & omnis alia actio, vel omiſſio tendens ad nocendum proximo in vita, aut perſona ipſius. Omnia utique, & ſemper ex ſuo genere ſunt peccata mortalia contra hoc præceptum: *Non occides*; quia ſumunt ſpeciem peccati à termino prohibito, hoc eſt, *ab homicidio*, quod

quod inde ſequitur, vel ſequi poteſt, vel ad eumdem actum diſponunt; nam media adhibita ſumunt ſuam ſpeciem à fine *ad quem* ordinantur, ſive ex natura ſua, ſive ex intentione operantis.

De Homicidiis licitis.

Quæro II. *Eſtne licitum aliquando homicidium?*

2 ℞. *I.* In duobus tantùm caſibus generaliter licitum eſt homicidium, nempè *de expreſſo Dei Mandato*, & *in lege juſta publica*. Quoad primum caſum, certum eſt, Deum, cùm ſit abſolutus Dominus omnium, poſſe præcipere homicidium, prout præcepit Abrahamo occidere proprium Filium, Sauli percutere, necare, & deſtruere Amalecitas, & ſic de aliis; ita ut tunc homo licitè poteſt, & debet alium occidere hominem. At verò tale mandatum numquam præſumi debet, niſi de eo certiſſimè, & abſque ulla dubitatione, vel tergiverſatione conſtaret, ut latè docet D. Auguſtinus *lib. de Civitate Dei*, *cap. 26.* Nam Diabolus, qui eſt mortis inventor, & vitæ hominis inimicus, plurimos ſæpè miſerrimè decepit, ut ex Sacris hiſtoriis notum eſt. Quoad ſecundum caſum eſt certum de fide, quòd detur lex Divina obligans Judicem, publicamque poteſtatem ad interficiendos malefactores, ut patet in lib. Exodi cap. 22. *Maleficos non patieris vivere*: & in Epiſt. D. Pauli ad Rom. cap. 13. ubi de Principe ſæculari loquens, ait: *Dei miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit.*

3 Et ratio eſt: quia non poteſt eſſe illicitum, quod omninò eſt neceſſarium: ſed punitio ſceleratorum, etiam per mortem, eſt omninò neceſſaria ad vitam hominum ſocialem, ſeu politicam, & quietam conſervandam: ergo Judici, Principi, vel Magiſtratui licitum eſt occidere ſceleratos, quando eorum delicta merentur talem pœnam.

4 ℞. *II.* In aliquibus caſibus particularibus, concurrentibus quibuſdam circumſtantiis licitum eſt homicidium: Et *primò* in Bello offenſivo, & defenſivo, ſi adſint debitæ conditiones, quæ potiſſimùm ſunt, Authoritas publica, & legitima: Cauſa juſta: Intentio recta: Modus exequendi debitus, ſcilicèt cum prævia indictione belli, moderata pœna nocentium, & indemnitate innocentium, quas conditiones explicatas videre poteris apud Laymann *lib. 2. Tract. 3. cap. 12.* — Dianam *part. 6. Tract. 4.* Petrum Navarram *lib. 2. cap. 3.* Summam Angelicam *V. Bellum.* — Sylveſtrinam: Sporerium noſtrum *tom. 2. Tract. 5. cap. 2. ſect. 2. per totam*, & alios DD.

II Licitum eſt homicidium in defenſione ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ. — Defenſio inculpatæ tutelæ dicitur illa, qua vis injuſtè illata, vi repellitur, quantum neceſſitas poſtulat: nempè quando quis injuſtè aggreditur, & vim illatam ſibi aliter avertere non poteſt, quàm occidendo aggreſſorem, conſideratis circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, mali imminentis, & cæteris arbitrio boni viri. 5

Generaliter autem tres requiruntur conditiones: I. Ut ſit vera aggreſſio, per violentiam, ſive aperta vi, ſive occulta per inſidias inevitabiles intenta. II. Ut ſit vera, & neceſſaria defenſio, facta ſcilicet in ipſo actu aggreſſionis, non verò ante aggreſſionem, vel poſt ipſam, vel ceſſante jam omninò aggreſſione. III. Ut defenſio non excedat modum neceſſitatis, aut regulas prudentiæ. Si enim aggreſſus V. G. Titius poſſit fugere, vel clamare cum ſpe auxilii, aut tantùm verberando, vel vulnerando, ſe liberare, non ei licebit occidere aggreſſorem &c. quia tunc non eſſet moderamen inculpatæ tutelæ, cùm occiſio non ſit neceſſaria ad ſe defendendum. 6

Ratio ſumitur ex ipſis viſceribus Legis naturalis, & ordine Charitatis, quibus unuſquiſque propriam vitam præferre poteſt alienæ; adeòque injuſtam vim vitæ propriæ illatam ſi aliter repellere nequeat, æquali vi repellere licet: *Item* Jus Gentium, & Civile talia homicidia permittunt impunè fieri: & cenſentur hujuſmodi Jura authoritate publica quemlibet conſtituere Executorem defenſionis ſuæ neceſſariæ; nam in Jure Civili l. 3. ff. de Juſtitia, & Jure habetur: *Jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui feceris, jure feciſſe exiſtimetur.* Et in Jure Canonico, cap. Significaſti, II. de homicidio, habemus: *Vim vi repellere: omnia Jura, omneſque leges permittunt.* 7

8 *Tertiò*. Licitum eſt, occidere quemcumque (etiam Clericum) actualem aggreſſorem injuſtum vitæ propriæ. Quia Jus intimum naturæ defendendi vitam ſuam hoc permittit. Ne timeas incidere in Bullam Excommunicationis, & Irregularitatis, vel notam impietatis; quia lex naturalis prævalet, & te excuſat. *Cap. Jus naturale, diſt.* 1. Et *cap. Significaſti cit.*

9 *Quartò*. Etiam quemcumque Conſanguineum aggreſſorem, ut ſuprà, licitum erit occidere. Ratio dicta eſt. Quia jus intimum, & naturale tuendi vitam ſuam meritò præponderat legi Pietatis in parentes tam impios. Quod à ſimili ratione dicendum eſt de quocumque Superiore, Domino, vel alia Perſona quantumcumque publica; Niſi tamen à tali Perſona multum dependeret bonum commune; ita ut ex ejus morte graviſſimum damnum Reipublicæ ſequeretur; tunc enim invaſum, vel aggreſſum ex Charitate teneri non occidere, ſed ſuam mortem potiùs permittere, & patienter tolerare, boni communis cauſa, docent graves DD. ut Sotus, Molina, & alii cum Laymano *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3.*

10 *Objicies*. Tenemur Ordine Charitatis vitam noſtram corporalem poſtponere vitæ Spirituali, & æternæ ſaluti proximi noſtri; ſed ſi occido injuſtum aggreſſorem exiſtentem in actuali peccato mortali, ſum cauſa, vel occaſio illius damnationis; ergo mihi non erit licitum tale homicidium. ℞. Quando proximus eſt in extrema neceſſitate ſpirituali, & non ſit alia via procurandi ejus ſalutem æternam, niſi permittendo mortem meam, tunc vera eſt objectio tua: at in propoſito caſu proximus injuſtus aggreſſor vitæ meæ minimè eſt in extrema hac neceſſitate, ſed potiùs in mera, & libera malitia: habet enim aliam promptam, & expeditam viam ſalutis corporis, & animæ, deſiſtat ab aggreſſione, & ſalvus erit: ſi ſecùs, pereat, & ſibi imputet mortem corporalem, & ſpiritualem; ego enim utor jure meo; Alias nec Carnifex, juſtitiæ miniſter, licitè poſſet laqueo ſuſpendere malefactorem nolentem præmittere Sacramentalem Confeſſionem: quod eſt falſum.

Quæro III. *Bannitus, ſeu proſcriptus aggreſſus à Satellitibus, aut ab aliis volentibus eum ligare, vulnerare, occidere, poteſtne ſe defendere etiam necando aggreſſores?*

℞. Quòd non. Ratio eſt: quia Satellites, aut alii aggreſſores ſunt veluti Miniſtri Juſtitiæ, & Reipublicæ, qui jus habent à Magiſtratu capiendi, vel etiam occidendi Bannitum; & iſte injuriam faceret Principi, reſiſtendo taliter ejus Miniſtris: nam, ut ajunt Juriſtæ in L. 1. C. Quando liceat: *Non eſt permiſſa defendendi facultas, ibi offendendi eſt data libertas.* Ergo Satellites, & alii, quibus data eſt à Principe libertas, imò & merces capiendi; & occidendi Bannitum, non poſſunt dici injuſti aggreſſores; ſed potiùs juſti vindices malefactorum. Layman. *lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 2. num. 3.* – Molina *Tract. 3. diſp. 7.* – Bartholus, & alii apud Dianam *p. 3. reſ. 41.* – Sporer *cit. ſect. 1. à n. 16.* 11

Quæro IV. *Adulter cum aliena Uxore deprehenſus à Marito, ideoque invaſus, & occidendus ab iſto, ſi aliter evadere nequeat poteritne iſtum occidere?*

℞. In foro conſcientiæ (quidquid futurum poſtea ſit in foro externo) licitè poterit iſtum aggreſſorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio eſt: quia ille per adulterium non amiſit jus naturale defenſionis vitæ ſuæ: ſicut è contra iſte Maritus ex hoc delicto adulterii non acquiſivit jus occidendi (propria, & privata authoritate) adulterum: ideòque ille adhuc injuſtè aggreditur, & in foro proli, nempè in foro interno, eidem licet ſe defendere. 12

Quæro V. *Pater, vel Maritus deprehendens in flagranti crimine adulterii propriam filiam, vel Uxorem, poteſtne licitè eam occidere?*

℞. Negativè. Ratio eſt eadem, ut ſuprà; quia nec Maritus, nec Pater ullum habet jus vindicandi, & puniendi taliter Uxorem, vel filiam, ut eam occidat. Tum quia Alexander VII. inter alias propoſitiones damnavit, hanc, la 19. *Non peccat Maritus occidens propria authoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.* – Et etiam quia Regula Juris Civilis 136. ff. dicit: *Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publicè poteſt expediri.* – Et *inauditum, ac non condemnatum* (niſi injuſtum invaſorem) *à privato occidi, nulla æquitas patitur*; L. 2. ff. Præterea, maximè Legi Charitatis repugnat, mulierem illam in adulterio captam, adeòque imparatam, & impœnitentem ſubitò occidere abſque legitima poteſtate, & neceſſitate. 13

Quare,

14 *Quare* etſi Pater, vel Maritus illius fœminę eſſet ipſemet Princeps, vel Judex, adhuc non poſſet tuta conſcientia ibi eam ſtatim occidere; ſed deberet ſervare Juris ordinem, ut legitimè eam puniret. Sicut enim Judex, vel Princeps Supremus non poteſt committere alteri, ut puta Sicario, lictori, carnifici, ut prætenſum quempiam reum illicò occidat, non prius ſervato Juris ordine, ſic nec ſibi poteſt talem aſſumere licentiam: eadem enim eſt ratio, & multa ſequerentur inconvenientia, & damna in re, & perſona judicata, ordine Juris non ſervato.

15 Præterea, dato etiam legitimo mandato, ut Pater, Maritus, Fratres &c. poſſent occidere Filiam, Uxorem, Sororem, &c. deprehenſam in adulterio, quilibet iſtorum abſtinere deberet à tali homicidio; quia valdè indecens eſt mittere manum in proprium ſanguinem, multumque adeſt periculum vindictæ etiam privatæ, cùm proclive ſit, ut V.G. Maritus ex Zelotypia, non autem vero zelo juſtitiæ occidat adulteram Uxorem ſuam, atque ideò mortaliter peccet ex odio, & vindicta privata.

Quæro VI. *Poteſtne Judex ſententiam mortis ferrè in eum, quem privata notitia certò, & evidenter ſcit innocentem eſſe, ſecundùm autem ordinem Juris in Judicio externo, ſcit eſſe reum mortis?*

16 ℞. *I.* Si Judex iſte ſit Supremus, tenetur innocentem liberare à morte. Quia Supremus Judex, vel Princeps poteſt diſpenſare in lege illa, qua jubetur, *in judiciis procedendum eſſe ſecundùm allegata, & probata in Actis*. Tum quia poteſt, & debet teſtari, etiam cum juramento, ſibi perſpectam, & notam eſſe illius hominis innocentiam.

17 ℞. *II.* Tota difficultas eſt de Judice inferiori, qui hac diſpenſandi facultate non gaudet, ſed ex officio procedere debet. Dico tamen, quòd Judex quoque inferior debet adhibere omnem poſſibilem induſtriam, ut impediat condemnationem hujus innocentis. Et ſi hoc non proſir? Debet deponere officium Judicis in cauſa: vel clam aperire carcerem, ut innocens fugiat. Et ſi hæc commodè præſtare non poſſit? Debet teſtari Judici Supremo quidquid ſcit in favorem innocentis. Quid ſi Judex Supremus eum non audiat, vel ei non creda:? ℞. Simpliciter ei non licere condemnare hunc innocentem. Ratio fundamentalis, & ſolidiſſima eſt: quia numquam licitum eſt, hominem certò innocentem occidere per ſe, & directè; atqui in caſu iſto, ſi Judex ferret ſententiam mortis, verè occideret innocentem per ſe, & directè, cùm ipſa ſententia directè, & per ſe tendat in mortem hujus innocentis; ergo &c. Ita P. Navarra, Roſella, Angelus, Sà, aliiſque citatis Leſſius *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 48. – Lugo *tom.* 2. *de Juſtitia, & Jure, diſp.* 37. *ſection.* 4. §. 4. Sporer *tom.* 2. *Tractat.* 5. *capitul.* 2. *ſection.* 1. *num.* 34. Filliucius, Toletus, Bonacina, & alii citati à Buſembao, *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 2. *art.* 4. *reſp.* 4. Corduba *lib.* 1. *qq.* 9. 37. ubi cum 16. rationibus noſtram confirmat Reſolutionem. – Emanuel Rodriquez in Summa, *Tractat. Ordinis Judicialis, cap.* 12. *concl.* 9. & 10. – Vulpes, & alii cum Maſtrio *Moral. diſp.* 6. *num.* 29.

Quæro VII. *Titius minatus eſt mihi mortem, poſſumne licitè, præveniendo actum, occidere ipſum?*

℞. Minimè: niſi certò conſtet, Ti- 18
tium jam paraſſe arma, vim, & inſidias, quas nec alio modo, nec alio medio evadere poſſes, niſi præveniendo. Ratio eſt: quia non eſt juſta defenſio inculpatæ tutelæ, ubi, & quando non adeſt inſidiator actualis certus vitæ tuæ, quem non valeas alia via repellere, niſi occiſione; ſed minatio ſola mortis poteſt à te repelli multis modis, & mediis, abſque occaſione; ergo &c. Tum quia; ſi, quando aggreſſio vitæ, & honoris, famæ, fortunarum &c. eſt tantùm remota, & probabilis, licita eſſet occiſio adverſarii, ſeu aggreſſoris, facilè aperiretur oſtium magnum ad homicidia occulta cum maximo damno, & turbatione Reipublicæ; ſed hoc non eſt permittendum; ergo &c. *Vide propoſitiones damnatas la* 17. & 18. *ab Alexandro VII, & propoſitionem la* 30. *damnatam ab Innocentio XI. in fine libri* 2. *part.*

Quæro VIII. *Eſtne licitum homicidium cum moderamine inculpatæ tutela pro tuendis bonis temporalibus?*

℞. *I.* Pro defendendis bonis temporali- 19
bus ad conſervationem vitæ maximè neceſſariis, nimirùm ſine quibus vita corporalis conſervari non poteſt, licitum erit, raptorem, ſeu invaſorem iniquum, & obſtinatum percutere, vulnerare, & etiam occidere, ſi aliter ſervari, vel

Digitized by Google

defendi non poſſint eadem bona. Certum eſt apud omnes DD. Ratio clara eſt: Quia Jus defendendi vitam ſuam corporalem extenditur etiam ad ea bona tuenda, ſine quibus vita ipſa ſervari non poteſt.

20 ℞. II. Pro bonis autem ad conſervandam vitam minimè neceſſariis, & ſine quibus homo invaſus vivere poteſt, non licet invaſorem actualem occidere; eò quòd Ordine Charitatis Chriſtianæ vita proximi præferenda ſit bonis temporalibus propriis non neceſſariis ad vitam noſtram &c. Tum quia viro prudenti, & morato non deſunt alii modi humaniores defendendi, vel etiam recuperandi bona ſua non ità neceſſaria ad vitam, quàm hoc uno occidendi raptorem, furem, invaſorem &c. Quare D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. ait: *Quomodò enim apud DEUM ſunt iſti à peccato liberi; qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Idque maximè verum eſt his noſtris temporibus, quibus amor inordinatus bonorum temporalium adeò obcæcavit corda etiam Sapientum, ut nonnulli aſſerere non ſint veriti hanc propoſitionem, ordine la 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* — Nota ly *Regulariter*: quaſi dicant: *Eſt regula generalis*: quam falſam, & ſcandaloſam propoſitionem optimo jure damnavit *Innocentius Papa XI.* Vide etiam la 32. & 33. *ibi.*

Quæro IX. *Eſtne licitum, & tutum in conſcientia viro honorato occidere injuſtum, ac contumelioſum aggreſſorem ſui honoris?*

21 ℞. In praxi vix fingi poteſt Caſus, quo honor aliter defendi, vel recuperari nequeat (ſecluſis vaniſſimis hominum mundanorum perſuaſionibus, & apicibus honoris) niſi occidendo calumniatorem; nam tunc occiſio nec neceſſaria, nec utilis eſt, imò neque eſt ad propoſitum; ſed mera, & vera vindicta cenſetur privato homini ſemper illicita. Unde damnata eſt ab Innoc. XI. hæc propoſitio, la 30. — *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre: ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.* — Vide etiam la 17. & la 28. *Alexand. VII. in fine ſecundæ partis.*

Quæro X. *Licitumne erit Virgini; tam maſculo, quàm fœminæ, aut Matronæ honeſtæ violentum, & impudicum aggreſſorem, ſi nulla alia via talem vim impedire, vel declinare valent, cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere, vel ſaltem percutere, & vulnerare?*

℞. Affirmativè; ipſo enim lumine, & jure Naturæ eadem, imò longè majori ratione, qua licitum eſt, invaſorem bonorum temporalium occidere, licitum pariter erit, occidere aggreſſorem pudicitiæ; integritas virginalis, pudicitia, & caſtitas cenſentur inæſtimabilis pretii: & à multis pretioſiores res habentur, quàm ipſa vita. Communiſſima ſententia apud DD. Dianam, Leſſium, Laymannum, Bonacinam, Lugonem, Tamburinum, & meum Sporerium *tom. 2. tract. 5. cap. 2. ſect. 3. §. 7.* 22

Quæro XI. *Eſtne licitum Tertio defendere cum moderamine tutelæ inculpatæ proximum ſuum, occidendo aggreſſorem ejus vitæ, bonorum, & pudicitiæ?*

℞. Quòd ſic. Nam quandocumque quis jus habet per defenſionem inculpatæ tutelæ occidere injuſtum aggreſſorem ſuæ vitæ, bonorum, pudicitiæ &c. etiam aliis fas erit, cooperari ipſi, & auxilium ferre ad hoc: adeòque cuivis etiam pro defenſione vitæ, bonorum, & pudicitiæ Tertii proximi ſui, licebit percutere, vulnerare, & occidere injuſtum aggreſſorem, quantùm neceſſe eſt ad illius defenſionem, juſtamque liberationem. — Tum quia lege Charitatis licitum eſt pro alio facere, quod unuſquiſque licitè poteſt facere pro ſemetipſo. 23

Quæro XII. *Eſtne licitum Duellum?*

℞. I. Duellum idem eſt ac duorum bellum. Eſt pugna ſigularis unius cum uno altero. Duellum etiam dicitur quæcumque rixa, concertatio, & invitatio duorum inter ſe ad vulnerandum alterutrum. At propriè, prout in jure habetur, ſic definitur: duellum eſt pugna ſingularis duorum adversùs invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem alterutri inferendam ex condicto ad certum locum, & tempus. 24

℞. II. Semper illicitum eſt quodcumque duellum indicere, provocare, acceptare, & inire, excepto ſolo unico caſu neceſſariæ defenſionis vitæ propriæ, quo licet, ut diximus, occidere injuſtum aggreſſorem. Ratio patet: quia nullo unquam caſu 25

licet

Digitized by Google

licet privata authoritate, ac ſponte nea voluntate hominem occidere, aut vulnerare, neque ſe exponere tali manifeſto periculo; eſt enim peccatum graviſſimum contra hoc quintum præceptum Divinum naturale, *Non occides*; ideòque duplex homicidium in duello committitur; nam duellans & proximi vitam aggreditur, & ſuam periculo necis exponit abſque legitima, & juſta cauſa coram Deo; neque raro evenit, utrumque lethaliter vulnerari, & mori.

26 ℞. *III.* Duellum ſtrictè, & propriè captum graviſſimis pœnis eſt prohibitum etiam ab Eccleſia Romana. Nam Julius Papa Secundus, Leo Decimus, Clemens Octavus & Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 19. *de Reform.* prohibuerunt duellum ſolemne, & publicum ſub excommunicatione latæ ſententiæ, aliiſque pœnis. Deinde Gregorius XIII. prohibuit duella omnia, etiam privata, omnemque eorum cooperationem ſub pœna Excommunicationis Summo Pontifici reſervatæ, & novis aliis pœnis. Denique Clemens VIII. prædictas pœnas confirmavit, & addidit alias pœnas magis explicatas, quas videre poteris apud Marchantium, Sporerium, Dianam, & alios DD. – Ego ſolùm hic adnotabo propoſitionem ſecundam ex damnatis ab Alex. VII. quæ ſic ſonabat: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

De Homicidiis illicitis.

Quæro XIII. *An aliquando liceat ſemetipſum occidere?*

27 ℞. *I.* Nunquam licet occidere ſeipſum directè, & voluntariè. Eſt certum apud omnes Ortodoxos, ſeu Catholicos DD. & SS. Patres, ut ex profeſſo docet S. Auguſt. *lib.* 1. *de Civit. Dei, cap.* 16. *ad* 28. Et rurſus hæreſi 69. contra Donatiſtas hæreticos. Quia Deus generaliter, & ſimpliciter dixit: *Non occides*: nihil addendo, nihil excipiendo; ergo nullus, nec ipſe utique, cui imponitur hoc præceptum, intelligitur exceptus. Reſtat igitur, ut de homine intelligamus mandatum hoc: *Non occides*: quia ſtatim etiam intelligimus: *Non occides alterum, ergo à fortiori nec teipſum*; neque enim qui occidit, aliud, quàm hominem occidit, & qui ſeipſum occidit, utique hominem occidit; ergo peccat contra hoc mandatum. Tum quia Homo non eſt Dominus ſuæ vitæ, ſed tantùm adminiſtrator, & cuſtos ſub Dominio ſolius Dei, juxta illud Sapient. 16. *Tu es, Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*, igitur Homo non poteſt vitam ſuam pro libitu prodigere, & deſtruere, ſed debet eam conſervare.

Dices. Legimus, nonnullus viros, pluresque fœminas bonæ, & ſanctæ vitæ ſe ipſos occidiſſe, ut de Samſone *lib. Judicum c.* 16. Eleazaro 1. *Machab. c.* 6. Razia 2. *Machab. c.* 14. De S. Apollonia, S. Pelagia, S. Sophronia & aliis SS. Virginibus, quæ, ne ſtuprum paterentur, ſeipſas occiderunt, ſe præcipitando in flumen, vel de alto in terram, & aliis modis. – 28

℞. Omninò ſupponendum, & præſumendum, & credendum eſt, tales perſonas Deo acceptas, de expreſſo DEI mandato, & Spiritus-Sancti evidenti impulſu, hoc feciſſe, ut latè probat D. Auguſt. *l.* 1. *de Civit. Dei c.* 21. & 26. ubi concludit ſic. Quòd ſi enim hoc fecerunt, non humanitùs deceptæ, ſed Divinitùs juſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Samſone, aliud nobis fas non eſt credere: cùm autem DEUS jubeat, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocabit?

℞. *II.* Neque indirectè licet ſeipſum occidere. Certum eſt apud omnes DD. Ratio eſt: quia ſeipſum directè occidere ſemper illicitum eſt ex dictis; ergo conſequenter illicitum (per ſe) erit, ſe indirectè occidere. *Probo conſequentiam*. Quandocumque aliquod opus directè facere, illicitum eſt, etiam per ſe illicitum eſt illud indirectè facere: agendo ſcilicet, vel omittendo voluntariè aliquid, unde illud ſequatur; niſi juſta, & urgens cauſa ita agendi, vel omittendi hic, & nunc excuſet; ſed ſic eſt, quòd ſeipſum directè occidere numquam eſt licitum per ſe; ergo pariter per ſe non erit licitum indirectè ſeipſum occidere, nimirùm aliquid agendo, vel omittendo, unde certò mors ſua ſecutura ſit. 29

Ex qua doctrina communi plures deduces Caſus particulares. *I.* Peccant mortaliter qui gravi, & periculoſo morbo laborantes, noxia, & vetita ſumentes, mortem ſibi cauſant indirectè, vel notabiliter accelerant. *II. Item* qui intemperanter viventes, cum certo prævio, vel à 30

Digitized by Google

peritis Medicis prædicto periculo mortis notabiliter, & vitiosè accelerandæ. *III. Item* imperiti ſunambuli, gladiatores, torniatores, & quovis ſimili ludo equeſtri ſe exercentes cum certo periculo occiſionis ſuæ. *IV. Item* qui in gravi, & periculoſo morbo conſtituti nolunt adhibere remedia ordinaria, & comoda; ſed, his neglectis, mortem ſuam permittunt. Et ſic de ſimilibus.

31 *Dices*. Igitur Religioſi Carthuſiani, & Minimi & alii viri devoti, qui omnem eſum, & uſum carnis excludunt, etiam in morbo periculoſo, quamvis ſpes ſit, ejuſdem eſu, vitam poſſe naturaliter protrahi diutiùs, malè facient, & peccabunt.

℞. *I.* Negando hanc illationem. Quia ob tam ſanctum finem perpetuæ mortificationis aut ex vi ſtatuti, aut Voti, vel Profeſſionis ſuæ, aut intuitu Virtutis abſtinentiæ, veræque perfectionis, prædicti Religioſi, & ſimiles viri devoti ſanctè operantur; etiamſi aliqualem accelerationem mortis, vel abbreviationis vitæ cauſam prævideant, & permittant. Tales enim Viri Sancti non intendunt ſuam mortem, nec vitæ diminutionem, nec directè, nec indirectè, ſed tantummodò carnis mortificationem, & vitam ſpiritualem vita naturali meliorem. Tum quia non ſunt certi de acceleratione mortis; ſciunt enim, S. Hilarionem, S. Antonium Abbatem, S. Paulum Heremitam, S. Hieronymum, S. Romualdum, & plures alios in auſteritatibus, etiam ſummis, & jejuniis ferè continuis duxiſſe vitam, & tamen vixiſſe nonaginta, vel centum, & pluribus annis.

32 ℞. *II.* Ad ſervandam vitam diutiùs, vel in morbo ſalutem recuperandam non obligamur ut medio, vel medicamento extraordinario, vel nimiùm difficili, vel incongruo ſtatui noſtro, vel ſumptuoſo, vel inſolito. Neque tenemur locum habitationis noſtræ mutare, nec aliud vitæ genus quærere, nec uti cibis, vel potibus delicatis, nec uxorem ducere, & ſic de ſimilibus; ſed tantùm tenemur vitam noſtram conſervare mediis, & modis ordinariis, communibus, & conditioni noſtræ debitis; uti docent communiter DD. cum Leſſio *l. 2. c. 9. dub. 13 n. 96.* - Laymanno *l 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n 4.* - Sporerio *tom. 2. tr. 5. c. 4. ſect. 2.* & aliis ibi cit. Quod à fortiori dicendum eſt de Religioſis auſteram vitam profitentibus.

33 *Nullus igitur ſcrupulus* ingerendus eſt iis, qui laboribus licitis, pœnitentiis, jejuniis, aliiſve auſteritatibus ad obſequium DEI, & mortificationem carnis vacant; quamvis vitam ſibi abbreviare videantur; dummodò hoc faciant conſilio prudentis, & docti Confeſſarii, vel ſpeciali Dei impulſu, cum magno animarum ſuarum profectu.

Regulis tamen prudentiæ, ſeu diſcretionis utendum eſt ab Animabus ordinarii Spiritus; quia *non omnibus omnia expediunt*. Qui enim ſupra vires, & vocationem ſuam ſe ſe macerando diſciplinis, jejuniis, & cæteris auſteritatibus corporeis, vitam ſuam manifeſtè breviorem redderet, utique peccati quaſi homicidii reus eſſet. Ratio eſt: quia ſicut alium V.G. non poteſt occidere innocentem, infantem, ob bonum finem citiùs eum mittendi ad Gloriam cœleſtem; ita nec te ipſum indiſcretis mortificationibus. Quod valdè notandum in praxi.

Quæro XIV. *An aliquando liceat, ſe mutilare aliquo membro?*

34 ℞. Extra caſum extremæ, vel quaſi extremæ neceſſitatis, nunquam licitum eſt, ſeipſum mutilare. Ratio eſt: quia Homo, ſicut non eſt Dominus vitæ ſuæ, ita nec membrorum ſuorum, ſed eſt cuſtos tantùm. Solus autem Deus vitæ, & membrorum noſtrorum Conditor, & conſervator, eorumque Dominus abſolutus eſt; ergo injuriam Deo infert, qui extra caſum neceſſitatis, & non facta ſibi manifeſta poteſtate ab ipſo Deo, membrum corporis ſui abſcindit, & mutilat. Ita communiſſima DD. & SS. PP. ſententia docet cum D. Auguſtino, *lib. 1. de Civit. Dei cap. 20.* & D. Thoma *2. 2. q. 65. ar. 1.* - Et Can. 21. Apoſtolorum - Et Conc. Nicæn. *cap. 1. can. 1.* Et aliis allegatis *in Decreto, diſt. 55.*

35 *Objicies*. Chriſtus Dominus dixit Matth. cap. 18. *Si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te.* Et ibi cap. 19. *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum.* Ergo licitum erit ſe mutilare ex bona intentione fugiendi ſcandalum, tentationem, & fornicationem. ℞. Ex communi interpretatione SS. PP. Verba illa Chriſti Domini non ſimpliciter, non litteraliter, non phyſicè, ſed tantùm moraliter, & ſpiritualiter intelligenda ſunt: ſcilicet de abſciſſione omnis occaſionis proxi-

proximæ peccati, etiamſi talis occaſio tibi utilis eſſet, & neceſſaria, ſicut manus, pes, oculus tuus. Item verba *de Eunuchis* intelligenda ſunt de voluntario, firmo, & ſtabili caſtitatis propoſito, vel voto. Quare SS. Patres graviter reprehendunt *Origenem*, quòd ſe ipſum phyſicè caſtraverit ob vitandam Incontinentiam; ad quod non ſufficit (ut experientia multorum docet) membri mutilatio; ſed gratia ſingularis petenda &c.

Quæro XV. *Eſtne licitum, ſe caſtrare ob vocis ſuavitatem conſervandum?*

36 R. Affirmant nonnulli DD. ut Salonius, Paſqualigus, Tamburinus *lib. 6. Decal. c. 2.* & alii, Ratio iſtorum potiſſima eſt: quia (inquiunt) hæc videtur juſta, & neceſſaria cauſa, ne deficiant in Republica, imò & in Eccleſiis hi ſonori Cantores, & Muſici: & ne ipſi priventur emolumento, & lucro notabili, quod ex melodia vocis ſuæ trahunt. Tum quia praxis ſaltem tolerata, præſertim in noſtra Italia, hoc permittit.

37 Communis autem, & vera DD. ſententia negat, hoc licere. Ratio univerſalis eſt: quia non licet homini aliquo membro ſe mutilare, niſi ob vitam totius corporis conſervandam: puta ſi membrum propter putredinem ſit totius corruptivum corporis: & non ob aliam cauſam minùs neceſſariam, qualis in caſu noſtro aſſignatur à citatis Doctoribus: alioquin ſequerentur multa inconvenientia. Quid enim, ſi Rex, vel Principes vellent meros habere eunuchos in aula ſua ad cuſtodiam fœminarum, vel Reginæ ſuæ? Quid, ſi vellet habere famulos cœcos, vel elingues, & mutos? An ob lucrum, & miniſterium tale licebit, ſe caſtrare, eruere oculos, vel linguam ſibi amputare? — Præterea, Muſici tales non ſunt neceſſarii ſimpliciter pro conſervanda Republica, neque pro concentu, ſeu melodia communi Eccleſiarum: quia non deſunt pueri, qui benè verſati in muſica altiſſimam edunt vocem. Tum quia pro majori emolumento, pinguiorive ſtipendio non eſt licitum vocem conſervare dulcem cum tali, & tanta amaritudine, & inhumanitate abſciſſionis, in qua ſolent pueri vitam periclitari: & viciati corpore, ac virilitate deſtituti manent.

38 *Accedit* maximè periculum peccati, & ſalutis animæ; cùm enim caſtrati graviſſimè incaleſcant, & ſentiant vehementiores carnis titillationes, quàm integri homines, ſicque remedio honeſti conjugii priventur, ſequitur, quòd verſentur in magno incontinentiæ, & ſalutis animæ periculo; ergo ex hac ratione, & cauſa nequaquam licebit ſe mutilare, vel conſentire tali mutilationi. Ita ex D. Thoma Tannerus, Laymann, aliique citati. Diana *p. 3. tr. 5. reſ. 38. & alibi.* Ac noſter Sporer *Moral. Theol. tom. 2. tr. 5. cap. 3. ſect. 1. §. 4. à n. 33.* Item Lodovicus Engel. *in ſuo doctiſſimo Collegio Univerſi Juris Canonici, Editionis quartæ Venetiis anno 1693. l. 1. tit. 20. n. 13. & ſeqq.*

39 Qui Doctor Engel. *ibi n. 9.* dicit, quòd qui à Medicis propter ægritudinem, vel à Parentibus, aut Dominis ſuis, vel à Barbaris inviti caſtrati fuerunt, aut Eunuchi nati ſunt, ad Clericatus officium admittuntur. *Cap. ſi quis 7. cum ſeqq. diſt. 55.* At qui propter ſolam vocem muſicam conſervandam caſtrati ſunt, irregulares ſimpliciter fiunt, & ſine diſpenſatione nequeunt ad Clericatum admitti. Si enim voluntariè procurans inciſionem propter caſtitatem ſervandam, & ſic propter finem ſupernaturalem, eſt irregularis; (ut habetur *c. ſi quis, 4 5. & 9. diſt. 55. Et c. ſignificavit 4. hoc tit.* Ubi tales vocantur ſui homicidæ, & inimici Dei,) ergo multò magis qui, propter finem minùs excellentem, & ob meram utilitatem humanam, permiſit, & voluit talem inciſionem. Denique mutilatio ſui illicita cauſat irregularitatem; ſed ſic eſt, quòd mutilatio ob vocem ſonoram ſervandam (ex magis communi, & frequentiori Doctorum ſententia) eſt illicita: ergo. Hæc Engel.

40 *Nec tandem vales adducere praxim toleratam in Italia* circa hos voluntarios caſtratos ad cantum &c. Quia reſpondeo: Nulla praxis, vel nullus uſus, ſeu nulla conſuetudo licita eſt, quæ *vel* Juri naturali, & Divino adverſatur, adeòque periculum ſaluti inducit: *cap. fin. de præſcript. Vel* Jure Canonico reprobatur, prout in Sacris Canonibus ſæpiùs hæc verba leguntur: *Nulla obſtante conſuetudine, quæ potiùs corruptela eſt dicenda, cap. cùm Venerabilis, 7. hoc tit. c. 1 eodem in 6. Vel* ad peccandum occaſionem, & viam aperit, *cap ex parte, 10. cum ſuo ſummario, hoc tit. cap. fin tit. de præſcript. Vel* denique Communitati pernicioſa eſt, *cap. 1. hoc tit.* — Sed praxis prædicta adverſatur

Juri naturali, Divino, & Canonico, ad peccandum occaſionem aperit, & Communitati hominum pernicioſa eſt, ut patet ex dictis; ergo potiùs corruptela, quàm vera praxis dicenda eſt: neque tolerata, ſed punita eſt à Deo, & ab Eccleſia. Engel *cit. & lib.* 1. *tit.* 4. *num.* 11. Sayrus, & alii cum Diana. Angelus *in Sum V. Corpore vitiatus*, § 1. Sylveſter *V. eodem*. Bonac. *de Cenſ. d.* 7. *q.* 2. *num* 34. – Imò & Lex Civilis generaliter ſub pœna talionis, & bonorum confiſcationis prohibet hominum caſtrationem ſine cauſa neceſſitatis naturalis intentam, *in Novell.* 142. *Et l.* 4. §. 2. *ff. ad l. Corn. de Sicariis*.

Quæro XVI. *Quænam ſunt pænæ ſeipſos occidentium?*

41 ℞. Præter pœnas Fori Divini ſcilicet peccati mortalis, damnationis æternæ, & inferni, Jure Canonico in Foro Eccleſiæ decernuntur hæ pœnæ, nimirùm privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ, & omnium ſuffragiorum Eccleſiæ, ita ut nec Miſſæ, nec Officia pro Defunctis dici poſſint pro iſtis: ut habetur *cap. placuit* 23. *q.* 5. Neque cum pſalmis, & luminibus in ſepulturam eorum cadavera deducantur, & nulla prorsùs pro illis in oblatione Altaris commemoratio fiat. Vide Laymannum, Dianam, Sporer; & alios DD. Quod tamen intelligendum eſt de illis, qui voluntariè, & deliberatè ſe ipſos occidunt; non autem de iis, qui ex amentia, furore, exceſſu melancholiæ hypocondriacæ, vel ſimili morbo uſum rationis adimente, ſe interimunt.

Quæro XVII. *Quid, & quotuplex eſt Homicidium voluntarium, & illicitum?*

42 ℞. *I.* Homicidium eſt hominis excidium, ſeu occiſio. Diverſas habet ſpecies; nam aliud eſt voluntarium, & aliud caſuale. *Homicidium voluntarium* eſt quod deliberatè, & libere fit: Et hoc dupliciter; aliud eſt directè, & plenè volitum, quod nempè ex propoſito, & intentione, opere, conſilio, vel auxilio committitur; aliud indirectè, ſeu in cauſa volitum, quando nimirùm quis agit talem actum, ex quo facilè prævidet, vel prævidere poteſt, & debet, homicidium ſecuturum, quamvis tale malum directè non intendat: V. G. ſi fœminam prægnantem quis percutiat, quæ de inde fœtus animati abortum faciat: vel ſi explodat ſclopetum in loco, ubi frequenter homines tranſeunt, & aliquis occidatur. *Homicidium verò caſuale* eſt, quod nec directè, nec indirectè, & volitum: ſive quod nec dolo, ne culpa commiſſum eſt, ſed mero caſu accidit. V. G. Invitas amicum tuum equitare tecum Bononiam versùs; iſque ex improviſo labitur equo, & moritur: vel, conducis operarios ad ædificium, ex alto unus cadit, & perit; Vel, pulſas campanam, decidit ipſa, vel malleus, & occidit quempiam.

℞. *II.* Homicidium voluntarium dividitur in ſimplex, & qualificatum. *Homicidium ſimplex* eſt occiſio hominis communis: *Qualificatum* verò eſt occiſio hominis qualificati, ſeu cum circumſtantia ſpeciem moralem mutante, vel ex parte occiſi, vel ex parte occidentis, vel ex parte modi occidendi; quæ occiſiones proprio nominantur vocabulo, ſic: Occidiſti aliquem conſanguineum, V.G. Patrem? eſt *Parricidium*. Matrem? Eſt *Matricidium*. Uxorem? Eſt *Uxoricidium*. Fratrem? Eſt *Fratricidium*. Sororem? Eſt *Sororicidium*. Occiſio autem aliorum Parentum, ſeu Conſanguineorum uſque ad quartum gradum non habent (poſſunt tamen habere) ſpeciale vocabulum, ſed reducuntur ad *Parricidium*, quod importat ſpecialem malitiam, & deformitatem contra Virtutem *Pietatis*. 43

Si occidiſti, vel mutilaſti, aut percuſſiſti Clericum, Religioſum, Monachum, aut aliam perſonam gaudentem privilegio Canonis, *ſi quis ſuadente diabolo*, commiſiſti *Sacrilegium*, quod continet ſpecialem deformitatem contra Virtutem *Religionis*: & inſuper incurriſti Excommunicationem majorem latæ ſententiæ. 44

Ad homicidium hoc Sacrilegum reducitur occiſio, mutilatio, percuſſio, vulneratio, & effuſio injuſta ſanguinis humani facta in Eccleſia, & aliis locis ſacris, unde Eccleſia ipſa polluitur. *Item* reducitur homicidium illicitum commiſſum à Clerico, cui etiam irregularitas, & pœna depoſitionis decernitur in Jure Canonico, *toto tit. de Homicidio*. 45

Si hominem occidiſti prædandi cauſa, & ex propoſito ſpoliandi eum? Vocatur *Latrocinium*. – Si autem pretio conduxiſti ſicarium ad occidendum alterum, vel pretio conductus occidiſti alterum? Appellantur *Aſſaſſinium*, vel Aſſaſſinatus; Utrumque habet ſpecialem deformitatem contra *Charitatem*, & *Juſtitiam*: & utrique delicto 46

graves

graves pœnæ decernuntur in Jure Civili, *L. Cicero, ff. de pœnis*: Et in Jure Canonico, *c. 1 de Homic. 6.* imponitur pœna Excommunicationis à Conducto quidem, ipſo facto, incurrenda, à Conducente verò, vel Mandante incurrenda, ipſo facto, etiam homicidio non ſecuto. -- Si tamdem occidiſti hominem ex inſidiis talibus, ut cavere ſibi non potuerit, nec ullo modo ſe defendere? Erit *homicidium proditorium*, quod pariter habet ſpecialem deformitatem contra *Juſtitiam* ex parte modi occidendi; adimitur enim illi jus naturale, vel uſus illius, ſe defendendi; graviterque punitur in Jure Civili, *L. ult. Cod. qui accuſari non poſſunt*; & etiam in jure Canonico proditoriè occidens privatur jure Aſyli in loco ſacro; ut patet *in Bulla Gregorii Quartidecimi incipiente, Cùm aliàs*: ſicuti etiam privantur tali jure, & gratia Aſyli omnes publici Latrones, & viarum Graſſatores, & Aſſaſſini tam conducentes, quàm pretio conducti, ut ſuprà; & ut meliùs videbis in Tract. 59. *de Immunitate Eccleſiarum*.

47 Datur etiam alia ſpecies homicidii, & vocatur *Veneficium*: eſtque duplex; Unum dicitur *Veneficium naturale*, quo homo inſcius veneno ſibi propinato, aut miniſtrato inficitur, & occiditur; & hoc etiam qualificatur prædicta ſpeciali deformitate *Homicidii Proditorii*; & in utroque Jure ſpecialibus pœnis punitur; plus enim eſt hominem inſcium interficere veneno, quàm gladio, & armis. *libr. 1. C. de maleſic.* -- Alterum eſt *Veneficium Magicum*, quo arte magica, vel ope dæmonis homo intoxicatur, corrumpitur, & occiditur. Et hoc graviſſimam malitiam ſpecie diſtinctam induit, nempè ſuperſtitionis, & commercii cum dæmone contra Religionis Virtutem, & contra primum præceptum Decalogi.

48 Et tamdem datur alia ſpecies homicidii, quod eſt *Procuratio abortus fœtus animati*: quodque ſpectat, quoad malitiam ſpecialem, aliquo modo ad *Proditorium homicidium*, & quandoque ſpecialiter ad *Parricidium*, cùm fit ab ipſis Parentibus, vel a Matre: de quo horrendo abortu, heu nimis! practico homicidio, quo Anima, & corpus Innocentis pereunt, inſtituam integrum ſequentem Tractatum.

49 Homicidium ergo, [ut patet, qualificatur ſpecificè modis prædictis tamquam à circumſtantiis ſpeciem moralem mutantibus, & neceſſariò in Confeſſione explicandis. Qualificatur denique, vel potiùs diverſificatur Homicidium per alias circumſtantias notabiliter aggravantes, vel diminuentes malitiam ejus, præſertim ex parte voluntatis. Unde aliud eſt homicidium ex ſubitanea rixa, aliud eſt homicidium ex propoſito, & præmeditato tempore. Primum quidem minuit, ſecundùm verò auget malitiam. Quapropter in quibuſdam locis reſervatur homicidium voluntarium præmeditatum; non autem in rixa perpetratum.

Quæro XVIII. *Quomodo intelligitur Caſus reſervatus expreſſus his verbis*: Homicidium voluntarium?

℞. Cum *Jacobo Graſſio de Caſibus re-* 50
ſervatis, lib. 1. capit. 14. quòd ſic regulariter intelligitur: nempè de homicidio præcognito, & intento, vel per induſtriam commiſſo, vel ex propoſito, deliberata, & plena voluntate facto: vel etiam in cauſa propinqua, & ordinata ex ſe ad mortem alterius: Ut V. G. in veneno mortifero, vel alio ſimili modo, vel medio. -- Apponitur ly *Voluntarium*: etiam ad excludendum illud homicidium, quod fit calore iracundiæ ſubitaneæ, vel quod fit ad neceſſariam ſui defenſionem, etiamſi modus excederetur in defenſione: nam talis defenſio, licèt ſit culpabilis, non eſt tamen doloſa: quare huic non debetur pœna illa ordinaria, quæ debetur voluntariè occidenti; nec per hanc defenſionem exceſſivam *irregularitas* incurritur, quæ deſcendit ex homicidio voluntario. *Item* excluditur homicidium Caſuale, ſive occidens det operam rei licitæ, vel illicitæ; quia non eſt per ſe intentum, ideſt ſimpliciter volitum.

Quæro XIX. *An in dicto Caſu ſic reſervato includantur Mandantes?*

℞. Cùm citato Graſſio, quòd ſic: 51
dummodò fuerit ſecutus effectus homicidii. Ratio eſt: quia Mandans fieri efficaciter homicidium, dicitur verè homicida, & ut talis habetur *in capit. mulieres, extra, de ſent. Excomm.* nam is verè committit, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. *Gloſ. in capit. ſicut dignum. V. de homic.* Ubi homicidium voluntarium dicitur quatuor

modis

modis fieri, nempè *facto: præcepto, conſilio & exhortatione efficaci:* & maximè ſi mandaretur perſonæ, quæ prompta eſt obedire; quia licèt mandati turpis nulla ſit obligatio, etiam poſt ſuſceptum mandatum; ſi tamen obedit, comprehenditur mandans, & tenetur de homicidio. Tum quia: Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum: *Reg. 72. Juram. in 6.* Ex quibus omnibus conſtat, quòd ſub his verbis, *Homicidium voluntarium*, cùm verba Caſus reſervati ſcripta ſint in rem, nempè in homicidium, comprehenditur, & intelligitur non ſolùm is, qui manibus ſuis ex propoſito aliquem occiderit, & ſtudioſè, ac malitioſè hominem necaverit quocumque medio, aut modo, verùm etiam ſi mandaverit, & ſecutus fuerit effectus.

Quæro XX. *Ad quid tenetur homicida, ſecuto jam homicidio?*

52 ℞. *I.* Omnis homicida, patrato homicidio voluntario, & injuſto, tenetur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem pro omni damno temporali hæredibus proximi occiſi illato, ſecundùm moralem ejus poſſibilitatem, & æſtimationem prudentis, & pii viri. Ratio hujus communiſſimæ Reſolutionis petenda eſt à Jure naturæ, & Juſtitiæ de compenſando damno injuſtè illato.

℞. *II.* Si plures concurrerunt ad tale homicidium, omnes tenentur ad hanc reſtitutionem ſaltem pro rata, & parte: & in defectum principalis homicidæ, tenentur ad totum omnes reliqui: & in defectum alterius iſtorum, obligantur cæteri; quia omnes, & ſinguli fuerunt cauſa efficax, ſive phyſica, ſive moralis illius damni.

Quæro XXI. *Quibusnam hæredibus ſignanter facienda eſt illa reſtitutio, vel damni compenſatio?*

53 ℞. Hæredibus damnum paſſis, nempè Parentibus, Uxori, Filiis, & aliis perſonis, quibus occiſus, antequam occideretur, alimenta de Jure præſtabat. Quia iſti, ut ſuppono, paſſi ſunt damnum ex injuſta occiſione Tertii. Unde tantùm tenetur reſtituere homicida hæredibus occiſi, quantùm neceſſarium eſt ad eorum honeſtam ſuſtentationem, juxta proportionem, qua iidem emolumentum habuiſſent ab occiſo, ſi occiſus injuſtè non fuiſſet, ſecundùm moralem æſtimationem (detractis detrahendis) judicio prudentis, & boni viri faciendam.

54 Quòd ſi occiſus nullos haberet hæredes, quibus ex juſtitia teneretur alimenta ſubminiſtrare; vel ſi hæredes ejus nullam notabilem paterentur neceſſitatem ex ejus morte, tunc ad ullam non teneretur compenſationem homicida ante Judicis ſententiam; quia eo caſu nihil ipſis debebatur ex juſtitia ab occiſo; ergo neque ab occiſore, ejus vicem ſupplente, debetur.

Quæro XXII. *Injuſtus homicida teneturne ex juſtitia ad aliquid compenſandum ANIMÆ occiſi hominis pro damno naturali, & perſonali, ſeu pro vita eidem erepta?* 55

℞. *I.* Plures DD. magni nominis, & probatæ auctoritatis tenent partem affirmativam, quam ſic probant: Quando non poteſt reddi omninò æquivalens, reddi debet quod poſſibile eſt: quia, juxta communem ſententiam, Impoſſibilitas excuſans à Tanto non excuſat à Toto, niſi Totum ſit impoſſibile: ergo, licèt occiſo pro vita ſua non poſſit reddi omninò æquivalens (cùm vita hominis ſit prætio inæſtimabilis) poteſt tamen, & debet reddi ANIMÆ illius aliquid ſpirituale æquivalens aliquo modo vitæ, quam occiſor abſtulit: quia hoc eſt valdè utile, & gratum tali ANIMÆ, puta Suffragia, Sacrificia, preces, eleemoſynæ, jejunia, peregrinationes, & ſimilia; nam tunc fit compenſatio aliqua poſſibilis pro tali damno perſonali, ut patet; ergo ad hanc obligatur homicida.

Dices. Non conſtat homicidæ, talia ſuffragia prodeſſe defuncto occiſo; poteſt enim Anima ejus eſſe damnata in inferno: ergo non obligatur ad hanc compenſationem dubiam. *Reſp.* Etiam non conſtat, non prodeſſe; imò certum eſt, ea ſuffragia eſſe aliquo modò compentativa ex parte debitoris, ſeu interfectoris; ſic enim ſatisfacit, eo modo, quo poteſt, obligationi ſuæ; atqui in dubio tali melior eſſe debet conditio Innocentis injuriam paſſi: & piè præſumi oportet, Chriſtianum occiſum in ſtatu gratiæ obiiſſe, adeòque vel adhuc purgando in Purgatorio prodeſſe ſuffragia, vel jam Beato in Cœlo grata eſſe, ſuaque cauſa aliis in Purgatorio exiſtentibus applicari. Ita ſentiunt D. Thomas *2. 2. q. 62. art. 2. ad primum arg.* — Scotus *in 4. ſent. diſt. 15. qu. 3. §. de ſecundo.* — Silveſter, Molina, Azorius, & alii apud Sporerium *tom. 2 tr. 5. c. 3. ſect. 6. §. 2.* — Anacletus Reiffenſtuel *in Moral. Theol. tr. 9. diſt. 3. q. 4.* & alii. 56

℞. *II.*

57 ℞. *II.* Alii autem Doctores mox citandi defendunt partem negativam, quam ſic probant: Virtus juſtitiæ commutativæ (quæ ſola reſtitutionem, vel compenſationem præcipit) eſſentialiter reſpicit æqualitatem inter jus, & jus, datum, & acceptum: ergo ubi æqualitas inter aliqua jura eſſe nequit, ceſſat tota ratio, & obligatio juſtitiæ commutativæ, & reſtitutionis, & compenſationis. Unde cùm ſola bona ejuſdem generis, & ordinis ſecundùm æqualitatem inter ſe commenſurari poſſint, nemo tenebitur compenſare damnum, in uno genere, & ordine bonorum illatum, per bona diverſi generis, & ordinis; ſi in eodem genere, & ordine, in quo illatum eſt damnum compenſare nequit. Sed ſic eſt, quòd damnum naturale, & perſonale vitæ hominis occiſi (idem dic de membro abſciſſo: vel mutilato) non poteſt commenſurari, vel compenſari per bonum ejuſdem generis, & ordinis, niſi à ſolo Deo, qui vivificat mortuos: ergo pro ipſo damno naturali, & perſonali vitæ ereptæ nullam tenetur homicida reſtitutionem facere ex Juſtitia in bonis alterius generis, & ordinis, ſive inferioris, (ut ſunt bona omnia temporalia) ſive ſuperioris ordinis, ut ſunt ſuffragia ſpiritualia pro Anima illius occiſi.

Ita ſentiunt Martinus Navarrus *in Manuale, cap. 15. num. 22.* Petrus Navarra, Leſſius, Vaſquez, Layman, Card. de Lugo, & alii apud Sporerium cit.

58 Fatentur tamen, & conſulunt omnes DD. utriuſque opinionis: quòd ſicut Judex in foro externo juſtè imponit mulctam pecuniariam homicidæ, ſi vita donetur, applicandam offenſo, vel ejus hæredibus; ita *Confeſſarius* in foro interno debeat imponere pœnitenti homicidæ opera ſpiritualia prædicta Animæ occiſi applicanda in aliqualem compenſationem, ſive deinde ex Juſtitia teneatur, ſive ſolùm ex Charitate, ſive ex naturali æquitate, ſive tamdem ex conſilio, ad aliquam compenſationem faciendam.

Quæro XXIII. *Ad quid tenetur vulnerans, aut mutilans alterum hominem?*

59 ℞. Cum communi, quòd obligatur ex juſtitia, & in foro conſcientiæ ante omnem ſententiam Judicis, dummodò injuſtè vulneraverit, vel mutilaverit illum hominem, obligatur, inquam, ad omnes expenſas rationabiliter factas, & faciendas pro cura illius in medicos, & chirurgos, in medicinas, & cætera. *Item* tenetur ad compenſanda omnia lucra ceſſantia, & damna emergentia realia, illata per accidens, vel indirectè tali perſonæ, ejuſque familiæ, ſecundùm moralem æſtimationem peritorum. Ratio eſt evidens: quia horum omnium damnorum cauſa injuſta, & efficax fuit ille vulnerator, vel mutilator: ergo &c.

Hæc omnia damna reſtituenda, aut compenſanda ſunt aut ipſi homini læſo viventi, aut (eo mortuo) cuivis ejus hæredi neceſſario, ſive non neceſſario, ſive domeſtico, ſive extraneo, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato. *Omnes*. Quia hæres ſuccedit in omnia jura defuncti; at ſi compenſatio prædicta de jure debebatur ipſi homini vulnerato, dum adhuc vivebat, & modò deberetur, ſi ſuperviveret: ergo adhuc debetur cuivis ejus legitimo hæredi. 60

Sed quid ſi nulli ſint hæredes? ℞. Tunc injuſtus vulnerator, vel homicida debebit pro illis damnis reſtituere pauperibus. vel ad pias cauſas. Ita enim ſtatuit Alex. Papa *in cap. cum tu. de uſuris*; quòd communiſſima DD. ſententia extendit ad quodvis debitum reſtitutionis ex delicto: quia in ſimilibus debitis ex debito cenſetur defunctus Chriſtianus velle, ea bona in uſus pios ad animæ ſuæ favorem diſtribui, & non cedere in commodum delinquentis, qui non debet capere fructum ex ſuo delicto, ſed pœnam, & onus reſarciendi illata damna. 61

Petes. Quid dicendum de læſione, dolore, & triſtitia reſultante ex vulnere, aut mutilatione? Teneturne vulnerator, aut mutilator pro his malis ad aliquam compenſationem? 62

℞. Ex dictis facilè potes exhaurire reſolutionem hujus quæſiti, formando argumentum à majori ad minus. Si enim tenes opinionem ſecundam ſuperiùs n. 57. declaratam, poteris ſic reſpondere: ℞. Quòd non. Ratio eſt: quia qui occidit hominem, non tenetur ex juſtitia ad aliquam compenſationem pro damno perſonali, & naturali vitæ illius occiſi: quia tale damnum non poteſt commenſurari, compenſari, & reſarciri niſi à Deo ſolo; ergo qui vulneravit, vel mutilavit hominem, multò minùs obligatur ex juſtitia ad ullam reſtitutionem pro læſione corporis, dolore, & triſtitia animi &c. Confirmatur. Lex Civilis, *l. ult. ff. de his, qui* deje-

Digitized by Google

dejecerunt, ſic habet: Cùm liberum hominis corpus læſum fuerit, Judex computet mercedes Medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operas, quibus caruit, & cariturus eſt ob id, quod inutilis factus eſt; cicatricum autem, & deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum hominis corpus nullam recipit æſtimationem. *Hæc ibi*.

63 Si verò ſequeris primam opinionem relatam nu. 55. Reſponde, quòd ſic. Quia quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri compenſatio per aliud, quod eſt poſſibile; nam qui non poteſt in totum, tenetur ad partem poſſibilem ſibi: ſed vulnerator, aut mutilator non valet reſtituere integritatem corporis, nec auferre dolorem vulnerum, nec triſtitiam animi illius à ſe injuſtè percuſſi, & damnificati; ergo tenebitur ſaltem compenſare hoc damnum muneribus, pecunia, & ſimilibus. Unde Leſſius *lib. 2. de juſt. & jure ca. 9. d. 11.* non obſtante, quòd priorem ſententiam, nempè negativam, amplexus ſit, tamen, non dubitat fateri, quòd pro damno naturali vitæ, corporis &c. & pro injuria debeatur ſatisfactio quædam exprimenda ab offenſore ſignis externis doloris, & petitione veniæ, imò interdum, ſaltem ex Charitate, & naturali æquitate, adeſt (inquit) obligatio ad aliquam pecuniariam ſatisfactionem, præſertim ſi vulneratus, vel ejus hæredes ſint pauperes.

64 Ad allegatum autem textum Juris Civilis poteris reſpondere, quòd præcipuè loquitur de Foro externo, in quo negatur actio, vel ſatisfactio pro cicatricibus relictis, & deformitate corporis: ideò non videtur ad propoſitum noſtrum: quia nos loquimur de dolore, triſtitia, & læſione ſenſitiva corporis, & animi. Tum quia de his, quæ ſpectant ad forum conſcientiæ ante Judicis ſententiam, Jus Civile minùs fuit ſolicitum, ſi cæteroquin provideatur pacificæ gubernationi Reipublicæ. Vide Anacletum cit. Tum quia ubi eſt culpa, ibi eſſe debet & pœna ſed vulnerator eſt in culpa doloris, & triſtitiæ illius vulnerati, qui per multos dies graviſſimè patitur; ergo aliqua pœna, & ſatisfactio de jure incumbit vulneratori in favorem patientis.

Quæro XXIV. *An à prædictis reſtitutionibus eximatur homicida aut vulnerator, ſi ipſe plectatur pœna capitis, vel triremis, aut carceris, aut ſimili graviſſima caſtigatione?*

65 ℞. Cum doctiſſimo, & conſcientioſo Navarro *in man. cap. 15. num. 25.* Quando pars læſa vellet, ut delinquens homicida, aut vulneratot per illam pœnam corporalem, non ſolùm Reipublicæ offenſæ, ſed etiam ſibi ſatisfaceret: tunc eximeretur à reſtitutionibus. Si autem pars læſa hoc expreſsè non intenderet, tunc non ideò eximitur à perſonali, & reali obligatione ex mera pœna ſibi inflicta à Republica. Quia lex naturalis, & Divina obligat eum ad reſtituendum damnum parti læſæ, antequam à Judice capiatur, & puniatur; quæ quidem punitio eſt compenſatio injuriæ Reipublicæ illatæ, & in vindictam publicam irrogatur, quæ non liberat à debito, quo parti tenetur. Ut V. G. qui duobus diverſis debet ſolvere, non liberatur, ſolvendo uni quod ei debet, à debito alterius, cui etiam debet: ergo qui publicam pœnam paſſus eſt, non per hoc liberatur à ſatisfactione damni privati, quod compenſare debet parti læſæ; dummodò habeat in bonis, unde privato damno ſatisfaciat.

Quæro XXV. *Quinam eſt modus examinandi pœnitentem homicidam, vel etiam vulneratorem ad mortem?*

66 ℞. Pœnitens ignarus ſimpliciter confitens, ſe hominem vulneraſſe ad mortem; vel occidiſſe quempiam: nec aliter ſe explicans, accuratè à Confeſſario examinandus, eſt hoc modo, videlicet:

I. Quis es tu? An ſæcularis, an Clericus, an in Sacris conſtitutus, an filius familias, an Pater? Et hæc interrogatio debet fieri ad habendam certam notitiam *de Perſona occidente*. Quia variata perſona, variatur circumſtantia notabilis, quæ aliquando mutat ſpeciem: aliquando aggravat & quandoque minuit malitiam peccati.

II. Quemnam hominem occidiſti? An Parentem, vel Conſanguineum, an Clericum, vel Sacerdotem, an liberum, vel matrimonio ligatum? Et hoc ad habendam cognitionem *de Perſona occiſa*; nam ex hac parte contingit circumſtantia quandoque mutans ſpeciem.

III. Quomodo occidiſti? An calore iracundiæ in ſubitanea rixa, an ex propoſito, & præmeditato tempore, an proditoriè ex inſidiis? Quia ratione modi qualificatur aliquando homicidium.

IV. Qua-

IV. Quare occidiſti? An ad vindictam privatam ſumendam, an ad tui juſtam defenſionem, an conductus pretio ad modum ſiccarii, vel Aſſaſſini, an ad prædandum? Ex fine enim, motivo, & intentione variatur circumſtantia.

V. Quibus auxiliis occidiſti? An ſolus, cum ſociis, quot ſociis, & qualibus? Ex hoc enim capite variari poteſt caſus ratione ſcandali, & inductionis ad tale peccatum, &c.

VI. Ubinam occidiſti? An in loco profano, an in loco ſacro, an in platea, aut mercato inter multitudinem virorum? Nam ex his poteſt qualificari, & variari homicidium, ratione loci ſacri, & periculi alios occidendi &c.

VII. Quandonam occidiſti? An poſt multum temporis, ex quo contraxiſti inimicitiam? Nam tunc multiplicantur numero peccata odii, & mali illius deſiderii per propoſitum occidendi ſæpiùs motaliter interruptum, per variarum machinationum modos. Item poteſt variari Caſus ratione ſcandali dati ſignis externis talis inimicitiæ.

67 Qui modus interrogandi pœnitentem neceſſarius eſt Confeſſario ad exhauriendas omnes circumſtantias ſpeciem mutantes non ſolùm in peccato homicidii, ſed & in aliis peccatis, quando pœnitentes ex ſe neſciunt, vel oblivifcuntur eas circumſtantias explicare; nam, ut ſuo loco videbimus, Confeſſarius doctus, & diſcretus debet ſupplere defectus ſaltim eſſentiales ſuorum pœnitentium ad integritatem Confeſſionis habendam, & ad congruam pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem injungendam.

Quæro XXVI. *Quænam pœnitentia eſt injungenda homicidæ in foro pœnitentiali?*

℞. Circa hanc materiam non poteſt aſſignari Regula aliqua generalis, quæ non patiatur in actu practico aliquam exceptionem. Ideò te remitto ad Tamburinum *in Decal. lib. 6. c. 3. §. 2. & 3.* Et in ejus Methodo Confeſſ. *lib. 4. ca. 3. & 4.* – Ad Sporerium *tom. 2. tr. 5. c. 3. ſect. 2. §. 3. n. 60.* – Ad Graffium *lib. 1. de Arbitrariis Confeſſariorum, cap. 25. & lib. 1 de reſerv. Caſuum, cap. 14. num. 68.* – Ad Rotarium Barnabitam, *in Apparatu interrogationum, cap. 9. ſect. 9. §. 3. nu. 6.* Ad Paulum Segnerum *in Confeſſ. inſtructo, cap. 11. in fine*. Et ad alios DD. Non enim poſſum omnia tranſcribere, aliàs non moderatum librum, ſed plures exſcriberem Tomos. – Hoc tamen non eſt omittendum, quod *Omnes docent*, Confeſſarium, videlicet, debere pœnitenti inſinuare obligationem naturalem reſarciendi damna illata familiæ, & hæredibus occiſi, & orandi pro Anima illius: à qua obligatione non niſi impoſſibilitas vera homicidam abſolvit. Quod, ſervata proportione, intimandum etiam erit vulneratori, percuſſori, & mutilatori, ejuſque complicibus, & in crimine ſociis. 68

TRACTATUS XXVI.

DE ABORTU INANIMATO & Animato.

Quæro I. *Quid eſt Abortus, ſive Aborſus?*

1 *Reſpondeo*: Abortus dicitur fœtus intempeſtivè ortus, vel expulſus ab utero Matris. Vel, eſt ejectio fœtus immaturi, ſive jam animati, ſive inanimis. Abortus inanimis, ſeu inanimatus eſt quando embryo, ſeu fœtus nondum organizatus, nec Anima rationali informatus expellitur. – Abortus verò animatus eſt quando fœtus jam perfectè organizatus, & Anima rationali informatus, ſeu (quod idem eſt) quando infans vivus ejicitur ante tempus debitum per vim, & dolum.

Quæro II. *Quandonam fœtus animatur?*

℞. Ordinariè, poſt conceptionem materialem, ſeu poſt coitum, fœcundum, fœtus animatur intra quadraginta dies, ſi eſt maſculus: & intra octoginta, ſi fœmina eſt. Dixi, *Ordinariè*: quia aliquando ob calidiorem, vel frigidiorem Matris natu- 2

naturam fœtus citiùs, vel tardiùs animari ſolet. Dixi, *Poſt conceptionem materialem*; quia Conceptio formalis eſt ipſum inſtans Animationis, quando nempè Anima à Deo immediatè creatur, & corporis perfectè organizato infunditur, quo inſtanti fœtus fit Homò. Conceptio autem materialis eſt primum inſtans, quo mulier ex ſuſcepto virili ſemine fit gravida.

Quæro III. *In dubio, an fœtus expulſus, fuerit maſculus, vel fœmina, animatus, aut inanimatus quomodo eſt judicandus?*

3 ℞. Præſumi debet, & judicari maſculus ideòque, ſi procuretur abortus poſt quadrageſimum diem, cenſeri debet animatus, & conſequenter procurans talem abortum ut homicida habendus eſt. Ita obſervare Sacram Pœnitentiariam Romanam, teſtantur multi DD. Et in foro conſcientiæ ſic judicandum eſt in praxi.

Quæro IV. *Quot modis procurari ſolet abortus?*

4 ℞. I. Tribus modis. I. Impediendo, ne fœtus concipiatur formaliter: procurando nimirùm, ut fœmina poſt concubitum fiat ſterilis. II. Ut fœtus jam conceptus, ſed nondum animatus ejiciatur. III. Ut fœtus jam animatus expellatur, vel occidatur in utero. *Procurare* igitur *abortum*, eſt ſtudiosè, & malitiosè quærere, & applicare media ad id neceſſaria, ut impediatur naturalis progreſſus, & ortus concepti embryonis, vel fœtus.

5 ℞. II. Item duobus modis fieri poteſt procuratio abortus. *Primò, directè & per ſe*: applicando nempè medium, vel medicamentum efficax, & ordinatum ad expellendum, vel occidendum fœtum. *Secundò, indirectè tantùm, & per accidens*: utpotè applicando pharmacum, vel medicinam ordinatam ad conferendam ſanitatem mulieri gravidæ: etſi poſtea, præter intentionem ſimul fœtum expellat, vel fœtui mortem inferat.

6 ℞. III. Item abortus (ſicut & quodvis homicidium) poteſt cauſari, aut phyſicè, & immediatè, aut moraliter, & mediatè, nempe juſſione, conſilio, conſenſu &c. Item, aut voluntariè, aut ſolùm caſualiter. Deinde, aut certè, aut dubiè. De quibus omnibus ordinatè diſcurrendum erit.

Quæro V. *Quale peccatum eſt, procurare directè abortum fœtus inanimati?*

7 ℞. Eſt homicidium privativum, utpotè impeditio vitæ hominis in materia, in qua, ſecundùm ordinarium naturæ curſum, proximè ineſſe deberet vita unius hominis; nam, ut inquit Tertullianus in Apologetico cap. 9. eſt homicidii feſtinatio, prohibere naſci: nec refert, natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem. Homo eſt, qui futurus; nam fructus in ſemine eſt. Tum quia, tali peccato contra naturam generationis decernitur pœna homicidii à jure communi, *ca. ſi aliquis, de homic.* ubi leguntur hæc verba: Si aliquis cauſa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, vel concipere, vel naſci ſoboles: ut homicida teneatur.

Quæro VI. *Poteſtne in aliquo caſu eſſe licitum, directè procurare abortum inanimatum?*

℞. Negativè. Ratio fundamentalis eſt: 8
quia, quod eſt intrinſecè malum, nullo umquam bono fine poteſt cohoneſtari, nullo caſu, nullaque cauſa excuſari, ac licitè permitti; ſed procurare directè abortum, quantumvis inanimatum eſt intrinſecè malum, & mortaliter ſemper illicitum: *Probo minorem*. Nullo umquam caſu, etiam ad conſervandam vitam hominis extremè periclitantis, licitum eſt, directè procurare voluntariam pollutionem, nempè effuſionem ſeminis; quia (ut omnes concedunt) hoc eſt contra finem naturalem ſeminis humani à natura per ſe intentum, ſcilicet generationem prolis: tum quia, ſemel admiſſa licentia in uno caſu, facilè impediretur uſus copulæ conjugalis, & periculoſum aperiretur oſtium incontinentiæ, & mollitiei, contentis jam hominibus illa voluptate, & exoneratione naturæ corruptæ... Sed ſic eſt, quòd procurare abortum fœtus inanimati multò magis eſt contra finem naturalem generationis: & ſemel data licentia in uno caſu, magna pateret porta fornicationibus, & adulteriis; ergo à fortiori numquam erit licita procuratio abortus inanimati, etiam ad vitam Matris prægnantis, & periclitantis conſervandam.

Dices. Licitum eſt repellere injuſtum 9
aggreſſorem vitæ noſtræ; ſed in caſu, quo mulier gravida periclitatur ex fœtu inanimato, talis fœtus eſt quodammodò injuſtus aggreſſor invadens Matrem. ℞. Si hoc argumentum valeret, ſequeretur, eſſe quoque licitum procurare directè pollutionem;

Digitized by Google

nem; quia quandoque ſemen abundans violentiùs aggreditur vitam hominis (uxorem non habentis) morbis, & motibus acutiſſimis cum periculo ſanitatis, & vitæ, quàm fœtus inanimatus aggrediatur Matrem. Ergo cur ſimiliter eo caſu non licebit repellere ſemen inimicum? Quinimò, cur non etiam licebit Matri in ſuo caſu repellere inimicum fœtum animatum cùm innocens non minùs poſſit ſe defendere ab aggreſſore animato, quàm inanimato?

10. Loquimur hic de fœtu inanimato remanente in ſua debita conſtitutione naturali, & adhuc capaci animationis. Nam ſi fœtus eſſet corruptus, & putridus, nemo negabit, licitè poſſe expelli etiam directè ob conſervandam mulieris vitam; tunc enim non eſſet fœtus, ſed maſſa maligna: & conſequenter non fieret abortus expellendo.

11 *Objicies*. Omninò licet ad conſervandum totum corpus amputare partem, vel membrum ejus. Fœtus autem inanimus videtur pars Matris; ergo ad ſalvandam vitam Matris periclitantis licebit procurare abortum. ℞. Nego minorem; Fœtus enim propriè non eſt pars corporis Materni, neque eſt propter Matrem; ſed alium habet finem per ſe intentum à natura: & inchoativè in fieri fœtus eſt condiſtinctum individuum humanum. -- Tum quia magis propriè ſemen eſt pars hominis; nam eſt pars ſanguinis; & aliqua ratione eſt propter hominem; & tamen numquam licet voluntariè, & indirectè ipſum effundere, & expellere pro vita ipſius hominis ſervanda. Ergo multò minùs licebit projicere abortum.

12 *Inſtabis*. Ex duobus malis inevitabilibus, minus malum licet eligere; ſed in caſu noſtro videtur minus malum ejectio fœtus nondum animati, quàm mors Matris periclitantis; ergo. ℞. Nego minorem, nam mors matris naturali curſu ſequetur ex tali infirmitate; mors verò fœtus, vel ejus violenta emiſſio erit contra naturalem curſum. *Replicabis*. Si Mater moriatur, moritur etiam fœtus; ergo melius eſt ſervare vitam Matris. ℞. Nego conſequentiam; nam in tali caſu mors utriuſque eſt naturalis. -- Tum quia ſi argumentum prædictum valeret in materia de abortu, valeret etiam in caſu de pollutione procuranda ad ſalvandam vitam hominis; ſed non valet in hoc caſu; ergo neque in illo.

13 *Petes*. Quare hæc materia tam ſtrictè defenditur? ℞. Ob rationem fundamentalem intrinſecè, & omnimodæ inexcuſabilis malitiæ, quæ in procuratione directa pollutionis, & abortus etiam inanimi radicatur, ſicut in aliis materiis, V.G. mendacio formali; violatione Sigilli Sacramentalis. Non à damno actuali, quod afferunt *ſemel ſacta*; ſed à damno habituali, quod afferent *ſemel licita*. Si enim homines ſcirent, in aliquo caſu licere procurare abortum, & pollutionem, ſtatim ſpeculatione vitioſa fingerent ſibi alios caſus ſimilis licentiæ, cum graviſſimo morum, naturæ, & Reipublicæ detrimento. Unde melius eſt, ut ſequatur mors qualiſcumque hominis, vel mulieris, quàm permittere illud malum morale, in damnum univerſale.

14 *Dices*. Mihi videtur notabile diſcrimen inter abortus, & pollutionis procurationem; Nam modus procurandi pollutionem eſt facilis, obvius, & delectabilis; modus verò efficiendi abortum eſt difficilis, aſper, & periculoſus. Ergo ex hoc ſaltem capite non currit paritas. ℞. Experientia nimis probat, adeſſe media facillima ad diſturbandum conceptum, vel fœtum; ergo &c. Præterea modus iſte rei malæ non variat rem malam. Et tandem nulla puella ex delicto gravida (metuens infamiam potiùs, quàm Deum) abſterreretur, nec ſe abſtineret à perpetrando hujuſmodi flagitio, etiamſi media aſperrima neceſſaria forent, &c.

15 Quapropter jure merito damnatæ ſunt hæ propoſitiones ab Innocentio Papa XI. n 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur?*

N. 35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere Anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur: & conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidum committi*. -- Et hæc propoſitio manifeſtè eſt contraria Sacræ Scripturæ; Nam habemus, quòd *Jeremia Propheta* ſanctificatus eſt adhuc in utero Matris ſuæ. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Jerem. cap. 1 Et de *Joanne Baptiſta* legitur: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Luc. cap. 1. Ejuſdemque Præcurſoris mater S. Eliſabeth teſtata eſt: *Exultavit in gaudio*

in-

infans in utero meo, Lucæ capit. 1. – Et *Rebecca* mater Eſau, & Jacob ſenſit eos in utero luctantes: *Dedit Dominus conceptum Rebeccæ; ſed collidebantur in utero ejus parvuli*. Geneſi capit. 25. Sed tales actus humani, ac præſertim Sanctificatio Animæ, non poſſunt convenire, nec attribui corpori inanimato: ergo &c.

Quæro VII. *Eritne licitum indirectè, & per accidens cauſare abortum fœtus inanimati ad ſervandam vitam honeſtæ matris periclitantis ex morbo?*

16 ℞. Affirmativè ex communi DD. conſenſu. Nam in prædictis reſolutionibus ſemper fuit, & eſſe debuit ſermo de procuratione abortus inanimi, & pollutionis *per ſe, & directè* intenta, facta ſcilicet per media ordinata, & directa ad hunc finem, nempè ad deſtruendum, diſturbandum, vel ejiciendum fœtum, vel ſemen &c. Ob cauſam verò rationabilem, proportionatam, & graviſſimam, ſaltem hanc, ad ſalvandam vitam honeſtæ Matris in præſenti vitæ diſcrimine ex aliquo morbo conſtitutæ, licitum erit, fœtus nondum certò, nec probabiliter animati abortum, *indirectè tantum, & per accidens* ſeu præter intentionem cauſare, vel potiùs permittere: adhibendo nimirùm medicinas ordinarias, & ſolitas ad talem morbum curandum, & ad priſtinam Matris ſanitatem cauſandam, & recuperandam. Ratio eſt: quia honeſta Mater prægnans eo caſu utitur jure ſuo naturali procurandi ſibi ſanitatem per viam ordinariam medicamentorum; ergo ſi inde poſtea ſequatur abortus, cenſetur ſolùm permiſſus, & nullo modo intentus. Sicut à ſimili licitum erit ſumere cibum calidum, vel medicamen directum ad ſanitatem conſervandam, vel recuperandam, licèt conſequenter, & præter intentionem prævideatur ſecutura pollutio, vel ſeminis expulſio, quæ nec intenditur, nec ad ſanitatem conducit. Eadem enim, quoad hoc, eſt ratio utriuſque caſus.

17 *At benè adverte*, hunc abortum nec indirectè quidem cauſari poſſe à Matre inhoneſta, quæ ſcilicèt ex illegitimo concubitu gravida effecta eſt, ob periculum futuræ, vel imminentis tantùm mortis, vel infamiæ. Hoc patet eſſe quid valdè diverſum à propoſito noſtro; imò contrarium aſſerere, nempè licere tunc Matri, vel mulieri gravidæ procurare directè, vel indirectè abortum ob ſolum timorem mortis, vel infamiæ, eſt jam damnatum à Romano Pontifice; ut vidimus. Et quodnam remedium tunc adhiberi poterit, quod non ſit directum ad evitandam in futurum infamiam, vel mortem puellæ inferendam à Juſtitia publica, vel à Parentibus? Quomodo excogitari poteſt remedium efficax ad intentum puellæ gravidæ, quòd ſolùm per accidens, & præter intentionem cauſet abortum? Non eſt moraliter poſſibile: quia nulla infirmitas, nullus morbus accidere poteſt tali mulieri ex delicto gravidæ, quem libentiſſimè non toleraret, ad vitandum opprobrium illud imminens ex partu ſuo infami, & dato, quòd infirmaretur, omnem medicinam excogitaret non tantùm ad recuperandam ſalutem, quantùm ad cauſandam abortionem, ut experientia docet; ergo in praxi videtur impoſſibile, poſſe dari in hoc caſu abortum indirectè, per accidens, & præter ullam intentionem cauſatum, & procuratum à tali fœmina gravida; niſi caſu fortuito abortiendi, qui rariſſimè accidit hiſce mulieribus: quæ utique interrogandæ ſunt à prudenti *Confeſſario*: An procuraverint abortionem? & an eam deſideraverint? &c.

Quæro VIII. *Quale peccatum eſt directè procurare abortum animati fœtus?*

℞. Eſt peccatum graviſſimum homicidii veri, &, ſi à Parentibus fiat, parricidii; & quidem omnium homicidiorum crudeliſſimum: quia occiditur innocens infans, cujus Anima certiſſimè damnatur pœna damni æterna. Unde certum eſt apud omnes Catholicos DD. id nullo unquam caſu, nullave cauſa poſſe licere, ſive conſtet jam animatum eſſe fœtum, ſive dubitetur, an de facto animatus ſit: ſive deinde intendatur abortus propter ſe, ut finis ultimatus, ſive ſolùm intendatur, ut medium ordinatum ad alium finem, V. G. ad conſervandam vitam matris, ad vitandam multitudinem filiorum, ad fugiendum dolorem partus maturi, &c. dummodò media adhibita per ſe tendant, vel ordinentur ad cauſandam abortionem, neque aliter conducant ad vitam Matris conſervandam; niſi quatenus cauſant abortum talis fœtus. Ratio clara eſt: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; atqui directè occidere innocentem hominem eſt intrinſecè malum, nulloque fine cohoneſtari poteſt: fœtus autem animatus verus homo, & innocentiſſimus eſt; 18

Digitized by Google

eſt; ergo &c. Tum quia, ſi numquam licet, inanimatum fœtum directè diſturbare à naturali ſua ſede, & poſſeſſione vitæ *in fieri*, ut probatum eſt ſuperiùs; ergo à fortiori numquam licebit directè diſturbare animarum fœtum, qui *in facto eſſe* poſſidet vitam humanam, ſolùmque expectat perfectionem ortus ſui naturalis, & regenerationis ſupernaturalis.

19 Quapropter ſub *homicidio voluntario* includitur abortus animati fœtus directè cauſatus, juxta, text. *in l. ſi mulierem, ff. de ſicar.* nam talis homo, vel mulier cauſans talem abortum reverà homicida eſt, *ex cap. conſuluit, in fin. 2. qu. 5.* -- & juxta, text. *in leg. qua actione*, §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* Quare qui data opera, & ſtudioſè facit abortum poſt fœtum animatum, cùm ſit homicida, perimendo corpus hominis, puniendus eſt pœna mortis, ut eſt in text. *l. Cicero, ff. de pœnis*, & ut ſolidè probat Graſſius *de caſ. reſerv. lib. 1. de Homicidio, cap. 14. num. 36.* Vide infra num. 26. alias pœnas.

Quæro IX. *An aliquando liceat, indirectè, & per accidens cauſare abortum animati jam fœtus?*

20 ℞. In caſu tam delicato, difficili, & periculoſo placet, & juvat inſinuare, & fideliter ſcribere quid ſentiant Auctores magni nominis. In primis ergo Silveſter *in Summa p. 2. V. Medicus, §. 4. vel qu. particula 2.* ait: Dare medicinam prægnanti, ut abortiatur, & lateat peccatum, eſt mortale: ad præſervandam verò prægnantem, *ſecundùm* Jo: de Neap. *in quolib. 10.* diſtinguendum eſt. Nam ſi fœtus erat animatus anima rationali, eſt peccatum mortale: quia eſt cauſa mortis corporalis, & ſpiritualis, cujus non fuiſſet (non dando talem medicinam) Cauſa, inquam, directa, ut patet: nec indirecta (ideſt, nec poteſt eſſe cauſa indirecta abortus) eo modo, quo Nauta eſt cauſa ſubmerſionis navis, quam potuit, ac debuit gubernare; quia licèt iſte potuerit præſervare matrem à morte, dando medicinam, non tamen tenebatur dare: imò nec debuit, *arg. 14. q. 5. Denique*, uti dicit Ambr. quòd ſi alteri ſubveniri non poteſt, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvare .... Sed ſi dubium ſit, utrùm ſit animatus fœtus, necne? dando medicinam videtur peccare mortaliter, ſecundùm Arch. quia exponit ſe periculo peccati mortalis, ideſt homicidii. Hæc *Silveſter*. Ex quibus ſignanter conſideranda ſunt ad propoſitum noſtrum illa verba: *Cauſa nec indirecta, eo modo quo Nauta eſt cauſa ſubmerſionis navis &c.* Et illa: *Non tamen tenebatur dare: imò nec debuit dare*. Ex quibus colligimus, neque indirectè eſſe licitum procurare abortum animati fœtus, etiam ad præſervandam Matrem honeſtam à morte; quia minus malum eſt permittere mortem corporalem Matris, quàm corporalem, & ſimul Spiritualem filii innocentis.

21 *II.* Navarrus *in manuale Confeſſ. capit. 25. num. 62.* ait: Quartò peccat mortaliter, qui prægnanti præbet aliquid, quo abortiat: etiamſi præbeat, ut eam à morte ſervet, ſi credit, vel dubitat, fœtum eſſe animatum .... quia eſſet, vel eſt in culpa mortis alienæ corporalis, & ſpiritualis. -- *Et cap. 15. num. 14.* ait: Vigeſimò peccat mulier gravida, quæ procurat abortum, ſumendo pharmaca in eum finem confecta: vel nimio labore corpus defatigando, vel quocumque alio modo, etiamſi effectus non ſequatur; nam ut quis lethaliter delinquat, ſatis eſt, malum animum habere, vel culpam, quam latam appellant, admittere. Imò etiam ſi abſque propoſito abortiendi facit aliquid, quo tali periculo probabiliter ſe exponit, ut V. G. cum humeros ſupponit gravi oneri, vel immoderatis laboribus corpus vexat: &c. Hæc *Navarrus*: Ubi nota illa verba: *Etiamſi præbeat, ut eam à morte ſervet*: hoc autem eſt indirectè cauſare abortum. Item nota illud dictum: *quocumque alio modo*. Et ly *abſque propoſito abortiendi*.

22 *III.* Leſſius *de juſt. & jure lib. 2. cap. 9. diſp. 20.* Dico tertiò, (inquit ipſe) ſi proles jam ſit animata, non eſt licitum præbere Matri medicamentum directè curativum, cum notabili periculo prolis; ſi certum erat, vel valdè probabile, prolem ſine illo vivam edendam.... Ratio eſt: quia quilibet tenetur, præferre ſalutem æternam proximi ſuæ vitæ corporali, & hanc pro illa exponere: ergo ſi, Matre à medicamento abſtinente, proles ad Baptiſmum ſervari poteſt, alioquin ante Baptiſmum moritura, tenetur Mater abſtinere, quamvis cum certo vitæ diſcrimine id futurum eſſet. Addo tamen, ſi valdè probabile eſſet, non adhibito remedio, utrumque moriturum; eò verò adhibito, ſaltem Matrem poſſe ſervari; eo caſu licitè

poſſe hæc remedia adhiberi. Hæc Leſſius clariſſimus.

23 IV. Bonacina, *de reſtitutione, diſp.* 2. *quæſt. ultim, pun.* 7. *nu.* 3. ubi ait; ℞. II. Quando Mater periculosè laborat, & non ſupereſt aliud remedium, præter pharmacum ex ſua natura curativum illius morbi poteſt hujuſmodi medicamentum adhiberi cum intentione expellendi morbum, licèt mors fœtus nondum animati ſecutura ſit .... Dixi *fœtus nondum animati*; Nam quando fœtus eſt animatus, vel dubitatur, an ſit animatus, non licet in morbo periculoſo matris adhibere pharmacum ex ſua natura ſanativum illius morbi, etiamſi adhibeatur cum hac intentione expellendi morbum, & non fœtum. Ratio eſt: quia proles cenſetur eſſe tunc in extrema neceſſitate ſpirituali; ſalus autem ſpiritualis præferenda eſt propriæ corporali ....: Addo tamen (cum Leſſio, *lib.* 1. *ca.* 9. *num.* 64. Clave Regia, *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 20. — Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 20. *nu.* 18. quando nulla eſt ſpes, ut vivus edatur partus, & ex alia parte adeſt ſpes ſanitatis matris, ſi adhibeatur ſanativum remedium poſſe adhiberi hujuſmodi remedium, etiamſi fortè inde ſequatur abortus; cùm mater videatur uti jure ſuo, nec teneatur vitam exponere, quando non extat ſpes ſalutis ſpiritualis prolis ... Remedium autem ex ſua natura mortiferum proli, vel fœtui non poteſt licitè adhiberi; etiamſi adhibeatur abſque directa intentione perimendi fœtum. Hæc Bonacina.

24 *V. & ultimo*. Patritius Sporer, *tom.* 3. *p.* 4. *cap.* 4. *ſect.* 2. dicit: Quoad indirectam verò hujuſmodi abortus animati fœtus procurationem, ita diſtinguendum eſt. Quòd ſi certò, vel probabili Medicorum judicio; Mater ſimul cum fœtu ante partum moritura ſit, ſumpto autem pharmaco, ſpes ſit, ſaltem matrem ſervari poſſe, fas erit adhiberi media per ſe directa, & efficacia ad ſanitatem matris, ut V. G. venæ ſectionem, pharmacum purgativum, &c. Etſi per accidens contingat inde fœtum enecari, & abortiri: aliàs enim periret mater ſimul cum fœtu, per medicinam verò fortè liberabitur uterque. (Communis DD. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 20. — Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3 *cap.* 4. *num.* 4 — Cardin. de Lugo *de juſt. diſp.* 10. *ſect.* 5. — Diana *part.* 7. *tract.* 5. *reſol.* 45.) Ratio eſt: quia innocentem, per accidens, & præter intentionem, in caſu urgentis, vel extremæ neceſſitatis, occidere, à ratione alienum non eſt: ſic enim in bello juſto licitè exploduntur tormenta bellica contra civitatem, etſi per accidens aliqui ibi innocentes occidendi ſint; ſic invaſus ab injuſto aggreſſore vitæ ſuæ licitè fugit inſidens equo per viam anguſtam, (adhibita moraliter poſſibili cautela) etſi inſans, vel alius homo fortè ibi jacens conculcandus ſit; ſic mulier prægnans invaſa à fera, vel latrone ſine dubio licitè poteſt fuga, vel fortè etiam pugna vitam ſuam certo periculo mortis expoſitam liberare, quamvis cum probabili, vel etiam evidenti periculo fœtus ſui: Atqui in propoſito noſtro de matre infirma moritura ex morbo, abortio fœtus animati eſt omninò per accidens, & præter intentionem; cùm enim fœtus pendeat à vita, & ſalute matris, atque rariſſimè contingat, fœtum vivum progigni, vel extrahi poſt mortem matris, hinc eſt, quòd medicamentum directè adhibitum ad procurandam ſanitatem matris ex natura rei, ſecundariò etiam tendit ad ſalutem fœtus: quòd ſi ei noceat, hoc evenit per accidens.

E contrà verò, ſi ſpes probabiliſſima 25
à Medicis concepta ſit, ut, matre ab his medicamentis abſtinente cum vitæ ſuæ periculo, aut etiam mortua, fœtus vivus in lucem prodire, & baptizari poſſit: adhibitis verò medicamentis, etſi fortè matre ſervata, proles ſine Baptiſmo peritura ſit; tunc omninò ex Charitate obligabitur mater ab hujuſmodi medicinis abſtinere cum periculo vitæ ſuæ in gratiam prolis. (Sanchez, Layman, Lugo l. l, c. c. & alii apud Dianam l. c. *reſol.* 37. *&* p. 2. *t.* 5, *r.* 11.) Ratio eſt: quia Lex, & ordo Charitatis Chriſtianæ poſtulat, ut vita ſpiritualis animati fœtus in tali extrema neceſſitate moriendi ſine Baptiſmo præferatur vitæ corporali matris. Hæc Sporer noſter, quem in multis ſoleo amplecti.

Quæro X. *Quaſnam pœnas incurrit directè procurans abortum animati fœtus?*

℞. I. Ultra peccatum homicidii, vel 26
Parricidii, omnis quocumque modo, vel medio fœtus animati abortum procurans directè, omniſque ad id ſcienter cooperans, juſſu, conſilio, auxilio, effectu ſecuto, ipſo facto incurrit *Irregularitatem* ex delicto homicidii voluntarii à ſolo

Pon-

Digitized by Google

Pontifice Romano per ſe diſpenſabilem: tum jure communi, tum Conſtitutione *Sixti Papæ V.* incipien. *Ad effrenatam: edita anno* 1588. quoad hoc nihil immutata per *Gregorium XIV.* in Conſtitutione moderante, & mitigante rigidam illam *Sixtinam*, ut apud omnes certum, & notum eſt.

17 ℟. II. Item, ipſo facto incurrit *Excommunicationem majorem* latam à *Sixto V* in cit. Bulla, & à *Greg. XIV.* liquidò in ſuo vigore relictam, ſublata tantùm (ut videbis) reſervatione pro foro conſcientiæ. Textus autem *Bullæ Sixtinæ* ſic habet, §. 7. Omnes, & ſingulos, cujuſcumque gradus, ſtatus, Ordinis, vel
„ conditionis exiſtentes, tam laicos, quàm
„ Clericos, ſæculares, & cujuſcumque Or-
„ dinis Regulares, necnon mulieres ſæcu-
„ lares, vel Ordinem quemcumque profeſ-
„ ſas, qui, vel quæ vel ut principales, vel
„ ut ſociæ, vel conſciæ ad tale facinus
„ committendum, opem, conſilium, ſavo-
„ rem, potionem, vel alia cujuſcumque
„ generis medicamenta ſcienter dederint,
„ aut etiam ſcribendo litteras privatas,
„ vel apochas, vel aliàs verbis, aut ſi-
„ gnis juverint, aut conſuluerint, (ultra
„ prædictas pœnas) ipſo facto nunc, pro-
„ ut ex tunc excommunicamus, & pro ex-
„ communicatis declaramus. – *Hactenùs textus Bullæ.*

18 Et ne dubites, comprehenſas non eſſe ipſas Matres prægnantes, potiones, vel alia medicamenta per ſe ſumentes, aliave media adhibentes ad abortum cauſandum,
„ ecce tibi textus expreſſus, §. 2. Necnon
„ prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter
„ præmiſſa fecerint, &c. Et §. 5. Ac mulie-
„ res ipſas, quæ eadem pocula ſponte, &
„ ſcienter ſumpſerint. – Ergo etiam Matres gravidæ ſibimetipſis abortum fœtus animati procurantes comprehenduntur expreſsè in tali Bulla, & Excommunicationem ipſo facto incurrunt, effectu ſecuto.

Quæro XI. *An talis excommunicatio ſit Summo Pontifici reſervata?*

19 ℟. *Sixtus Papa Quintus* in Bulla citata utique ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus reſervaverat hanc Cenſuram Excommunicationis latæ ſententiæ, etiam pro foro interno; at *Gregorius Decimusquartus* in Conſtitutione edita anno 1591. incipien. *Sedes Apoſtolica:* abſtulit hanc reſervationem pro foro tantùm conſcientiæ: his verbis, §. 2. *in fine.* – Prædictam Conſtitutionem (Sixti) ſic duximus "
moderandam, ut, à peccato, & excom- "
municatione contra perſonas ibi expreſſas "
lata, tam quoad eos, qui hactenus deli- "
querunt, quàm quoad illos, qui poſt no- "
ſtram Conſtitutionem in iiſdem caſibus de- "
liquerint, quilibet Sacerdos tam ſæcularis "
quàm cujuslibet Ordinis Regularis, ad "
Chriſti fidelium Confeſſiones audiendas, "
& ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordina- "
rium deputatus plenam, & liberam, *in fo-* "
ro conſcientiæ tantùm, abſolvendi habeat "
facultatem, &c.

Quæro XII. *Quiſnam hic cenſendus erit Confeſſarius ad hos caſus ſpecialiter deputatus ab Ordinario, vel Epiſcopo loci?*

Senſus hujus Quæſiti eſt, An Confeſſa- 30
rius jam ab Epiſcopo approbatus, & deputatus ad audiendas Confeſſiones Chriſtifidelium utriuſque ſexus in ſua Diœceſi, ſive ſit Sacerdos ſæcularis, ſive Regularis, habeat facultatem abſolvendi ab hac Cenſura, & caſu *abortus animati? Vel*, an Pœnitentiarius ejuſdem Epiſcopi, ſeu Confeſſarius habens facultatem ſibi delegatam ab Epiſcopo abſolvendi ab omnibus caſibus, & cenſuris eidem reſervatis, cenſeatur ſufficiens ad abſolvendum pœnitentem ab hoc peccato, caſu, & cenſura?

℟. Standum eſt textui, verbiſque clariſſimis Bullæ prædictæ; ideòque dicendum, quòd ille ſolus cenſetur Confeſſarius ad hunc caſum *de abortu animati fœtus ſpecialiter deputatus ab Epiſcopo*, qui ab eodem ſpecialem, individuam, & expreſſam licentiam obtinuit circa hunc determinatum caſum; ergo nullus ex dictis Confeſſariis judicari debet idoneus, & ſufficiens. Tum quia intellectus communis Doctorum in re tam gravi eſt iſte; quod non eſt recedendum à claris verbis menteque Pontificis; ſed verba, & mens Pontificis requirunt ſpecialem deputationem; ergo non ſufficit generalis illa deputatio vel ad audiendas confeſſiones omnium: vel ad abſolvendum ab omnibus caſibus Epiſcopo reſervatis. Tum quia, *ut dicit Regula* 81. *in* 6. *Decretal.* In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. – Vide Dianam, *p.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 15. – Sporerium *cit. n.* 710. & alios DD.

Quæro XIII. *Confeſſarius Regularis privilegiatus cenſeturne ſufficiens ad abſolvendum ab hoc caſu abortus animati pœnitentem ſæcularem?*

31 ℞. P. Felix Panormitanus *in ſuo Examine*, *num.* 2125. & P. Jacobus Corilia *in ſua Praxi*, *p.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. tenent quòd ſic; nullum tamen adducunt rationem. — Laurentius autem Portel. *V. Abortus*, *num.* 5. & Sporer *tom.* 3. *p.* 4 *ca.* 4. *ſect.* 2. *n.* 721. probabiliter affirmant, redduntque aliquam rationem; concludunt tamen oppoſitum eſſe probabilius, & conſulendum in praxi, propter ſpecialem deſtinationem requiſitam in hoc caſu à Gregorio XIV. Tum quia abortus animatus eſt homicidium verum; ſed ab homicidio non poteſt abſolvere Confeſſarius Regularis privilegiatus; ergo neque ab hoc. Hoc dico, quia in omni ferè Diœceſi inter caſus reſervatos reperitur *Homicidium voluntarium*. & in aliqua tabella, ubi habebatur *Declaratio caſuum reſervatorum*, ego legi, Regularibus eſſe prohibitum uti ſuis Privilegiis in hoc caſu *de procurantibus abortum animati fœtus*. Igitur in materia tam gravi, via ſecurior tenenda erit: etiam ut pœnitentes abſterreantur, & abſtineant ab hoc enormi, & inhumano ſcelere.

Quæro XIV. *Si Clericus procuraſſet aliquo modo abortum animatum in fœmina pragnante, quaſnam pœnas ſpeciales incurriſſet?*

32 ℞. Ultra prædictas generales, incurriſſet has ſpeciales pœnas, nempè *privationis* officii, dignitatis, & beneficii Eccleſiaſtici, ac etiam *inhabilitatis* ad ea in futurum ſuſcipienda; Et hoc ex Conſtitutione Sixti V. quoad has pœnas nihil immutata, vel mitigata per Gregorium XIV. Textus Bullæ Sixtinæ, §. 3. ſic habet: Eos autem, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officii, dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis, quæ ſic vocatura noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuò reſervamus, ipſo facto privamus: & in futuro inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus &c. — Ubi notant DD. utramque hanc pœnam, patrato ſcelere, & effectu ſecuto, in foro conſcientiæ incurri *ipſofacto*, ante omnem aliam Judicis ſententiam, propter textum clarum ly *ipſofacto privamus*, & *inhabiles decernimus*.

33 Ergo Clericus Beneficiatus procurans, vel conſulens abortum animatum fœminæ amicæ, vel inimicæ, effectu ſecuto, ſtatim manet privatus officio, & beneficio Eccleſiaſtico, illudque mox in conſcientia (ceſſante ſcandalo vero, vel proprii criminis evulgandi periculo) relinquere, vel reſignare tenetur, nec aliud beneficium, vel officium Eccleſiaſticum admittere, vel ſuſcipere poteſt: Et nil aliud datur remedium, niſi procurando omni diligentia diſpenſationem *Papalem*, vel, ut alii dicunt, *Epiſcopalem*; quia, ut ajunt, licèt Sixtus V. ſibi, & Sedi Apoſtolicæ reſervaverit Irregularitatem, & Excommunicationem, non tamen reſervavit Inhabilitatem ibi poſitam; & ſicut Gregorius XIV. tale delictum cum ejus Excommunicatione pro foro conſcientiæ abſolvendum mitigavit, & remiſit ad poteſtatem Epiſcopi, ita etiam videtur remiſiſſe inhabilitatem contractam ex tali delicto &c. *At ego ſic reflecto*, & *arguo*: ſi Irregularitas Clerici manet in ſuo robore reſervata adhuc Summo Pontifici, ergo & Inhabilitas ad illud Beneficium (quo ipſo facto eſt privatus) rehabendum manebit in ſuo robore reſervata; nam unus effectus Irregularitatis ex delicto eſt iſte: *privare Clericum beneficio ſaltem acquirendo*; rehabere autem beneficium eſt de novo illud acquirere. Tum quia, Papa dicit in Bulla, & textu citato. *Quæ beneficia Eccleſiaſtica ſic vocatura noſtræ*, & *Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuo reſervamus*; ergo Beneficium illius Clerici abortum animatum procurantis cadit in manus Romani Pontificis, eique ſoli reſervatur.

Quæro XV. *An peccatum hoc abortus fœtus animati ſit propriè, & in rigore juris homicidium proditorium?*

℞. Negativè; licèt enim aliquo pacto 34
reducatur ad homicidium proditorium, eò quia occidatur homo ignarus inſidiarum, & impotens ad præcavendum, ſeque defendendum; & aliqui DD. apud Bonacin. Farinac. & Peregrinum, teneant illud ut proditorium; nihilominus propriè, & in rigore juris non cenſetur tale; quia infans in utero non occiditur per inſidias, nec per dolum; infans enim non eſt capax inſidiarum, nec doli, neque defenſionis; Atqui ad proditorium homicidium requiruntur inſidiæ, ſimulationes, & dolum, (ut docent communiter D. D.) ex parte occiſoris, item quòd occiſus ſit homo rationis compos, tamen hic, & nunc impotens ad præcavendum, & ſe defendendum. Unde deduces, procurantes abortum, ipſo jure non amittere Jus Sacri Aſyli, & Im-

& Im-

Digitized by Google

& Immunitatis Eccleſiæ. *Vide* Sporer. *cit. n.* 713. – Anacletum *tr.* 12. *diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 73. & 38. Alex. Sperellum *Dec. Fori Eccl. deciſ.* 23.

De Abortu & homicidio caſuali.

Quæro XVI. *Quid eſt abortus caſualis?*

35 ℞. Abortus caſualis generaliter ſumptus eſt qui fit, vel ſequitur ex actione aliqua, vel omiſſione, præter directam operantis intentionem; ideòque directè ſaltem, & in ſe involuntarius eſt. – Dividitur autem in caſualem mixtum, & caſualem merum. *Abortus caſualis mixtus* eſt, qui indirectè in ſua cauſa eſt voluntarius: cùm quis ſcilicèt aliquid agit, vel omittit, unde prævidet, nec tamen ſatis præcavet abortum ſecuturum. Dicitur *mixtus*, quia partim caſualis eſt, quatenùs fit præter directam intentionem operantis: partim adhuc voluntarius eſt in ſua cauſa indirectè; qui enim deliberatè vult agere aliquid, unde prævidet, nec præcavet alterius mortem cauſandam, eo ipſo indirectè, & in ſua cauſa volita cenſetur velle ipſam mortem. (Quod dixi de morte, dici poteſt de quovis alio malo.) – *Abortus autem caſualis merus*: ſeu merè, & propriè caſualis, eſt qui fit, vel accidit præter omnem directam, & indirectam operantis intentionem; unde dicitur ſimpliciter involuntarius: cùm quis nimirùm aliquid agit, ex quo nec prævidit, nec prævidere potuit, nec debuit abortum ſecuturum; aut ſi quid periculi prævidit, illud ſufficienti diligentia adhibita præcavere ſtuduit: & tamen ſecutus eſt abortus. – Loquimur hic in ſpecie, & conſequenter *de abortu fœtus animati*; quamvis hæc doctrina ſit communis etiam abortui inanimato, & cuivis malo applicari poſſit: uti diximus jam de Actibus humanis, de *voluntario, & involuntario. Tract.* 3.

Quæro XVII. *Quale peccatum eſt abortus caſualis mixtus?*

36 ℞. Eſt peccatum mortale, vel veniale, pro ratione majoris, vel minoris periculi in cauſando, vel majoris, vel minoris culpæ, ſeu negligentiæ in cavendo. Ergo mortale erit, & Irregularitatem inducet, quando actio de ſe eſt efficax, & periculoſa ad abortum, vel homicidium cauſandum: & culpa, ſeu negligentia in cavendo lata, & gravis eſt. *De peccato mortali* patet; quia quandocumque aliquid opus directè facere, illicitum, & mortale eſt, etiam per ſe illicitum, & mortale erit illud opus indirectè facere, ponendo nempè voluntariè cauſam illius prævisi effectus mali: niſi tamen urgentiſſima ratio, vel cauſa licita ita operantem excuſet, & malitiam cooperationis tollat, ac permiſſionem juſtam efficiat. *De Irregularitate* autem patet, & liquidò conſtat in variis textibus Juris Canonici, *tit. de Homicidio*: Ubi punitur, & Irregularitate afficitur non tantùm homicidium voluntarium in ſe, ſed omnis etiam actio ad homicidium culpabiliter concurrens: atque adeò etiam procuratio abortus animati fœtus, aliudve homicidium caſuale mixtum, indirectè tantùm, & in ſua cauſa voluntarium.

Quæro XVIII. *Quando quis dat operam rei licitæ, quantumvis periculoſæ, ex qua ſequitur abortus, vel homicidium caſuale, contrahitne Irregularitatem?*

37 ℞. Si culpa in cavendo lata, gravis, & mortalis fuit, utique contrahitur Irregularitas: alias non. Quia hæc Irregularitas ex delicto procedens præſupponit delictum grave, cùm & ipſa ſit pœna gravis; ut etiam habetur in Jure, *cap. Presbyterum, de homic.* ubi pronunciatur Irregularitas contra Presbyterum, qui cauſa diſciplinæ percuſſit puerum in capite, unde poſtea mortuus eſt: quia licèt percuſſio in ſe ſit licita præceptori in diſcipulum ad ejus correctionem, talis tamen percuſſio fuit immoderata cum lata culpa; ergo à ſimili diſcurre de abortu &c. V. G. Titius pater filiam prægnantem juſtè caſtigat (dat operam licitæ rei:) ſed modum culpabiliter excedens ei abortum cauſat: peccat utique mortaliter, & fit Irregularis; idem dic de multis ſimilibus caſibus.

Quæro XIX. *An idem dicendum ſit de eo, qui dat operam rei illicitæ?*

38 ℞. Utique, imò à fortiori, ut patet; nam longè faciliùs incurrit irregularitatem qui dat operam rei illicitæ, quàm qui opus aliàs licitum exercet: ut ſignificant paſſim Canones: *ca. ad audientiam, & ſeqq.* – In dubio autem, an culpa illa ſit gravis, vel levis in cavendo abortu, vel homicidio de facto ſecuto, omninò præſumi debet gravitas, &

Irregularitas contracta, ſaltem in foro conſcientiæ; ita ut ſi fuit Clericus, vel Sacerdos, qui talem cauſam dubiam poſuit, vel dubitet de culpa lata, & gravi, tenetur ſe gerere ut Irregularem, abſtinendo à Sacris, & à Sacerdotali officio. Ita expreſsè mandant Summi Pontifices in Canon *cap. 12. ad audientiam, tit. de homicid.* Et *capit. 18. Significaſti.* Et *cap. penult. Petitio tua.*

Quæro XX. *Quid dicendum de abortu caſuali moraliter tantùm cauſato?*

39 ℞. Abortus caſualis moraliter tantùm cauſatus, nempè juſſu, conſilio, conſenſu, inductione, &c. eſt, aut fit tali modo, V. G. Si mulieri gravidæ mandes, vel ſuadeas actionem periculoſam, puta geſtationem gravis ponderis, aſcenſum arduum, inordinarium laborem, jejunium, & ſimilia, ex quo prævideas, & gravi tua culpa non præcaveas abortum fortè ſecuturum; ſi ſequatur, dicitur abortus caſualis moraliter cauſatus per te. Dico igitur univerſaliter, quòd quicumque alteri mandat, ſuadet, conſulit, vel quomodolibet inducit eum ad actionem aliquam, ſive licitam, ſive illicitam, ac de ſe periculoſam, ex qua prævidet, ſuſpicatur, vel prudenter dubitat, nec tamen ſufficienter præcavet mortem Tertii, ſive mulieris prægnantis abortum animati fœtus ſecuturum, ea morte, vel eo abortu ſecuto, Irregularis fit, ſi culpa in cavendo gravis fuit: aliàs non. Ita ſtatuunt Canones, *cap. ult. de homic. in 6.* Et ratio patet ex dictis.

Quæro XXI. *Cauſans ſive phyſicè, ſive moraliter abortum caſualem mixtum, ſeu indirectè tantùm, & in cauſa voluntarium, incurritne etiam Excommunicationem ſuperiùs allegatam in Bulla* Sixti Papæ Quinti?

40 ℞. Negativè. Ratio eſt: quia abortus caſualis mixtus, quantumvis culpabiliter cauſatus, non eſt directè, & per ſe intentus à cauſante: ſive is dederit operam rei licitæ, ſive illicitæ: ergo non poteſt verè dici *voluntariè procuratus, ſive ſtudioſè quæſitus*, qualem ſolùm ſuo fulmine Excommunicationis ferit Papa Sixtus cit. — Idem erit dicendum de Reſervatione Clementis Octavi pro Religioſis; imò & Epiſcopali pro Diœceſanis ſubditis.

41 *Unde* talem Cenſuram, vel Reſervationem non incurrit Pater, vel Maritus filiam ſuam, vel Uxorem gravidam, ſive juſtæ correctionis cauſa, ſive ex iracundia graviter percutiens, non ſine gravi culpa, & etiam præviſo abortus periculo poſteà ſecuti, minimè tamen directè intenti, &c. Quia licèt talis fuerit in culpa gravi reſpectu abortus cauſati, atque ideò Irregularitatem ex delicto abortus, vel homicidii caſualis mixti contraxerit: non tamen vere dicitur *procuraſſe abortum*; verbum enim hoc *procurare abortum* ſignificat in jure *ſtudioſè, & ex induſtria malitioſa quærere, & cauſare*; ideòque directè, & per ſe velle abortum illum. Quod valde notandum eſt à *Confeſſario*, ne erret in judicando. Et id, quod dixi de Patre, vel Marito exemplificandi gratia, potes, ac debes extendere ad ſimiles caſus.

Quæro XXII. *Quid de abortu merè caſuali dicendum?*

℞. Abortus merè caſualis, & ſimpliciter involuntarius eſt, qui ſequitur ex actione alicujus ſive Matris prægnantis, ſive alterius agentis, ex actione, inquam ſive licita, ſive illicita, ſed nullo modo præviſus, aut, ſi quid periculi præviſum fuit, ſufficienti diligentia adhibita, ne ſequeretur, præcautus: & tamen fortuitò ſecutus eſt. Iſte abortus etiam animati fœtus nec peccatum pro formali eſt, neque inducit Excommunicationem Sixtinam, ſed neque Irregularitatem Juris Canonici. Ratio evidens eſt: quia ubi non eſt voluntarium directum, vel indirectum, nullum poteſt eſſe peccatum pro formali; & ubi nullum peccatum, nulla eſſe debet pœna, neque Cenſura. Et quoad Irregularitatem etiam certum eſt, quòd quando quis dat operam rei licitæ, V. G. Medicus medendo, Maritus cognoſcendo uxorem ſuam, & ſic de ſimilibus, ſi, adhibita debita, vel ſufficienti diligentia in cavendo periculo, nihilominus ſequatur abortus, non incurrit Irregularitatem, ex claro jure in ſimili caſu, *capit. Dilectus, & ſeqq. tit. de homicid.* — Atque etiam id verum eſt, quando quis dat operam rei illicitæ, ſaltem non valdè periculoſæ ad abortum, vel homicidium cauſandum, ut communiter D. D. (quos citant, & ſequuntur Filliucius *tractatione 20. capit. 3. quæſt 8.* — Laymannus *lib. 2. tract. 3. par. 2. cap. 10. numero 1. & 3.* — Diana *par. 4. tract. 2. reſ. 20.* — Sporer *tom. 3 par. 4. capit. 4. ſect 4. à numero 744.*) Ratio eſt, quia ad incurrendam Irregularitatem ex deli- 42

Digitized by Google

delicto, non ſufficit quævis culpa, niſi intercedat culpa in ratione homicidii, vel actionis tendentis ad homicidium; atqui in caſu noſtro nulla eſt culpa in ratione homicidii, vel actionis; ergo. Licèt enim ille peccet exercendo opus illicitum ex ſe, abortus tamen, vel homicidium inde ſecutum eſt ei ſimpliciter involuntarium (ut ſupponitur,) quippè de eo aut nullo modo cogitavit, aut ſi cogitavit, debitam cavendi diligentiam adhibuit. — Tum quia Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis: atqui caſus noſter nullibi exprimitur in Jure Canonico; nam *ex cap. Quantum, diſt.* 50. habetur, quòd Papa declarat, eum, qui caballos furtivos abduxit, à quibus mulier colliſa abortum fecit; furti quidem reum eſſe, attamen ubi voluntas illius non agnoſcitur pernicioſa fuiſſe (erga abortum) non poteſt addici, & occidi per leges: quia nimirùm (ut notat Gloſſa ibidem) mulierem illam, ut ſibi caveret, præmonuit: aut fortè periculum omninò non advertit. — Ergo non contrahitur Irregularitas in abortu caſuali ab eo, qui dat operam rei illicitæ non tendentis in homicidium, vel abortum ipſum.

43 *Exceptio* tamen fieri debet: *niſi actio illa prohibita etiam ſit à Jure Canonico:* qua ratione Clericis, & Monachis in Sacris conſtitutis graviter prohibetur uſus artis chirurgicæ, & medicæ, *cap. Sententiam: ne Clerici vel Monachi*; atque ideò, ſi contra hanc prohibitionem Canonicam Clericus, vel Monachus in Sacris conſtitutus exerceat Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem (etiam adhibita omni diligentia) & mors infirmi, vel abortus mulieris ſequatur, irregularis erit: ut habetur etiam, *cap. Tua nos, de homicidio*. Idem dicendum de ſimilibus caſibus, & actionibus Jure expreſſis & prohibitis: *ut Venatione, Saltatione, &c.*

44 Excipiunt tamen (etiam in exceptione prædicta) communiter Doctores. Caſum urgentis, & quaſi extremæ neceſſitatis proximi, quando nempè abſente, vel deficiente Laico Medico, vel Chirurgo, jus naturale, & Lex Charitatis exigeret operam Clerici, vel Monachi, etiam in Sacris conſtituti dummodò peritus eſſet in tali arte: quia propter Epikejam judicandum non eſt, Sacros, pioſque Canones tantùm Charitatis opus voluiſſe irregularitatis pœna mulctare; tum quia Lex poſitiva Eccleſiæ non debet præjudicare juri naturali, & Legi Charitatis. — Dixi, *modò peritus eſſet in tali arte*; quia apud omnes DD. certum eſt, quòd ſi Monachus, vel Clericus in Sacris conſtitutus, imperitus de arte, & modo medendi, ſecandi, vel aperiendi venam vellet mederi, ſecare, aperire, imprudenter ageret, & peccaret contra artem, & ipſam Charitatem, ſicque, morte infirmi ſecuta, (etiam præter ejus voluntatem, & intentionem) fieret irregularis ex delicto homicidii, quod jam non merè caſuale, ſed mixtum, & indirectè voluntarium eſſet; quia ipſe periculum prævidit, vel certè prævidere debuit, & non ſufficienter præcavit; ergo fuit in culpa, & peccavit in materia concernente tale homicidium.

Quæro XXIII. *Medicus, vel Chirurgus, qui ob imperitiam, vel negligentiam notabilem infirmo mortem cauſat, vel accelerat, ſitne irregularis?*

℞. Non ſolùm fit irregularis, ſecuta morte infirmi, ſed actualiter peccat mortaliter contra Charitatem, & quintum Decalogi præceptum: & ſi ex officio, vel pacto, aut ſtipendio obligatus exerceat artem ſuam, peccat etiam contra Juſtitiam cum onere reſtitutionis, ſeu compenſationis damni illati &c. Ita communiſſimè tenent D. D. Ratio irregularitatis patet ex dictis de abortu, vel homicidio caſuali mixto: *numero* 36. *& ſeqq.* Idemque dicendum eſt de cooperantibus, aſſiſtentibus, miniſtris, pharmacopolis, & ſimilibus qui phyſicè, aut moraliter cauſant, vel accelerant mortem infirmi, & ægroti hominis, vel abortum fœtus animati in muliere ægra, & prægnante, V. Sporer *tom* 2. *tract*. 5. *c*. 3. *ſect*. 5. §. 2. 45

Quæro XXIV. *Quando infirmarius, vel alius inſerviens circa infirmum bona fide agit ea ſervitia, quæ communiter infirmis exhiberi ſolent, ſi inde poſtea acceleretur mors infirmi, eritne irregularis?*

℞. Negativè. Ratio patet ex dictis, *nu.* 37. Tum quia bona fides, & ſolita Charitatis obſequia non debent tam rigoroſa pœna puniri; aliter pauciſſimi invenirentur, qui vellent infirmis inſervire. Ita communis cum Navarro, Sayro, Filliucio, Diana, Tamburino, Sporerio, Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *n.* 4. Anacletò Moral. *tr.* 13. *diſt.* 2. *q.* 4. *num.* 55. & aliis DD. 46

Quæro XXV. *Titius rixans cum* Sempronio *abſque omni intentione, vel praviſo periculo occidendi, vulnus leve, vel certè non lethale inflixit* Sempronio, *qui poſt menſem infirmitatis obiit; quid juris?*

47 ℞. Caſus iſte, licèt non ponatur ſub terminis, vel ſpecie abortus, de quo principaliter hic agitur, facillimè tamen poteſt reduci ad terminos percuſſionis, & vulnerationis mulieris prægnantis, & conſequenter ad abortum. *Ubi enim eſt paritas rationis, ibi eſt eadem reſolutio.* ℞. igitur ad Caſum propoſitum, & dico, diſtinguendum eſſe ſic. Si Sempronius vulneratus ob defectum ſolius curationis vulneris moriatur, tunc Titius reus erit culpæ latæ, & pœnæ homicidii, atque ideò irregularis erit. Ratio eſt: quia hoc in caſu ſolum vulnus inflictum & non curatum fuit cauſa phyſica mortis Sempronii; & ideò tale homicidium ſaltem indirectè in ſua cauſa reputabitur voluntarium. Eadem eſt ratio, ſi occaſione talis vulneris, etſi de ſe non lethalis, alius morbus connaturalis, ut inflammatio ſanguinis accedens mortem inferat; quia *cauſa cauſæ cenſetur cauſa cauſati. Argum. capit. Presbyt. & c. ad audientiam.* -- Si autem Sempronius jam ſemel convaluit, & poſtea in morbum alium incidens moriatur, tunc cenſebitur non occaſione vulneris mortuus, & ſic Titius vulnerator ab Irregularitate, & aliis homicidii pœnis, & obligationibus immunis erit: Ex utroque jure habetur, *l. qui occidit, ff. ad l. Aquil. -- Et cap. 2. de homicidio.*

Quòd ſi vulneratus vulnere non mortifero diem ultimum obiit, non ratione, vel cauſa illius vulneris per ſe, ſed aliunde, puta vel ob incuriam domeſticorum, vel ob imperitiam Chirurgi, vel ob intemperantiam ipſius vulnerati, vel ob aliam cauſam per accidens; tunc vulnerator ſolùm peccavit pro ratione vulneris injuſtè inflicti, & ad damna inde ſecuta, & ad expenſas moderatas obligatus eſt; immunis tamen erit à culpa, & pœnis homicidii: *ex cit. Lege: qui occidit.* Et ratio eſt: quia in hoc caſu nec vulnus, nec conſequenter vulnerans cauſa homicidii extitit; ideòque talis mors nec indirectè, & in cauſa imputari debet Titio leviter vulneranti. Ita ex Molina *tr. 3. d. 32. nu. 2.* -- Leſſio, *l. 2. c. 9. d. 14. n. 102.* -- Laymanno, *lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 10. num. 5.* -- Sporer, *t. 2. tract. 5. c. 3. n. 196.* & aliis DD. reſolvo.

At quid de Irregularitate in prædicto caſu cenſendum eſt?

℞. Etiam quoad Irregularitatem opus eſt diſtinctione. Si enim vulnus non lethale adeò leve fuit, ut ex ſe ſolo mortem nullo modo attuliſſet Sempronio: aut certè tale vulnus facili negotio, modica adhibita curatione ſanari potuiſſet, tunc, cùm mors Sempronii vulnerati non niſi aliunde, & per accidens extrinſecum, & alienum à tali vulnere ſecuta ſit, judicandum erit, Titium percuſſorem non eſſe irregularem ex delicto homicidii; quia tota cauſa mortis Sempronii non à vulnere inflicto à Titio, ſed ab ipſo vulnerato Sempronio, vel à Chirurgo, vel ab aliquo alio extraneo accidenti proceſſit. -- Si autem vulnus inflictum non ita facilis curationis beneficio opus habuerit, ut ſanaretur, licèt in ſe lethale non fuerit; tunc periculum mortis (etſi tractu temporis ex culpa etiam Chirurgi, vel ipſius infirmi vulnerati intumuerit, & creverit) regulariter præſumi, vel cenſeri debet cauſatum etiam à vulnere, quod poſtea ſimul cum illa alia cauſa data, communi actione mortem attulit Sempronio: & tunc Titius vulnerator cenſendus erit irregularis ex delicto. Tum quia: qui per actionem ſuam culpabilem periculoſam, & injurioſam homicidio (vel abortui animato) occaſionem præbuit, morte ſecuta, fit irregularis. *Argum. cap. ult. de homic. in 6.* Sed ſic eſt, quòd in caſu noſtro Titius vulnerans per actionem ſuam culpabilem periculoſam, & injurioſam, præbuit ſaltem indirectè occaſionem mortis Sempronii; niſi enim ille vulneraſſet, iſte ultimum diem nunc non obiiſſet: ergo non ſolùm Chirurgi, vel ipſius infirmi negligentia, verùm etiam ipſa vulneratio fuit cauſa mortis. Vide Sporer. *cit. nu. 197.* cum DD. ab eo relatis. 48

Quæro XXVI. *Quid de abortu, vel homicidio merè caſuali ex errore facto: vel alium pro alio accidente?*

℞. Ut res fiat clarior, proponatur 49 ſic in forma caſus. Titius potionem abortivam paraverat Bertæ ancillæ gravidæ propinandam in vino dulci; at uxor ipſius Titii etiam gravida fortuitò inventam potionem, velut vinum generoſum, & dulce ſimul, bibit, & conſequenter abortivit; quid

quid

quid juris de Titio? Dico, quòd Titius reverà peccavit mortaliter malo ſuo erga ancillæ abortum deſiderio, quoniam commiſit homicidium, vel abortum in voluntate ſua prava; tum quia præparavit illud medium, vel medicamen ex natura ſua efficax ad cauſandam abortionem; nihilominùs dici non poteſt, quòd fuerit verè, & formaliter cauſa abortus uxoris ſuæ, quam, ut ſuppono, diligit, cujuſque abortus nullo pacto fuit ab eo intentus; aut volitus, quinimò ſummoperè ipſe doluit de caſu, & errore uxoris ſuæ. — Iſte abortus, vel hoc homicidium eſt merè caſuale, materialiter, & ex errore factum, occidendo nempè unam perſonam nullo modo intentam pro alia directè, & abſolutè intenta ad necem. Et ideò Titius non erit judicandus Reus homicidii, vel abortus prædicti, neque ullam pœnam Sixti V. Vel Canonis incurrit. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 32. num. 27.* cum multis. Diana *par. 9. tract. 4 reſ. 31.* — Tamburinus *lib. 6. Decal. c. 4* §. 3. & aliis DD. inter quos Cardinalis Eminentiſſimus de Lugo, *diſp. 8. de Juſt. ſect. 6. n. 86.* ſimillimum ponit, & reſolvit caſum ſequentibus verbis, videlicet

50 Quidam homo, ut alium occideret, ficum veneno infecit, quam ficum illi in prandio appoſuit: quidam autem, qui proximè aſſidebat, ficus venenatæ pulchritudine allectus, eam vicino arripuit, quòd, dum delinquens adverteret, diſſimulavit, ne ſeipſum, ſuumque maleficium proderet, ac permiſit amicum comedere ficum, qui poſtea veneno interiit. Cenſui, hunc non fuiſſe homicidam, vel irregularem; quia periculum non prævidit: & poſtea non tenebatur cum tanto ſuo periculo impedire damnum tertii, quod cùm non fuerit intentum, nec prævisum, non fuit ejus cauſa qui ficum venenavit pro alio, ſed per accidens, & præter intentionem evenit, licèt ex actione illicita, & injuſta erga illum alterum, quem occidere volebat, non tamen injuſta erga eum, qui fortuitò occiſus eſt. Hæc Lugo. Contra opiniones iſtas militat hæc valida ratio. Tum abortus, cùm homicidii adeſt intentio, adeſt cauſa efficax, adeſt effectus ſecutus; ergo adeſt utraque reitas ſubjecta cenſuris. Hæc audiens diſcretè eligas quod melius videtur.

Quæro XXVII. *Quid de abortu, vel etiam de quovis homicidio dubiè cauſato diſcurrendum eſt?*

R. *I.* Quandocumque conſtat *de corpore delicti*, ſeu ipſo abortu animato, ſeu homicidio quocumque ſecuto ex aliqua tua actione, vel cooperatione: quando videlicet certum eſt, fœtum animatum abortitum, aut quempiam alium hominem occiſum eſſe, te aliquo modo concurrente; dubitatur autem ſolùm, An tua actio, vel cooperatio fuerit efficax, aut ſufficiens ad cauſandum illum abortum, vel illud homicidium, quod fortè etiam aliunde ſecluſa tua actione, vel cooperatione, cauſatum fuiſſet: in ſimili dubio irregularis omninò habendus, & judicandus es, & ut talem te gerere debes. Ita expreſsè ſtatuerunt Sacri Canones, & praxis probat. *Cap. 12. ad audientiam. -- Cap. 18. ſignificaſti. Cap. penult. Petitio tua, tit. de homic.* 51

R. *II.* Quando verò non conſtat, ſed ſolùm dubitatur *de ipſo corpore delicti*: V. G. Utrùm reverà abortus fœtus animati, aliudve homicidium, vel mors hominis ex tua actione, vel cooperatione, ſive phyſica, ſive morali facta ad cauſandum illud, ſecutum ſit, nec ne? poſt factam diligentem inquiſitionem, & dubio perſeverante, nulla judicanda eſt Irregularitas. Ratio petitur ex duplici principio in hac materia. Unum eſt: Non eſt ponenda Irregularitas, niſi in Caſibus Jure expreſſis, *ex cap. Is, qui de ſentent. excommunic. in 6.* — Secundum eſt, odioſa reſtringi convenit potiùs, quàm ampliari, *ex reg. 15. in 6.* Atqui Canones ſupra allegati expreſsè loquuntur de caſibus practicis, in quibus conſtabat liquidò de corpore delicti, nempè de homicidio jam ſecuto, certo, & indubitato, & ſolùm dubitabatur de efficacia, vel ſufficientia cooperationis, vel cauſæ poſitæ ad mortem alterius; Ergo Sacri illi Canones non ſunt extendendi ad Caſus noſtros, in quibus de ipſo corpore delicti, ſeu homicidio, vel morte cauſata dubitatur invincibiliter. 52

Quæ quidem Reſolutio, vel Regula univerſaliter vera eſt in quocumque dubio ſive juris, ſive facti, ſive de dubio negativo loquamur, ſive de poſitivo: ut fusè declarant Tamburinus *cit. cap. 5. §. un.* -- Diana *p. 7. tr. 5. reſol. 26.* Sporer *tom. 3. Theol. Moral. p. 4. ſect. 4. c. 4. à n.* 161. cum aliis DD. 53

R. *III.* In

54 ℟. III. In omnibus Juribus, & Legibus humanis pœnalibus, etiam Cenſuris, & Irregularitatibus Canonicis, non tantùm in dubio *Juris*: quando nempè dubitatur, an pro tali actu, vel caſu aliqua pœna decreta ſit; ſed etiam in dubio *Facti*, quando nimirùm verè, & invincibiliter dubitatur, an Titius commiſerit tale Factum, propter quod conſtat, decretam eſſe talem pœnam, nemo cenſendus eſt ligatus tali pœna: excepta ſola pœna Irregularitatis ex delicto homicidii voluntarii, *conſtante corpore delicti*, ut ſuprà. Communis jam, & in praxi ſecura ſententia eſt, (quam cum aliis allegatis DD. docent Magnus Suarez, *tom. de Cenſuris diſp. 5. ſect. 5. & 6.* Sanchez *Opere Morali, lib. 1. cap.* 10. Filliucius, *tract.* 20. *c.* 4. Layman, *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 39.-- Sporer *cit. num.* 753.) Ratio eſt: quia in dubio factum non præſumitur; nam. *ut habetur, lege merito, ff. pro ſocio*: Nemo in dubiis præſumitur deliquiſſe, Et omnia jura clamant, Reum dubium eſſe abſolvendum: In dubio neminem condemnandum: In pœnis benigniorem interpretationem eſſe faciendam: Odia reſtringenda; favores eſſe amplianndos &c.

Quæro XXVIII. *Titius conſilium dedit Bertæ recenter gravidæ, ut abortum tali modo procuraret, intendens, ut abortiret ante animationem fœtus; Berta verò procraſtinans adhibuit medicinam poſt fœtum animatum, & abortivit: quæro, inquam, an Titius incurrit irregularitatem, & cæteras pœnas?*

55 ℟. Quòd ſic. Ratio eſt: quia Titius conſilio ſuo cauſavit abortum; ergo incurrit pœnas &c. Nec valet dicere, quòd ipſe ſolùm intendit abortum inanimati embryonis; quia in tali caſu debebat meliùs explicare ſuum conſilium, vel revocare cum efficacia, ne fieret abortus poſt animationem fœtus; ergo ſemper verum eſt, quòd conſilium Titii fuit cauſa abortionis talis fœminæ; & conſequenter incurrit pœnas ſuprà explicatas. Et hoc clare etiam colligitur *ex cap. ult. de homic. in* 6. ut notat Portel. *V. Abortus, additio, num.* 4.

Quæro XXIX. *An Parentes ſcientes propoſitum filiæ de faciendo abortu proli animatæ, & non impedientes efficaciter, cenſendi ſint velut homicidii Rei, & irregulares?*

56 ℟. I. Cenſendi ſunt Rei homicidii, vel abortus prædicti. Ratio eſt: Omnis, qui ex juſtitia, vel quaſi Juſtitia, nempè ex officio, obligatur impedire homicidium, ſi ſcienter, voluntariè, & culpabiliter impedire omittat, negligat, ac innocentem occidi, & mori ſinat, talis homicidii eſt reus: ut communiſſimè omnes DD. docent: Sed Parentes tenentur ex juſtitia naturali, ex officio, & pietate impedire efficaciter delicta, & homicidia filiorum ſuorum; ergo ſi non impediunt, cenſendi ſunt Rei, & participes hujuſmodi criminum; nam imputativè ſunt cauſa injuſta talium peccatorum &c. Confirmatur *ex cap. Sicut dignum: de homicidio*: ubi legitur: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberat, occidit.*

57 ℟. II. Si talis omiſſio Parentum fuerit pura omiſſio; tunc non ſunt judicandi irregulares. Ratio eſt: quia Canones ſtatuentes Irregularitatem homicidis, numquam exprimunt *merè negativè non impedientes*, ſed tantùm exprimunt *cooperantes*: ergo intelligendi ſunt *ly cooperantes* de iis, qui cooperantur propriè, realiter, & influxu aliquo poſitivo phyſico, vel morali ad homicidium cauſandum; quia, ut vidimus, Leges pœnales, & odioſæ ſtrictè interpretandæ ſunt; non autem extendendæ, nec ampliandæ. Igitur *ly cooperantes* non debet extendi ad eos, qui impropriè, negativè, ac imputativè tantùm cooperantur ad aliquod homicidium: non impedientes efficaciter ipſum per meram omiſſionem &c.

58 ℟. III. Si autem omiſſio, taciturnitas, diſſimulatio, non impeditio permiſſio talis abortus filiæ ex parte Parentum non fuit pura omiſſio, ideſt, ſi tali omiſſioni adjunctus fuit aliquis actus poſitivus: tunc illi Parentes, (Pater, Avus, & quivis alius) cenſendi ſunt Irregulares. *Explico*. Filia, vel alia puella gravida ex delicto manifeſtat Patri, vel Avo intentionem abortiendi, quam habet, & vult exequi in gratiam ſui, & honoris familiæ: Pater, vel Avus tacet; Unde puella ſecura voluntatis Avi, vel Patris abortum animatum molitur, & perficit; ſecuto hoc homicidio, Pater, vel Avus irregularis erit ex delicto. Quia illa taciturnitas non eſt mera omiſſio contradictionis, impeditionis; ſed moraliter cenſetur verus conſenſus influens in abortum; nam *Qui tacet, conſentire cenſetur*; maximè quando agitur de ſuo favore, vel commodo, ut docent

Digitized by Google

docent Juriſperiti. Ergo tunc Pater, vel Avus verè, & propriè dicitur poſuiſſe moralem concurſum, & cauſaſſe abortum, & homicidium. Idem dices de multis ſimilibus caſibus, quos videre poteris apud Majores Scriptores, & DD. ſignanter apud modernum Sporerium noſtrum *tom. 2. in folio, tr. 5. c. 3. ſect. 3. §. 4. per totum.*

59 *Petes.* Talis Pater, vel Avus incurritne etiam Excommunicationem, & alias pœnas? ℞. Attentè conſideratis verbis Bullæ Sixti V. poſitis ſuperiùs num. 27. videtur quòd non. Quia Pontifex explicat ibi ſuam intentionem in pronuntianda ſententia excommunicationis contra illas perſonas tantùm, *quæ ad tale facinus committendum ſcienter dant operam, conſilium, favorem, potionem, vel alias cujuſcumque generis medicamenta; ac etiam ſcribendo litteras privatas, vel apochas, vel aliàs verbis, aut ſignis juverint*, quæ loquendi, & exprimendi formula, ut patet, exigit aliquem actum poſitivum externum; in caſu autem noſtro Pater ille, vel Avus nullum actum, nullum verbum, nullumve ſignum externum poſuit, vel dedit ad tale facinus abortionis committendum; ergo non incurrit pœnam hanc.

Dices: Si poſuit ſufficientem conſenſum 60 ad Irregularitatem contrahendam ex dictis ſup. num. 58. quare non ad excommunicationem etiam? ℞. Minor cauſa ſufficit ad incurrendam Irregularitatem ex delicto, quàm ad excommunicationem; nam gravior eſt pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ, quam pœna Irregularitatis. Tum quia pœnæ non ſunt ampliandæ, ſed potiùs reſtringendæ. Tum tandem quia ſic Jura, & Canones, ac Bullæ ſtatuerunt. Filia igitur, vel puella gravida in dicto caſu contraxit excommunicationem; Pater verò, vel Avus ejus Irregularitatem tantùm. Sed verba Bullæ profundiùs ſcrutatus, mihi videtur, utrumque in cenſuras irruiſſe: quia ſi ſilentium illud conſenſus eſt, ſi extrinſecum teſtimonium interni conſenſus eſt; ergo influit; ergo utroque operam dedit: at *contra dantes, operam, conſilium &c.* Bullæ cenſuras intorquent; ergo à fortiori contra dantes operam & conſenſum, qui deterior conſilio eſt.

Et hæc ſufficiant pro præſenti diffuſo, at non ſuperfluo Tractatu de Abortu. *Si vis plura ſcire, conſule Doctores citatos, vel alios tibi beneviſos, & obvios.*

TRACTATUS XXVII.

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non mœchaberis.

Ubi de peccatis luxuriæ agitur.

QUæro I. *Quid prohibetur hoc præcepto?*

1 *Reſpondeo.* Non ſolùm prohibetur adulterium, quod propriè *Mœchia* dicitur, verùm etiam omnis ſpecies luxuriæ, omnis illicitus concubitus, vel coitus, & omnis inordinatus actus externus in materia venerea. Item ſecundariò, & acceſſoriè prohibetur omnis libido, vel impudicitia cordis, oris, & operis ad externam luxuriæ malitiam diſpoſitiva. Ita omnes DD. cum D. Auguſtino *q. 71. in Exodum.*

Quæro II. *Quid eſt Luxuria?*

℞. Eſt inordinatus appetitus, & uſus 2 venereorum: adeòque vitium directè oppoſitum Caſtitati per exceſſum. Hoc vitium connumeratur inter ſeptem capita-

lia

Digitized by Google

lia vitia: quia multa alia peccata ex hoc capite oriuntur, & multa mala ex hac peſſima radice prodeunt prout nimium probat miſera experientia; homo enim ſine freno timoris Dei vivens, ſi ſemel à luxurioſa voluptate victus ſit, labitur ſemper in pejus, & nunquam dicit: *Sufficit*. Quare.

3 S. Ambroſius *lib. 2. cap. 5. de Cain, Abel*, ait: Sævus criminum ſtimulus libido eſt, quę nunquam manere quietum patitur hominis affectum: nocte fervet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert conſilium, lapſos inclinat ad lapſum, nullum peccandi modum imponit, & inexplebilem ſcelerum ſitim generat, quæ non niſi morte peccantis extingui poteſt. -- S. Iſidorus *lib. 2. cap. 39. de Summo bono*: dicit: Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur: ideſt Superbia mentis, & Luxuria ventris. Et S. Hieronymus definiens, vel deſcribens libidinem ait: Ignis infernalis eſt luxuria, cujus materia gula, cujus eſt flamma ſuperbia, cujus ſcintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujuſque finis gehenna.

4 Unde obſervant Sacri Expoſitores, quòd vitium carnale, & luxuriæ inſatiabile facinus præ aliis vitiis atrociori, & univerſaliori vindicta punitum fuit etiam in hoc ſæculo à Deo; Nam Diluvium aquarum in omnem terram, & diluvium ignis, & ſulphuris in urbes, & regiones Pentapolis legimus eveniſſe in vindictam, & punitionem hujuſcemodi flagitii. Voluit enim Deus nobis oſtendere his, ſimilibuſque ſuppliciis quantùm & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem. V. Salvianum *lib. 1. Provid.* -- D. Thomam de Villanova *ferm. fer. 4. Dom. 1. Quadrag.* Cornelium à Lapide *in Geneſ. cap. 19. n. 22.* -- Leſſium *l. 13. cap. 6. de Perf. Div.* -- Lyranum *in Geneſim, cap. 6. v. 3.* ubi dicit: Niſi Deus graviſſimè hujuſmodi peccatis offenderetur, nunquam tam atroces in libidinoſos exercuiſſet vindictas. *Apud Paulum Segnerum in Chriſt. Inſtruct. p. 1. diſc. 23. n. 6. & alibi.*

Quæro III. *Quanam ſunt filiæ Luxuriæ?*

5 ℞. Luxuria dicitur habere octo infernales filias à D. Gregorio Papa enumeratas, quæ ſunt, Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconſiderantia, Inconſtantia, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſæculi, & Horror futuri: quarum explicationes videre poteris apud D. Thomam *in ſecunda parte ſecundæ partis Summæ, q. 153. art. 5.* -- Navarrum *in Manuale Confeſſariorum, cap. 23. à n. 112.* Toletum *in Inſtruct. Sacerd. l. 8. de ſeptem pec. capit. c. 55.* -- Anacletum *in Theol. Moral. tr. 3. diſt. 3. q. 3.* & alios paſſim DD.

Quæro IV. *Quot ſunt ſpecies libidinis, vel luxuriæ?*

℞. *I.* Luxuriæ univerſim novem ſpecies 6
numerantur: ſeptem penès principale intentum luxuriæ, ſcilicèt copulam, vel ſeminis effuſionem illicitam: & duæ aliæ quoad acceſſorium, vel modum libidinis. *Explico*. Copula illicita, vel fit cum aliena Uxore; & eſt *Adulterium*. Vel ſaltem cum fœmina non ſua; & eſt *Fornicatio ſimplex*. Vel cum Virgine ſub Patris poteſtate conſtituta; & eſt *Stuprum*. Vel cum Virgine non conſentiente, ſed invita; & eſt *Raptus*. Vel cum conſanguinea, & ſanguine juncta; & eſt *Inceſtus*. Vel cum Sacrata Deo; & eſt *Sacrilegium*. Copula item illicita vel fit extra vas debitum, & naturale; & eſt *peccatum contra naturam*, quòd ſubdividitur in alias ſpecies ſpecialiſſimas, ut videbimus. Vel copula eſt illicita quoad modum, vel circumſtantiam actus, & dicitur *indebitus concubendi modus*, ſeu *concubitus libidinoſus conjugum*. Vel denique fiunt actus externi diſpoſitivi ad copulam illicitam, vel emiſſionem ſeminis, quæ tamen non habetur, neque complectitur, & dicitur *Impudicitia*, vel dicuntur, *actus impudici*. Sed clariùs, & perfectiùs explico prædictas ſpecies luxuriæ, ſic dividendo, videlicèt.

℞. *II.* Libido, luxuria, laſcivia, venus 7
(ſunt ſynonyma, idem vitium carnale ſignificant) alia eſt naturalis, alia contra-naturalis. Naturalis eſt quæ ſervat debitum ſexum, & vas: ut eſt omnis copula, vel coitus maris cum fœmina. Contranaturalis eſt quæ non ſervat vel ſexum, vel vas naturale, & debitum, ut eſt omnis commixtio, vel concubitus maſculi cum maſculo, vel fœminæ cum fœmina, vel maris cum fœmina in vaſe præpoſtero. Item contranaturalis luxuria, (quæ potiùs beſtialis, & pluſquàm brutalis poteſt appellari) eſt omnis coitus cum bruto, vel quovis animale irrationali. Item innaturalis luxuria conſummata eſt omnis voluntaria pollutio, ſeu mollitia, aut mollities, quæ eſt expulſio

pulſio ſeminis ad captandam veneream voluptatem.

8 Quælibet ex dictis luxuriis alia eſt completa, alia incompleta; Completa eſt, quæ conſummat opus pravum intentum. Incompleta verò eſt, quæ incipit opus, ſed non finit, quæ alio nomine vocatur Luxuria attentata. Præterea luxuria naturalis completa qualificatur, vel ſpecificatur moraliter ſecundùm varias qualitates vel viri, vel fœminæ, vel utriuſque, ut ſuperiùs declaratum eſt, *n. 6.*

9 Inſuper dantur aliæ ſpecies libidinis incompletæ, quæ ſunt præviæ diſpoſitiones ad completam luxuriam cauſandam, vel ſaltem cum periculo naturaliter annexo ad explendam libidinem, licèt quandoque per ſe tantùm intendantur à luxurioſis & vitioſis; Ut tactus impudici, amplexus, oſcula, aſpectus: turpiloquia, cantiones obſcænæ, lectiones rerum, vel hiſtoriarum laſcivarum, & cætera provocantia ad impurum amorem. Et tandem datur quædam luxuria peccaminoſa inter conjuges, ipſorumque actus conjugales, in reddendo, vel petendo debitum copulæ maritalis, peccaminoſa, inquam, per exceſſum, vel in modo, vel in loco, vel in tempore, vel in alia circumſtantia, ut videbimus.

10 Remanet & alia ſpecies luxuriæ naturalis, & communis, quæ vocatur commotio libidinoſa, unde oritur delectatio venerea moroſa. Sunt & aliæ ſpecies, ut deſideria turpia, propoſita inhoneſta, delectationes moroſæ internæ, de quibus agendum erit in explicatione noni præcepti Decalogi. Hìc autem, ut materiam ſolùm ſextum præceptum directè tangentem tractemus, agendum erit de omnibus, & ſingulis ſpeciebus luxuriæ, quæ actum externum impurum reſpiciunt, pro quarum breviſſima notitia Confeſſariis neceſſaria.

11 ℞. *III.* Duodecim ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ peccatorum Luxuriæ, nempè I. Fornicatio ſimplex: II. Adulterium: III. Inceſtus: IV. Stuprum: V. Raptus: VI. Sacrilegium: VII. Impudicitia: VIII Modus indebitus, vel concubitus libidinoſus Conjugum: IX. Commotio libidinoſa voluntaria: X. Mollitia, ſeu pollutio: XI. Sodomia: & XII. Beſtialitas: De quibus ſingillatim agendum erit. In primis ergo.

De Fornicatione ſimplici.

Quæro V. *Quid eſt fornicatio ſimplex?*

℞. Eſt concubitus naturalis illicitus: vel 12 eſt copula carnalis ſoluti cum ſoluta, quorum ſcilicet neuter eſt aliquo ſpeciali vinculo ligatus, ſive obligatus homini, vel Deo. *Homini obligatus.* V.G. eſt conjux, qui alteri conjugi eſt obligatus. *Deo autem obligatus* eſt homo Religioſus, vel etiam ſæcularis, qui per votum continentiæ, & caſtitatis eſt Deo ligatus, & dedicatus. Fornicatio itaque ſimplex eſt peccatum luxuriæ præcisè contra Virtutem Caſtitatis, & nulli alii virtuti adverſatur ex ſe; fitque inter maſculum, & fœminam talis, & tantæ conditionis liberos, ut poſſent ſtatim Matrimonium contrahere, ideòque proles inde nata, non ſpuria, ſed naturalis nominatur, & ſecutis nuptiis eo ipſo legitimatur.

Quæro VI. *Quænam eſt malitia fornicationis?*

℞. *I.* Fornicatio eſt peccatum mortale. Certum eſt de fide, *ex Clementina ad noſtram, de hæreticis.* Et ſatis conſtat *ex Deut. cap. 22. Et ad Epheſ. c. 5.* dicit Apoſtolus, quòd *Omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei.* Et ad Galat. *cap. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt Fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. & qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Et Apocal. cap. 21. legitur: *Fornicatoribus pars erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Et alibi ſæpiùs in Scripturis Divinis. 13

℞. *II.* Fornicatio ſimplex ex natura ſua, 14 & intrinſecè eſt mala; adeòque ab ipſamet naturali lege prohibita eſt, velut ipſi rectæ rationi diſſona. Hinc eſt, quòd Apoſtolus Epiſt. 1. Corinth. cap. 6. pluribus rationibus demonſtrat malitiam fornicationis; implicat autem, quòd malitia alicujus peccati probetur argumentis à ratione naturali petitis, niſi talis malitia ſit etiam diſſona rationi. Tum quia: Vagus concubitus, ſeu fornicarius coitus eſt contra bonum prolis: nam ad educationem hominis non ſolùm requiritur cura Matris, à qua filius nutritur, ſed multò magis cura Patris, à quo eſt inſtruendus, defendendus, atque in bonis animæ, & corporis promovendus; ergo contra naturam hominis eſt, quòd

Digitized by Google

utatur vago concubitu, per quem tollitur certitudo prolis reſpectu Patris, & cura per ſe reſpectu educationis filiis; prout optimè argumentatur D. Thomas 2. 2. q. 154. *ar.* 2. Præterea, multa, graviſſimaque mala, quæ ſequuntur ex hoc peccato, probant, hoc vitium repugnare rationi rectæ, & adverſari Legi naturali; Nam nimis experientia probat malitiam viri nolentis agnoſcere prolem ſuam, malitiam fœminæ nolentis concipere ipſam prolem, ex qua malitia evidenter deducitur, quòd actus, vel concubitus fornicarius ſit contra naturalem inſtinctum conjunctionis maris, & fœminæ, qui eſt, & eſſe debet ad prolem ſuſcipiendam, & educandam: ut patet in ipſis brutis, & volatilibus.

15 Inde etiam, ad evitandam infamiam, tot horrenda remedia impediendi conceptionem, vel procurandi abortum, oriuntur. Inde infantes exponuntur cum periculo mortis, vel pravæ educationis, & ſæpè æternæ damnationis; hæc, & alia mala, quæ ſequuntur ex natura actus fornicarii inter ſolutos optimè probant, fornicationem eſſe intrinſecè malam, & repugnantem rectæ rationi, & Legi naturali. — Et licèt per accidens aliquando abſint prædicta mala, & provideatur proli; ipſo tamen actu fornicationis prolem tali periculo fornicantes expoſuerunt; tum quia, ut inquit Doctor Angelicus, *loc. cit. in corp. fine*: id, quod cadit ſub Legis determinatione, judicatur ſecundùm quod communiter accidit, & non ſecundùm id, quod in aliquo caſu accidere poteſt. Communiter autem accidunt prædicta mala ex fornicatione: ergo.

16 Quapropter jure merito damnatur hæc propoſitio, quæ eſt la 48. ex damnatis ab Innocentio Papa XI *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.* — Auctor hujus falſæ doctrinæ tenebat, fornicationem eſſe malam moraliter, quia prohibita eſt à lege Divina, non autem quia interdicta etiam ſit à Lege naturali; quæ falſitas facilè cognoſcitur, & refellitur ex dictis, & ex ſolidiſſima doctrina D. Thomæ, l. c., & in *ſuppl. q.* 45. *art.* 3. Ubi probat quòd habere concubinam ſit contra legem naturæ; quia non eſt conveniens fini debito, quem natura intendit in concubitu: ſive quia talis actus non ordinatur in ipſum finem per actionem agentis: ſive quia de ſe eſt actio improportionata illi fini; nam actus humanus à fine maximè ſpecificatur, & nominatur; in concubinatu autem (ſicut in concubitu fornicario) ſolus concubitus, ſeu ſola libidinoſa delectatio, quæ in ipſo concubitu eſt, propter ſe ipſam quæritur, & non propter finem à natura intentum, qui eſt proles procreanda, & educanda; &, ut hoc bonum quæreretur ab homine, natura poſuit delectationem in concubitu maris, & fœminæ; ergo fornicatio, ſicut & concubinatus eſt contra legem naturæ.

℞. *III.* Fornicatio adeò eſt ex ſe mala, 17
ut nec per Divinam diſpenſationem licita fieri poſſit. Communi D. D. cum D. Thoma, & Seraphico Doctore D. Bonaventura. Ratio eſt: quia fornicatio, ut fornicatio ſignificat acceſſum viri ad fœminam non ſuam, ideſt ad mulierem, cujus corporis legitimam non habet poteſtatem: quo ſtante, repugnat unquam licere tali viro ad talem accedere fœminam; ideòque nec per Divinam Omnipotentiam, vel diſpenſationem poteſt evadere licitus hujuſcemodi concubitus.

Dices. Deus eſt Dominus noſtrorum 18
corporum; ergo poterit diſpenſare, & licentiare, ut talis homo accedat ad talem mulierem. ℞. Dato hoc, ut ſcilicet Deus alicujus mulieris poteſtatem præbeat viro, tunc eo ipſo talis mulier evaderet in poteſtatem viri: ergo accederet *ad ſuam* aliquo modo; nam accederet ad unam, cujus poteſtatem talis vir jam accepit à Deo.

Objicies. Legimus, Patriarcham Abra- 19
ham habuiſſe ancillam, cui nomen erat Agar, & pariter Jacob duas tenuiſſe ancillas, Zelpham nempè, & Balam, & ex concubitu iſtarum fœminarum generaſſe filios; ergo vel aliquando licitum fuit habere concubinas, vel Deus diſpenſavit circa fornicationem, & conſequenter fornicatio non erit intrinſecè mala, nec jure naturæ prohibita.

℞. Cum D. Thoma (*in ſupplemento tertiæ partis quæſtione ſexageſima quinta, art.* 4. & 5.) quòd antiqui Patres diſpenſatione Divina, qua plures habebant uxores, ad ancillas accedebant affectu conjugali; erant enim & iſtæ uxores quantùm ad principalem, & primarium finem Matrimonii, ſed non quantùm ad ſecundarium

darium finem ſocietatis, cui opponitur conditio ſervitutis: ergo illæ fœminæ realiter erant uxores illorum Sanctorum Patriarcharum, licèt aliunde eſſent ancillæ. Habere autem ſimul plures uxores non eſt contra prima præcepta legis naturæ; & per conſequens eſt diſpenſabile à Deo. Habere autem ancillam, vel concubinam non matrimonio ſibi junctam eſt contra prima principia legis naturæ, & nullo unquam tempore ſecundùm ſe, & ex natura rei licitum fuit, nec etiam ex diſpenſatione Dei; quia eſt intrinſecè malum, & repugnat rectæ rationi, & fini principali humanæ copulæ cum fœmina.

20 Unde ubicumque legitur in Sacra Scriptura Veteris Teſtamenti, aliquos ultra uxores, habuiſſe ancillas, & concubinas (ut legitur de David, Salomone, & aliis, quos neceſſe ſit à peccato mortali excuſare) oportet dicere, eas fœminas ſibi in conjugium duxiſſe, & ad eas acceſſiſſe affectu maritali; & tamen concubinas, vel ancillas appellari, quia aliquid habebant de ratione veræ uxoris, & aliquid de ratione ancillæ, vel concubinæ. De ratione Uxoris aliquid habebant, hoc eſt, id, ſecundùm quod Matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt bonum prolis; de ratione ancillæ, vel concubinæ aliquid habebant, nempè id, ſecundùm quòd communiter uxor diſtingui ſolet ab ancilla in diſpenſatione familiæ; & bonorum; nam quæ concubinæ, vel famulæ nominabantur, non habebant diſpenſationem rerum domeſticarum, nec communicationem operum cum Viro ſuo, ſicut ſolet habere Uxor, ut ſocia viro, & ut talis ei conjuncta, quod eſt ſecundarius Matrimonii finis. Hoc tamen eſt notandum, quòd illæ fœminæ impropriè nominabantur *Concubinæ*, lato vocabulo; nam propriè, & in rigore erant Uxores, ob finem primarium ſuprà expreſſum; concubinæ autem dicebantur propter carentiam finis ſecundarii Uxoris, ut declaratum eſt. *Concubina* enim ſtricto vocabulo capta vocatur *ſcortum, meretrix*: de qua in ſequentibus punctis agemus.

Quæro VII. *Quid eſt Concubinatus?*

21 ℟. Eſt frequens fornicatio cum certa aliqua perſona ſoluta, quam quis velut fictam uxorem domi retinet, & alit, vel alibi ad talem finem, vel uſum libidinis explendæ aſſervat; ita ut ad eam conſuetudinariè, ut ſibi libet, accedat, vel pateat aditus. -- Si uterque ſit perſona ſoluta, erit Concubinatus ſimplex, ſic dictus à frequenti concubitu. Si alteruter ſit ligatus Matrimonii vinculo, erit Concubinatus adulterinus. Si Clericus in Sacris, vel perſona Deo dicata per votum Caſtitatis, erit Concubinatus Sacrilegus.

Concubinatus differt à fornicatione non 22 niſi per conditionem, & circumſtantiam notabiliter aggravantem malitiam Luxuriæ: quia tam vir, qui eſt *Concubinarius*, quàm mulier, quæ *Concubina* propria eſt, verſantur in continuo propoſito peccandi, ſaltem virtualiter, aut habitualiter, & habent pravam conſuetudinem, & occaſionem proximam prævaricandi, atque voluntariè perſeverant in ſuis peccatis, quod valdè aggravat malitiam internam, & externam luxuriæ; & ſi talis concubinatus ſit notorius, induit novam ſpeciem peccati, nempè damnoſum ſcandalum.

Unde Doctores communiter docent, 23 concubinarium abſolvi non poſſe in foro Sacramentali; niſi priùs dimiſerit concubinam, vel è domo ejecerit: aut ſi alibi habitet, firmiter, & efficaciter proponat, ad eam ampliùs non accedere: adhibita tamen experientia per aliquantum temporis, juxta prudentis Confeſſarii arbitrium. Et idem dicendum, & agendum eſt de concubina, & meretrice. -- Card. Toletus *Inſtruct. Sacerd. l.5. c.10.* ſic diſcurrit ad propoſitum. Concubinarii nullo modo ſunt abſolvendi, quin primùm ejiciant concubinas, quamvis in mortis articulo ſint, niſi urgeat mors, aut tempus deſit; quia tunc ſufficeret propoſitum; extra talem articulum, primò eijcienda eſt concubina; quòd ſi domi eam non habet, aliqua eſt experientia ſumenda de illius continentia ante abſolutionem: præſertim ſi ſæpè propoſuit, ſe contenturum, & non continuit, nec tam perfecta contritio in eo apparet. Hæc Toletus.

Doctor Navarrus *Manual. Confeſſ. cap.* 24 *15. à n. 20.* docet ſic. Circa hoc dicimus primò: quòd concubinarius cohabitans concubinæ adeò peccat, ut non debeat abſolvi antequam ab ea ſeparetur, cum propoſito numquam ampliùs ad eam redeundi. Ratio eſt: quia non poteſt verè pœnitere, non abſcindendo talem occaſionem, & opportunitatem peccandi adeò propinquam..... Cùm non poſſint

Digitized by Google

ſint ſine grandi periculo habitare ſimul , quin alteruter, vel uterque ipſorum peccet, vel opere , vel verbis , voluntate , aut delectatione . Ita Navarrus poſt D. Thomam, Paludanum, S. Antoninum, & Sylveſtrum.

25 Contra Concubinarios tam ſolutos, quàm uxoratos cujuſcumque ſtatus , dignitatis , & conditionis Sacroſanctum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 24. c. 8. de reform. matrim.* decrevit , ut ab Epiſcopo ipſi admoneantur, & , niſi reſipuerint , & concubinas non ejecerint , ſeque ab earum conſuetudine non ſejuxerint , excommunicentur , caſtigentur , & puniantur : & concubinæ ejiciantur à civitate, oppido, vel diœceſi, &c.-- Clericus autem notoriè fornicator, vel concubinarius eſt ipſo jure ſuſpenſus ; & hæc ſuſpenſio non ſolùm eſt ab officio, ſed etiam à beneficio ; quòd ſi celebret, aut exerceat actum Ordinis ante abſolutionem à ſuſpenſione, fit irregularis. Et contra Clericos notoriè fornicatores, vel concubinarios Conc. Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 14. de reform.* graviores pœnas ſtatuit, ultra èas, quæ habentur in Jure Canonico antiquo , quæ ibi confirmantur. Vide, quæſo, Toletum *l. 1. c. 48. Inſtruct. Sacerdotum.*

Quæro VIII. *Quinam ſunt fornicatores, ſeu concubinarii notorii?*

26 ℞. Ille cenſetur notorius fornicator, vel concubinarius, cujus delictum eſt notum , vel per confeſſionem factam in Judiciò , ſeu Foro externo , vel per ſententiam Judicis, vel per facti evidentiam , quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit . Ut habetur *cap. Quæſitum, & cap. veſtra , & cap. fin. tit. de cohab. cler. & mul.*

27 Hiis notoriis concubinariis, & Concubinis , ſicut & publicis meretricibus neganda eſt Sacra Communio etiam in Paſchate : niſi verè pœniteant , & eorum vel earum pœnitentia ſit nota, ut notum erat crimen, & ſcandalum . Ita ſtatuitur *de conſecr. diſt. 2. cap. Pro dilectione.* Ut qui ipſorum pravis exemplis offenſi fuerunt, eorumdem emendatione publica ædificentur, Navarrus *c. 21. n. 55.* poſt D. Bonaventuram, & Paludanum . -- Toletus, *l. 6. c. 17. n. 5.*-- Quod intelligendum eſt, quoties, & quando publicè petunt, vel accedunt ad Altare coram populo , cui notum eſt tale crimen.

Quæro IX. *Quid agendum caſu, quo concubinarius aſſereret Confeſſario , talem fœminam eſſe nimis utilem, & neceſſariam domui, & familiæ ſuæ?*

28 ℞. Confeſſarius debet intimare ficto pœnitenti hanc propoſitionem damnatam ab Alexandro Papa VII. quæ ſic ſonabat: num. 41.

Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii , vulgò Regalo: dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent: & alia famula nimis difficilè inveniretur.

Et , explicata vera doctrina morali , quam tradunt omnes Summiſtæ , & Doctores, qui explicarunt hanc , & alias ſimiles propoſitiones , Confeſſarius debet proteſtari, ſe non habere facultatem abſolvendi indiſpoſitos confitentes, qui efficaciter nolunt deſerere periculum proximum peccandi, qualis in caſu eſt talis fraudolentus, qui non vult rejicere concubinam. Vide, & attentè lege. -- Paulum Segnerum , *Il Confeſſor Inſtruito, c. 5.* -- Joan. Cardenam, *diſſer. 40. c. 5. & ſeqq.* -- Felicem à Poteſtatem Panormitanum, *Examine Confeſſariorum, tom. 1. p. 4. c. 5. à n. 3635. & ſeqq.*

Quæro X. *Qui commiſit fornicationem , vel aliam illicitam copulam carnalem , teneturne explicare totum, an ſufficit, ut dicat in Confeſſione, ſe peccaſſe graviter contra caſtitatem?*

29 ℞. Tenetur explicare totum , & conſequenter copulam habitam cum tali perſona in ſpecie; quia aliàs non confiteretur propriam, & ſpecificam malitiam fornicationis ; vel adulterii ; Nam peccare graviter contra caſtitatem non magis eſt hoc, quàm aliud peccatum in genere Luxuriæ; peccat enim contra caſtitatem , & graviter omnis fornicator, adulter, ſodomita , & ſic de aliis ; Atqui tenemur confiteri peccatum non ſolùm in genere, verùm etiam in ſpecie ſpecialiſſima; ergo explicandum eſt totum complexum , & conſtitutivum peccati in ſua ſpecie. Quare damnata eſt hæc propoſitio ab Alex. VII. quæ eſt la 25.

“Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatiſfacit Confeſſionis præcepto, dicens: *Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem: non explicando copulam.*”

3 *Dices*. Confeſſarius ſufficienter intelligit ex verbis prædicti peccatum fornicationis; ergo pœnitens ſufficienter eſt confeſſus

feſſus ſuum peccatum. ℞. Nego antecedens; quia, niſi ſit propheta, non poteſt capere ex illis tantùm verbis peccatum in ſpecie infima fornicationis. An non commiſit peccatum grave contra caſtitatem cum puella, vel fœmina ſoluta ille, qui cum ea habuit tactus impudicos? vel qui cum ea patravit ſtuprum? vel qui cum ea fecit ſodomiam? Certè, quòd ſic. Ergo Confeſſarius non ſufficienter intellexit ſpeciem peccati luxuriæ illius pœnitentis, qui tantùm protulit illa verba ambigua, & generica, ut ſuprà. Præterea etiamſi Confeſſarius divinitus cognoviſſet peccatum illud fuiſſe fornicationem ſimplicem, non per hoc eximittur pœnitens ab obligatione declarandi ſuum peccatum in propria ſpecie, verbis propriis tale peccatum ſpecificantibus; quia omnes tenemur ex præcepto Divino (ut docet Trid. Conc. ſeſſ 13. c.5.) aperire in Confeſſione omnia, & ſingula mortalia peccata in ſpecie, & numero, atque omnes circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant, ut de gravitate criminum rectè judicare poſſint Confeſſarii Judices, & pœnam congruam pro illis peccatis imponere ergo; ut ordo, & modus Judicii ſervetur in hoc Tribunali, debet pœnitens reus fateri eo modo, quo poteſt, proprium delictum cum omnibus circumſtantiis prædictis.

31 Quòd ſi pœnitens ex ignorantia oblivione, vel inadvertentia, aut etiam ex verecundia deficiat in integritate, & ſpecificatione prædictis, tenebitur Confeſſarius ex officio ſupplere defectum per congruas interrogationes pro qualitate, & capacitate ipſius pœnitentis; ut melius alibi videbimus.

32 Hoc unum non eſt hìc prætereundum. Peccatum videlicet fornicationis ex parte viri, & quandoque ex parte mulieris aggravari ſpeciali malitia ſcandali, quando nempè V.G. homo prior ad peccandum ſecum fœminam inducit; certè, & graviùs, ſi aliàs nolentem, vel invitam ſollicitet precibus, promiſſis, blanditiis, donis, & ſimilibus. -- Quòd ſi, poſt ſollicitationem prædictam, ad opus pravum non pervenitur, utique ſollicitans confiteri debebit attentatum peccatum; quia in hoc caſu peccatum ſollicitationis eſt diſtinctum ab ipſo opere; eſt enim peccatum ſcandali activi.

De Stupro.

Quæro XI. *Quid eſt ſtuprum?*

℞. Stuprum propriè, & ſtrictè captum, prout diſtinguitur ſpecie ſpecialiſſima ab aliis peccatis luxuriæ, eſt defloratio virginis invitæ, ſeu non liberè conſentientis; quod præter peccatum mortale fornicationis, eſt etiam contra juſtitiam, ob gravem ſcilicet injuriam illatam virgini, ejuſque Parentibus; ideòque ſtuprator tenetur in Confeſſione explicare hanc circumſtantiam *Virginitatis injuſtè ablatæ*, quæ etiam induceit obligationem compenſandi omnia damna virgini defloratæ; ut videbimus. 33

Quæro XII. *Quid eſt Virginitas?*

℞. Antequam definiatur Virginitas diſtinguenda eſt, nam integritas virginalis (ſive in viro, ſive in fœmina) eſt triplex, nempè materialis, formalis, & totalis. *Virginitas materialis* tantùm eſt illa, quæ reperitur in ſolo corpore, non autem in mente ſimul, & voluntate; & ſic parvuli, & parvulæ filiæ, quia carne integræ ſunt, dicuntur Virgines materialiter. *Virginitas formalis* tantùm eſt, quæ invenitur ſolùm in mente, & voluntate, & non item in carne, utpotè corrupta per vim contra voluntatem ipſius patientis. *Virginitas totalis* eſt quæ reperitur in corpore, vel carne ſimul & mente: puta cum homo, vel mulier nec in corpore ſuo quid turpe paſſa eſt, nec in corde ſuo quid turpe, aut venereum conſenſit: 34

Virginitas iſta totalis adhuc dupliciter poteſt diſtingui; alia perfectiſſima, & alia ordinaria. *Virginitas totalis ordinaria* eſt, quæ præcedit, ſed non excludit omninò Matrimonium, vel ejus propoſitum; Unde importat integritatem corporis, & cordis ipſius hominis, qui numquam carnis ſuæ corruptionem habuit, nec turpiter deſideravit. *Virginitas autem extraordinaria, & perfectiſſima* fuit definita à D. Auguſtino, *lib. de virgin. cap.* 13. ſic. *Virginitas eſt meditatio perpetua incorruptionis in carne corruptibili*. -- Duo enim dicit hæc definitio virginitatis, integritatem nempè carnis, ſeu incorruptionem corporis, in talem; & tantum gradum aſcendentem, ut numquam conſentiatur in carnis corruptionem; ac inſuper propoſitum obſervandi inte- 35

ntegritatem hanc in perpetuum ; unde excluditur expreſsè Matrimonium, ſeu copula quantumvis licita conjugii.

Quæro XIII. *In quo formaliter conſiſtit Virtus Virginitatis illius, cui debetur in Cælo laus, & laureola Virginum?*

36 ℞. Conſiſtit in Virginitate perfectiſſima, & perpetua ſuperiùs deſcripta, quæ videlicet importat incorruptionem mentis, & corporis in perpetuum. Quare coram Deo non reputantur Virgines illi, & illæ, quæ deſiderant Matrimonium, neque perſonæ, quæ aliquo luxuriæ peccato ſe inquinaverunt, etjam violato tantùm animo per conſenſum in libidinem. Virginitas tamen ſola mente amiſſa, recuperari poteſt apud Deum per veram pœnitentiam; (ut docent Summa Angelica *V. Virginitas*. -- Sylveſtrina. Azor. Anacletus. Sporer; & alii DD.) At amiſſa per copulam ſive licitam, ſive illicitam, & per quodvis peccatum luxuriæ, etiam per voluntariam pollutionem, vel mollitiam, numquam eſt recuperabilis. Nequaquam tamen amittitur coram Deo virginitatis meritum, & decor per involuntariam pollutionem ſive naturalem, ſive violentam, neque per meram, paſſivamque virginis oppreſſionem, vel ſtuprativam actionem, ſi omninò deſit conſenſus virginis in eam impuritatem; quinimò tunc locum haberet illud Sanctæ Luciæ dictum ad Paſchaſium præfectum tyrannum: *Si invitam juſſeris violari, Caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Ratio eſt; quia virtus non amittitur nobis invitis; ergo &c.

Quæro XIV. *Quando, & quomodo cenſetur Virgo invita violari à Stupratore?*

37 ℞. I. Maximè quando per violentiam phyſicam cogitur virgo, vel opprimitur, vel proſternitur, ſeu ſubigitur. At caſus iſte rariſſimus eſt; quia dum mulier totis corporis ſui viribus ſtrenuè reſiſtit, videtur difficilimum, ut habeatur cum ea ſtuprum, niſi funibus ligetur &c. II. Quando metu gravi in conſtantem mulierem cadente, V. G. mortis, infamiæ, atrocium vulnerum, aut verberum, vel alterius gravis damni periculo ad ſtuprum inducitur. In quo caſu, licèt peccet puella conſentiens, cenſetur tamen in foro fori invita, & ita inducens dicitur eam violaſſe. III Quando virgo metu reverentiali adigitur. IV. Quando per importunitatem ſuaſionum ſimul cum minis ad peccandum laceſſitur. V. Quando tandem dolo, & fraude ſeducta eſt: V. G. promiſſionibus fictis, & fraudolentis futuri Matrimonii, vel magnæ dotis, vel remunerationis, vel promotionis ad aliud pingue matrimonium. Solæ autem, & ſolitæ preces, etiam importunæ, vel ſola, & ſolita promiſſio vera alicujus muneris, aut donariorum, aut mercedis, non ſufficiunt ad reddendam invitam puellam virginem; ut docent Vaſquez, & alii cum Tamburino.

Quæro XV. *Defloratio virginis liberè conſentientis eſtne peccatum ſpeciale diſtinctum à fornicatione ſimplici?*

℞. Minimè. Ratio eſt: quia ſi ſolutus 38
habeat copulam cum ſoluta, committit ſimplicem fornicationem; ſed virgo eſt ſoluta: ergo ſolutus habens copulam cum virgine conſentiente, committit ſimplicem fornicationem. Tum quia: nulla alia formalis malitia reperitur in hoc peccato præter malitiam, ſeu turpitudinem contra virtutem caſtitatis; nam ſi alia eſſet, hæc utique eſſet malitia contra Juſtitiam; at deflorans virginem conſentientem non peccat ſpeciali malitia contra Juſtitiam: quia: ut dicit Regula 27. Juris in 6. ibi: *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus*. Et L. 2. ff. de injur. ibi: *Nulla eſt injuria, quæ in volentem fiat*: ergo non infertur injuria ipſi virgini defloratæ ſic volenti, ſcienti, & conſentienti: & conſequenter deflorans non peccat contra Juſtitiam. Neque infertur formalis injuria Parentibus virginis: quia virgo filia habet poteſtatem ſuis corporis, & quoad hoc eſt domina, ut poſſit corpore ſuo vel numquam uti ad copulam, aut uti legitimè, aut etiam illegitimè abuti abſque injuria formali cujuſvis alterius perſonæ, nam virginitas, ſeu integritas corporis eſt bonum naturæ accidentale, cujus dominium cadit in habentem; ergo habens nulli facit injuriam, ſi tali bono abutatur; excepta ſemper injuriâ, quæ fit Deo peccatum &c. Tum quia in caſu noſtro non committitur propriè ſtuprum, (ut patet ex definitione allata, num. 33.) cùm abſit violentia ex parte deflorantis, & renitentia ex parte violatæ. Ita docent Sotus *in 4. diſtin.* 18. *quæſtion.* 2. *articul.* 4. -- Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 1. & 2. -- Petrus Navarra, Suarez, Vaſquez, Sanchez, *lib.* 7. *matrimon. diſput.* 14. -- Laymann, Tamburinus -- Sporer, *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 7. *ſect.* 2.

ſect. 2. – Maſtrius *Moral. diſput.* 9. *num.* 57. – Anacletus, *Moral. Tract.* 9. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. – Felix Panormitanus, *tom.* 1. *n.* 2143. – Leander, *de pœnit. diſp.* 8. §. 2. *q.* 25. – Clericatus *Erot. c.* 68. *n.* 1. & alii DD.

Quæro XVI. *Virgo, ſive maſculus, ſive fœmina peccans prima vice contra Caſtitatem, & ſic amittens Virginitatem, teneturne confiteri hanc circumſtantiam virginitatis violatæ?*

39 ℞. Nequaquam. Ratio eſt, quia hæc circumſtantia *virginitatis perditæ* non variat ſpeciem peccati luxuriæ, ſed tantùm aggravat in eadem ſpecie peccatum illud, quod ſic luxuriando patratum eſt à virgine ſive maſculo, ſive fœmina. *Non variat ſpeciem*: quia non apparet unde hoc ſi peccatum ſpeciale, niſi ex hoc capite, quod eſt deſtructivum virtutis virginitatis; ſed hæc virtus non cadit ſub præcepto, ut patet; ergo amittens voluntariè virginitatem non peccat ex hoc præciſo motivo, contra aliquam virtutem ſpecialiter obligantem &c. *Aggravat tamen illud luxuriæ peccatum in ſua ſpecie* ob periculum probabiliſſimum relabendi; etenim experientia probat, nondum lapſos in luxuriæ vitium facilè abſtinere, ſemel autem lapſos facillimè reincidere, malumque habitum citò contrahere ex intenſione actus libidinoſi. Aggravatur etiam illud primum peccatum ob amiſſionem boni irrecuperabilis, quod eſt integritas virginalis, & maximè ex parte fœminæ ob violationem clauſtri, vel ſignaculi virginalis, & ob alias malas conſequentias, & indecentias; ut videre poteris apud DD. citatos.

Quæro XVII. *Ad quid tenetur deflorator virginis conſentientis?*

40 ℞. Per ſe loquendo, & in foro conſcientiæ ad nullam reſtitutionem obligatur neque puellæ, neque ejus Parentibus faciendam, & multò minùs ad eam in uxorem ducendam. Ratio patet ex dictis; quia deflorator ſimplex non peccavit contra juſtitiam; atqui ex ſolius juſtitiæ violatione oritur obligatio reſtituendi, vel damnum illatum compenſandi, ergo.

41 Dixi, *in conſcientiæ foro*; nam in foro externo ob bonum commune, & ad impedienda hujuſmodi delicta ſtatutum eſt à Lege Canonica, *cap.* 1. *de ſtup.* Ut deflorator Virginis etiam conſentientis cogatur vel eam dotare, vel ducere in uxorem, vel mulctam parentibus ſolvere. Dixi, *per ſe loquendo*; nam per accidens talis deflorator poteſt fieri injurioſus, & conſequenter reſtitutioni obnoxius, ſeu adſtrictus ad damna &c. Ut V.G. Si talis fornicarius domui paternæ puellæ vim intulit: ſi crimen aliàs occultum promulgavit, non ſine infamia, & damno illius fœminæ, & Parentum ejus.

Quæro XVIII. *Quid juris in dubio, an virgo, vel puella ſpontè conſenſerit?*

℞. In foro conſcientiæ etiam in hoc 42
caſu deflorator ad nihil obligabitur, juxta communem DD. ſententiam. Ratio eſt: quia in tali dubio, cùm debitum ſit incertum, jure poſſidet libertas defloratoris; nam in l. 3. ff. de dubiis, habetur: *Delictum in Dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet*. Et: *Nemo præſumitur delictum fraudis commiſiſſe*.

Quæro XIX. *Quid, ſi deflorator dubitet, an ipſa puella fuerit virgo inventa, an verò corrupta?*

℞. I. Si aliàs puella conſenſerit in co- 43
pulam carnalem, tunc deflorator, vel fornicator ad nihil tenebitur ex dictis. ℞. II. Si autem certum ſit, puellam fuiſſe ſeductam, & aliquo modo invitam, tunc omninò judicandum eſt, etiam in foro conſcientiæ, puellam fuiſſem virginem, neque ab alio corruptam, ſeu defloratam niſi à te, qui dubitas (poſt patratum ſtuprum) de illius puellæ virginali priori integritate: & conſequenter obligaris ad damnum inde ſecutum compenſandum. Ita cum aliis DD. Card. de Lugo *tom. de pœnit. diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.* 3. Ratio eſt, quia in dubio tali poſſeſſio ſtat pro virginitate puellæ, nec ejus poſſeſſio vinci poteſt niſi ex aliis potentioribus, & prioribus conjecturis, quibus probanda eſt realis corruptio, ſeu defloratio puellæ, quod difficillimum eſt, ut probetur à te dubitante, qui teneris de jure credere puellæ aſſerenti, ſe non priùs fuiſſe carnaliter cognitam, quàm à te. – Unde in hoc caſu nimis practico Confeſſarius debet judicare potiùs in favorem puellæ deceptæ, quàm viri deceptoris, & hunc obligare ad compenſanda damna ſecuta.

Quæro XX. *Quid, ſi puella per illatam deflorationem nullum aliud damnum paſſa ſit, præter ipſammet deflorationem?*

℞. Tunc ad nullam reſtitutionem, aut 44
compenſationem obligabitur deflorator in

conſcientia ante Judicis ſententiam: Ut V. G. ſi illa puella, crimine manente omninò occulto, æquè honeſtum, ac utile Matrimonium conſecuta ſit vel conſequi certò poſſit; tunc deflorator, v. ¹, ſtuprator ad nil obligatur. -- Communis DD. cum utroque Navarro, Petro nem, è, & Martino: Corduba, Vaſquio, L..lio, Laymanno, Lugo, & Sporerio, *tom.* 3. *fol. mihi* 403. -- Ratio clara eſt: quia pro injuria ſola, omni damno ſecluſo, nulla debetur reſtitutio, vel compenſatio, ſed tantùm, & ad ſummum aliqua ſatisfactio per ſententiam Judicis, ſi crimen deferatur, & probetur in foro externo; atqui in caſo noſtro puella deflorata nullum damnum compenſabile paſſa eſt, ut ſupponitur; ergo &c.

Quæro XXI. *Stuprator virginis ſeducta, & invita ad quid de jure tenetur?*

45 ℞. *I.* Hic, ſi eſt ſolutus, de jure tenetur, vel puellam in uxorem ducere, vel eam ſufficienter dotare, vel ſaltem procurare, ut ipſa æquè bonas nuptias ſortiatur, ac ſi non deflorata fuiſſet; non tenetur autem eam abſolutè ducere, niſi præceſſerit promiſſio futuri Matrimonii. Ita *ex c.* 1. *de ſtupr. & adulter.* docent Engel, *l.* 4. *tit.* 1. *n.*13. *& l.* 5. *tit.* 16. *n.* 13. -- Leſſius *l.* 2. *c.*10. *dub.* 2. Laymann, & alii cum Sporerio *tom.* 3. *p.* 4 *c.* 13. *ſect.* 2. Ratio eſt: quia in alternativis debitis eſt in poteſtate debitoris electio modi compenſandi damnum illatum, niſi Lex determinet modum; in caſu autem noſtro, (ſecluſa omni promiſſione Matrimonii, vel alterius determinatæ ſatisfactionis) de rigore juris ſtuprator non obligatur ad ducendam abſolutè puellam ſtupratam, ſed tantùm alternativè, vel disjunctivè *ad notandam, vel ducendam*.

46 Unde quantumvis puella ſeducta, vel ejus Parentes urgeant ſtupratorem ad Matrimonium, is non tenetur ad eam ducendam, niſi poſt Judicis ſententiam. Imò neque in foro externo ſolet à Judice cogi delinquens ad Matrimonium, ſi hoc non promiſit, ſed aliter compenſare poſſit, ac velit illatam injuriam, ac damnum. -- Quòd ſi puella reſpuat dotem, vel aliam juſtam compenſationem, ſibi ipſi imputare debet, ſi defraudetur à ſpe concepti, ac concupiti Matrimonii; quæ quidem ſpes cauſa eſſe ſolet ruinæ multarum fatuarum virginum.

47 *Petes*. Quid, ſi ſtuprator non habeat alium modum ſibi poſſibilem hic, & nunc, quo damnum vitiatæ virgini compenſet, niſi eam ducendo in uxorem? tenebiturne tunc eam ducere? ℞. Quòd ſic: cum Cardinali de Lugo, & Sporerio *citat.* ſi non eſt magnus exceſſus, & inæqualitas inter eos omninò obligatur delinquens ducere eam: quia conſcientia, & juſtitia urget delinquentem omnibus viis moraliter poſſibilibus compenſare damnum; at in caſu iſto nulla alia adeſt via moraliter ſibi poſſibilis præter hanc; ergo ad hanc tenetur. Si verò magnus ſit exceſſus, vel inæqualitas inter eos, aut aliud grave impedimentum occurrat, quod aliàs ſolet etiam ipſa ſponſalia dirimere, tunc non tenetur eam ducere; ſed ad ſummum obligatur veniam petere. Ratio eſt, quia nec in aliis debitis obligat ſolutio, quando longè plus expendere opus eſt, quàm ſit valor ipſius debiti. Tum quia ad impoſſibile, aut valdè difficile nemo tenetur.

Quid, ſi econtrà ſtuprator omninò velit puellam ducere, ſed ipſa nolit, aut Parentes omninò contradicant? ℞. Tunc adhuc deflorator tenetur compenſare dote, vel peccunia damnum illatum puellæ, & Parentibus ejus. Ratio eſt, quia ex una parte virgo decepta, & corrupta non debet remanere ſine debita compenſatione poſſibili: ex altera autem parte non poteſt ipſa cogi ad Matrimonium, quod eſſet debet liberum; maximè inhoc caſu, in quo puella paſſa eſt injuriam ſtupri, & averſionem (ut ſuppono) magnam erga ſtupratorem. 48

℞. *II.* Si autem ſtuprator Virginis fuerit Matrimonio, vel alio quovis vinculo ligatus, ita, ut non poſſit ducere puellam ſeductam, tunc jure naturæ tenebitur, vel eam honeſtè dotare, vel alio modo ſibi poſſibili illatum damnum compenſare; ut omnes DD. tradunt in materia de Juſtitia, & Jure. Quòd ſi fuerit Clericus, punietur ab Epiſcopo pœna arbitraria, carceris, degradationis, depoſitionis, ſuſpenſionis, privationis officii, & beneficii, pro qualitate perſonæ, & circumſtantiarum in foro externo; nam quo ad forum internum, ſeu in conſcientia obligabitur ſic alius ſtuprator ad reſarcienda damna illata, vel inde ſecuta puellæ. 49

℞. *III.* Qui ſtupravit virginem cum vera, & ſeria promiſſione futuri Matrimonii, ſine dubio in utroque foro obligatur eam duce- 50

ducere; niſi legitima ſuperveniat excuſatio. Quia tunc fit contractus oneroſus, *facio, ut facias*: ſeu promitto conjugium, ſi des uſum tui corporis. Et in tali caſu obligatur ſtuprator ad perfectum, & conſummatum conjugium; neque tunc poterit uti privilegio primi bimeſtris ad deliberandum de Religione ingredienda, nec eam ingredi poterit; ſed debebit, puella petente, & inſtante, Matrimonium contrahere, & conſummare: juxta communiſſimam DD. Quod etiam verificatur caſu, quo vir promittens, & deflorans ſit altioris ſtatus, & conditionis. Lugo *diſp* 11. *ſect.* 3. *n.* 32. cum aliis DD. quia tunc ratione veræ, & realis promiſſionis promittens ceſſit ſtatus, & conditionis ſuæ legibus, & prætenſionibus; ergo puellæ etiam pauperi debetur ille exceſſus; niſi aliunde accederet alia cauſa excuſans: ut videbimus infrà.

51 ℞. *IV.* Stuprator; qui fictè promiſit Matrimonium puellæ ſtupratæ, nempè ſine intentione ſe obligandi, ac implendi promiſſum, tenetur adhuc eam ducere in conſcientiæ foro, etiamſi nulla adſit promiſſionis probatio. Quia adhuc ſubſiſtit contractus ille oneroſus; nam puella, promiſſione ficta pro vera acceptata, conditionem ſuam realiter implevit, & vir hanc conditionem (nempè uſum corporis) acceptando, ipſo facto de novo cenſetur conſentire in futurum Matrimonium, quantumvis ante fictè promiſerit. Nec ſufficit in hoc caſu compenſare damnum dote, vel alia via æquivalenti; quia promiſſio perſonalis, & realis fuit de danda ſua perſona, & non de alio; ergo in ipſam perſonam promittentem puella jus acquiſivit; & conſequenter injuria magna fieret puellæ, ſi non ipſa perſona, ſed aliud, etſi damno æquivalens, daretur. Communiſſima cum Sanchezio *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 10. Engel. *l.* 4. *tit.* 1. *nu.* 13. & *l.* 5. *tit.* 16. *n.* 13. Sporerio *tom.* 3. *p.* 4 *c.* 3. *ſect.* 2. §. 4.

52 *Limita, vel excipe primò*: niſi puella ultroneè acceptare vellet talem commutationem pecuniæ, vel dotis pro perſona. *II.* niſi puella ſe ipſam deceperit, ſciens, vel advertens promiſſionem eſſe fictitiam. *III.* Niſi vir verbis ambiguis uſus ſit, ut facilè appareat, illum fingere, & velle decipere. *IV.* Niſi puella apprehenderit impoſſibilitatem Matrimonii, vel ob impedimentum dirimens inter ipſos, vel ob inæqualitatem perſonæ. Nam in primo caſu ipſa cedit Juri ſuo, diſſolvit contractum; in reliquis autem deceptio fuit ipſi nota; ideòque non plenè conſenſit: & ſibi cavere debebat, & poterat, quia volens decepta eſt. Tenetur tamen fictus promiſſor, & verus ſtuprator ad reſarciendum damnum aliquo modo.

Cauſæ autem excuſantes, ut Stuprator 53
non teneatur ducere virginem defloratam, ſive vera, ſive ficta promiſſione Matrimonii inductam, vel deceptam, ſunt frequentes. I. Si ſuperveniat impedimentum dirimens indiſpenſabile; dico *indiſpenſabile*, quia ſi eſſet diſpenſabile, certè teneretur ſtuprator implorare diſpenſationem; quia debitor ſemper tenetur adhibere medio ordinaria ad ſolvendum debitum creditori. II. Si ex tali Matrimonio prævideatur certò, vel probabiliter oriturum magnum ſcandalum; quia ſicut hæc cauſa ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, ita etiam ad promiſſionem Matrimonii in caſu noſtro ſufficiet. III. Si fœmina ſtuprata fornicetur poſtea cum alio; quia hæc cauſa ſufficit ad ſeparationem in Matrimonio jam contracto; ergo multò magis ſufficiet in matrimonio tantùm promiſſo. IV. Si puella ſe virginem finxit; quia tunc non fuit verum ſtuprum. V. Si copula carnalis fuerit incompleta, ſeu non conſummata per ſeminationem intrinſecam; quia tunc ſtupri malitia non fuit perfecta cum damno, vel periculo ſolito prolis concipiendæ.

At quid in hoc ultimo caſu, ſi hujuſ- 54
modi copula, vel tactus valdè impudici veniſſent in cognitionem aliquorum, cum infamia, & damno puellæ? ℞. Oportet indagare verba promiſſionis. Vel enim vir promiſit matrimonium pro quacumque copula, vel tactibus illis turpiſſimis, & tunc obligabitur ad eam ducendam propter pactum initum, & acceptatum. Vel promiſit matrimonium pro ſolita copula completa: in actu autem renuit puella, & non permiſit totam completam; & tunc non obligabitur ad nuptias; quia non fuit adimpleta totalis, vel principalis conditio, ob hujuſmodi tamen turpitudinem viro exhibitam, & præſtitam, ex qua virgo paſſa eſt illud damnum, & infamiam, tenebitur vir ad aliquam congruam compenſationem arbitrio boni, & prudentis viri, pro qualitate, & quantitate damni ſecuti.

De Raptu, & oppreſſione &c.

Quæro XXII. *Quid eſt Raptus?*

55 ℞. Raptus, prout eſt quædam ſpecies luxuriæ à cæteris diſtincta, ſic definitur: Eſt violenta abductio fœminæ de loco ſuo ad alium locum cauſa libidinis explendæ, vel matrimonii contrahendi: Ex qua definitione colligitur, quòd tria requiruntur ad Raptum propriè captum. I. Abductio fœminæ raptæ à domo ſua, vel paterna, vel tutelari; quare Raptus non committitur ab eo, qui virginem in loco ſuo repertam, ibidem violat, aut opprimit; quia hoc potiùs erit ſtuprum, quàm raptus. II. Ut abductio illa fiat cauſa libidinis, vel matrimonii; III. Ut talis abductio ſit violenta, idest, facta per vim, contra voluntatem fœminæ; unde quando fœmina ſpontè conſenſit, & ſolùm inſciis Parentibus cum amaſio diſceſſit, propriè raptus non eſt, ſed fuga ſpontanea.

56 Raptus ergo ſic explicatus continet ſpecialem malitiam rapinæ contra Juſtitiam; quia vis infertur vel puellæ, vel Parentibus, aut Curatoribus, vel omnibus ſimul. Et per hoc differt à ſtupro, quia puella rapta per violentiam poſitivam, & abductionem opprimitur, ubi non poteſt petere auxilium à ſuis: ſtuprum autem fit ubique cum virgine invita, vel decepta. Item raptus fieri poteſt cum quacumque fœmina, etiam vidua, non ſolùm ob libidinem, verum etiam ob matrimonium contrahendum; ſtuprum verò fit tantùm cum puella virgine, ad explendam ſolùm luxuriam.

57 Quoniam verò Raptus, & ſtuprum conveniunt eſſentialiter in malitia injuriæ, & injuſtitiæ illatæ proximo, ideò, quoad obligationem reſtitutionis, & damni compenſandi, eadem prorsùs dicenda ſunt de Raptu, & Raptore, quæ diximus de ſtupro, & ſtupratore. Hæc tamen addenda breviter ultrà.

58 Contra Raptores Jure Civili conſtituta eſt pœna capitis. *L. un. C. de raptu virg.* Jure autem Canonico conſtituitur publica pœnitentia, & ut Raptor ſine ſpe conjugii maneat, *cap. Raptor, & cap. ſtatutum 27. q. 2.* Et noviſſimè Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de refor. matrim.* alias addidit pœnas; videlicet pœnam excommunicationis ipſo jure incurrendam à Raptore, & omnibus conſilium, auxilium, aut favorem ei præſtantibus: pœnam perpetuæ infamiæ, & impedimentum dirimens matrimonium quamdiù Rapta ſtat in poteſtate Raptoris.

Quæro XXIII. *Quid eſt Inceſtus?*

59 ℞. Eſt peccatum luxuriæ commiſſum cum perſona ſanguine conjuncta. *Vel* Eſt concubitus illicitus inter conſanguineos, & affines uſque ad quartum gradum incluſivè. *Vel* eſt quodvis peccatum libidinis inter perſonas conjunctas conſanguinitate, vel affinitate, vel ſpirituali, aut legali cognatione, vel publica honeſtate; ut patebit.

60 Inceſtus, præter peccatum luxuriæ, V. G. fornicationis, vel alterius ſpeciei, ſpecialem continet malitiam ſibi propriam, nempè ſpeciem peccati contra virtutem *Pietatis*, ac reverentiam naturali jure debitam perſonis conjunctis; qui enim ſunt conſanguinei, ſunt aut principium noſtrum (ut Parentes, aliique aſcendentes,) aut fundantur, vel radicantur in principio ortus noſtri, ut omnes noſtri conſanguinei, & Affines; ideò ipſo naturali inſtinctu, & jure naturæ debetur eis ſpecialis reverentia, cui directè repugnat actus inhoneſtus, & libidinoſus: ut optimè oſtendit inter alios DD. Leſſius *l. 2. de juſt. c. 10. dub. 11.*

Quæro XXIV. *An Inceſtus omnes ſint ejuſdem ſpeciei moralis?*

61 ℞. In hoc puncto eſt controverſia inter TT. magni nominis; ſed probabilius eſt, gradus Conſanguinitatis differre ſpecie morali à gradibus Affinitatis, & in linea Conſanguinitatis primum gradum differre ſpecie à reliquis tribus gradibus. Ratio eſt: quia hujuſmodi Inceſtus ſunt contra diverſas honeſtates; ut cum Maſtrio, & aliis DD. probat Felix Panormitan. *Tom. 1. par. 2. de Præceptis Decalogi 6. & 9. nu. margin.* 2154. Tum quia in Caſibus reſervatis fit aliqua notabilis diſtinctio de prædictis gradibus.

Quæro XXV. *Quid eſt Cognatio legalis?*

62 ℞. Eſt illa, quæ contrahitur ex adoptione alicujus in filium ſecundùm Leges, qui vocatur *Filius adoptivus*. Et hæc cognatio habetur inter adoptantem, & adoptatum: inter filios legitimos adoptantis, & ipſum adoptatum: inter uxorem adoptati, & ipſum adoptantem: & inter uxorem adoptantis, & ipſum adoptatum; omnes vocantur Cognati Legales. -- *Petes*, an

coitus

Digitized by Google

coitus inter iſtas perſonas ſit verè, & proprius inceſtus? Quòd ex natura rei non eſt: patet, quia iſtæ perſonæ natura non ſunt propinquæ, ſed lege humana dumtaxat; ergo concubitus, vel coitus iſtarum perſonarum non poteſt dici verè, & propriè inceſtus, qui eſt abuſus conſanguinearum, vel affinium. Dicitur tamen, & eſt inceſtus aliquo modo: quia impedit, vel dirimit matrimonium; & punitur ut Inceſtus, ſicuti probat Azorius, *p. 3. lib. 3. c. 9. & 10.*

Quæro XXVI. *Quid eſt Cognatio ſpiritualis?*

63 ℟. Eſt quæ oritur ex conjunctione quadam ſpirituali, quæ contrahitur ex Baptiſmo, & Confirmatione, nempè inter baptizantem, & baptizatum, inter patrinum, vel matrinam cum ipſo baptizato, inter parentes baptizati cum patrino, vel matrina ejus: Ly *parentes* intellige Patrem, & Matrem infantis baptizati: & inter baptizantem, & parentes baptizati. Idem eſt in Confirmatione dicendum. Nota, quòd inter patrinum, & matrinam, (quando ſimul tenent, vel ſuſpiciunt parvulum baptizatum) non oritur ulla cognatio ſpiritualis, ex Conc. Trident. *ſeſſ. 24. de reform. matrim. c. 2.* Si igitur inter has perſonas habeatur copula carnalis, dicitur inceſtuoſa, & eſt explicanda in Confeſſione; quia continet ſpecialem malitiam inceſtus ſpiritualis, quæ eſt quædam ſpecies Sacrilegii; quia eſt contra reverentiam debitam Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, & perſonis ex intuitu Sacramentalis actionis connexis, vel ſpiritualiter conjunctis. Item eſt inceſtus ex lege Canonica, quæ ordinavit, & ſtatuit hanc cognationem ſpiritualem inter prædictos; quæ Cognatio eſt unum ex impedimentis impedientibus, & dirimentibus Matrimonium; quòd ſi hæc cognatio ſuperveniat Matrimonio jam contracto impedit uſum conjugii, ſeu debitum conjugale ex parte illius conjugis, cujus culpa inductum eſt hoc impedimentum, ita ut iſte, ante diſpenſationem, licitè nequeat petere, quamvis poſſit reddere debitum; ut cum pluribus textibus Legis Canonicæ probat Azorius nuper citatus, *c. 9. & 10.*

64 Non eſt tamen neceſſarium explicare in Confeſſione, an ex Baptiſmo, an ex Confirmatione orta ſit hæc Cognatio; ſicut non eſt neceſſe declarare, an V. G. baptizans peccaverit cum baptizata filia ſpirituali, an cum matre ejuſdem: idem dicendum de Patrino, & aliis perſonis prædictis: ſed ſufficiet dicere: *peccavi tali ſpecie luxuriæ cum perſona mihi conjuncta cognatione ſpirituali*, ut probat cum Sanchez Tamburinus ſuprà citatus in methodo Confeſſionis.

Quæro XXVII. *An Confeſſarius carnaliter cognoſcens fœminam filiam ſpiritualem ex Confeſſionis tantùm Sacramento, cujus nimirùm confeſſionem audivit, ſit inceſtuoſus ſecundùm Cognationem Canonicam Legalem; ita ut teneatur explicare (quando ipſe ſuum confitetur peccatum) hanc circumſtantiam filiationis ſpiritualis, dicendo: peccavi carnaliter in tali ſpecie libidinis cum filia Spirituali Confeſſionis?*

℟. I. Homobonus de Bonis *in Commentario de Caſibus reſervatis p. 2. caſu 3. ſect. 3. dicit*: In hac re dicendum videtur, hoc delictum ratione fœderis, & vinculi ſimilis Cognationis ex Sacramento Baptiſmi contractæ, ad Inceſtum quodammodò pertinere, ut ait Symmachus Papa, *in cap. Omnes 30. q. 1.* – D. Thom. *in 4. ſent. d. 42. q. 1. art. 2.* & multi etiam alii, quos refert Sanchez *diſp. 55. n. 3.* Nec ſolùm eſſe circumſtantiam notabiliter aggravantem, ut patet, ſed etiam mutantem ſpeciem, & ob particularem Eccleſiæ prohibitionem, ſpecialem etiam rationem ſacrilegii continere, ac proinde maximam deformitatem in ſe habere, & gravi pœna plectendum. Siquidem qui filiam ſuam ſpiritualem nefario inceſtu contaminaverit, ab omni Officio deponendus eſt, & cunctis diebus vitæ ſuæ ad jugem pœnitentiam agendam in Monaſterium detrudendus, *cap. ſi quis Sacerdos, & cap. Omnes cit. Abb. in cap. fin. de purg. can.* – Hæc Homobonus; cui opinioni adhærent Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 55.* cum aliis ibi citatis: Coninchius *diſp. 32. dub. 2. num. 23.* Riccius *deciſ. 376* & alii D. D. citati à P. Azorio *part. 3. lib. 3. cap. 9. quæſt. 5.* qui Azor, licèt contrariam doceat opinionem, aſſerit tamen, quòd augetur nimis malitia ſacrilegii Confeſſarii in hoc delicto, quia ex eo datur occaſio maritis, & patribus, uxores, ac filias ab hoc Sacramento retrahendi, &, ut rariùs ad illud accedant, procurandi. Et *ibi. quæſt. 9.* dicit. Opus eſt, hanc circumſtantiam declarare, quoties fuerit Lege aliqua Eccleſiaſtica prohibita hæc circumſtantia: item quoties ali- 65

quid damni ex eo peccato, & pravo exemplo Sacerdotis, patietur Sacramentum Pœnitentiæ.

66 ℟. *II.* Bonacina *de Matrim. q. 4. punct. 16. prop. 5.* tenet, non eſſe inceſtum, neque circumſtantiam mutantem ſpeciem. Ratio eſt, quia Inceſtus committitur inter cognatos; Sacramentum autem Confeſſionis non inducit propriè Cognationem ſpiritualem, cùm in nullo jure expreſſa reperiatur: unde illud, *cap. Omnes 40. q. 1.* intelligitur de inceſtu metaphorico, & improprio, quo Confeſſarius dicitur *Pater Spiritualis*, & pœnitentes dicuntur ejus filii, & filiæ ſpirituales. Unde conſtat, Confeſſarium carnaliter cognoſcentem aliquam fœminam ejus pœnitentem, non committere inceſtum; modò Confeſſarius non ſit proprius Parochus, qui baptizavit talem fœminam. Monuerim tamen, Parochum habentem copulam cum ſua Parochiana committere ſpeciale peccatum, etiamſi eam, non baptizaverit; nam peccat contra proprium officium; eò quòd illi ſpecialiter incumbat cura procurandi ſalutem æternam ſuorum parochianorum; & tenetur ex officio oves ſibi ſubjectas bonis moribus imbuere. -- Hæc Bonacina. At, ego ſubſumo, cuilibet Confeſſario ex officio exercito Confeſſionis audiendæ incumbit onus procurandæ ſalutis cujuſlibet pœnitentis; ergo videtur eadem ratio omnes Confeſſarios urgere, ne ſcandalizent ſuas pœnitentes inducendo ad peccandum ſecum carnaliter; vituperatur enim per hujuſmodi peccatum Miniſterium Sacerdotale, & retrahuntur fideles ab hoc Sacramento, quod ſemper damnum, ac injuriam patitur ex malo exemplo Confeſſariorum ſimilium. Quare penſatis penſandis in hoc caſu apparet, vel ex uno, vel ex alio capite, & motivo, obligatio ſatendi hanc circumſtantiam peccati carnalis commiſſi cum filia ſpirituali.

67 *Petes*, Numquid hæc mulier licitè poterit confiteri idem peccatum eidem Confeſſario complici? ℟. Regulariter non poteſt. Quia in praxi difficile eſt, ut verè contrita, vel attrita accedat ad pedes talis Confeſſoris, vel ut talis Confeſſor eàm ritè diſponat ad verum, efficacemque dolorem; ſicuti optimè probat Segnerus *in Confeſſ. Inſtruct. c. 12. in fine*, citans Baſ. Pontium *de Matrim. lib. 7. c. 38. nu. 2.* Quare in multis Diœceſibus juſtiſſimè prohibetur, ne quivis Confeſſarius ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam Pœnitentiarius, poſſit audire in Confeſſione, & abſolvere pœnitentem complicem de peccato aliquo carnali.

Quæro XXVIII. *Quid eſt cognatio orta ex publica honeſtate?*

℟. Eſt illa, quæ conſurgit ex Sponſalibus validè initis, ſeu celebratis de futuro Matrimonio inter Sponſum, Sponſam, eorumq; Parentes; & conſanguineos in primo gradu. Quæ cognatio poſita eſt ab Eccleſia ob naturalem quamdam honeſtatem ex conjunctione animorum ortam, in tali Matrimonio de futuro: quia honeſtum, & juſtum eſt, ut conſanguineis unius Sponſi interdicatur quævis carnalis conjunctio; ſeu copula, vel Matrimonium cum altero Sponſo; ideòque poſitum, vel introductum eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. Unde ſi quis cognoſceret ſororem V. G. vel matrem, filiamve ſuæ Sponſę peccaret peccato inceſtus; quia cognovit perſonam ſibi conjunctam Cognatione hac publicæ honeſtatis; quia etiam hoc prohibitum eſt ab Eccleſia ponente in ea impedimentum dirimens, propter reverentiam ſic conjunctis debitam; nec poſſet ampliùs eam Sponſam ducere in uxorem; dummodò tamen ſeminaſſet intùs in vaſe naturali; ſi enim ſic non ſeminaſſet, non contraxiſſet impedimentum affinitatis; nam ex ſola ſeminatione virili vir, & mulier fiunt una caro? 68

Quæro XXIX. *Quænam pœna infligitur de jure inceſtuoſis?*

℟. Pœna Inceſtus ſine Matrimonio commiſſi de jure Canonum eſt, ut Laicus inceſtuoſus excommunicetur, Clericus verò omninò deponatur. Abbas, & DD. in, *cap.* Etſi Clerici, *4. §. fin. Judic.* -- Si autem inceſtus conjunctus ſit Matrimonio, ideſt, ſi quis ſcienter cum conſanguinea, vel affine in gradu prohibito contraxerit Matrimonium, ipſo facto excommunicationem incurrit. Clem. *de conſanguin. & affin.* Ab hac tamen excommunicatione, juxta frequentiorem DD. ſententiam, excuſantur qui cum impedimento vel publicæ honeſtatis, vel cognationis legalis, vel ſpiritualis Matrimonium contrahunt: quia Clementina tantùm loquitur de illis, qui cum conſanguineis, vel Affinibus contrahunt; in pœnalibus verò non debet fieri extenſio, juxta vulgatas juris regulas. Tum quia 69

ſola

ſola copula, eaque completa inter perſonas adinvicem conjunctas cognatione naturali, & carnali, ex qua oritur, & habetur vera Conſanguinitas, & Affinitas, vocatur, & eſt propriè, & ſtrictè *Inceſtus*: ut probant Azorius cit. & Engel *libr. 5. tit. 16. §. 4. à n. 29.* Nam Inceſtus verus, & proprius eſt concubitus cum conſanguineis, vel affinibus propriè, & ſtrictè captis.

70 *Unde infertur*, quòd ubi reſervatur *Inceſtus*, niſi aliis verbis amplietur, & declaretur à reſervante, intelligi debet in propria, & rigoroſa ejus ſignificatione, & acceptatione nuper explicata; quia Reſervatio eſt pœnalis, & odioſa. Idem dices de ſimilibus caſibus. V. G. Si reſervetur *copula cum filia, ſeu cognata ſpirituali*: intelligitur caſus de copula completa, & de filiatione, ſeu cognatione ſpirituali, quæ oritur ex ſolo Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, non verò Confeſſionis, &c. Unde in tali caſu pro *Cognata Spirituali* intelliges omnes perſonas, quæ ratione, vel intuitu Baptiſmi, aut Confirmationis contraxerunt parentelam Spiritualem veram, & propriam; ut ſuprà *n. 63.* & *64.* declaratum eſt.

Petes. Quomodo intelligendus, & explicandus eſt Caſus reſervatus ſub his verbis: *Inceſtus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis, & in primo Affinitatis?*

71 ℞. *I.* Intelligitur de *inceſtu* proprio, & rigoroſo, ſuperiùs explicato. *II.* De inceſtu naturali, & completo; *III.* In *primo gradu Conſanguinitatis* veniunt Pater cum filia, Mater cum filio, & frater cum ſorore, peccantes. *IV. In ſecundo gradu* veniunt Avus cum nepte, Nepos cum Avia Patruus cum nepte, Avunculus cum nepte, Nepos cum Amita, Nepos cum Matertera, Conſobrinus carnalis, vel primus Conſobrinus cum Conſobrina, peccantes. *V.* In *primo gradu Affinitatis* veniunt omnes Conſanguinei in primo gradu ex parte Viri peccantes copula carnali perfecta cum Uxore illius Viri; & è contra. Nam omnes Conſanguinei Uxoris evadunt Affines Marito in eodem gradu, quem Conſanguinitatis habent cum Uxore illius Mariti; & omnes Conſanguinei Viri efficiuntur Affines Uxori eodem gradu, quo ſunt conjuncti Conſanguinitatis Marito illius Uxoris. — Ex Florono, *de caſu reſerv. part. 2. caſu 6. numero 24. VI.* Item qui cum Matre aliena, & poſtea cum ejus filia, vel è contra; & qui cum duabus ſororibus rem habet: & etiam qui cum eadem fœmina, cum qua Pater ſuus, vel frater, vel filius ſuus antea rem habuit, fornicatur. Et tamdem, ad majorem explicationem, qui habet copulam cum ſua filiaſtra (nempè filia olim alterius viri uxoris ſuæ) committit inceſtum in primo gradu Affinitatis. Si vis plura ſcire, lege Graffium, *de Caſum Reſervatione, lib. 1. ca. 13.* — Homobonum, *de caſu reſerv. p. 2. ca. 4. ſect. 1.* — Ignatium Lupum *in caſu reſerv. p. 2. caſ. 2.* Lucam Floronum *de caſ. reſ. p. 2. caſ. 6.* ex profeſſio tractantes de Caſibus Reſervatis.

Quæro XXX. *Quid eſt Sacrilegium carnale?*

℞. Eſt peccatum luxuriæ, quo perſona, vel res ſacra per actum venereum violatur; adeòque continet ſpecialem malitiam contra virtutem Religionis. Quando ipſa perſona contaminatur peccato aliquo luxuriæ, vocatur *Sacrilegium carnale perſonale*; quando autem per actum libidinis conſummatæ violatur locus ſacer, vocatur *Sacrilegium locale*; Et quando res ſacra adhibetur, vel uſurpatur ad peccatum carnale perpetrandum, vocatur *Sacrilegium reale*. 72

Per *ſacram perſonam* intelligitur omnis homo, qui voto (ſive privato, ſive publico, ſive explicito, ſive implicito) Caſtitatis adſtringitur, Deoque conſecratur; Et poteſt triplici modo fieri. I. Perſona non ſacra peccando cum ſacra. II. Perſona ſacra peccando cum non ſacra. III. Perſona ſacra peccando cum alia ſacra. Primus modus grave continet Sacrilegium; ſecundus gravius importat ſacrilegium; & tertius graviſſimum dicit ſacrilegium perſonale, & hoc duplex numero: unum proprium perſonæ inducentis, alterum alienum perſonæ inductæ, ſeu complicis. 73

Licèt gravius ſit ſacrilegium perſonæ Religioſæ per votum ſolemne Deo perpetuò dicatæ, quàm alterius, quæ, vel voto privato explicito Caſtitatis, vel publico implicito per ſuſceptionem Ordinis ſacri ſe Deo dicavit: graviuſque ſit ſacrilegium Religioſi, & Sacerdotis, quàm Religioſi tantùm, vel Clerici tantùm: attamen probabiliſſimè dicendum eſt, non neceſſariò explicanda eſſe hujuſmodi vota, ſed 74

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficere in quocumque caſu fateri, ſe peccaſſe tali ſpecie luxuriæ contra votum Caſtitatis; ut probant Marchant, Sanchez, Diana, Baſſæus, Tambur. & Sporer, *to. 3. p. 4. c. 3. ſect. 4.* Quia omnia vota eſſentialiter conveniunt in ſpecie, & virtute Religionis; ergo ſacrilegia perſonalia pariter contra eamdem prorsùs virtutem erunt ejuſdem malitiæ, & ſpeciei moralis; nam magis, & minùs non variant ſpeciem. Quamvis Card. de Lugo, Laymannus, & alii DD. teneant, peccatum Religioſi importare quamdam ſpeciem adulterii ſpiritualis contra fidem datam ſuæ Religioni.

75 Sacrilegium carnale locale fit per voluntariam effuſionem ſeminis in loco ſacro, (nempè in aliqua Eccleſia conſecrata, vel ſaltem benedicta ab Epiſcopo, aut in Cœmeterio ejuſdem Eccleſiæ) non ſolùm illicitam, ſed etiam licitam, puta per copulam conjugalem extra caſum urgentis neceſſitatis: nec tantùm notoriam, (qua ipſa Eccleſia polluitur) ſecundùm omnes DD. ſed etiam occultam; juxta communem, & probabiliorem ſententiam: ut probant Suarez, *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 7. n. 4.* Bonacina *de matrim. q. 3. pun. ult. n. 6.* cum aliis DD. — Item habetur hæc ſpecies Sacrilegii contra locum ſacrum per quodvis aliud peccatum luxuriæ externæ, ut puta per tactus, aſpectus, & alios actus impudicos, locutione turpes, & ſimilia; quia hæc omnia, & ſingula reducuntur ad Venerem, & ordinantur ad Pollutionem illicitam; tum quia hujuſmodi peccata ſpecialem important repugnantiam cum ſanctitate loci, & irreverentiam magnam irrogant Sanctuario, ac domui DEI, ut ipſa ratio dictat; nam etiam pueri ipſi, ſi quid turpe in Eccleſia patrarunt, fatentur ſpontaneè circumſtantiam loci ſacri; unde miror, & non capio Doctores aliter ſentientes.

76 Per locum autem Sacrum in hac materia intelliguntur tantùm Eccleſiæ conſecratæ, vel benedictæ, cemeteria, & Oratoria conſtituta auctoritate Epiſcopi, & deputata ad Divinum cultum publicum, ubi nempe publicè celebratur Miſſa. Non autem includuntur Monaſteria, Dormitoria &c. Neque fornices templi, vel ſuprastructa, neque ſubterranea, (dummodò locus ille ſubterraneus non eſſet deſtinatus cultui Divino, aut ſepulturæ mortuorum) neque turris, ſeu campanile, neque Sacriſtia, vel camera alia corpori Eccleſiæ contigua; ut cum multis DD. probat Bonacina nuper citatus, *à nu. 9. & ſequentibus.*

Sacrilegium denique carnale reale, 77 ſeu quoad res ſacras, (inter quas ſummum locum obtinent ipſa Sacramenta, quibus homo ſanctificatur, & poſt ſacramenta, ſecundùm locum tenent vaſa conſecrata, paramenta ſacra, vel benedicta, imagines, ſcripturæ Sacræ, reliquiæ Sanctorum, Agnus Dei, roſaria, coronæ: deinde quæ pertinent ad Sacramentalia, ad ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorum ejus, ad cultum Altaris, & ſimilia.) Sacrilegium, inquam, hujuſmodi committitur, quando res aliqua ſacra uſurpatur per ſuperſtitionem ad peccatum aliquod luxuriæ perpetrandum, vel ad conciliandum amorem venereum, vel ad inducendam aliquam perſonam ad turpia, & inhoneſta, &c.

Huc ſpectat graviſſima, & damnatiſſima illa Sacrilegii ſpecies, qua Sacerdos 78 in Confeſſione, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis ſollicitat pœnitentem ad venereum aliquem actum; nam ex hoc abuſu graviſſima irreverentia infertur Sacramento, adeòque verum Sacrilegium admittitur; ſed fuſiùs in integro agendum erit alio Tractatu de ſollicitatione hac turpiſſima. Vide Tract. 69. in ſecundæ Parte.

Petes. Si quis Sacerdos paramento 79 aliquo ſacro, vel ſacerdotali indutus rem fœdam, & veneream ageret, peccaretne peccato etiam Sacrilegii? ℞. cum Marchantio noſtro, & Sporerio, quòd ſic; quia illa veſtis ſacra, non minùs, quàm locus ſacer, Divino cultui dicata contaminatur; ergo induit malitiam Sacrilegii. — *Sed quid*, ſi quis tenens è collo pendentes reliquias ſacras, vel Agnum Dei, fornicetur? ℞. Non peccaret ex hoc capite peccato Sacrilegii; quia illæ res ſacræ tunc merè per accidens ſe haberent ad talem fœdum actum; nec inde gravis apparet irreverentia; quinimmò Conjugatis id ſæpè conſultum eſt, & quandoque neceſſarium ob maleficia avertenda. Filliucius *tract. 30. cap. 7. numero 129.*

De reliquis Luxuriæ ſpeciebus agendum inſequentibus diſtinctis Tractatibus, ne longiùs protraham præſentem Tractatum: & ad majorem diſtinctionem habendam.

TRA-

TRACTATUS XXVIII.

DE ADULTERIO.

QUæro I. *Quid eſt Adulterium?*

1 *Reſpondeo*: Eſt peccatum luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit concubitus in alieno thoro. *Thorus* hic ſumitur pro lecto maritali, ſeu veriùs pro perſona ipſa conjugata; unde violatur fides, ſeu fidelitas conjugalis. Contingit autem Adulterium tribus modis; I. Quando homo ſolutus carnaliter cognoſcit conjugatam. II. Quando conjugatus cognoſcit ſolutam. III Quando conjugatus cognoſcit aliam conjugatam. Primis duobus modis habetur Adulterium ſimplex; tertio autem modo habetur Adulterium duplex, neceſſariò proinde aperiendum in Confeſſione: quia tunc duæ injuriæ committuntur contra utriuſque conjugem innocentem, ac fidem duplicem conjugalem, duplexque Sacramentum Matrimonii; ut patet.

2 Adulterium eſt peccatum mortale, quod ſpecialiter prohibetur hoc ſexto Decalogi præcepto per hoc verbum: *Non mœchaberis*; unde, & propriè *Mœchia* nominatur: & ultra malitiam Fornicationis continet ſpecialem injuſtitiam, & injuriam, quæ infertur conjugi innocenti, (cujus jus in corpus ſuæ conſortis violatur) ſimulque ſtatui, & Sacramento magno Matrimonii; quapropter, etiamſi alter conjux conſentiret in ejuſmodi turpem actum adhuc, ob injuriam fidei conjugalis, ſtatui, & Sacramento irrogatam, eſſet verum Adulterium. Unde jure merito Innocent. XI. damnavit hanc propoſitionem, la 50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideòque ſufficit in Confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

Quæro II. *Ad quid tenetur homo propter adulterium jam patratum?*

3 Rt. I. Si mulier non concepit ex tali concubitu, nec aliud damnum ſit ſecutum, non tenetur conjux adulterans pro ſola injuria conjugi innocenti illata ad aliquam compenſationem, ſed ſufficit ad ſummum, (ſi eidem adulterium conjugis innoteſcat) ſatisfactio aliqua per ſigna doloris, aut per veniæ petitionem exhibita innocenti injuriam paſſo &c. Quòd ſi, ut ſolet, injuria talis penitùs ſit occulta, hæc ſatisfactio hic locum non habet, imò eſſet nociva, ut patet; ſed ſufficit ſeria pœnitentia, & ſatisfactio pro peccato coram Deo. Ita communis.

Rt. II. Quòd ſi partus ſit ſecutus ex tali adulterio, tenetur Adultera, quantum fieri poteſt ſine ſuæ famæ diſpendio, & vitæ periculo, procurare, ne legitimi filii, & hæredes, ac alter conjux innocens, ratione hujus ſuppoſitæ, & illegitimæ prolis, aliquod notabile damnum patiantur. Quòd ſi eveniat hoc damnum, tenetur pro poſſe illud reſarcire his modis. I. Si conjux adultera habeat bona paraphernalia, vel extradotalia, debet quantum jura permittunt, eadem relinquere filiis legitimis. II. Vel, ſi hæc bona non habeat, tenetur diligentiam adhibere, ut ex labore ſuo lucrum capiat, ſicque bona communia augere. III. Debet ſolitos ſumptus pro ſua perſona imminuere, quantum commodè poteſt, ſpectata conditione ſtatus, valetudinis, induſtriæ poſſibilis &c. Ita pariter communis cum Scoto, *in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. — Anacletus *moral. tract.* 9. *diſt.* 3. *q.* 3. 4

Rt. III. Quòd ſi nullo ex dictis modis valeat miſera adultera conjux prædicta damna compenſare, nequaquam tenetur ſe prodere, manifeſtando marito, aut proli ſpuriæ, neque per ſe, neque per alium, neque per Confeſſarium ipſum, etiam in mortis articulo, proprium, & occultum crimen; ſed Divinæ Providentiæ omnia damna commendare, ut ipſe, qui ſolus poteſt, provideat DEUS. Ita Scotus cit. S. Antoninus, Cajetanus, Navarrus, Vaſquez, Layman, Sporer, Anacletus, & alii DD. communiſſimè. Sumitur hæc reſolutio ſatis evidenter, *ex cap. Officii* 9. *de pæn. & remiſſ.* Ubi Pontifex Innocentius conſultus de ſimili caſu reſpondit: Non eſſe pœnitentiam denegandam fœminæ, quæ finxerat partum, prole aliena ſuppoſita, & poſtea timens juſtam mariti 5

riti iram, noluit rem manifeſtare; *Sicut*, inquit Papa, *nec illi deneganda eſt pœnitentia, quæ ob ſimilem timorem prolem ex adulterio conceptam non vult marito fateri*: Nam Pontifex his verbis manifeſtè ſupponit, ſaltem regulariter, non adeſſe tunc obligationem manifeſtandi tale delictum: alioquin enim fœmina nolens manifeſtare non eſſet capax abſolutionis.

6 Accedit ratio validiſſima; quia talis revelatio fieri non poteſt Marito ſine jactura famæ, & honoris ipſius Uxoris adulteræ; imò nec facilè fieret ſine periculo vitæ, aut aliorum graviſſimorum incommodorum: atqui cum jactura famæ nemo tenetur reſtituere bona fortunæ, utpote quæ ſunt ordinis inferioris. Neque fieri poteſt revelatio ipſi filio ſpurio: quia plerumque eſſet inutilis, cùm filius non teneatur credere matri ſuæ dicenti, ſe eſſe ſpurium: tum ob præſumptionem hominum, ac publicam opinionem, qua cenſetur eſſe legitimus, & natus ex legitimo Matrimonio: tum ob poſſeſſionem, in qua exiſtit, nec proindè ea ſpoliari poteſt, donec legitimè convincatur. Quinimò nonnulli D. D. apud Fagnanum, *cap. Cùm eſſes, numero* 130. *de teſtamentis*: & Menochium, *de Arbitrariis Judicum, libro* 2. *Cent.* 1. *numero* 28. & Anacletum noſtrum *tract.* 9. *diſt.* 4. *quæſt.* 3. *nu.* 31. fatuum reputant filium illum, qui credit matri aſſerenti, eum ex adulterio eſſe genitum.

7 ℞. *IV.* Adulter verò non tenetur facilè credere mulieri adulteræ dicenti, prolem hanc eſſe ſuam; quia poteſt probabiliter, & prudenter præſumere, fœminam potiùs ex marito ſuo concepiſſe; niſi conſtet de oppoſito: ut puta quia maritus tali tempore abſuit: & niſi concurrant aliæ vehementes, & ſolidæ conjecturæ. Ita DD. paſſim.

8 ℞. *V.* Si autem Adulter cognoſcat, prolem hanc eſſe ſuam, vel certè nullam habeat cauſam rationabilem dubitandi, tunc tenetur & ipſe ad reſtitutionem damnorum pro ſua parte. Et quidem in primis obligatur compenſare ea, quæ impenſa ſunt in alimenta prolis à tertio anno ætatis parvuli, & deinceps: nam educatio prolis primo triennio ad matrem ſpectat: ſequentibus autem annis ad Patrem pertinet. *Deinde* tenetur Adulter unà cum Adultera reſarcire damna obventura filiis legitimis ex illegitima ſucceſſione, & portione filii ſpurii: quia Adulter iniquo facto ſuo unà cum matre eſt cauſa damnorum iſtorum; omnis autem injuſtè damnificans proximum, tenetur in conſcientia ad reſtitutionem, vel compenſationem pro ratione damni illati, ergo. *Omnes concedunt, Omnes docent D. D.*

At veniamus ad praxim. Adulter ſe excuſabit dicens Adulteræ: ego non dedi tibi conſilium, ut, pro conſervanda tua fama & honore, filium hunc nutrias, & ſupponas pro filio legitimo; poteras eum mittere ad hoſpitale; ergo non ſui cauſa horum damnorum. Præterea, ſuppoſito adulterio occulto, & certitudine prolis ſpuriæ, & voluntate recta reſtituendi, poteſt adulter aliam adducere cauſam excuſantem, dicendo: Si reſtituo, & damna iſta compenſo, utique ſimul detego crimen meum, & alienum, ſicque diffamo, & dedecoro meipſum, & uxorem adulteram Tertii: Sed illæ excuſationes videntur probabiles, rationabiles, & juſtæ; ergo &c. Etenim quando quis reſtitutionem, vel compenſationem præſtare nequit ob impotentiam vel phyſicam, vel moralem, ob periculum vitæ, famæ, gravis diſpendii, excuſatur coram Deo, juxta communem doctrinam Theologorum, & Caſiſtarum. 9

Unde patet quàm grave delictum ſit Adulterium; nam ſæpè cauſa eſt maximorum damnorum, & ferè incompenſabilium; nata enim proles in alienam curam, alimentum, educationem, & hæreditatem tranſit, cum maximo damno Mariti innocentis, & prolis legitimæ: quæ damna, ut ordinariè irreparabilia in immenſum augent malitiam adulterii; quòd ſi adulterium tranſeat in cognitionem Mariti; inde creſcunt mala, nempè odium, rixæ, vindictæ, neces contra adulterum, & adulteram; & numquam fiunt paces, nuſquam concordiæ in propria, & aliena domo. 10

Quæro III. *Quando proles ex adulterio ſuſcepta exponitur alenda in Hoſpitali publico, teneanturne adulteri ad aliquam compenſationem tali loco pio?*

℞. Si adulterini Parentes divites ſunt, utique tenentur ipſi Hoſpitali compenſare pro ſumptibus alendæ prolis; ut docet communis D. D. Ratio eſt, quia redditus Hoſpitalis inſtituti, & fundati ſunt pro pauperibus; ergo injuſtè agunt, & 11

gra-

Digitized by Google

gravant locum tam pium qui cùm divites ſint, & poſſint, nolint alimenta præſtare pro filiis ſuis; nam ſunt cauſa, ut decreſcat poſſibilitas alendi pauperes filios expoſitos, & ſic defraudetur pia mens Fundatoris, & Communitatis; Ergo Parentes divites ex juſtitia tenentur refundere, & compenſare, modo, vel medio occulto, prædicta damna. Ita plurimis citatis Sanchez, *libro* 1. Conſiliorum, *cap.* 5. *diſput.* 64. *num.* 7. Azorius, Molina, Lugo, Herinx, Sporer, & alii DD. apud Bonacin. de Matrim. *qu.* 4. *p.* 15. *n.* 10.

Quæro IV. *Quænam ſunt pœnæ contra Adulteros fulminatæ?*

12 ℞. Prima pœna in foro Divino fulminata contra adulterum eſt *Maledictio*. Deuter. cap. 27. *Maledictus homo, qui dormit cum Uxore proximi ſui*. In foro autem humano Civili plures ſtatuuntur pœnæ contra adulteram, & adulterum pro adulterio publico, quas videre poteris apud Azorium, *part. tertia, lib.* 3. *cap.* 8. -- In foro tandem Eccleſiaſtico, Clericus adulter deponitur ab officio, & in Monaſterio toto vitæ tempore detruditur, *cap. ſi quis Cler. diſt.* 31. & fit infamis. Et ſi eſt notorius adulter eſt ſuſpenſus ipſo jure ab officio, & eſt irregularis; quia omne crimen depoſitione dignum, quando eſt notorium, inducit irregularitatem, *cap. fin. de tempo. ordinan.* Et ſi executus eſt actum ſui ordinis, tunc indiget diſpenſatione Papali. *Vide etiam* Silveſtrum, *Vide* Adulterium.

13 Conjux adulterans perdit jus petendi debitum conjugale ab altera conjuge innocente. Ita ex lege Canonica, *cap. plerumque*. -- Etiamſi adulterium ſit occultum, *capit. ſi vir : de adult.* Ubi tamen gloſſat Navarrus *in Manual. de Matrimonio capitulo* 22. *numero* 23. quòd conjux adulterans utique non poteſt exigere debitum conjugale, ut priùs, tamquam jure debitum; poteſt tamen petere tamquam licitum; ſive publicum, ſive occultum fuerit ejus adulterium, & ſive conjux innocens ſciat, ſive neſciat illud delictum; quia licèt adulterans ipſo jure perdat jus exigendi, non tamen perdit jus rogandi, ut conjux innocens concedat illud, ſi voluerit: eò quòd vinculum Matrimonii durat, non obſtante adulterio, & facit licitum opus conjugii. Et licèt conjux innocens poſſit tunc licitè negare, quia ipſi conceditur facultas de jure negandi; non tamen negatur ei poteſtas reddendi ſi voluerit, neque adultero conjugi adimitur facultas petendi copulam maritalem, tamquam rem licitam, licèt tunc non debitam ob ejus delictum, quo amiſit antiquum jus exigendi; conjux enim innocens tunc licitè poteſt denegare adultero debitum, quia iſte fregit illi fidem thori; quinimò poteſt facere Divortium quoad thorum; ut habetur, *capit. Gaudemus*. Et *cap. Ex litteris*.

Si autem conjux innocens, etiam poſtquàm cepit negare debitum adultero, cadat in adulterium, tenetur ei reddere debitum antiquum; quia per compenſationem tollitur ratio, & poteſtas negandi. Vide Navarrum cit. & Bonacinam de Matrim. *qu.* 4. *pun.* 5. & 15. qui Bonacinam *pun.* 5. *num.* 18. notat differentiam inter conjugem adulterum, & inceſtuoſum; nam conjux innocens poteſt gratiam reconciliationis concedere adultero conjugi ad petendum debitum, non autem inceſtuoſo; & rationem dat (*pun.* 14. *nu.* 10. *& pun.* 15. *numero* 5. *quæſt.* 3.) quia inceſtuoſus conjux contraxit impedimentum affinitatis, quod priùs debet diſpenſari, & tolli ab Epiſcopo. Loquitur de affinitate, quæ ſupervenit Matrimonio, aut conjugi ex tali copula inceſtuoſa, V. G. Titius Maritus Bertæ commiſit adulterium, & inceſtum cum conſanguinea in primo, vel ſecundo gradu ejuſdem Bertæ, evadit affinis in eodem gradu uxoris ſuæ, contrahitque impedimentum, non quidem dirimens Matrimonium jam contractum, ſed contrahendum, quo privatur, (*ex capit. Diſcretionem, & cap. Tua.*) Facultate licitè petendi debitum conjugale à Berta Uxore ſua, & ſi petat, peccat mortaliter, niſi priùs diſpenſetur ab Epiſcopo, vel ab aliquo Confeſſario privilegiato: tenetur tamen reddere debitum Bertæ, ſi ipſa prior petat &c. *Idem dicendum de inceſtuoſo viro*, qui habuit copulam cum perſona ſibi, vel uxori ſuæ conjuncta Cognatione Spirituali orta ex Baptiſmo, vel Confirmatione, ut probat Sporer *tom.* 3. *p.* 5. *c.* 2. *ſect.* 3. *n.* 481. hoc tamen ultimum dictum non eſt certum omninò, ſed tantùm probabile, & controverſum apud Doctores. At quia, præter intentum lapſus ſum in hanc intricatam materiam, notabo pro praxi Confeſſariorum ſequentem doctrinam.

Cùm

15 Cùm non ſolùm delictum adulterii, & inceſtus conjugis privet ipſum adulterum, & inceſtuoſum jure exigendi, & petendi debitum, verùm etiam votum ſimplex Caſtitatis vel Continentiæ perpetuæ emiſſum ante, vel poſt Matrimonium; hinc eſt, quòd Confeſſarius hoc impedimentum advertens quandoque hæſitare poteſt de modo, vel medio tenendo in hoc caſu, liberandi gratia pœnitentem à tali impedimento, aut vinculo; ideòque neceſſaria eſt ei doctrina ſolida, qua tutò poſſit conſulere quid agendum. Nota igitur hæc tria puncta.

16 *Primum*. Quovis impedimento obſtrictus, ac jure vel facultate petendi debitum conjugale privatus conjux (ſive vir, ſive uxor) ſi intelligat, & advertat ex hoc, quòd numquam petat debitum, Matrimonium fieri valdè oneroſum alteri conjugi, præſertim uxori innocenti; aut ignoranti vel quia præ verecundia ipſa petere non audeat, vel quia in periculo incontinentiæ ipſa verſatur; vel, his ſecluſis, quia malè de ipſo uxor ſuſpicatura ſit, tunc poterit in gratiam conjugis ſe ad debitum, vel opus conjugii modeſtè inſinuare, & ingerere. *Ita communis.* Ratio eſt, quia neque impedimenta inducta ab Eccleſia, neque ipſum votum ſimplex obligant cum tanto rigore, vel periculo majoris mali.

17 *Secundum*. Ignorantia & *facti*, *&* *juris*, ſeu legis privantis jure iſto petendi debitum excuſat conjugem ignorantem ita, ut ſuo jure petendi in praxi non privetur. *Ita ex communi.* Ratio eſt, quia pœnæ Canonicæ non infliguntur niſi ſcientibus, & malitioſè delinquentibus; nam ad has pœnas incurrendas requiritur contumacia, quæ non reperitur in ignorante. Videas, quæſo, ſi habes, Caſtro Palaum *tom. 1. diſp. 1. part. 17. nu. 8. & part. 18. num. 3.* – Bonacinam *de matrim. quæſt. 3. part. 14. nu. 10.* – Tamburinum *Decal. lib. 1. cap. 2. §. 10. num. 12. & 22.* – Sporerium *tom. 3. part. 4. c. 2. ſect. 3. regula 3. n. 483.*

18 *Tertium*. Cùm hujuſmodi Conjugibus privatis jure petendi debitum ſive propter adulterium, vel inceſtum, ſive propter ſimplex votum Caſtitatis, diſpenſare poſſunt non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam Confeſſarii Privilegiati ut ſunt Confeſſarii Regulares Mendicantes à ſuis Provincialibus deputati; ut probant Sporer. cit. Quintanaduenas *ſingul. tract. 9. ſing. 2. à num. 6.* & Anacletus, *tract. 6. diſt. 3. quæſt. 4. concl. 4. numero 48.* cum aliis DD. Hanc autem deputationem ſpecialem non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere communem, probat Anton. à Spiritu Sancto Epiſcop. Carmelita *in Direct. Regul. part. 1. tract. 2. diſp. 1. ſect. 2. §. 3. numero 112.* Et hanc diſpenſationem poſſe fieri etiam extra Sacram. Pœnitentiæ, & etiam cum abſentibus, probat Gobat. *tr. 10. caſu 5. n. 604.*

De peccatis luxuriæ Conjugum.

Cùm in ſequentibus punctis de re ni- 19
mis fœda agendum ſit, premonendus eſt Lector, vel Confeſſarius novellus, (ut facit Homobonus de Bonis, *de Caſ. reſerv. p. 2. ca. 4. ſect. 1.*) ne ex his materiis lubricis ſcandalizetur; caſti enim oculi non debent pollui, inſpicientes ex charitate, & neceſſitate officii turpitudines virorum, & mulierum; nam *Omnia munda mundis*; ipſe ſol latrinas, & ſterquilinia puriſſimis lucis ſuæ radiis penetrat, nec tamen ipſe fœdatur. Annon nobis licèt pro Animarum ſalute, quod Medicis, & Chirurgis pro corporum ſanitate? Res morales ſuis propriis, formalibus, ac intelligibilibus verbis exprimendæ ſunt; nam ſic quoque (& multò clariùs, & periculoſiùs) audiendæ nobis ſunt in Miniſterio Confeſſionis. Igitur ſi quis malitioſus ſcandalizetur; ſibi, & malitiæ ſuæ imputare debet.

Quæro V. *Quid eſt indebitus concubendi modus Conjugum?*

R. I. Oportet priùs ſcire debitum con- 20
cubendi modum; nam *oppoſita juxta ſe poſita magis elucaſcunt*, ut inquit Philoſophus. Modus eſſentialis, & ordinarius concubitus viri cum uxore ſua, utpote principaliter ordinatus ad generandam prolem, eſt, ut fiat cum immiſſione, & retentione virilis ſeminis intra vas naturale; alioquin, niſi immittatur, recipiatur, & retineatur ſemen, impoſſibilis erit generatio.

Unde peccant mortaliter, & graviſſi- 21
me contra naturam Conjuges illi: qui ſive ante copulam, ſive in copula voluntariè abrupta, ſemen extra vas malitioſè effundunt. Item uxores ad hoc voluntariè cooperantes, conſentientes, vel impedientes modum naturæ debitum, vel

ſemen

ſemen jam receptum ejicientes, quacumque de cauſa, ſive *paupertatis*, ne multiplicentur filii, ſive *infirmitatis* vitandæ, ſive etiam *mortis periculi* evitandi in partu difficili: Certum apud omnes Catholicos DD. Ratio clara eſt, quia omnis voluntaria diſperſio ſeminis extra vas eſt intrinſecè mala, & peccatum luxuriæ contra naturam. Quare etiam in fornicatione ſimplici eſt circumſtantia mutans ſpeciem; tunc enim eſt inchoata fornicatio, & completa mollities; ergo multò magis inter conjuges peccatum grande erit contra finem principalem conjugii: qui eſſe debet prolis generatio.

22 ℞. *II.* Modus copulæ licitæ neceſſariò requirit ſitum corporum aptum ad ſemen intra vas infundendum, & retinendum; qui ſitus naturalis, & ordinarius eſt, jacendo viro incubo (ſeu ſuprà,) & fœmina ſuccuba (ſeu ſubtus) ſe copulare; à quo modo, quò magis deviat ſitus corporum, eò magis adverſabitur naturæ humanæ. Unde peccant Conjuges copulantes à latere jacendo, & erit veniale peccatum: vel ſtando, & erit fortè mortale ob periculum effundendi. *Item* jacendo quidem, ſed præpoſterè à tergo, ſervato debito vaſe, (more pecudum,) & eſt veniale ex gravioribus. *Item* converſo modo copulando, fœmina nempè incuba, & viro ſuccubo, & eſt mortale; quia impeditur regulariter generatio tali inverſo concubendi modo, ut docent periti Phyſici, & unus ex his mihi aſſeveranter id proteſtatus eſt. Et Aſteſanus, *lib.* 8. *tit.* 9. hoc optimè probat; eſt enim naturale viro agere, & fœminæ pati, eo autem modo potiùs vir patitur, & fœmina agit, & ſic agendo expellit ſuum, ac viri ſemen à matrice; ergo &c. -- Et quoniam libido cœca varios excogitat modos concubendi, ultra prædictos, regula generalis erit, in qua omnes DD. conſentiunt, mortaliter delinquere conjuges, ſi ita varient ſitum, ut adſit periculum probabile impediendi generationem.

23 Item peccant mortaliter conjuges, ſi ex mala intentione tali extraordinario modo congrediantur. V. G. ſtando, ſedendo &c. ut ex hoc proles non gignatur, etiamſi talis modus ex ſui natura non eſſet impeditivus generationis; quia ex prava eorum intentione talis actus ſumeret malitiam mortalem; nam velle impedire conceptionem, eſt mortale; ergo &c. Qua de cauſa uxores illæ, quæ abhorrent concipere prolem, actuque poſitivo, etſi non efficaci, procurant quovis modo impedire curſum naturalem, peccant graviſſimè contra finem præcipuum talis actus.

℞. *III.* Copula ſodomitica, etiam incompleta, & ſolùm attentata, quocumque ex fine fiat eſt peccatum mortaliſſimum, & nefandiſſimum inter Conjuges, peccant enim evidentiſſimè contra naturam; & uxor nullo pacto licitè poteſt permittere, & pati talem pluſquam brutalem congreſſum. Eſtò enim vir habeat poteſtatem in corpus uxoris ſuæ, non tamen habet ad quemcumque uſum, ſed tantùm ad uſum conjugalem naturalem in ordine ad generationem; & hujuſmodi concubitus neque à beſtia permittitur; ergo multò minùs debet tollerari à fœmina, vel uxore; eſtque gravius peccatum inter conjuges, quàm inter ſolutos; quia inter ſolutos habetur una tantùm malitia fornicationis ſodomiticæ contra naturam, inter conjugatos autem eſt etiam formale adulterium innaturale; nam revera peccant contra bonum fidei conjugalis, qua ex vi contractus matrimonialis obligantur vi, & uxor invicem ad concubitum maritalem, aptum generationi; ergo extra vas naturale coeuntes violant fidem datam. 24

℞. *IV.* Non valet excuſatio dicentium in caſu præcedenti, ſe tales impudicos tactus uſurpare, non animo ſodomitico, ſeu non cum intentione conſummandi ibi copulam, ſed tantùm ſe præparandi, & excitandi venerem vel propriam, vel uxoris; non valet, inquam, nec omninò tollerandà eſt hæc futilis excuſatio; quia non eſt faciendum malum, ut inde eveniat bonum; actus enim ſpecificatur à ſuo objecto; atqui actus illi turpiſſimi reſpiciunt objectum ſodomiticum, ergo revera intrinſecè mali, & inhoneſti ſunt, neque ullo bono fine poſſunt cohoneſtari; neque umquam licitum eſſe poteſt tale medium ad excitandum, & præparandum ſe ad copulam maritalem; quia non deſunt alia media minùs inhoneſta, minùſve turpia, (aliàs licita) ad intentum habendum; qua igitur conſcientia licita unquam eſſe poteſt inchoatio peccati contra naturam ad faciendum opus naturæ? An ideò licitum erit tibi, effrenate marite, ad venerem ſtimulandam intromittere membrum virile pudendum in os uxoris 25

ris tuæ cum pari animo conſummandi poſtea matrimonium in vaſe ſolito, & naturali? Hoc utique tibi videbitur opus valdè inuſitatum, & contra rectam rationem, excedens omnem modum, & ordinem naturæ, imò omnes deòrdinationes, & exceſſus in materia venetea, ita ut conſtituat (ut dicunt Sapientes) novam luxuriæ ſpeciem innominatam, aut ejus inchoationem, quam nonnulli appellant *Irrumationem*? at mihi ſine dubio videtur opus tuum deformius, rectæ rationi magis repugnans, & ipſi naturæ magis contrarium; ergo &c. Vide igitur, quòd tibi non licet nefandum crimen inchoare, ut rem habeas cum uxore tua: Sic dicerem, ſi ad pedes meos veniret talis libidinoſus maritus; quia ſic me docent mei DD. & ratio ipſa naturalis me convincit.

26 Neque dicas, Sanchez famoſum D. *de matrim. lib. 9. diſp. 17. num. 5.* ſic ſcripſiſſe: *Quòd ſi vir in ſuperficie tantùm vaſis præpoſteri uxoris fricaret ſua verenda, ceſſante omni pollutionis periculo, non crederem, eſſe mortale*; ne dicas hoc; quia reſpondebo tibi cum Tamburino (acutiſſimo, & ejuſdem Religionis accuratiſſimo Scriptore in moralibus) *in Decal. lib. 7. c. 3. §. 5. nu. 32.* prædicta verba in aliquibus codicibus ipſius Sanchez impreſſis Lugduni anno 1621. eſſe deleta, vel retractata; ergo &c.

Quæro VI. *Qualiter, & quomodo peccant Conjuges in opere conjugii, ratione finis, vel intentione?*

27 ℞. I. Finis honeſtus Conjugum in opere conjugii poteſt, & debet eſſe talis, nempè ad prolem procreandam; vel ad carnis concupiſcentiam ſedandam; vel ad incontinentiam vitandam; vel ad reddendum debitum, & propriam ſatisfactionem vel obligationem ſolvendam; vel ad ſuam, aut uxoris ſanitatem conſervandam in bonum prolis. — Non eſt tamen neceſſe, ut iſti recti, & honeſti fines ſimul habeantur ſemper, & pro ſemper; ſufficit enim unus ex his. Neque neceſſarium eſt, ut expreſsè, & actualiter intendatur aliquis bonus finis; ſed ſufficit, ut virtualiter, vel ſaltem habitualiter habeatur bonus aliquis finis; ſiquidem eo ipſo, quòd Matrimonio uti volunt Conjuges, niſi debitum finem expreſsè removeant, & pravum quempiam finem ſibi præſtatuant, bonos, & ſolitos fines implicitè habere cenſentur.

℞. II. Quare peccat mortaliter conjux, qui affectu fornicario cognoſcit carnaliter uxorem ſuam, vel ita gerit ſe cum ſua uxore ac ſi ſua non eſſet, vel etiamſi ſuam non agnoſceret; vel ſi turpiter, ac deliberatè intendat, & cogitet de alia muliere: (vel de alio viro;) vel optando malitioſè aliam aptiorem, aut pulchriorem fœminam. Ratio eſt manifeſta, quia ſic agendo, per delectationem illam moroſam, tendit in eam, quæ reipſa non eſt ſua, ergo præfigit ſibi pravum finem; ideòque peccat affectu fornicario, vel adulterino. 28

℞. III. Peccant ſaltem venialiter Conjuges exercentes opus conjugii ob ſolam libidinem explendam, vel ob meram veneream delectationem; Ratio eſt; quia voluptas illa non debet intendi pro fine; nam Deus, vel natura poſuit tale delectamentum in copula viri cum fœmina ad facilitandam, & acuendam ipſam operationem naturalem pro conſervatione ſpeciei humanæ; ergo intendere, & velle ſolam illam oblectationem eſt invertere ordinem naturalem, & medio abuti pro fine; nam delectatio non eſt finis, ſed medium ad finem, & tu vis frui utendis, & uti fruendis; nempe vis frui medio, & abuti fine debito; vis finem pro medio, non medium propter finem, vis delectationem copulæ, & non finem copulæ; ergo contra ordinem naturæ agis, quia operationem ad voluptatem tantùm refers, cùm voluptas amplectenda ſit propter operationem, & non è contra: ideòque peccas ſaltem venialiter ob inordinationem tui actus. Quapropter damnata eſt ab Innoc. XI. hæc propoſitio, quæ eſt la 9. in ordine aliarum, & ſonabat: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* 29

℞. IV. Peccant mortaliter Conjuges, quando in voluptate copulæ carnalis ſuum ultimum finem conſtituunt, ſeu propter illam parati ſunt tranſgredi Legem Dei; quo ſenſu Raphael Archangelus dixit Tobiæ juniori: *Hi, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut DEUM à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacant, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, ſunt, ſuper quos habet poteſtatem Dæmonium.* Tob. 6. 30

℞. V. Conjuges, qui expreſsè, & voluntariè excludunt finem principalem actus 31

con-

conjugalis, (qui eſt generatio prolis,) & omnes alios fines minùs principales, ſeu ſecundarios, honeſtos, & licitos, (qui ſunt vitatio incontinentiæ, redditio debiti, conſervatio ſanitatis in bonum prolis &c.) & ſolummodò intendunt luxurioſam voluptatem, ad ſatiandam libidinem effrenatam, utique peccant mortaliter; Ratio eſt: hæc copula non eſt maritalis, ſed potiùs fornicaria; nullum enim finem honeſtum, ac matrimonialem habet; ergo &c. Ita Div. Thomas, D. Bonaventura, aliique veteres Theologi, Maſtrius *Moral. diſp.* 20. *n.* 126. Confirmatur; quia tunc talis coitus fit more brutorum, libidinis ardore, & impetu irrationali; in nullo enim procedit ſecundùm dictamen rectæ rationis; igitur eſt actus omninò inordinatus.

32 ℞. *VI.* Conjugati, qui expreſsè, & voluntariè excludunt finem principalem copulæ conjugalis, ſeu inefficaciter deſiderant non generare prolem, peccant venialiter ſaltem; quia talis actus non eſt debitè circumſtantionatus, vel regulatus; & quia numquam eſt licitum poſitivè, & formaliter excludere finem primarium, & potiſſimum talis actionis humanæ.

Quæro VII. *Quandonam peccant conjuges ratione temporis, & loci indebiti?*

33 ℞. *I.* Ex circumſtantia temporis indebiti copula conjugalis evadit illicita mortaliter *tempore menſtrui*, vel menſtruorum uxoris, ob periculum generandæ prolis vitiatæ, vel leproſæ, quæ alio tempore opportuno poſſet generari ſana. Angelus de Clavaſio *in Sum. Angel. V. Debitum conjug. num.* 31. & 32. — Joannes Azorius, *Inſtit. moral. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 31. *quæſt.* 13. Ubi dicit: Mihi probabilius videtur, extra caſus neceſſitatis, (ut puta ad vitandum periculum incontinentiæ vel propriæ, vel conjugis, vel ad vitandum diſſidium, & odium alterius conjugis) eſſe tunc peccatum petere, & reddere debitum pro libito: quòd probat auctoritatibus, & rationibus ibi. *Item tempore prægnantis uxoris*, quoties fiet copula cum prævíſo periculo probabili abortus ſive inanimati, ſive (quod eſt pejus) animati. Majus autem ineſt periculum, quando fit coitus cum prægnante circa principium conceptionis materialis fœtus, quàm circa tempus pariendi, aut tempore magis remoto à conceptione prædicta, ut ajunt communiter omnes periti; quoniam circa principium formationis fœtus, matrix mulieris ex delectatione novi coitus movetur, & aperitur, & ſic materia, nondum perfectè coagulata, diſperditur, & effunditur. Et ob hanc cauſam phyſicam uxores illæ, quæ indiſcretè cognoſcuntur, & fatigantur copulis ſucceſſivis, vix umquam perfectè concipiunt, generant, & pariunt prolem: *quod valdè notandum*, & inſinuandum illis, qui in uſu matrimonii neſciunt tenere modum ſobrietatis; nam dum nimis incumbunt operi, opus ipſum revera deſtruunt, quia inceptum ſemper diſturbant, diſſipant; continentia enim, & ſobrietate conjugii, generationem adjuvant: ut patet &c.

℞. *II.* Acceſſus ad uxorem tempore puerperii, idest, dum poſt partum purgatur fœmina, ut plurimum eſt illicitus, & culpabilis venialiter; nam videtur eſſe actus inordinatus; & ſi fiat cum probabili periculo infirmitatis gravis, vel mortis, erit culpa mortalis: ratio patet ex terminis. 34

℞. *III.* Conjux, qui abſque urgenti neceſſitate petit debitum diebus ſolemnioribus, ut in ſolemnitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Paſſionis Dominicæ, & ſimilium Feſtivitatum; peccat venialiter. Ita Sotus, *in* 4. *diſt.* 32. *qu.* 1. *art.* 3. — D. Bonaventura pariter *in* 4. *diſt.* 32. *art.* 1. *qu.* 2. tenent eamdem opinionem, & ampliùs ſic diſcurrit: In ſacris diebus inordinatæ voluptatis eſt petere debitum; quod patet ſic. Conjugium enim ratione ſui actus eſt utique remedium, ſed non omninò curans, ſed excuſans. Unde in actu conjugali eſt opus carnis, quod trahit Animam deorſum, & ad terrena ſapiendum, & etiam ad delectationem veneream ſentiendum ... Quoniam igitur aliqui ſunt dies, in quibus debet Anima ſanctificari, & aſſurgere ad Divina, utpotè ſolemnitates præclaræ, &c. ideò conveniens eſt, in talibus diebus ab illo actu ceſſare. Peti autem non poteſt talis actus ſine culpa; & ſi animus ſit ad delectationem, gravis erit culpa: ſi autem ad lubricum carnis, & ſuam infirmitatem, cujus conjux eſt conſcius, vel timet, & propter hoc petit, veniale poteſt eſſe peccatum. Attamen vix contingit, quòd in præcipuis diebus Feſtis non ſit grave peccatum. Hæc Doctor Seraphicus. 35

℞. *IV.* Conjux, qui exigit copulam conjuga- 36

jugalem in die, quo recipienda, vel recepta eſt Sacroſancta Euchariſtia, peccat venialiter. Ita Magiſter Sententiarum Petrus Lombardus *in 4. diſt. 32.* ex D. Hieronymo ſic dicente: Quicumque uxori debitum reddit, vac re non poteſt Orationi, nec carnes Agni immaculati edere. Si enim panes propoſitionis ab his, qui uxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis *panis, qui de cælo deſcendit*, non poterit ab his, qui conjugalibus paulò ante hæſerunt complexibus, violari, atque contingi? Hæc S. Hier. Et ita omnes Sancti Patres, & Doctores antiquiores ſentiunt; ita quoque conſuetudo antiquiſſima piorum virorum probat; & tamdem ita ſapiunt multi graves DD. apud Sanchez, *lib. 9. de matrim. diſp.* 12. *n.* 2. quibus addo noſtrum P. Marchantium, *Tribunalis Confeſſionis tom. 3. tract.* 1. *tit.* 12. *q.* 4. §. 4. Confirmari poteſt ratione, & auctoritate D. Bonaventuræ nuper citati; quia currit paritas, ut patet, de die feſto ſolemni ad diem SS. Communionis. Non igitur laxandæ ſunt hic, ſed potiùs reſtringendæ erunt carnis habenæ in obſequium diei Feſti, & Sacræ Communionis. Quare P. Jacobus de Corilia, *tract.* 6. *cap.* 8. *part.* 11. dicit: Eſt omninò ſuadendum Conjugatis, ut tali die ſe contineant, ut ille panis Angelorum mente pura ſumatur; ne fortè Sacratus Sponſus, qui paſcitur inter lilia, horreat Animam minùs puram, &c.

37 ℟. V. *Quoad locum*, copula conjugalis nequit licitè fieri in loco Sacro; Lex enim Canonica id prohibet ſub mortali culpa, *capit. Decet, de immunit. Eccleſ. in 6.* Quis enim ſanæ mentis auderet tale opus exercere in Palatio, vel Camera Regis? Ergo multò magis in Domo Regis Cœleſtis, &c. *Item* locus debet eſſe ſecretus; id enim ipſa naturalis verecundia hominis omninò dictat. Certè primi humani generis Parentes, Adam, & Heva, poſt peccatum de turpi ſua nuditate verecundabantur, & coram Deo non audebant nudi ſtare; quare *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*, ideſt, brachas. Quapropter certè peccant mortaliter Conjuges coeuntes coram hominibus, etiam domeſticis, & filiis, non ſolùm ipſis videntibus, ſed & ſentientibus concubitum; peccant, inquam, mortaliter peccato ſcandali dati, & contra Chriſtianam pudicitiam, & modeſtiam. Unde non ſunt facilè abſolvendi Parentes illi, qui ſecum in eodem lecto retinent filios uſu rationis prædıtos: neque eorum excuſationes ſunt in praxi tutæ. Scimus enim per quotidianam experientiam, quòd filii, & filiæ ſcandalizantur, & malitiam ſtatim capiunt, & quandoque exercent.

℟. VI. Et ut finem imponam huic materiæ de peccatis luxuriæ conjugatorum, dicam verbum compendioſum de eorum actibus, & tactibus impudicis. Sit ergo Regula generalis, quam diffuſè ponit, & probat noſter P. Sporer *tom. 3. part. 4. c. 2. ſect. 3. n. 496.* 38

Conjuges, quoad actus, & tactus impudicos, tunc ſolùm terminos honeſtatis, & naturalis modeſtiæ notabiliter excedunt, & ſic mortaliter certò peccant, quando agunt, attentant, vel admittunt voluntariè aliquid, quod videatur eſſe contra naturam, aut cum prævíſo, & probabili periculo pollutionis voluntariæ, aut cum periculo conſenſus in ſeminationem extra vas naturale. -- Aliàs non peccant niſi venialiter in prædictis: lege citatos DD.

De Impudicitia.

Quæro VIII. *Quid eſt Impudicitia?*

℟. Eſt voluntaria occupatio potentiarum circa provocantia ad libidinem voluptatis gratia: quæ fit vel in potentiis internis, nempè in appetitu ſenſitivo, concupiſcibili, phantaſia, intellectu, & voluntate: vel in potentiis externis, ut in viſu, auditu, loquela, tactu, & amplexu. De *Impudicitia interna*, nempè cogitationibus turpibus, deſideriis impuris, delectationibus moroſis, motibus ſenſualitatis, titillationibus venereis, & conſenſibus impudicis agemus in nono præcepto Decalogi, tamquam in loco ſuo proprio. De *Impudicitia verò externa* agendum eſt in præſenti; pro cujus notitia ſupponendum eſt, certum, & indubitatum eſſe apud omnes Catholicos, Impudicitiam eſſe unum ex peccatis carnalibus, & mortalibus, nam habemus ex Epiſt. ad Galatas, ca. 5. hanc doctrinam Apoſtolicam. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. .... quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Impudicitia ergo eſt quædam ſpecies libidi- 39

bidi-

bidinis, quæ verſatur circa oſcula, tactus, amplexus, & alios actus circumſtantes actum venereum, & laſcivum; quæ ſunt præparatoria complexæ, vel complendæ libidinis, puta vel pollutionis, vel copulæ carnalis.

40 *Impudicitia oris*, ſeu loquelæ vocatur *Turpiloquium*: Unde turpia loqui, vel canere, vel legere, vel ſcribere turpia delectationis venereæ gratia, ſeu cum delectatione circa ipſas res turpes, vel cum periculo conſenſus in talem delectationem, vel in ipſum opus turpe, & inhoneſtum, utique eſt peccatum mortale, ſumens malitiam ſuam à fine mortaliter malo in genere luxuriæ. *Ita communiſſima D. D. ſententia*. Si autem hujuſmodi turpia dicantur, narrentur, legantur, ſcribantur, vel canantur ex aliqua tantùm levitate curioſitate, aut etiam cum aliqua delectatione non libidinoſa, ut puta ex joco, recreatione, vel temporis, aut laboris fallendi gratia, erit peccatum veniale tantùm: ut ferè omnes DD. fatentur, & docent. Idem dices de Impudicitia auris, vel auditus.

41 *Impudicitia aſpectus*, ſeu oculorum vocatur aſpectus impudicus rerum turpium, vel provocantium ad libidinem: & eſt mortaliter illicitus; poteſtque fieri tripliciter, ex objecto videlicet, ex intentione, & ex periculo. Explico ſingula. *Ex objecto*; ſi objectum ex naturali turpitudine ſolet plurimos ad libidinem provocare, vel influere, ſeu ingerere libidinoſam commotionem illud intuentibus ex propoſito, & data opera, ut V. G. Seriò aſpicere virum, & fœminam actu coeuntes, vel animalia etiam, &c. vel pudenda membra perſonæ diverſi ſexus, vel perſonam adultam nudam alterius ſexus &c. *Ex intentione prava*; cùm quis videlicet ex impura voluntate venereæ delectationis captandæ, vel ex actuali affectu ad libidinem aſpicit aliquod objectum etiam de ſe non ita turpe, V. G. faciem, pectus, ubera fœminæ pulchræ &c. *Ex periculo praviſo*: ut cùm quis prædicta, vel alia ſimilia objecta turpia, ſeu minùs honeſta vult deliberatè intueri, prævidendo inde inſurrecturum periculum conſenſus in delectationem veneream; vel dum intuetur, ſentit inſurgere in ſe commotionem impuram, & adhuc ſequitur inſpicere &c. In prædictis caſibus eſt peccatum mortale.

Sed quid dicendum de ſcribentibus epiſtolas, vel libros turpes, de pingentibus picturas inhoneſtas, & de repræſentantibus comedias obſcœnas? ℞. Eos ſaltem ratione ſcandali activi, & dati peccare mortaliter: & vix umquam à proprio, & perſonali peccato luxuriæ, & complacentiæ venereæ in dictis rebus poſſe liberari: ut docent communiter DD. & experientia nimis probat: Et qui aſſiſtunt difficillimè liberari poſſunt à complacentia, & delectatione venerea. 42

Impudicitia major, & pejor reſidet in amplexibus, oſculis, & tactibus libidinoſis, & obſcœnis: quia iſti actus fortiùs ex vi ſua ad venerem provocant, & proximiùs ordinantur, vel accedunt ad libidinem, & faciliùs commovent ſpiritus animales, aut vitales inſervientes generationi, cauſantque delectationem ſenſibilem, & veneream; ideòque peccata mortalia graviora ſunt, quàm verba, & aſpectus impudici. *Nota tunc pro ſemper*, quòd hic non loquimur de illis actibus, prout fiunt à Conjugibus legitimis ad copulam maritalem habendam. 43

Quare tangere deliberatè, & ſeriò partes inhoneſtas alterius perſonæ ſive ejuſdem ſexus, ſive diverſi ſexus, ſemper eſt peccatum mortale; etiamſi delectatio venerea per ſe directè non intendatur; gravius tamen peccatum eſt, ſi talis tactus impudicus fiat inter perſonas ejuſdem ſexus, quia ad gravius peccatum diſponit, nempè ad peccatum contra naturam. Dixi autem: *Alterius perſonæ*, nam tangere ſe ipſum, etiam in partibus verendis ex ſola curioſitate, vel levitate (ſecluſa mala intentione, & periculo probabili ulterioris mali) culpam venialem non excedit: & ſi fiat ex aliqua cauſa rationabili, omni culpa vacabit, ut ſtatim dicam. 44

Tactus, & aſpectus, qui neceſſariò fiunt in membris etiam pudendis, ſive proprii, ſive alterius corporis, V. G. ad medendum, purgandum, ſecluſo omni affectu, & conſenſu turpi, utique ſunt liciti; non enim ſunt ex ſui natura impudici, neque ex prava intentione. Idem dices de confricatione à ſe facta ad ſedandum moleſtum pruritum; quia datur opera rei licitæ. 45

Amplexus, oſcula, & tactus etiam parium non turpium cum alia perſona, ſi fiant propter aliquam delectationem carna- 46

nalem, ſeu veneream inde oriendam, & capiendam, ſunt illicita, impudica, & libidinoſa mortaliter; quia hujuſcemodi delectatio non eſt niſi via naturalis, & medium ad cauſandam vel habendam pollutionem, vel copulam; quandoquidem ex hac delectatione ſenſuali, (quæ incipit ab oſculo, vel amplexu, vel tactu alterius perſonæ ejuſdem, vel diverſi ſexus) ſolent inſurgere commotiones, alterationes, & inflammationes vehementes partium genitalium ex fomite concupiſcentiæ naturæ noſtræ corruptæ, quæ incitant, ſtimulant, & quaſi naturaliter cogunt, ad explendam libidinem; & quis in tanto periculo voluntariè conſtitutus poterit liberari à conſenſu, & à mortali culpa? Nemo ſanè; nam *Qui amat periculum, in illo peribit*. Eccleſiaſtic. 3. *Et unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus*. Jacob. 1. Ideſt, abſtractus à bono, & illectus ad malum; quia concupiſcentia carnis abſtrahit hominem à bono honeſto, & illicit ad malum inhoneſtum; ut experientia demonſtrat. Quapropter meritò damnata fuit hæc propoſitio, tamquam ſcandaloſa la 40. ab Alex. VII. quæ dicebat: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*.

47 *Dices*. Propoſitio hæc damnata loquitur *de Oſculo habito ob delectationem carnalem, & ſenſibilem* inter perſonas utique ſolutas; At quid dicendum de oſculis habitis ob ſolam delectationem ſenſibilem, non item carnalem; aut veneream? ℞. *I.* Oſcula, quæ fiunt civilitatis, amicitiæ, & amoris honeſti gratia, omni culpa vacant; quia honeſtatis virtutem non excedunt. Eadem omninò erit ratio de amplexibus, & complexibus, vel tactibus manuum; idque maximè inter conſanguineos. Et delectatio illa, quam quiſque ſentit ex oſculo, amplexu, & tactu honeſto manuum eſt merè naturalis inevitabilis, quinimò eſt quædam voluptas honeſta mentis, & cordis, ſenſitiva quidem, ſed nequaquam ſenſualis; niſi malitia mutet affectum.

48 ℞. *II.* Oſcula, &c. habita inter perſonas adultas, & liberas diverſi ſexus voluptatis ſenſibilis gratia, ſunt ſemper peccata mortalia ob conjunctum periculum delectationis etiam venereæ, ac conſenſus turpis; nam experientia probat, ſæpiſſimè], & plerumque non ſiſti in illa mera ſenſibili delectatione, ſed, (ob innatam malitiam, & ſympathiam maſculi ad fœminam, & fœminæ ad maſculum) oriri ſtatim delectationem libidinoſam, & quibuſdam fragilioris complexionis accidere etiam pollutionem.

Quæro IX. *Daturne parvitas materiæ in re venerea excuſans à mortali?*

℞. *I.* Ante reſolutionem hujus perdifficilis quæſiti, oportet diſtinguere, & benè intelligere terminos illius; Non enim poteſt eſſe quæſtio inter Catholicos, an detur parvitas materiæ in re venerea quoad ipſam copulam illicitam, vel quoad pollutionem actualem, aut quoad tactus valdè impudicos; quia de hoc nemo ſanæ mentis ambigere poteſt, quòd non datur; ſed ſolùm eſſe poteſt, & de facto eſt, magna difficultas quoad delectationem libidinoſam, & veneream internam, & externam in actibus non adeò impudicis, ſuperiùs explicatis; unde clarior ſenſus quæſiti fieri poteſt his terminis: An in aliqua impudicitia cordis, oris, aſpectus, tactus, oſculi, amplexus facta cauſa delectationis venereæ captandæ, poſſit in praxi dari, vel admitti parvitas materiæ, ratione cujus parvitatis exercens deliberatè talem impudicitiam excuſetur à culpa mortali, & ſolùm venialiter peccet? ſic intellectis terminis quæſiti. 49

℞. *II.* Practicè loquendo, in re venerea non poteſt dari parvitas materiæ excuſans à mortali culpa. Ita D. D. in fine citandi. Ratio eſt, quia omnis delectatio venerea eſt inchoatio pollutionis; atqui omnis talis inchoatio, cæteroquin ſufficienter deliberata, & voluntaria, eſt peccatum mortale: ergo &c. Major propoſitio declaratur, & ſimul probatur. Nam *ex Galeno*, & aliis Phyſicis, habemus, delectationem libidinoſam eam eſſe quæ in carne conſurgit ex motu humoris ſeroſi, qualis, eſt ſubſtantia ſeminis incaleſcentis per commotionem ſpirituum generationi ſupervenientium, quæ commotio incitat ad pollutionem, vel copulam: cùm autem copula non ſit licita inter eos, qui legitimo Matrimonio nondum ſunt conjuncti, & pollutio voluntaria omnibus univerſim ſit illicitâ, ſequitur, nequaquam licitam eſſe 50

hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi delectationem veneream, quæ eſt initium, aut copulæ, aut pollutionis. Tum quia omnes concedunt, eſſe peccatum mortale deliberatè ſe ponere in periculo peccandi mortaliter; ſed in quacumque delectatione venerea deliberatè admiſſa apertum eſt periculum incidendi in majorem, & ſemper in aliam majorem delectationem manifeſtè gravem, & mortalem, vel etiam ſæpè in pollutionem conſummatam; ergo qui deliberatè admittit parvam voluptatem veneream manifeſto periculo ſe exponit peccandi mortaliter; ergo peccat lethaliter; nam *qui amat periculum, in illo peribit & qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccl 3. & 13.

51 Non enim in hac materia tam lubrica, vel ignea poteſt homo præfigere ſibi terminum determinatè levem, ſicut poteſt in quibuſdam aliis rebus; (V. G. in materia furti, mendacii, vindictæ, & ſimilium, in quibus facile eſt ponere limites, dicendo: volo furari hanc tantùm rem parvam: volo dicere hoc mendacium jocoſum: volo percutere pugno inimicum, & ſic de ſimilibus;) ratio eſt, quia propenſio ad prædicta non ſolet rapere hominem ad alia majora, quàm quæ ipſe deliberatè decernit; at in malo luxuriæ non ſic evenit; quia vehemens propenſio appetitus ad venerem rapit hominem ad ulteriores gradus delectationis uſque ad ſummum.

52 Præterea, major, & minor delectatio venerea voluntariè quæſita, vel acceptata non variat ſpeciem, vel malitiam impudicitiæ; ergo in qualibet, etiam parva ſalvatur tota ratio offenſæ Dei, & naturæ. *Item* impoſſibile eſt, moraliter loquendo, diſtinguere practicè in hac re materiam levem à gravi; ergo non eſt aſſignabilis quantitas levis delectationis. Tum quia, qui practicè dubitat, an materia, in qua, vel circa quam actualiter operatur, ſit graviter, vel leviter mala, & illicita, peccat mortaliter ſic operando, ſed ſic eſt, quòd qui efficaciter intendit actum impudicum, & vult delectationem vetitam ex eo naſcentem, practicè dubitat, an talis, & tanta delectatio ſit gravis, vel levis materia. Ita, & copioſiùs docent Jo: Cardenas *in Criſi Theol. p. 2. tr. 5. diſp.* 45. *c.* 8. *&* 9. Maſtrius *in moral. diſp.* 11. *nu.* 144. *&* 145. Tamburinus *in methodo Conf. lib.* 2. *c.* 7. *§.* 2. *& in Decal. l.* 7. *c.* 8. *§.* 1. Sporer, *tom.* 3. *part.* 4. *c.* 3. *n.* 690. Diana *coordinat. tom.* 8. *tr.* 3. *reſol.* 17. *ad* 20. cum multis ab his citatis.

Quæro X. *An fœmina mortaliter peccet, quando advertit ſe ab aliquo libidinosè tangi, etiam in partibus honeſtis, & ſe non retrahit, vel non impedit contactum?*

℞. Si advertit talem contactum eſſe extraordinarium, & contra conſuetudinem honeſtarum perſonarum, utique peccat mortaliter; quia tunc cooperatur ad tactum impudicum, & nimis periculoſum, atque incitantem ad rem veneream, quod eſt intrinſecè malum. Quando autem talis tactus eſt extrinſecè honeſtus juxta conſuetudinem Patriæ, & perſonarum ſimilium; tunc diſtinguendum eſt: vel iſte actus ſit in aliorum præſentia, & in publico, vel ſit in ſecreto, ſeu aliis non videntibus, vel non conſiderantibus. Si fiat in publico, fœmina non peccabit mortaliter; nam ſi tunc repelleret, vel ſe retraheret, utique ingereret animis adſtantium, & videntium ſuſpicionem peccati alterius, & ſic periculo exponeret famam proximi. Si autem fiat in ſecreto, peccabit mortaliter, non impediendo, ſi commodè poteſt; nam ex charitate unuſquiſque, quantum commodè poteſt, tenetur curare, ne proximus mortaliter peccet, maximè ſecum, vel cauſa, aut occaſione ſua. Idem dices de puero, vel alia perſona ſciente malitiam tangentis, oſculantis, amplexantis. Ita Azorius, Leſſius, & Bonacina, *de matrim. q.* 4. *pun.* 9. *n.* 10. 53

Quæro XI. *An in Confeſſione exprimenda ſit qualitas perſonæ, cum qua quis habuit oſcula, vel tactus impudicos?*

℞. Quòd ſic. Ratio patet: quia actus ſpecificantur ab objectis, maximè in materia luxuriæ; & unus, idemque actus poteſt habere plures malitias ratione circumſtantiarum. In propoſito. ſicut habere copulam V. G. cum conſanguinea eſt peccatum ſpecie diſtinctum ab aliis, ita etiam habere tactum, vel oſculum impudicum (diſjunctum à copula) cum eadem perſona, erit peccatum diſtinctum ſpecificè à cæteris; & vocabitur tactus impudicus inceſtuoſus; & ſic diſcurres de ſimilibus caſibus. 54

TRACTATUS XXIX.

DE PECCATIS LUXURIÆ contra naturam.

QUæro I. *Quot ſunt ſpecies peccatorum carnalium contra naturam?*

1 *Reſpondeo*. Sunt tres, Beſtialitas nempè, Sodomia, & Mollities. *Explico*. Peccatum carnale contra naturam eſt vitium inter cæteras hucuſque explicatas luxuriæ ſpecies graviſſimum; quia eſt actus extraordinariæ, & innaturalis libidinis, quo pervertitur ordo à natura præſcriptus etiam ipſis jumentis, & ex quo nullo modo poteſt ſequi generatio hominis, & conſervatio ſpeciei; nam diſpergitur, & fruſtratur ſemen humanum vel extra omne vas ſuſceptivum, ut fit in *Mollitie*; aut ipſum ſemen immittitur, & ſuſcipitur in vaſe humano innaturali, & præpoſtero, ut accidit in *Sodomia*; aut in vaſe brutali, ſeu alicujus bruti, vel animalis, aut beſtiæ, ut evenit in *Beſtialitate*; & ſic patet ratio diſtinguendi peccatum hoc in tres ſpecies prædictas.

De Beſtialitate.

Quæro II. *Quid eſt Beſtialitas?*

2 R. Eſt ſpecies luxuriæ innaturalis cum aliquo bruto commiſſa. Vel, eſt coitus habitus cum re animata non ejuſdem ſpeciei cum ipſo homine. Hoc eſt peccatum graviſſimum, horrendum ſcelus, de quo ſtatutum fuit in Lege antiqua Levitici, cap. 20. *qui cum jumento, vel pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidatur; Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficiatur cum eo*. -- *Dices*, quomodo poteſt accidere hoc peccatum mulieris cum jumento? Dico quod per ly *jumentum* intelligitur quævis ſpecies animalium irrationalium adjuvantium, vel inſervientium homini. *Jumentum* ab *adjuvo* venit; poteſt autem accidere, (ut de facto accidit) quòd mulier effrenata ſuccumbat cani, ad hoc vitium edocto ab ipſa; ſicut poteſt contingere, & (heu nimis! de facto contingit, ut vir ſodomiticè ſuccumbat cani ſic à ſe inſtructo. Si tibi, *Confeſſor tyro*, præſentetur hujuſmodi caſus, jube pœnitenti, ut priùs aliquo remedio venenoſo, aut alio modo, interficiat canem ſic imbutum, ne ampliùs ſit ei occaſio delinquendi. *Beſtialitas* pœna mortis, & combuſtionis etiam in foro Civili punitur, teſte Azorio, & Anacleto noſtro.

Ad Beſtialitatem reducitur coitus cum dæmone ſuccubo, vel incubo; quando ſcilicet dæmon aſſumit formam fictam hominis, maris, vel fœminæ, aut alicujus beſtiæ? & concubat cum ſagis, veneficis, & magis; ut docent Cajetanus, Filliucius, & alii DD. quia dæmones ſunt diverſæ ſpeciei ab homine. At videtur eſſe peccatum hoc diverſæ ſpeciei; quia ultra malitiam luxuriæ innaturalis continet ſpecialem malitiam contra Religionis virtutem, ſocietatis videlicet, & commercii neſandiſſimi cum diabolo, quod eſt quædam ſpecies ſuperſtitionis carnalis, quæ poteſt dici *Dæmonialitas*. 3

Quid diceres de hoc peccato, de quo ego fui interrogatus? Quidam amaſius, qui ardebat perditè concupiſcentia erga amaſiam ſuam infirmam, adſuit morti illius, ſpirata Anima, manſit ſolus amarè deflens amatam, & furore amoris impuri (quo nil eſt vehementius) agitatus habuit copulam cum ipſa defuncta; quamnam peccati ſpeciem commiſit? Ego dixi, prædictum amaſium feciſſe *peccatum innominatum contra naturam*, quod poteſt reduci ad fornicationem (cum addito) cadavericam. Neſcio, an benè reſpondi. Certè adhuc neſcio (quidquid aliqui dicant) aliter qualificare hoc delictum. Sed redeamus ad Beſtialitatem. 4

Omnes D. D. dicunt, non eſſe neceſſarium explicare in Confeſſione ſpeciem animalis, cum quo peccavit homo; quia hæc differentia eſt tantùm materialis, & phyſica; non autem formalis, vel moralis; omnia enim bruta vel animalia conveniunt in hac una ſpecie morali, ſeu ratione formali, quòd 5

non

Digitized by Google

non ſunt ejuſdem ſpeciei cum homine; & malitia propria Beſtialitatis conſiſtit in hoc, quòd in coitu non ſervatur eadem ſpecies, & natura.

6 Ubi *Beſtialitas* eſt caſus reſervatus, nec aliter declaratur in tabella, ſumenda eſt ſtrictè pro actu, vel coitu completo, nempè cum ſeminatione intùs, ſive in vaſe naturali, ſive innaturali beſtiæ. Quid ſi in ore, vel naſo belvæ quis ſe corrumpat? Caſus accidere poteſt, imò accidit; nec tamen in libris facilè invenitur. *Dicerem*, ſalvo meliori judicio, quòd non cadit in reſervationem; quia non eſt propriè Beſtialitas perfecta; eſt ergo actus brutalis, ſed non brutalitas, ſeu beſtialitas reſervata. Eſt brutalis actus, quia eſt fœdatio corporis humani cum animali bruto; Non eſt autem brutalitas reſervata, quia non eſt propriè, & ſtrictè coitus cum bruto; nam coitus iſte importat fœdationem corporis humani in vaſe bruti. Ly *fœdatio* ſignificat coinquinationem; & ly *corporis humani* idem eſt, ac partium genitalium, ſumendo partem pro toto, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 6. *Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Tum quia copula propriè capta importat completionem ſeminationis intra vas, ut cùm aliis probat noſter P. Lupus *de caſ. reſ. p. 2. caſ. 10. nu. 4.* ubi etiam dicit, quòd cùm reſervatio ſit ſtricti juris, non debet ampliari ad coitum imperfectum, vel impropriè captum.

7 *Dices*. Hominis cum bruto nullus naturalis, & proprius coitus; ergo in quacumque parte corporis bruti contingat ſeminatio, erit ſemper coitus brutalis, & conſequenter brutalitas, & caſus reſervatus. ℞. Nego conſequentiam; quia proprietas coitus debet ſumi non ex parte bruti, ut patet; ſed ex parte hominis coeuntis; omnis autem coitus, propriè dictus, ſit in vaſe apto ad ſemen recipiendum; igitur &c. *Inſtabis*. Si hoc eſſet verum, ſequeretur, eum, qui ſeminat in vaſe innaturali beſtiæ, non incidere in caſum reſervatum, & tamen fœdiùs peccat. ℞. Nego ſequelam; quia ſicut coitus ſodomiticus eſt ex parte agentis propriè coitus, nempè conjunctio duorum corporum in unum, ex qua naturaliter ſequitur fœdatio corporis, licèt ſit innaturalis ex parte paſſi, ita à ſimili de coitu cum animali bruto eſt dicendum; in aliis autem partibus corporis ſive humani, ſive beſtialis ſe coinquinare, dicitur propriè mollities, non coitus, ut patet conſideranti; eſt tamen mollities qualificata, ut patet.

De Sodomia.

Quæro III. *Quid eſt nefandum peccatum Sodomiæ?*

8 ℞. Eſt concubitus damnatiſſimus ad ſexum indebitum, ſcilicet maſculi cum maſculo, aut fœminæ cum fœmina, quo nec debitus ſexus, nec debitum vas copulæ naturalis ſervatur. — Dicitur autem *Sodomia* à Sodoma civitate infamiſſima, ubi habitatores ſine verecundia exercebant hoc nefandum peccatum, atque in cœlum clamans, quo Sodoma cum finitimis civitatibus, & regionibus cœleſti igne ſulphureo conflagrarunt, ut habemus ex Sacra Scriptura, Geneſis, cap. 19.

9 Dividitur autem Sodomia in perfectam, ſeu propriam, & in imperfectam, ſeu impropriam. *Sodomia propria* eſt, quæ ſuperiùs definita eſt, *impropria* autem eſt ubi maſculus cognoſcit carnaliter fœminam præpoſtera venere, nempè in vaſe innaturali. In *prima* peccatur nedum contra vas, ſed etiam contra ſexum; & ſic actus innaturalis eſt dupliciter. In *ſecunda* verò peccatur contra vas, ſed non contra ſexum, ideòque Graffius, & Lupus dicunt, quòd non Sodomia, ſed peccatum non nominandum & contra naturam appellari poteſt iſte concubitus maſculi cum fœmina in vaſe ſtercorario, & Bonacina dicit, eſſe peccatum diſtinctæ ſpeciei. Sunt tamen nonnulli Doctores aliter ſentientes, nec admittentes hanc diſtinctionem Sodomiæ propriæ, & impropriæ: imò Legiſtæ, ſeu Canoniſtæ communiter tenent, hanc ſecundam eſſe propriè Sodomiam, Theologi verò communiter negant.

10 *Item Sodomia* utraque dividitur in Activam, & Paſſivam; Activa eſt ex parte agentis, Paſſiva autem eſt ex parte paſſi. Agentes propriè dicuntur *Sodomitæ*, Patientes verò impropriè ſic appellantur; & in foro fori, & in foro poli mitiùs agitur contra patientes, quàm contra agentes. Hæc autem circumſtantia *Agentis* explicanda eſt in Confeſſione; quia agens committit ordinariè pollutionem, quàm patiens, ut merè patiens, non committit: ſicut etiam explicanda

erit alia circumſtantia, quando adſuit, nempè ſi agens, in agendo, manibus ſuis polluerit patientem; quia tunc eſt duplex malitia, imò actus duplex, ut patet. *Item* ſecundùm Theologos, quos ſequi oportet in rebus moralibus, aperienda eſt circumſtantia, vel differentia Sodomiæ propriæ, vel impropriæ, quia hæc differt ſpecie ab illa: Et in imperfecta, & etiam in perfecta Sodomia, imò in ſolis tactibus impudicis debet explicari circumſtantia perſonæ ſibi conjunctæ cognatione naturali, vel ſpirituali. Ratio eſt, quia ob reverentiam propinquis, & ſibi conjunctis debitam, ejuſmodi peccatum ultra malitiam ſodomiæ, & impudicitiæ, habet & malitiam Inceſtus; quia actus ſpecificantur ab objecto. Quamvis enim non ſit inceſtus propriè, & ſtrictè captus, (quia non ſit conjunctio, & ſeminatio in vaſe proprio, & naturali, ex qua ſola contrahitur affinitas) nequit tamen negari malitia inceſtus; quia talis actus habet ſpecialem deformitatem contra reverentiam prædictam; ut docent Tambur. & Bonacina.

11 Neque malitiam peccati Sodomiæ effugit, qui vel ex impotentia, vel data opera non ſeminat in vaſe; quia ſemper verificatur, quòd talis copula ſit ſodomitica, licèt incompleta, & quòd fiat ex affectu ſodomiæ, ſive ad indebitum ſexum: ſive ad indebitum vas; ergo verè eſt cenſendus ſodomita, qui ſic operatur; aliàs inter fœminam, & fœminam ſe ſe ſupergredientes, & commiſcentes non daretur Sodomia; nam difficile videtur, quòd fœmina ſeminet in vaſe naturali alterius fœminæ, & multò difficiliùs in vaſe præpoſtero &c. & tamen utroque, vel alterutro modo fit Sodomia fœminarum.

12 Quomodo igitur dari poteſt Sodomia perfecta, ſeu completa inter fœminas? Omninò neſcio, & abhorreo inveſtigare: lege Bonacinam *de matrim. qu. 4. pun. 11. num. 5.* Hoc unum dicam, (*quod ſuperiùs nu. 10. erat dicendum*, nempè Sodomiam poſſe habere alias malitias ſibi conjunctas, V. G. malitiam Sacrilegii, ſi fiat cum Religioſo profeſſo, vel Clerico in Sacris: malitiam injuſtitiæ, quando fit cum violentia contra alium repugnantem: Adulterii malitiam, cùm fit cum conjugato; & ſic de aliis.

13 Turpiſſimum, infame, neſandum, ac homine ingenuo indigniſſimum vitium Sodomiæ graviſſimis pœnis punitur in utroque jure. De Jure Civili, & in Foro Sæculari hujus ſceleris Rei igne concremantur. Ex Jure autem Canonico pœna Sodomitarum eſt, ut Laici excommunicentur, Eccleſiaſtici verò Beneficiis omnibus priventur, & deponantur; imò hodie, ſeu his temporibus ex Conſtitutione Pii Quinti edita anno 1568. quæ incipit, *Horrendum illud ſcelus*: Eccleſiaſtici tam dirum neſas exercentes omni Privilegio, omnique Beneficio, dignitate, & officio Eccleſiaſtico privantur auctoritate ejuſdem Conſtitutionis, ita ut per Judicem Eccleſiaſticum degradati, Poteſtati ſæculari ſtatim tradantur, Engel *libro 5. titul. 16. §. 4. numero 27.* -- Anacletus *tract. 9. diſt. 4. quæſt. 6. num. 61.* Azorius *part. 3. lib. 3. c. 19.* -- Bonacina, *cit. qu. 4. pun. 11. n. 2. cum multis ab his citatis.*

De atrocitate Sodomiæ.

14 Quoniam in omnibus, quos potui legere, libris vidi diverſas cauſas atrocitatis, & enormitatis hujus delicti, & Confeſſarius quiſque eſſe debet valdè ſollicitus in extirpando hoc vitio, ideòque indiget diverſis motivis ad perſuadendum, corrigendum, & docendum, pro qualitate perſonæ, pœnitentem, ut abſtineat, & abhorreat neſandum crimen: volo hic breviter tranſcribere aliquas cauſas gravitatis hujus horrendi ſceleris. *Prima cauſa eſt*: quia eſt Apoſtaſia à natura; tres enim ſunt ſpecies Apoſtaſiæ, videlicet Apoſtaſia *à Deo*, *à Natura*, *& à Principe*; prima appellatur crimen hæreſis, tertia læſæ Majeſtatis, at ſecunda eſt crimen Sodomiticum; idcòque omnes ferè Epiſcopi ſibi tale crimen reſervant.

15 *Secunda cauſa*; quia propter hoc peccatum Deus punit etiam innocentes. Hoc patet primò ex S. Scriptura, Geneſ. 19. ubi legitur, non ſolùm Civitatem Sodomæ, (ubi habitabant peſſimi viri Sodomitæ, etiam erant multi innocentes, ſaltem parvuli eorum filii) ſed etiam alias quatuor Civitates, & omnes circumſtantes regiones, univerſos earum habitatores, & cuncta terræ (ibi pulcherrimæ) virentia, igne, & ſulphure de cœlo cadentibus conſumpta, & redacta fuiſſe in cinerem; ſecundò ex text. *in ca. Eccleſia*, §. *his*

Digitized by Google

§. *his ita*, 1. *quaſt.* 4. ubi ſeptem notantur cauſæ, ob quas quis punitur ob crimina aliorum, quarum una eſt iſta: *propter crimen Sodomiæ*; nam propter enormitatem delicti pœna extenditur ad non peccantes, qui licèt puniantur temporaliter ſine culpa, non puniuntur tamen ſine cauſa; ſaltem hac de cauſa, ne fiant imitatores malorum ob malum exemplum.

16 *Tertia cauſa*; quia Sodomitæ pejores ſunt animalibus brutis, quæ numquam innaturaliter coeunt: imò pejores ſunt diabolis, nam numquam legitur, diabolum quemquam fuiſſe ſuccubum ſub ſpecie viri ſodomitæ; ut teſtatur Hugo Card. *in expoſitione epiſt. ad Rom. cap.* 1. -- *Quarta cauſa*; quia gravius eſt coire cum maſculo, quàm cum propria matre; ut habetur *cap. adulterii* 32. *quaſt.* 7. *Quinta*: quia ſodomitæ ſunt infames omni jure; *tex. in l. cum vir. C. de adult. cap. infames* 3. *quaſt.* 7. -- *Sexta*; quia propter hoc vitium Deus accelerabit diem judicii, & finem mundi. D. Antoninus, 2. *p. tit.* 5. *c.* 4. §. 2. Et Deus tanto tempore diſtulit aſſumere carnem humanam: & nocte ejus Sanctiſſimæ Nativitatis omnes homines Sodomitas ſubitanea morte interfecit. Div. Bonav. *in ſerm. de natali*. -- *Septima*; quia hoc peccatum per antonomaſiam vocatur *Nefandum*; eo quia ipſum nominare quaſi non licet ob ejus turpiſſimam fœditatem, & os dicentis, & aures audientis offendit, & cùm Leges de eo loquuntur illud impropriè circumſcribunt, dicendo, *Cùm vir nubit in fœminam*, Leg. cùm vir. Unde Jacobus Galiardus *in tr. de delictis lib.* 2. *nu.* 27. dicit: Quando ſumus in magnis delictis, prout in hoc crimine nefando, Reges, & Principes terræ pati non debent, illud impunè abire, & ſerpere. *Octava*; quia Gentiles Philoſophi ſcripſerunt contra hoc vitium, ut Plato *in l.* 8. *de legibus*: ubi dicit: Abſtinendum à maribus jubeo; nam qui iſtis utuntur, genus humanum dedita opera perdunt. *Nona*: quia exercentes hoc nefas filii diffidentiæ in reprobum ſenſum delapſi appellantur; quaſi de eorum ſalute deſperandum ſit. Gloſ. *in cap. Clerici, tit. de exceſſ. prel.* -- *Decima*; quia Deus ubi regnat hoc flagitium ſolet immittere peſtes, grandines, & terræmotus magnos & ſic urbes, & loca illorum nefandorum deſtruit. Majol. *de irregul. lib.* 5. *capit.* 43. -- Silveſt. *V. luxuria*, *q.* 7. -- Homobon. *caſ. reſ. p.* 2. *ſect.* 5. Lugus, *part.* 2. *caſ.* 10. §. 3. Graffius *caſ. reſ. leg.* 1. *ca.* 11. *à n.* 12.

Sed quid de Reſervatione facta hoc uno termino: *Sodomia*? Dico, quòd ſtrictè eſt accipiendum hoc vocabulum; ideòque intelligitur reſervata ſola Sodomia vera, propria, & completa, nempè coitus maſculi cum maſculo, ubi interveniat ſeminatio intùs, &c. Item ex parte ſolius Agentis; & quòd non ſit impuber, ideſt, quòd jam quartumdecimum annum impleverit; nam impuberes, ut plurimùm non habent verum ſemen, & ſic coire propriè non poſſunt, ideſt, nequeunt generare. Quod etiam verificabitur à fortiori de Inceſtu, quando Inceſtus eſt reſervatus &c. Ut cum multis DD. probat Lupus *p.* 1. *diſt.* 4. *difficul.* 2. *& part.* 2. *caſ.* 10. §. 3. *&* 4. Et hæc ſufficiant pro hac turpiſſima materia.

At reſtat alia de mollitie, ſeu pollutione; agemus de hac fuſiùs, tamquam de re heu nimis uſitata, & difficilis emendationis. Volo tamen hic notare duas propoſitiones damnatas ad hanc materiam ſpectantes: videlicèt.

Num. 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infima; ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.* Damnata fuit ab Alexandro Septimo.

Num. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Damnata fuit ab Innocentio Undecimo.

De Mollitia.

Quæro IV. *Quid eſt Mollitia, ſeu Mollities?*

℞. Eſt pollutio voluntaria ſine coitu, 17
ſeu conjunctione corporum. *Vel*, eſt peccatum contra naturam, quo voluntaria pollutio in ſe, vel in alio homine quæritur, & procuratur extra concubitum, cauſa captandæ, & explendæ venereæ delectationis. -- Et eſt peccatum mortale contra legem naturalem, & Divinam poſitivam. *Quòd ſit contra Legem Naturæ*, probatur. Natura ordinavit effuſionem voluntariam ſeminis ſolummodò, & præcisè ad generationem habendam, quæ nequit omninò contingere niſi ſeminando in vaſe naturali debito, & apto, me-

Digitized by Google

mediante coitu, & concubitu maris cum fœmina; ergo mollities erit actus venereus contra Naturam. Præterea, Fornicatio ſimplex eſt jure naturæ vetita, & intrinſecè mala, & contra bonum prolis, & contra rectam rationem, ut vidimus; Ergo multò magis mollities, qua prorsùs prodigitur ſemen, impeditur generatio, & fruſtratur finis à natura intentus in actu venereo. Tum quia: ſi aliqua eſſet excogitabilis cauſa, qua poſita, mollities evaderet licita, tunc impediretur uſus conjugii, tam neceſſarius pro conſervatione humani generis; quandoquidem homines, præfixa ſibi cauſa alicujus neceſſitatis, ſola pollutione contenti forent, nec matrimoniis (plerumque tam moleſtis ex aliis cauſis, vel effectibus annexis) vacare vellent; ſed hoc eſt maximum malum, & quidem intrinſecè perverſum; ergo.

18 Quòd autem mollities ſit mortale peccatum contrà Legem Divinam poſitivam, probatur. In Geneſi, cap. 38. habemus quòd *Onam ſciens non ſibi naſci filios, introjens ad uxorem fratris ſui* (jam defuncti) *ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcircò percuſſit eum Dominus, quòd rem deteſtabilem faceret.* In hoc facto *Onam* non peccaverat accedendo ad illam mulierem; quia ex lege antiqua tenebatur, vel ei permittebatur ſuſcitare ſemen fratris defuncti ſine filiis, ſolùm ergo peccaverat fundendo ſemen extra vas. Et D. Paulus 1. ad Corinthios cap. 6. dicit: *Nolite errare: neque Molles Regnum Dei poſſidebunt.* Per ly *molles* omnes DD. intelligunt mollitiem committentes. Et ad Galatas cap. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt immunditia, fornicatio, &c. qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur.* Per *immunditiam* omnes intelligunt pollutionem.

Quæro V. *Quotuplex eſt Pollutio?*

19 ℞. *Ex parte actus* dividitur in *perfectam*, qua integra fit effuſio ſeminis apti ad generationem, & in *imperfectam*, qua fit effuſio inepti ſeminis, ut evenit impuberibus, & ſenibus ſe polluentibus. Utraque dividitur in inchoatam pollutionem, & in conſummatam. *Inchoata pollutio* eſt ipſa alteratio, & titillatio partium verendarum, in qua formaliter conſiſtit delectatio venerea. *Conſummata* verò eſt, quando ſemen effunditur, & libido expletur.

20 *Ex parte voluntatis* Pollutio dividitur in voluntariam, & in involuntariam. *Voluntaria* ſubdividitur in voluntariam *directè*; & in ſe intentam, vel procuratam, & in voluntariam *indirectè*, & in ſua cauſa tantùm poſita, vel non ablata. *Involuntaria* verò eſt, quæ præter, vel contra omnem voluntatem hominis ſequitur naturaliter ex aliis cauſis intrinſecis, vel extrinſecis; præſertim in ſomno.

Pollutio voluntaria item dividitur in ſim- 21
plicem, & qualificatam. *Simplex* dicitur, quæ nullam aliam habet adjunctam malitiam ex parte perſonæ vel objecti, &c. præter malitiam ejus propriam. *Qualificata* verò dicitur illa, quæ habet annexam aliam malitiam, vel ex parte objecti cogitati, vel ex parte perſonæ pollutæ, vel ex parte complicis, ſeu cooperantis ad illam, vel ex parte inſtrumenti adhibiti &c. *De omnibus, & ſingulis diſcurrendum erit.*

Quæro VI. *Quomodo contingere poteſt pollutio voluntaria qualificata ex parte objecti cogitati?*

℞. Quando quis (ſive maſculus, ſive 22
fœmina) ſe corrumpit, vel polluit, & in tali immundo actu imaginatur ſibi aliquod objectum, ſeu aliquam perſonam, cum qua deſiderat coire, vel circa quam moroſè delectatur; tunc habetur qualificata pollutio, ſeu mollitia ex parte objecti. Et in eo caſu, quando vult confiteri, tenetur explicare ſpeciem illius objecti, vel perſonæ imaginatæ; quia actus ille inducit malitiam illis, V. G. in ratione, aut malitiam fornicationis, vel adulterii, vel inceſtus, vel ſacrilegii, vel ſtupri, vel ſodomiæ pro qualitate objecti.

Quid, ſi ſe corrumpens, vel polluens 23
cogitaſſet de fœmina in confuſo? ℞. Tunc contraxiſſet malitiam ſimplicis fornicationis; nam ad minus fœminam in genere ſibi imaginatus eſt; ergo ſaltem ſolutam aliquam. — Sed quid, ſi cogitaſſet de aliqua pulchra ſtatua, vel pictura? ℞. Tunc induit malitiam perſonæ repræſentatæ per illam picturam, vel ſtatuam; nam imago ſignat vivum originale. V. Sanchez, *in Decal. lib. 2. cap. 2. n. 11.* Filliuc. Trull. Bonac.

Quæro VII. *Quomodo qualificatur pollutio ex parte perſonæ pollutæ?*

℞. Qui ſemetipſum polluit, debet ex- 24
plicare (niſi aliàs notus ſit Confeſſario) ſuum ſtatum; quia conditio perſonæ quandoque variat malitiam peccati; ſi eſt liber,

Digitized by Google

ber, ſi Matrimonio ligatus, ſi Religioſus, ſi Clericus in Sacris; & ſic de cæteris. *Item* ſi quis ſuis manibus polluat alteram perſonam, debet explicare & ſuum, & illius perſonæ ſtatum; quia diverſa poteſt contingere malitia in tali actu, ultra malitiam propriam mollitiei, & ſcandali juxta qualitatem perſonarum.

Quæro VIII. *Quomodo poteſt qualificari pollutio ex parte cooperantis, vel complicis?*

25 ℞. Qui ſe tactibus alterius perſonæ polluit, vel pollui voluntariè permittit, omninò in Confeſſione explicare obligatur, tam ratione proprii peccati per ſe, quàm ratione peccati alieni, cui cooperatur. Ratione propri delicti per ſe patet, quia de facto voluntariè polluitur. Ratione autem peccati alieni, patet etiam; quia cooperatur peccato concupiſcentiæ illius perſonæ, & induit malitiam ipſius; ergo tenetur declarare ſtatum proprium, & illius perſonæ.

Quid dicendum de eo, qui ſe polluit tangendo puerum, vel puellam doli, ſeu malitiæ incapacem, aut cum fœmina, vel maſculo dormiente?

26 Adhuc tenetur confiteri ſpeciem illius objecti, cum quo ſe polluit; non quidem ratione peccati alieni, ut manifeſtum eſt; nam ſupponitur objectum incapax peccati; ſed ratione peccati proprii per ſe ſpecificati à tali objecto; quia pollutiones habitæ per tactus impudicos pueri, puellæ, fœminæ adultæ, maſculi adulti, bruti animalis, &c. reverà differunt ſpecie, tum ratione affectus, tum ratione ordinationis ad diverſa ſpecifica objecta. *Confirmatur.* Si enim quis haberet copulam cum prædictis objectis, nonne committeret ſtuprum cum puella, fornicationem cum fœmina ſoluta, ſodomiam cum maſculo, beſtialitatem cum bruto? Utique; ergo & tactus, & pollutio cum eiſdem imbibunt eamdem malitiam, non utique perfectam, ſed imperfectam: ſufficientem tamen ad ſpecificandum actum illum turpem.

Quæro IX. *Quomodo poteſt qualificari pollutio ex parte inſtrumenti adhibiti?*

27 ℞. Penſatis penſandis, hæc qualificatio reducitur ad malitiam objecti, cum quo quis ſe polluit; & ſi inſtrumentum ſit quid inanimatum, non facit per ſe mutationem ſpeciei, niſi per accidens ratione imaginationis alicujus rei turpis repræſentatæ in tali inſtrumento materiali. Erubeſco hic declarare quoddam inſtrumentum, quo utebatur quædam fœmina viros petente ad ſe polluendum. Lege Dianam, Tamburinum, Sporerium, *& alios libros citatos, ſi vis hæc, & alia ſcire.*

Quæro X. *Pollutio indirectè voluntaria quomodo debet intelligi?*

℞. I. Cum quis minimè quidem dire- 28
ctè vult, nec intendit per ſe pollutionem, tamen aliquam actionem exercet, unde prævidet orituram, vel advertit jam oriri ipſam pollutionem; ſicque volendo cauſam cenſetur indirectè, & conſequenter etiam velle, vel ſaltem voluntariè permittere, illius effectum. Et ita pollutio ſequens dicitur voluntaria *indirectè, & in cauſa.*

℞. II. Cauſæ autem hujus miſeriæ aliæ 29
ſunt, quæ *per ſe, & notabiliter influunt* in ipſam pollutionem, ut V.G. vehemens cogitatio de rebus turpibus, aliæ ſunt, quæ *per accidens, & leviter tantùm* influunt in ipſam; ex quibus ſcilicet nec ſemper, nec frequenter ſequitur pollutio, ut V.G. cibus, & potus etiam ſuperfluus: hic enim per ſe quidem influit in nutritione, & conſequenter etiam in augmentum ſeminis; attamen per accidens tantùm, & non ſequenter cauſat pollutionem; nam hæc ex aliis ſolet contingere cauſis. -- Item Actiones quædam ſolent cauſare indirectè pollutionem, quæ ſunt in duplici differentia, aliæ enim ſunt actiones *de ſe licitæ*, & utiles, ut V. G. Studere tali materiæ, audire Confeſſiones talium peccatorum, vel perſonarum, equitare, texere, &c. Aliæ autem ſunt *de ſe illicitæ*; & hæ dupliciter, *Vel* enim ſunt illicitæ *extra genus luxuriæ*, ut V.G. nimiùm bibere, mandocare calidos, & pretioſos cibos, ingurgitare, vorare, ſe inebriare &c. *Vel* ſunt illicitæ actiones in *ipſo genere luxuriæ*, ut V. G. cogitationes voluntariæ turpes, aſpectus, tactus impudici &c. Ex quibus omnibus videndum eſt, quomodo ſit peccatum grave, vel leve ipſa pollutio, quæ inde ſequitur.

℞. III. Quando actio, ex qua prævi- 30
detur ſecutura pollutio, eſt illicita in genere luxuriæ, atque ideò notabiliter, & ex natura ſua influens in pollutionem, pollutio inde ſequens erit mortalis culpa. Ratio eſt, quia cenſetur tunc indirectè volita in tali cauſa adeò efficaci, & proxima; qui enim vult cauſam alicujus mali, cenſetur velle ipſum malum, tanquam effectum

Digitized by Google

effectum naturaliter, vel moraliter conſequentem. Tum quia, pollutio indirectè, tantùm voluntaria tantum eſt peccatum, quantum eſt peccatum ipſa cauſa poſita in genere luxuriæ; ſed ſic eſt, quod omnis actio deliberata in genere luxuriæ, & in re venerea, atque impudica, eſt peccatum mortale; ergo & pollutio inde ſequens &c. Tum quia, omnis cauſa illicita, quæ naturaliter, & notabiliter influit in pollutionem, ſolet regulariter cauſare ipſam, vel ſaltem ejus periculum probabile; atqui mortalis culpa eſt cauſare ſic pollutionem, vel ejus periculum; ergo pollutio ipſa, vel ejus periculum mortalem involvet malitiam.

31 *Neque vales dicere*, pollutionem in tali caſu non eſſe expreſsè intentam, aut volitam, ſed tantùm talem actionem illicitam in genere luxuriæ, puta oſculum, tactum, aſpectum impudicum, & ſimilia; Non valet, inquam, quia *expliciti, & impliciti eadem eſt vis, & ratio in moralibus*: & perinde eſt, ſive effectus malus procedat ex intentione operantis (hoc eſt directè, ſeu explicitè,) ſive ex natura operis voluntariè, & pro libito exerciti (hoc eſt implicitè, & indirectè) ipſe effectus ſequatur. Sicuti enim qui multum vini generoſi bibit; ex quo ſcit, vel prævidet, ſequi ebrietatem, is implicitè, & indirectè cenſetur velle ebrius fieri, licèt explicitè, & directè id minimè intendat, imò etiamſi poſitivè nollet inebriari; ita ſanè qui actum impudicum exercet, ex quo prævidet, vel advertit, pollutionem naturaliter, vel ejus periculum ſecuturum, implicitè, & indirectè convincitur velle ipſam pollutionem; quamvis eam in ſe directè, & explicitè minimè vellet, nec intenderet.

32 *Hinc deduces*, omnes, & ſingulos actus impudicitiæ, ſi ex illis prævideatur pollutio, eſſe illicitos, & peccaminoſos dupliciter; primò ratione ſui proprii conſtitutivi, ſeu ratione propriæ malitiæ ſpecificæ: ſecundò ratione pollutionis prævisæ in ipſis, tamquam in cauſa; quapropter hæc circumſtantia *prævisæ pollutionis* erit explicanda in Confeſſione.

33 ℞. IV. Quando actio illa, ex qua prævidetur, (minimè verò intenditur) ſecutura pollutio, eſt de ſe quidem illicita, ſed extra genus peccati luxuriæ, & impudicitiæ, eſtque cauſa tantùm remota, neque ex natura ſua ordinata ad rem veneream, neque notabiliter influens in immunditiam pollutionis, tunc pollutio inde ſequens (merè per accidens) non erit ut plurimùm, niſi culpa venialis; quia tunc talis actio, licèt aliunde peccaminoſa, non niſi leviter poteſt eſſe cauſa pollutionis; atqui cauſa leviter tantùm influens in pollutionem non videtur excedere (communi Doctorum judicio) peccatum veniale; ergo &c. Quòd autem ſit culpa venialis in tali cauſa, patet, eò quia aliquam deformitatem, vel deordinationem continet, ut illicita cauſa eſt pollutionis ſecutæ. Exemplificant hunc caſum DD. de illo, qui ex mera gula, nimio potu, vel cibo ſe ingurgitat; & de eo, qui ex ingluvie ſola vorat cibos, vel potus calidos; & de illo, qui ſe inebriat. Primum, & ſecundùm exemplum poteſt admitti; at tertium mihi non placet; quia dicit Apoſtolus Epheſ. 5. *Nolite inebriare vino, in quo eſt luxuria*; cùm ergo luxuria ſit in vino uſque ad ebrietatem potato, tamquam in cauſa, ſequitur, quòd ebrietas ſit quaſi cauſa naturalis immunditiæ, ſeu pollutionis.

℞. V. Quotieſcumque cauſa, vel actio 34 poſita (ex qua prævidetur, ſed nullatenus intenditur ipſa pollutio ſecutura) eſt de ſe honeſta, & licita, vel adeſt aliqua rationabilis cauſa neceſſitatis, utilitatis, commoditatis, &c. exercendi, vel continuandi talem actionem; tunc etiamſi ſequatur pollutio, regulariter loquendo, nullum erit peccatum. Ita ſecundùm omnes, quos potui videre, Auctores Claſſicos. Ratio fundamentalis eſt mupltiplex. *I.* Quia, ſicuti vidimus, pollutio in cauſa tantum eſt peccatum, quantum ipſa cauſa; ergo ubi cauſa omni peccato caret, illa pollutio immunis erit ab omni culpa. *II.* Quia homo jus habet ad operandum opus de ſe licitum, & non prohibitum; ſed quoties quis jus tale habet, non debet impediri, nec retardari à ſuis operibus ex eo, quòd per accidens, & præter ejus intentionem ſequatur effectus, quem per ſe intendere non licet, nec intenditur ab operante, qualis eſt pollutio, quæ tunc dicitur potiùs permiſſa, quàm volita. *III.* Quia major eſt utilitas, quæ intenditur, vel ſperatur ab operibus licitis, & honeſtis, & quandoque neceſſariis, quàm ſit incommodum pollutionis permiſſæ, quæ vel exiguum, vel nullum damnum Spirituale affert operanti. *IV.* Quia

Quiá non imputatur ad peccatum id, quod per accidens ſequitur, quodque non facilè poteſt impediri ab eo, qui ſic agendo utitur jure ſuo; ſed pollutio non facilè poteſt impediri, nam quandoque nulla data cauſa extrinſeca, ſolet accidedere nobis nolentibus. *V.* Quia ſi homo teneretur impedire omnes pollutiones, etiam involuntarias, daretur locus perpetuis ſcrupulis, & nimiis timoribus, & anxietatibus animi, quod onus graviſſimum foret, & intollerabile; cùm enim ſint innumeræ actiones, alioquin licitæ, vel ex ſe non malæ, & quibus poſſunt, vel ſolent provenire pollutiones, non poſſet unquam homo liberè operari. *VI.* Quia valdè tenuis eſt obligatio vitandi pollutionem in cauſis per ſe, & proximè ad ipſam non ordinatis, & conſequenter non notabiliter in illam influentibus, (ut fusè oſtendunt Thom. Sanchez, *lib. 9. de Matrimon. diſput.* 45. Diana, Tamburinus, Laymann, Sporer, *Tom. 3. par. 4. cap. 3. ſection.* 5. & plures alii D.D. apud eos;) atque actiones per ſe licitæ, & quandoque neceſſariæ non poſſunt niſi leviter influere in pollutionem; iſte autem levis influxus non poteſt impedire hominem à ſuis licitis, honeſtis, & neceſſariis operibus.

35 *Ex his rationibus* poterunt deduci, & reſolvi innumeri caſus particulares, quos me piget exemplificare. Dicam ſolùm, quòd omnia dicta de ipſa pollutione indirectè tantùm intenta in ſua cauſa; & cauſis diminuentibus, & excuſantibus, pariformiter, & à fortiori intelligenda ſunt de pollutione inchoata tantùm, de commotione libidinoſa ſeu venerea, vel de motibus ſenſualitatis.

Quæro XI. *Quid de pollutione involuntaria judicandum eſt?*

36 ℞. Pollutio involuntaria ſimpliciter dicitur, quæ fit, vel accidit præter omnem directam, & indirectam voluntatem; adeòque neque in ſe, neque in aliqua ſua cauſa eſt volita; ſed ſequitur ex aliis cauſis, vel *intrinſecis* (ut ex ſuperfluitate ſeminis, vel debilitate naturæ, vel ex complexione particulari ſic inclinata, vel ex morbo aliquo, vel ex ſomniis &c.) vel *extrinſecis* cauſis, ut ex fatigatione corporis, vel tentationibus, & illuſionibus dæmonum, vel ex violentia tibi facta ab alio &c. Et hæc de ſe ſine dubio non poteſt eſſe peccatum; quia nihil eſt peccatum, niſi ſit voluntarium: *& non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus.* Omnes DD.

Quæro XII. *Quid, ſi quis deſideraret inefficaci affectu pollutionem naturalem, vel naturali curſu venturam?*

℞. Oportet diſtinguere. Deſiderium tuum poteſt referri vel ad finem aliquem honeſtum, vel ad inhoneſtum; V.G. Potes deſiderare pollutionem ob delectationem illius impuritatis: & tunc eſt peccatum mortale; quia hoc eſt conſentire directè in malitiam, & turpitudinem illius immunditiæ. *Vel* potes eam deſiderare ob ſanitatem, vel ob naturalem exonerationem naturæ, vel ad ſedandam, aut minuendam tentationem carnalem; & tunc non eſt grave peccatum; quia finis eſt honeſtus quamvis imperſectus. Et quod dixi de deſiderio antecedente, dicendum de gaudio ſubſequente pollutionem naturalem. Ita Buſembaus, *lib. 3. tr. 5. cap. 2. dub. 4. num.* 4. Anacletus, *tract. 9. diſt. 4. quæſt. 5. num.* 55. Bonacina *de matrim. q.4. pun.* 10. *n.*14. & alii DD. 37

De Pollutione nocturna, vel in ſomnis contingente.

Quæro XIII. *Quid ſentiendum de pollutione nocturna, vel in ſomnis contingente?*

℞. *I.* Pollutio in ſomnis poteſt diverſimodè conſiderari: *Primò*, ut antecedenter directè volita, intenta, & efficaciter procurata; idque tripliciter poteſt contingere. I. Cùm quis efficaciter deſiderat, ut pollutio in ſomnis ſibi eveniat ad experiendam ejus delectationem, ita ut tale deſiderium vehemens ſit cauſa efficax illius. II. Cùm quis evigilans ponit cauſam illius, ut ſequatur in ſomnis, V. G. imaginando turpia, vel tali ſitu accubando in lecto, vel quid ſimile malitioſè agendo. III. Cùm quis ad eum finem, ut ſequatur, non amovet cauſam notabiliter influentem in ipſam pollutionem, ut V.G. non ſe elongando, aut ſeparando à ſocio malo, cum quo dormit, vel non retrahendo contactum manuum à partibus pudendis &c., ubi opportuno tempore utrumque, vel alterutrum impedire poteſt. In his caſibus pollutio eſt mortalis, non pro tempore, quo ipſe dormit: nam tunc eſt incapax peccandi; ſed pro illo 38

illo inſtanti, quo voluntariè poſuit, vel non amovit cauſam efficacem ſecuturæ pollutionis prævisæ; tunc enim ejus pollutio fuit directè, vel indirectè, ſaltem in cauſa volita, intenta, & procurata, quod eſt mortale ſecundùm omnes meos DD.

39 ℞. *II. Secundò*: Poteſt conſiderari pollutio in ſomnis, ut antecedenter indirectè tantùm volita in cauſa poſita; & tunc dicendum, quòd tantùm erit peccatum ipſa pollutio, quantum fuit ipſa cauſa poſita juxta omnia dicta ſuperiùs, *n.* 28. *& ſequentibus*. Eſt eadem enim, imò aliquantulum minor, ratio de pollutione indirectè voluntaria in ſomno eveniente, quàm de ipſa accidente in vigilia, hìc enim adeſſe ſolet periculum conſenſus; in ſomno autem non poteſt eſſe tale periculum, ut patet quia dormiens non eſt capax, vel compos rationis, & libertatis.

40 ℞. *III.* Poteſt *tertiò* conſiderari pollutio (jam ſecuta in ſomnis ſine cauſa directè, vel indirectè poſita) poſt ſomnum voluntaria, ſeu complacita; & tunc ſi complacentia feratur in delectationem habitam, vel jam præceptam, erit mortalis culpa; quia objectum illud eſt mortaliter turpe, & illicitum, circa quod delectaris, de quo gaudes, & in quò complaces tibi. Si verò complacentia referàtur ad aliquem effectum, aut finem honeſtum, tunc grave non erit peccatum, ut dictum fuit ſuprà n. 37.— Hæc tamen complacentia, quando eſt deliberata, non caret periculo, (ut notat cum Leſſio, & Laymanno Buſembaus) & noſter Anacletus addit, hujuſmodi complacentiam ſimplicem indicare imperfectum Caſtitatis affectum; nam homo perfectus maximè abhorret ab omni carnis impuritate, quamvis naturaliter eveniente, ob timorem etiam conſentiendi in carnalem delectationem illicitam.

41 ℞. *IV.* Poteſt *quartò* conſiderari pollutio, ut in ſomnis incœpta, ſed in vigilia poſtea completa. Sæpè enim contingit iſte caſus; ideòque Confeſſarius novellus debet fundatiſſimè illum reſolvere his regulis. I. Secluſo conſenſu deliberato in illam pollutionem, poteſt licitè, ſe negativè habere, permittendo deciſionem, & effluxionem materiæ ſeminalis, quàm continere, & reprimere non tenetur, & regulariter vix poſſet, ſi vellet cohibere curſum naturæ impetuoſum; ſufficit ergo non complacere de ea, ſecundùm portionem, vel partem ſuperiorem rationis deliberatæ. II. Inter ſomnum, & vigiliam, in modico illo temporis ſpatio, quo homo evigilat, vel evigilare incipit, plerumque non adeſt deliberatio ſufficiens ad perfectum uſum rationis; eſt enim quaſi ſemidormiens; & conſequenter etiamſi complaceret de illo, vel in illo actu, non peccaret mortaliter, ob imperfectam advertentiam malitiæ &c. III. Pollutio magis ſecundùm ejus principium, quàm ſecundùm finem judicanda eſt periculoſa, igitur ſi incœpit involuntariè in ſomno, continuatio, & finis illius, velut effectus naturalis; ſimpliciter erit involuntarius; nam illa ſeminatio eſt actus, vel effectus naturæ jam corruptæ abſque voluntate libera &c. IV. Delectatio illa libidinoſa, quæ experitur in pollutione, mentem humanam exceſſivo modo obfuſcat, & obruit; ita ut hominem reddat quaſi ſimilem beſtiis; ergo difficile eſt tunc diſcernere malitiam moralem, & contrahere culpam mortalem; nam homo partim ex ſomni reliquiis, partim ex delectatione brutali, quam ſentit, ſui perfectè compos eſſe non valet; ergo &c. V. Sporer, *tract.* 3. *p.* 4. *cap.* 3. *ſect.* 5. §. 7. Tambur. *Decal. lib.* 7. *cap.* 7. §. 2. Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *punct.* 10. *num.* 4.

Quæro XIV. *Quid, ſi homo inter ſomnum, & vigiliam, nondùm perfectè vigilans mollitiam perpetraret, aut pollutioni poſitivè cooperaretur?*

℞. Suppoſito, quòd talis mollitia, aut pollutio non ſit volita ante ſomnum nec directè, nec indirectè; & quòd nulla antecedenter poſita ſit cauſa efficax talis immunditiæ: & quòd homo ſit aliàs timoratæ conſcientiæ, qui dum eſt ſui compos, & perfectè expergefactus non ſit deditus venereis delectationibus, vel impudicis tactibus quinimò odio habeat omne peccatum mortale deliberatum; dico, quòd non peccat mortaliter. Ratio fundamentalis eſt; quia talis cooperatio caret perfecta advertentia malitiæ, quæ neceſſaria eſt in omni peccato mortali, & præcipuè in hac materia, ubi natura noſtra ex peccato originali vitiata valdè proclivis eſt; atqui ubi non adeſt perfecta advertentia malitiæ, nequit eſſe perfectus conſenſus voluntatis noſtræ; ergo talis cooperatio 42

non

non eſt omninò libera, nec voluntaria ſimpliciter, & perfectè: & conſequenter nequit eſſe mortaliter peccaminoſa.

43 Probo majorem propoſitionem, nempè, *quòd talis cooperatio careat perfecta advertentia malitiæ*; quia Caſus ſupponit, hominem illum nondum eſſe perfectè vigilantem; ergo eſt tantummodò ſemidormiens; atqui in ſemidormiente nequit dari niſi ſemiplena advertentia malitiæ objecti, (ſicut cum communi Theologorum doctrina probat Maſtrius, *moral. diſp.* 15. *à num.* 10.) quia ſemidormiens leviter tantùm poteſt diſcurrere, & reflectere, & advertere; ut patet experientia; igitur &c.

44 *Quòd verò in hac materia præcipuè requiratur plena, vel perfecta advertentia malitiæ*: patet; quia, (ut probat Bonacina, *de matrim. q.* 4. *pun.* 7. *& punct.* 10. *à num.* 4.) motus ſenſualitatis ſunt valdè connaturales ex infirmitate naturæ, quæ hominem multùm excuſat; unde requiritur majus voluntarium in ipſis, ad hoc, ut imputentur ad culpam mortalem, quàm in aliis materiis; ergo & major advertentia requiretur &c. Semidormiens autem non habet plenum judicium, neque perfectam advertentiam malitiæ illorum actuum turpium; ergo &c.

45 *Confirmatur*: Semidormientes ex libidinoſis motibus ſenſualitatis, & proximæ pollutionis ſtimulis agitati perturbatum habent intellectum, & rationem, quæ perturbatio impedit perfectum uſum, & dominium rationis, unde ſequitur, ut objectum illud turpe, & delectabile oſtendatur voluntati cum determinatione ad id ſolùm, ad quod paſſio, vel natura inclinat: vel nullis exhibitis rationibus in utramque partem (honeſti ſcilicet, & inhoneſti: *honeſti*, ſi reſiſtatur paſſioni: *inhoneſti*, ſi aſſentiatur paſſioni libidinoſæ,) vel ſolùm exhibitis illis rationibus, aut motivis, quæ in eam tendunt partem, ad quam natura tendit; ſicque in tali caſu voluntas non agit liberè, ſed tantùm naturaliter ſecundùm affectionem commodi, ſeu delectabilitatis objecti, ſectando nempè appetitum ſenſitivum, cui nata eſt condelectari; ideòque non peccat, ſaltem mortaliter, quia non agit ut libera, ſed quaſi ut tracta naturaliter. V. Laymann, *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *&c.* – Poterat caſus iſte ſufficienter deduci, & reſolvi ex regulis jam nuperrimè traditis, *nu.* 41. quia tamen videbatur importare aliquid novi, vel additi, & de hoc ſui ſæpiùs requiſitus, volui novas promere, & afferre rationes.

De Diſtillatione.

Quæro XV. *Quid de diſtillatione libidinoſa judicandum erit?*

℞. Diſtillatio eſt effuſio modica humoris ſemini ſimilis, ſed minùs viſcoſi, aut tenacis, vel mordacis, magiſque aquoſi, quàm ſit ipſum ſemen, minori in quantitate, & ferè ſtillarum inſtar urinæ, minorique voluptate carnali effluentis; imò aliquando ferè nullius voluptatis. Quare claritatis, & memoriæ gratia vocare poſſumus unam libidinoſam, alteram non libidinoſam diſtillationem. 46

Diſtillatio libidinoſa voluntariè procurata, vel acceptata eſt peccatum mortale; quia hujuſmodi turpitudo eſt cauſa proxima pollutionis, vel notabiliter in eam influit; nam fit cum magna commotione ſpirituum in partibus pudendis, & cum venerea delectatione &c.

Diſtillatio autem non libidinoſa peccaminoſa non eſt; quia fit cum exigua, vel nulla commotione carnis, & abſque delectatione libidinoſa, veluti quidam ſudor, vel humor aqueus fluens per diverſum meatum &c. ut optimè docet Gerſon, *p.* 2. *Operum. Tract. de pollut. notab.* 1. – V. Bonac. *de Matr. q* 4. *pun.* 10. *nu.* 13. – Sporer. *cit* §. 8. cum multis DD. *De commotione libidinoſa, vel motibus ſenſualitatis, & cæteris peccatis internæ luxuriæ agemus ſuo loco, Tract.* 37.

Regulæ pro Confeſſariis circa omnes materias Sexti Præcepti.

Quæro XVI. *Quomodo ſe gerere debent Confeſſarii tyrones in audiendis Confeſſionibus materiarum contra Sextum Decalogi præceptum?*

℞. Quoniam luxuriæ vitium eſt veluti Diaboli ſagena major, qua innumeras Animas ſecum trahit in interitum, ac in profundum inferni; Confeſſarius autem ut Chriſti Miniſter, ut Medicus, & con- 47

ſalvator

ſalvator Animarum debet eruere de manu Dæmonis prædam, & impedire, ne cadat iterùm in laqueum, & rete illius; operæ pretium exiſtimavi in fine declarationis moralis ſexti hujus præcepti addere nonnullas Regulas pro praxi Confeſſarii, ut ſciat quomodo ſe gerere poſſit, ac debeat erga pœnitentes pice luxuriæ inquinatos; Et licèt uno verbo poſſent Te, & me remittere ad illas Regulas, quas poſuit P. Paulus Segnerus in *ſuo* (parvo, magnoque libro;) *Confeſſario inſtructo*, *n.* 2. nihilominùs volui alios perluſtrare libros, è quibus haſce deprompſi Regulas pro unaquaque ſpecie magis conſiderabilis, & periculoſæ luxuriæ, eaſque ſic ordinare.

Regulæ pro peccatis Beſtialitatis.

48 Circa abſolutionem, & interrogationem hujus peccati, attendat Confeſſarius, volens habere cognitionem illius, ne utatur verbis nimis apertis, ne diſcat pœnitens ab eo malitiam, quam ipſe neſcit. Procuret potiùs, ut ex ſe pœnitens referat modum in tantum, in quantum ſufficiat ad habendam notitiam peccati in ſua ſpecie, ut poſſit judicare, an perfecerit actum, & peccatum perfectæ Beſtialitatis. Si tale delictum ſit reſervatum, & Confeſſarius careat debita facultate, remittat ad aliquem pœnitentiarium, aut ſibi procuret poteſtatem ab Epiſcopo, non nominando omninò perſonàm delinquentem, ſed caſum in genere. – Quando conjicit pœnitentem præ verecundia tacere, vel non poſſe ſe explicare, animet ipſum, & ſe benevolum, humanum, & affabilem præbeat, & oſtendendo erubeſcentiam aliam eſſe bonam, & ſanctam, aliam malam, & diabolicam, Deumque eſſe miſericordem, eique eſſe proprium miſereri ſemper, & parcere, ſolùmque velle converſionem, & confeſſionem peccatoris, nequaquam verò mortem, vel damnationem. Quæ omnia à ſimili ſervare debet Confeſſarius in aliis peccatis. Abſolvere tamen non debet eos, qui animalia domi, aut in lecto cum affectu libidinoſo tenent, niſi priùs illa vendant, aut interficiant. Differat quandoque abſolutionem, ſi viderit expedire, vel Communionem prohibeat per aliquas hebdomadas, ut interim pœnitens magis ſe diſponat, & magis purificatus accedat. V. Jacobum de Graffiis *Majorem Pœnitentiarium Neapolitanæ Diœceſis: lib. de Reſervatione Caſuum*, *lib.* 1. *c.* 12. *n.* 24.

Regulæ pro peccatis Sodomiæ.

Erga pueros, & puellas maxima adhibenda eſt cautela, prudentia, atque diſcretio à Confeſſore in interrogationibus ſpecialiter, ne ſcandalizentur, aut exterreantur. Studeat præſertim Confeſſarius excidere cauſas, & occaſiones peccati tam nefandi; nam vera pœnitentia non eſt ſine excisione cauſarum, & occaſionum proximarum, ut habetur *cap. Satisfactio*, *pœnit. diſt.* 3. Quia niſi pœnitens firmiter proponat proximam evitare occaſionem ſui peccati, regulariter non eſt abſolvendus, ut dixit Navarrus, *in manu. c.* 3. *n.* 5. ex communi. Unde ſi maſculus adultus ſodomita cohabitat cum maſculo puero, ex qua commoditate ſæpè peccet, non poteſt abſolvi, niſi ſe dividat, propter periculum recidivi; nam malum ſemper præſumitur malum in eodem genere mali, durante priori cauſa mali: ut *in regula, malus*, *l.* 6. habetur. Item ſi peccacatum perpetretur, quia puer frequentat domum alterius, evitare omninò debet tranſitum per illam viam; & ſi eſt poſſibile mutet etiam locum; quia mutando locum mutatur mentis affectus, *cap. mulier*, 15. *q.* 1. – Adulto ſodomitæ imponet pœnitentiam contrariam vitio, ut jejunia rigoroſa, diſciplinas, pœnam aliquam pecuniariam, cilicium &c. vel aliam pœnitentiam afflictivam, & præſervativam; ſpecialiter frequentiam Confeſſionis. – Si quis verò verecundetur fateri ſe in actu turpiſſimo fuiſſe patientem, aliqui D.D. cenſent, non teneri hanc circumſtantiam exprimere; quia peccatum patientis eſt ejuſdem ſpeciei, imò minoris malitiæ, quàm agentis. Si verò fuit agens, tenetur hoc explicare tum ratione ſcandali, tum ratione reſervationis in illa Diœceſi, ubi reſervatur *Sodomia ſine ulterioris declaratione*, ut vidimus ſuo loco, tum ratione pollutionis &c. Tenetur etiam confiteri circumſtantiam perſonæ, cui ſodomiticè ſe copulavit, vel ſui ipſius Agentis ob rationes jam tactas alibi. V. Ignatium Lupum *in Caſus reſervatos*, *p.* 2. *caſ.* 10. §. 3. – Graffium *cit. cap.* 12. *à n.* 33. 49

Regu-

Digitized by Google

Regulæ pro peccatis Inceſtus.

50 Ubi inceſtus eſt reſervatus in primo, & ſecundo gradu Conſanguinitatis; & in primo Affinitatis gradu, Confeſſarius non habens facultatem abſolvendi ab hoc caſu, debet interrogare pœnitentem de gradu parentelæ, &c. ut ſciat, an ceciderit in reſervatum; item de copula, an fuerit completa intra vas naturale; quia, ut diximus *Tract.* 27. *n.* 71. Reſervatio intelligitur regulariter de peccato conſummato in illa ſpecie; niſi aliter exprimatur, aut declaretur à Reſervante. -- Cautus ſit Confeſſarius circa Confeſſiones ruſticorum, qui, cùm omnes de familia tam cognati, quàm affines in eodem cubile dormire debeant, & ſoleant, facilè tentationibus acti in inceſtum labi poſſunt, nec ita facilè confitentur hoc ſcelus. Siquidem *ruſtici ſunt quoddam genus confitentium, à quibus nihil ferè excipies quoad ſpeciem, ac numerum peccatorum, niſi eos interroges, examines, & quaſi ferrea fuſcinula extra has de ore eorum peccata*; ideòque Confeſſarii diligentia, prudentia, patientia, & charitas ad illorum peccata excipienda nimis neceſſariæ ſunt; quia ipſi ex ſe neſciunt, vel nimis erubeſcunt confiteri. -- Perpendere etiam debet; an proxima delinquendi occaſio ſit removibilis: quod punctum in hac peccandi ſpecie Confeſſarii ingenium torquere ſolet, dum duabus de cauſis quandoque irremediabile reddatur. *Prima* eſt nimis ardens erga ſanguine junctos amor. *Secunda* continua, & mutua ipſorum converſatio, cohabitatio, & cubatio, ſeu dormitio; unde niſi efficaciſſimo quodam remedio à peccandi conſuetudine arceantur, opportunitas ipſa & commoditas eos retinet in cœnoſo, ac vituperabili inceſtu; nec aliud promptius, & efficacius remedium excogitari poteſt, quàm hoc, quod dictant experti, & prudentes, ut nimirùm differatur ad tempus abſolutio, & nequaquam abſolvantur, niſi abſcedant, & ſeparentur, quantùm eſt ſibi poſſibile, *cap. peccati, de regul. in* 6. Cùm non ſatis ſit hirundines expellere domo, niſi nidus deſtruatur. -- Confeſſarius, qui ex confeſſione novit aliquos Conjugatos ex ignorantia invincibili contraxiſſe matrimonium cum impedimento dirimente, non tenetur, nec debet eos admonere, ſi nulla adſit ſpes profectus, ſed potiùs immineat ſcandalum, periculum incontinentiæ, & inceſtus formalis, vel vitæ ſpiritualis, & famæ detrimentum, ſi admoneatur. V. Homobonum, *de reſer. caſ. p.* 2. *c.* 4. *ſect.* 1.

De peccatis Stupri ſufficiant ea, quæ diximus *Tract.* 27. *à num.* 33. *& ſeqq.* De Adulterii autem peccatis vide totum Tractatum 28 Circa regulas autem tenendas in peccatis fornicationis ſimplicis, & mollitiei, ſpecialiter ubi invenies conſuetudinem, & occaſionem proximam, lege totum Tractatum ſequentem. Hic ſolùm ſubſcribam alias Regulas in communi ad omnes ſpecies luxuriæ accommodatas. 51

Regulæ communes.

Prudens eſſe debet Confeſſarius in exquirendis cautè circumſtantiis peccatorum ſexti præcepti, in præparatoriis ad actum conſummatum, modis, & cæteris non neceſſariis, ne ſe, vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem, vel delectationem. Ita Fillitucius *in Inſtitutione brevi pro Confeſſario, cap.* 2. Præſtat aliquando Confeſſarium minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel ſibi aliquod ſcandalum creare, & eſſe nimium. Ita Coninchius de Sacrament. *diſput.* 17. *numer.* 56. — Non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias peccatorum carnalium; quia delectabilia quantò magis conſiderantur, tantò magis ſunt apta movere; nocet talis interrogatio, & Confeſſori, & pœnitenti; ſufficit enim habere ultimam ſpeciem peccati in hujuſmodi materia, & circumſtantias, quæ cadunt ſub ſpeciali prohibitione, & à longè, & cum verbis honeſtis. Non interroget niſi de peccatis conſuetis, & quæ communiter explicitè ſunt nota; quærere enim de inconſuetis, & non notis nocet confitenti, quia ſæpè diſcit malitiam, quam neſciebat; & nocet Confeſſori, qui delectatur de hujuſmodi interrogationibus; unde qui nimium quærunt ſpecialia, potiùs dicendi ſunt contaminatores, quàm confeſſores. Ita Angelus *in ſumma*, V. interrogationes in Confeſſione, §. 1. — Et Sylveſter, V. Confeſſor III. *q.* 15. ubi addit in fine: Ne etiam per plateas recitentur 52

interrogationes imprudenter factæ de turpibus, & ne peccator irrideat Confeſſorem. Laymann, *libr. 5. Tractat. 6. cap. 13. quæſt. 5.* cum multis D. D. ibi citatis dicit: Cautiſſimum Confeſſarium eſſe oportet in formandis interrogationibus circa peccata carnis. Uſus te plura docebit.

TRACTATUS XXX.

DE CONSUETUDINE, & occaſione proxima peccandi.

QUæro I. *Quænam eſt differentia inter Conſuetudinem, & occaſionem proximam peccandi?*

1 *Reſpondeo I.* Conſuetudo peccandi, (quę & Recidivum, vel Recidiva ab aliquibus antiquioribus appellatur,) eſt frequens relapſus in idem peccatum. Tria autem requiruntur ad perfecta Conſuetudinem peccandi. I. Multitudo actuum, II. Habitus vitioſus, III. Voluntas retinendi, vel ſtandi in tali conſuetudine; quæ voluntas, vel eſt *formalis*, quomodo nempè quis actu poſitivo vult illam retinere, vel *virtualis*, ſeu interpretativa, quando quis cognoſcens, ſe eſſe obligatum ad reſiſtendum conſuetudini, non vult, vel negligit reſiſtere illi. Conſuetudo tamen principaliter conſiſtit in ipſa multitudine peccatorum; quia conſuetudo peccandi eſt peccatum, habitus autem malus contractus à frequentatis actibus malis non eſt in ſe peccatum, licèt ad peccatum inclinet; quando verò additur voluntas ſive formalis, ſive virtuals: ſeu voluntas expreſſa, aut interpretativa, tunc eſt novum peccatum diſtinctum ab ipſa conſuetudine.

2 ℞. *II.* Conſuetudo peccandi differt ab occaſione proxima peccandi per hoc, quòd omnis occaſio proxima plerumque affert Conſuetudinem, vel illam cauſat? Conſuetudo autem plerumque datur ſine occaſione proxima; ut patet exemplis, V. G. de Titio, qui frequenter peccat ingrediendo talem domum, ſtando cum tali ſocio; quia illa domus, ille ſocius eſt ei occaſio proxima; Et de Cajo, qui ſe polluit frequenter ex ſola fragilitate, & conſuetudine. Differt etiam per hoc, quòd Conſuetudo eſt quid ab intriſeco principio procedens, nempè ab habitu vitioſo inclinante ad Recidivum, vel Relapſum. Occaſio autem proxima conſtituitur à duobus principiis, quorum unum eſt ab intrinſeco, alterum ab extrinſeco: ideſt ab habitu vitioſo, & ab objecto delectabili præſente, & movente. Vel, ut alii dicunt, occaſio proxima importat periculum formale proximum peccandi, & circumſtantiam aliquam extrinſeca quaſi impellentem ad peccandum; Conſuetudo autem importat ſolum periculum formale proximum peccandi, ortum ab habitu intrinſeco.

Quæro II. *Quid eſt periculum peccandi?*

R. I. Eſt inclinatio ad futurum peccatum. Nomine *inclinationis* non intelligitur inclinatio naturæ, ſed motivum antecedens ad peccatum futurum, ex quo motivo Prudentes colligunt, impendere, ſeu imminere futuritionem peccati. Et nomine futuri, vel *futuritionis peccati* non intelligas, hoc peccatum re ipſa futurum, aut eventurum eſſe; quia ſæpè datur periculum peccandi, abſque eo, quod de facto ſequatur peccatum illud, quod erat futurum; datur tamen in tali periculo motivum inclinans ad hoc; Unde *Periculum peccandi* clariùs explicari poteſt; dicendo, *Eſt motivum inclinans in genere motivi ad futuritionem peccati*. Et eſt multiplex. 3

℞. II. Triplex eſt hoc periculum peccandi, ſcilicet certum, probabile, & leve. *Periculum peccandi certum eſt*, quod certitudine quadam morali infert certam 4

futu-

futuritionem peccati; quando nempè quilibet prudens firmiter ſibi perſuadet, peccatum inde eſſe eventurum; Ut V.G. cùm Titius propria edoctus experientia, certò ſibi perſuadet, ſi adjerit talem domum, vel locutus fuerit cum tali fœmina, lapſurum in peccatum luxuriæ. — *Periculum probabile peccandi eſt*, quando adſunt rationes probabiles, quæ ſuadeant lapſum futurum. Ut cùm quis timoratus, fragilis tamen, probabiliter cenſet in tali occaſione exercendæ luxuriæ, fragilitate ſua vincendum eſſe contra timorem Dei nondum fortiter radicatum; Et ubi fragilitas propria, & occaſio poſita, abſque timore Dei, poſſent illi eſſe motivum perſuadendi ſibi *certò* futuritionem lapſus; adjuncto tamen timore Dei mediocriter ſibi inſito, qui ad vitandum peccatum inclinat, reddit motivum illud peccandi ſolùm *probabile*.

5 Advertendum eſt hìc; quòd *periculum probabile* peccandi affert ſecum aliquam certitudinem moralem ex hoc, quòd eſt certum in exiſtendo; *probabile* tamen dicitur in inferendo futuritionem peccati. Certum enim eſt, quòd V.G. datur, vel exiſtit periculum mortis in infirmo periculoſo morbo laborante, cujus vita tamen adhuc non deſperatur, ſed probabiliter tantùm timetur ejus mors. — *Periculum* tandem *leve peccandi* eſt, quando datur indicium leve, propter quod ſuſpicatur homo, aut timet peccatum futurum; Ut cùm V.G. Religioſus, qui numquam lapſus eſt in rem veneream cum aliqua fœmina, ingrediens domum fœminæ pulchræ indicium ſumit ad ſuſpicandum, ſe fortè lapſurum in delectationem aliquam moroſam, aut veneream ex ea, vel erga eamdem fœminam. Idem dices de Confeſſario timorato in audiendis confeſſionibus mulierum. Huc etiam reducuntur pericula peccandi, quæ inſurgunt ex humana converſatione in cohabitatione, in mercatura, & in quovis commercio aliàs licito virorum, ac mulierum: Nam ultra periculum peccandi, quod unicuique affert propria fragilitas, iſtæ occaſiones communes vitæ humanæ afferunt aliquale periculum ſaltem leve, ut patet experientia; & quandoque de levi fit grave.

6 ℞. *III.* Dividitur *II* periculum peccandi in intrinſecum, extrinſecum, & mixtum. *Intrinſecum* eſt, quod oritur à propria fragilitate, vel ab habitu vitioſo. *Extrinſecum* eſt, quod independenter à cauſa prædicta ſolet ab aliqua cauſa, vel occaſione extrinſeca inclinare ad peccandum, ut, V.G. Violentia, metus, perſuaſio amici ad opus peccaminoſum &c. *Mixtum* eſt, quod componitur, & inſurgit ex utroque, nempè ex intrinſeco, & extrinſeco, ut quando propriæ fragilitati, vel habitui vitioſo adjungitur occaſio extrinſeca eliciens, vel alliciens ad peccatum. *III.* Dividitur in formale, & materiale. *Periculum materiale* eſt illa occaſio, aut circumſtantia extrinſeca, quæ provocat, vel inclinat ad lapſum. *Periculum formale* eſt illud, quod, conſideratis omnibus circumſtantiis extrinſecis, & intriſecis, inclinat fortiter ad lapſum; hoc formale periculum vocatur etiam *proximum*; quia qui in eo verſatur in proximo eſt, ut labatur in peccatum; & qui àmat hoc periculum, in illo peribit: vocatur etiam periculum morale ab aliquibus DD.

℞. *IV.* Periculum materiale, & extrinſecum ſubdividitur in periculum voluntarium, & non voluntarium. *Voluntarium* eſt illud, quod in poteſtate hominis conſtituitur, qui poteſt, ſi vult, auferre, vel fugere tale periculum, nullaque vera neceſſitate cogitur ad retinendum hoc vel ad manendum in eo. *Periculum non voluntarium* (quod alio nomine vocatur *neceſſarium*, licèt abſolutè non ſit neceſſarium, niſi quoad circumſtantiam externam, quam quis non poteſt tollere) eſt illud, quod non eſt in poteſtate hominis, qui aliquo modo neceſſitatur, illud retinere, vel in eo manère; & hoc dupliciter, aut *neceſſitate Theologica*, ideſt, ex præcepto obligante, ut V. G. Chirurgus, qui vel ex præcepto Charitatis, vel ex officio, & juſtitia tenetur mederi verendas partes viri, aut fœminæ. Vel Tutor, aut Curator, qui obligatur viſitare, & alere pupillos, & pupillas. Avus, qui adſtringitur cohabitare cum nepte; & ſic de ſimilibus. *Aut neceſſitate phyſica, vel morali*. Ut V. G. qui detinetur in carcere ſimul cum fœmina, vel ſimul in eodem cubiculo dormire cogitur; vel filiusſamilias, qui neceſſitatur ſtare cum ſororibus, conſobrinis, ancillis &c. 7

Quæro III. *Quid eſt Occaſio proxima peccandi?*

℞. Eſt illa, quæ ex ſuo genere talis eſt, ut frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum: 8

vel certè conſtet, habere talem effectum inducendi ad peccatum. *Vel* Occaſio proxima eſt illa circumſtantia extrinſeca, qua poſita, homo ſemper, vel frequenter peccat. Dicitur *proxima* ad differentiam Occaſionis remotæ, quæ, quamvis aliquando, & aliquo modo inducat ad peccatum, non tamen habet frequentem conjunctionem cum peccato tali; ſeu *Occaſio remota* peccandi eſt illa, qua poſita, homo non ſemper, nec frequenter peccat.

Quæro IV. *Quotuplex eſt occaſio proxima peccandi?*

9 ℞. Tot ſunt Occaſiones proximæ peccandi, quot ſunt pericula proxima, (ut ſuperiùs enumeravimus) quæ oriuntur ab intrinſeco, & ab extrinſeco; & nedum in materia luxuriæ, verùm etiam in omni alia pro qualitate circumſtantiæ, & objecti; nihilominùs principaliter dividitur in Occaſionem Proximam voluntariam, & involuntariam. *Voluntaria* eſt, quæ ſtat in poteſtate hominis, qui nempè poteſt vitare, tollere, & abjicere talem occaſionem. *Involuntaria* econtrà eſt, quæ non ſtat in poteſtate hominis, ut exemplificavi de periculo extrinſeco *ſuperiùs numer.* 7.

Quæro V. *Titius ter, vel quater in ſingulis annis hoſpitans in taberna quadam toties peccat carnaliter cum hoſpita; cenſeturne eſſe in occaſione proxima peccandi?*

10 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia quoties Titius ingreditur talem tabernam, & loquitur cum illa fœmina, toties peccat mortaliter; ergo talis locus; vel talis mulier inſervit Titio pro Occaſione proxima peccandi. Neque enim frequentia actuum abſolutè, ſed relativè menſuranda eſt; ideſt, ad conſtituendam verè Occaſionem proximam non debet attendi ſola multitudo peccatorum, verùm etiam commoditas, & facilitas peccandi, quàm quis habet à tali circumſtantia temporis, loci, perſonæ &c. nam quotieſcumque Titius reperitur in tali commoditate loci, & perſonæ, de facto peccat, & ſi tantùm tribus, vel quatuor vicibus in anno peccat cum illa hoſpita, hoc ei accidit tam raro, quia de raro accedit ad illam; ſed hoc quid probat? Si enim centies accederet, centies etiam delinqueret; igitur illa Occaſio verè eſt ei proxima occaſio peccandi, ut docet Paulus Segnerus *in Confeſſario Inſtructo*, *c.* 5. §. 2. — Sanchez *in Decal. l.* 1. *c.* 8. *n.* 1. — Suarez, *de pœnit. diſp.* 32. *ſect.* 2. *n.* 4. — Caſtropolaus, *par.* 1. *tr.* 2. *pun.* 9. §. 3. *n.* 2. — Graffius *par.* 1. *Deciſ. l.* 1. *cap.* 26. *nu.* 16. Et clarè deducitur à definitione Occaſionis proximæ nuper aſſignata, & communiter acceptata, & declarata à Doctoribus moralibus.

Quæro VI. *Cajus dominus cognovit carnaliter Bertam famulam ſuam ter, vel quater in anno; eſtne judicandus ut exiſtens in Occaſione proxima?*

℞. Negativè. Ratio eſt; quia repentinus, ut ſupponitur, eſt iſte caſus Caji; nam non ex conſuetudine, ſed ex ſubitanea libidine peccavit. Tum quia ſemper habuit commoditatem peccandi, nec tamen ſemper, neque frequenter uſus eſt tali occaſione; ergo non erit ei proxima, ſed remota tantùm occaſio. Ita Bonac., *de matrim. quæſt.* 4. *punct.* 14. *num.* 12. — Graffius, *lib.* 1. *Deciſ. c.* 28. *n.* 13. — Felix Panormitanus *Exam. Confeſſ. tom.* 1. *p* 4. *c.* 5. *n.* 3648. 11

Quæro VII. *Qualis erit aſſignanda regula ad dignoſcendam Occaſionem proximam peccandi.*

℞. Vix poteſt certa regula tradi; quia tota hæc res maximè pendet ex prudentia Confeſſarii. Ita ſentit Magnus Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 32. *ſect.* 2. Mallem audire alium optimè reſpondentem, quàm reſpondere: quia nemo, quem viderim, id pro dignitate deffinit, & ſufficiens ejus determinatio eſt difficilis. Ita diſcurrit Doctor Navarrus, *in manual. c.* 3. *n.* 10. quia, inquit, quod uni eſt occaſio propinqua, hujuſmodi non eſt alteri; dat tamen regulam (ibi n. 14.) ſeu potiùs definitionem hanc, dicendo, quòd Occaſio propinqua hujuſmodi, à qua pœnitens neceſſariò debet abſtinere, atque ſtatuere, ſe nunquam ea uſurum, ut à Confeſſario abſolvi poſſit, eſt omnis illa, & ſola, quæ eſt peccatum mortale, aut eſt talis occaſio particularis, qua credit, vel debeat credere Confeſſarius, aut Pœnitens, nunquam, vel raro, ſe uſurum ea ſine peccato mortali: benè perpenſis ejus circumſtantiis. Hæc Navarrus. Mihi verò magis ſatisfacit Joan. de Cardenas, qui, *diſer.* 40. *c.* 2. *nu.* 6. 4. *partis Criſis Theol.* dicit: Non erit difficile explicari, in quo conſiſtat ratio formalis occaſionis proximæ, ſi exponatur per formale periculum peccandi. Et difficultas dumtaxat conſiſtit in judicando, an hic, & 12

nunc,

nunc, attentis omnibus circumſtantiis pœnitentis, detur formale hoc periculum peccandi. -- Ergo nulla alia videtur aſſignabilis regula pro Confeſſario ad dignoſcendam hanc Occaſionem peccandi, niſi hæc, *Tunc judicanda erit aliqua Occaſio propinqua, quando pœnitens verſatur in formali periculo peccandi*: prout explicavi ſuprà *n. 6.* Quare certa, & generalis non videtur regula illa de numero peccatorum, quæ quis antea commiſit, poſitus in tali occaſione; V. G. Si *decies* in tali conflictu conſtitutus ſuccubuit, vel cecidit *ſepties*. Si tribus vicibus repertus in tali certamine, una vice lapſus eſt; & ſic deinceps; nam licet ex actibus præteritis poſſit ferri judicium de conſuetudine peccandi in futurum; nequit tamen formari de ipſo periculo proximo, quod poteſt eſſe, & inexiſtere ante omnem lapſum, quotieſcumque adeſt formale conſtitutivum ejus, nempe impulſivum motivum extrinſecum, & proximum labendi in mortale peccatum; & poſt plures lapſus poteſt auferri ratio formalis Occaſionis proximæ vel deſtruendo ipſum formale periculum, (ut videbimus) vel relinquendo circumſtantiam extrinſecam impulſivam.

Quæro VIII. *An ad occaſionem proximam conſtituendam requiratur periculum certum peccandi, an verò ſufficiat probabile periculum?*

13 ℞. Occaſio proxima peccandi conſtituitur non ſolùm ex periculo certò peccandi, ut omnes DD. tamquam indubitabile concedunt, verùm etiam ex periculo dumtaxat probabili; hoc probatur ſic. Periculum probabile mortaliter peccandi affert ſecum aliquam certitudinem moralem ex eo, quod eſt certum in exiſtendo, ſeu in eſſe periculi, ſive in ratione periculi formalis; licèt dicatur probabile tantùm in futuritione peccati; ſed occaſio proxima principaliter conſiſtit in tali periculo, cui homo ſe exponit, ergo &c. Confirmatur *primo* ex Doctore Navarro *in* Manuale, *vel Summa cap. 3. num. 14. verſ. Hujus autem*: ubi ſic ait. Nemo poteſt abſolvi, niſi ſtatuat, ſaltem virtualiter, numquam ſe in poſterum mortaliter peccaturum, & conſequenter evitaturum occaſionem, quæ ex ſe ſit mortifera, aut peculiaris hujuſmodi, quam probabiliter credit cauſam ſibi fore peccati mortalis: juxta illud Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, ergo &c. II. Ex Thoma Sanchez, *lib. 1. in Decal. cap. 8. num. 1.* Ubi ait: Certiſſimum eſt, opus ex ſe veniale in mortale tranſire, ſi operans Occaſioni ita proximæ exponatur, ut eum morali, ac proximo periculo peccandi mortaliter conſtituat: conſtat ex illo Eccleſiaſtici, c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Et ratio eſt: quia ſalutem ſpiritualem contemnere convincitur, qui ſe tam probabili ejus amittendæ periculo objicit. Et *n. 3.* ait: In hoc probabili periculo mortaliter peccandi fatendæ ſunt circumſtantiæ illius peccati, cujus periculo ſe expoſuit.

Quæro IX. *Qui eſt in occaſione proxima, & ſibi voluntaria, teneturne illam omnino deſerere?*

℞. Omnes Theologi Morales conveniunt in hoc, quòd ille, qui eſt in aliqua 14
occaſione propinqua peccandi lethaliter, quæ ipſi ſit voluntaria, tenetur ſub mortali illam deſerere. Quod probant ex illis Chriſti Domini verbis Matth. 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te erue eum, & projice abs te . . . . Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te, &c.* Idque repetit Matth. 18. Ubi Sancti Patres, Sacrique expoſitores univerſaliter intelligunt hoc de qualibet occaſione cujuſcumque perſonæ, quæ provocat ad peccandum. Ita S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Chryſoſt., S. Hilar., S.Cyril. -- Theophyl. -- Lyran. Corn. à Lapide *in hunc locum*, &c. Probatur etiam rationibus; Unuſquiſque tenetur vitare periculum formale, & proximum peccandi mortaliter; nam, ut vidimus, qui amat periculum, peribit in illo: ſed qui verſatur in occaſione proxima &c. verſatur etiam in continuo periculo peccandi; ergo tenetur vitare, & projicere talem occaſionem. Tum quia, qui voluntariè retinet talem occaſionem, cenſetur amare non ſolum periculum peccandi, verùm etiàm ipſum peccatum; atqui omnes tenentur odiſſe omne peccatum; ergo omnes tenentur deſerere omnem proximam occaſionem. *Alias rationes ponam in ſequentibus.*

Quæro X. *Quomodo deſerenda eſt occaſio proxima prædicta?*

℞. I. Ubi paſſio eſt vehemens, & ha- 15
bitus vitioſus intenſus, vel interna ſuggeſtio, ſive tentatio eſt fortis; magis etiam timenda, & fugienda eſt occaſio externa. Probatur; nam cùm duplex ſit medium

ordinarium deſtruendi periculum formale lapſus; unum, vitando occaſionem externam; Alterum, roborando ſe per actus virtutum; quando paſſio, habitus malus, & tentatio urgent hominem, minus eſt roboris ad eos hoſtes vincendos per actus proprios ipſius hominis; cùm ergo tunc difficilè poſſit deſtrui periculum formale peccandi per actus virtuoſos, vitandum omninò erit, & deſtruendum illud periculum per fugam occaſionis externæ.

16 ℞. *II.* In materia luxuriæ magis, quàm in multis aliis, neceſſe eſt fugere occaſionem externam, Probatur; quia in hoc vitio paſſio eſt vehementior, quàm in pluribus aliis; nam ut ait D. Thomas 2. 2. *qu.* 154. *art.* 3. *ad primum arg.* cum S. Iſidoro: Magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per aliquod aliud vitium; quia ſcilicèt difficiliùs eſt vincere vehementiam hujuſmodi paſſionis. — Ideòque quantò major eſt difficultas vincendi paſſionem, tantò minùs fortitudinis habet homo, ut per actus internos extenuet, & deſtruat periculum formale; ergo neceſſe eſt occaſionem, & periculum externum vitare. Unde Apoſt. 1. Corinth. 9. dixit: *Fugite fornicationem*; explicans per verbum *fugiendi* quomodo recedendum ſit, non ſolùm per deteſtationem, ſed etiam per fugam externam; ab hujuſmodi vitio; neque enim eo termino *fugite* utitur Apoſt Paulus niſi in vitiis Luxuriæ, Idololatriæ, & Avaritiæ; ergo ſignum eſt, quòd per fugam meliùs ſuperantur hæc vitia, quàm per aliud medium.

17 ℞. *III.* Quotieſcumque homo advertit, in aliqua occaſione adeſſe periculum formale peccandi mortaliter, tenetur ſub gravi obligatione fugere periculum illud uno è duobus modis iſtis: vel deſerendo occaſionem externam, vel diſſolvendo periculum formale per actus virtutum à ſe elicitos. Probatur. Quotieſcumque homo prævidet periculum formale; certum, vel probabile peccandi lethaliter, tenetur illud vitare; nam in Moralibus ejuſdem malitiæ eſt conſtituere ſe voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, ac committere illud; ſed, regulariter loquendo, homo ſemper poteſt vitare periculum morale, ſeu formale peccandi lethaliter, aut per fugam occaſionis externæ, quæ incitat ad lapſum, aut per actus virtutum, V. G. per odium, & deteſtationem illius peccati, per propoſitum intenſum, per orationem, & ſimiles actus; ergo ſemper tenetur vitare illud periculum uno ex illis duobus modis ordinariis; aliàs amaret periculum, & periret in illo.

℞. *IV.* Qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, tenetur omninò vitare, 18
extenuare, & excludere periculum formale peccandi mortaliter modo illo intrinſeco, nempè mediis actibus virtutum à ſe eliciendis; aliàs ipſe voluntariè ſe exponeret periculo formali ſic delinquendi; ut patet; & talis occaſio extrinſeca evaderet ſibi voluntaria; ergo &c. Hinc conſtat, filiumfamilias, vel alium ejuſmodi, qui non poteſt expellere è domo fœminam, vel famulam, vel ſibi conjunctam, cum qua frequenter peccat, poſſe tamen, & omninò debere extenuare periculum morale peccandi per actus virtutum ſæpè repetitos. Quòd ſi hæc media non apponat, ipſe ſe exponit periculo, ſicut ſe exponit qui cùm poſſit, non vult deſerere occaſionem externam. Et peccabit lethaliter, niſi conetur hæc media adhibere.

Quæro XI. *An aliquando poſſit Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui habet occaſionem proximam, & voluntariam peccandi mortaliter, antequam eam de facto abjiciat, & expellat?*

℞. Numquam poteſt, regulariter loquendo, illum abſolvere. *Probatur primò* ſic. 19
Præceptum Divinum vitandi occaſionem proximam peccandi mortaliter, eſt præceptum partim poſitivum, quod exprimitur per hunc terminum: *Fugite occaſiones*; & partim negativum, quod ſic declaratur: *Non retineatis occaſiones: vel nolite morari in illis.* Atqui præceptum negativum obligat *ſemper*, & *pro ſemper*: ergo præceptum Divinum *non retinendi occaſionem* obligat ſemper, & pro ſemper. Igitur pro eo tempore, quo talis confitens vadit ad pedes Confeſſarii, & quo confitetur, non obedit Deo, & non implet illius præceptum; imò violat illud, actualiter retinendo occaſionem, quam actualiter poſſe dimittere, & expellere, ſi efficaciter vellet.

Dices. Talis confitens, vel pœnitens 20
præſupponitur habere propoſitum abjiciendi occaſionem illam; ergo, &c. ℞. Ille, cui de præſenti inſtat obligatio exequendi aliquid, quod nunc poteſt, ſi vult, exequi, non implet obligationem per hoc, quòd habeat propoſitum exequendi illud

de

Digitized by Google

de futuro. Sed ſic eſt, quòd præceptum non retinendi, ſed expellendi occaſionem proximam, puta concubinam, vel famulam &c. quàm modò retines, & non expellis, inſtat tibi de præſenti, etiam dum confeſſionem facis, ergo tu non imples præceptum Divinum per hoc, quòd habes propoſitum de futuro non retinendi, ſed expellendi illam.

21 *Probatur II.* Confeſſarius nunquam poteſt licitè, & validè abſolvere confitentem indiſpoſitum. Sed confitens, qui habet occaſionem proximam voluntariam, quam modò poteſt, & non vult abjicere, eſt omninò indiſpoſitus; quia non habet verum dolorem de peccatis ſuis, nec efficax propoſitum non peccandi de cætero; retinendo enim talem commoditatem peccandi convincitur non odiſſe omnia ſua peccata, quia non odit cauſam moralem, & periculum proximum relabendi; ergo non eſt capax abſolutionis. Omitto alias rationes, quas videre poteris apud Cardenam, *in 4. parte Criſi Theol. diſſer. 40. c. 5.* ubi etiam citat pro hac reſolutione pluſquam viginti Auctores, quibus addo Sporerium, *tom. 3. p. 3. c. 2. ſect. 4. q. 2. n. 323.* Ubi dicit: Non evitare occaſionem proximam peccandi mortaliter, idipſum per ſe eſt peccatum mortale. Laymannum, *lib. 5. tr. 6. c. 4. n. 11.* ubi ait: Non eſt abſolvendus, antequam reipſa præſtet, & dicendum ei: *Tu priùs præſta officium tuum, & poſtea & ego præſtabo meum*; ſicut tradunt Sylveſter, Lopez, Cajetanus, Guttierez, Coninch & Tamburinum *Method. Confeſſ. lib. 3. c. 3. §. 3. n. 5.* ubi dicit: Regula item certa, & communis eſt: ut, qui in occaſione proxima eſt, abſolvendus non ſit, ut docet Card. de Lugo, *tom. de pœnit. diſp. 14. c. 10. n. 149.*

22 *Probatur III.* Summus Pontifex Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem, velut ſcandaloſam *la 61. Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quàm poteſt, & non vult omittere &c.* -- Iſta propoſitio eſt falſa, & damnatur prout jacet, & ſonat; ergo ejus contradictoria eſt vera, & certa, atque in praxi ſequenda; nempè *Non poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam occaſionem poteſt, & non vult omittere.* Unde Cardenas, *cit. cap. 5. art. 4. n. 108.* ait: Aſſero, ſubjacere huic damnationi eam opinionem, quæ dicit, poſſe abſolvi concubinarium (idem eſt de quavis alia occaſione proxima) ſemel, bis, ter, vel quater, antequam omittat, vel expellat concubinam, dum poteſt illam ſtatim expellere; & ibi hanc aſſertionem optimè probat. Videant ergo Cōfeſſarii quid faciendum ne incurrant in damnatam doctrinam, & in damnationem æternam. -- Et P. Jacobus de Corelia in Praxi *Tract. X. n. 290.* dicit: Perſonæ illæ, quæ vivunt in occaſione proxima voluntaria, ut plurimùm ducunt vitam licentioſam, & raro confitentur; quare ſi una vice abſolvantur antequam ſeparentur ab occaſione, committunt interim multa alia peccata ſimilia: ut experientia docet; ergo neceſſarium eſt ad evitanda tot peccata, ut Confeſſarius obliget tales perſonas ad abſcindendam illam occaſionem priùs quàm beneficium abſolutionis eis conferat.

Quæro XII. *Quænam cauſa eſt ſufficiens ad licitè retinendam occaſionem extrinſecam peccandi, vel eam non fugiendam?*

℞. *I.* Sola impoſſibilitas aut phyſica, 23
aut moralis, & nulla alia cauſa cenſenda eſt cauſa ſufficiens, ut quis non teneatur fugere, vel deſerere occaſionem externam, & proximam peccandi lethaliter. Hæc reſolutio noſtris his temporibus eſt omninò certa; quia Innoc. Papa XI. damnavit multas opiniones relaxativas conſcientiarum, & Animarum perniciem inferentes, ſpecialiter in hac lubrica luxuriæ materia, quæ opiniones concedebant ſufficere etiam cauſam aliquam utilem, aut honeſtam ad non fugiendum, & deſerendum periculum proximum, ſeu occaſionem proximam peccandi; & jure meritò. Nam Theologi magni nominis communiter docent, ſolam cauſam urgentiſſimam, & neceſſitatem phyſicam, vel moralem importantem, eſſe ſufficientem non fugiendam occaſionem extrinſecam peccandi; etenim, ut vidimus, quotieſcumque poteſt quis deſerere talem occaſionem, tenetur illam deſerere; ergo ſolùm excuſabitur ab hac obligatione, quando revera non poteſt eam deſerere: & conſequenter ſola, & mera impoſſibilitas eum excuſabit. *Utilitas* autem non importat ullam veram neceſſitatem, vel impoſſibilitatem; ergo cauſa utilitatis non eſt ſufficiens &c.

Explico meliùs hos terminos. *Neceſſitas,* 24
& impoſſibilitas ſunt termini correllativi;

nam ſi hoc eſt neceſſarium mihi, ut faciam, habeam, vel retineam apud me; impoſſibile mihi quoque erit, ut id non faciam, habeam, vel retineam; ergo ex ſola neceſſitate oritur impoſſibilitas: & qualis eſt neceſſitas, talis erit & impoſſibilitas. Neceſſitas autem eſt duplex, phyſica, ſeu naturalis, & moralis, ut vidimus; ergo & impoſſibilitas, ſeu impotentia erit pariformiter duplex, nempè phyſica, & moralis. *Impoſſibilitas phyſica* (in propoſito noſtro) deſerendi occaſionem proximam externam eſt V.G. illa, quam habet homo, qui detinetur in carcere cum fœmina mala, cum qua frequenter peccat. *Impoſſibilitas* verò *moralis* erit illa, quam habet filiusfamilias, qui inhabitat ſimul cum ſorore, conſobrina, famula in eadem domo, cum quibus frequenter peccat. *Utilitas* autem excludit omnem neceſſitatem, & impoſſibilitatem prædictam, & ſolùm importat quoddam commodum, ſive naturale, ſive civile, ſive proprium, ſive domeſticum; cujus privatio dicitur *damnum*, ſive *incommodum*; ut V.G. in caſu noſtro. Titius dominus, vel Rector domus, ſeu familiæ habet unam famulam, quæ eſt ſibi valdè utilis ad gubernationem, & cuſtodiam domus, rei familiaris, vel ad lucrandum bona temporalia, vel ad coquendos, & aptandos cibos; cum qua tamen frequenter peccat; hæc non eſt cauſa ſufficiens Titio, ut tuta conſcientia poſſit retinere illam fœminam; ſed tenetur illam domo expellere; nam propoſitio, *n. 62.* damnata ab Innoc. XI. dicit: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* Sed ſic eſt, quòd Titio occurrit ſolùm illa cauſa utilis; ergo Titius cadit in propoſitionem, & doctrinam damnatam. Idem dices de multis ſimilibus caſibus, qui quotidie accidunt, & longum eſſet eos declarare.

25 *Petes.* Quænam cenſeatur cauſa tantùm *honeſta?* ℟. Cum Jac. de Corelia *l. c. tr. 10. n. 293.* Erit cauſa honeſtatis mundanæ, quando Civis, vel nobilis V.G. viſitando, urbanitatis cauſa fœminas peccat mortaliter, & frequenter cogitatione, aut verbo, aut opere; quæ cauſa non eſt ſufficiens. Placet hic tranſcribere verba P. Jacobum Coreliæ traducta de Hiſpania in noſtram linguam Italicam, quæ confirmant doctrinam ſanam de hac materia. -- «Dico per quarto, che acciò l' Occaſione ſi dica involontaria, non baſta ſolamente, che vi ſia una cauſa utile, ò honeſta di non fuggirla. Et il dire il contrario ſi condanna nella propoſitione ſeſſanteſima ſeconda, dannata da Innocenzo XI. Cauſa utile, ò honeſta ſarà, V.G. tener in caſa l' amica, perchè ſerve con eſatezza, & affetto: ò il viſitarla fuori di caſa per convenienze, & oſſervanze del mondo. Acciocchè l'Occaſione ſi dica involontaria deve intervenirvi cauſa urgente, e tale, che ſenza grave inconveniente di perder la vita, honore, ò grande quantità di beni temporali, non poſſa evitarſi. Sic cum D. Baſilio, D. Thoma, Soto, Navarro, & aliis multis, P. Torrecilla *fol. 93. concl. 4. n. 64. & 65.* Et, me citato, P. Emanuel à Conceptione, *de pœnit. diſp. 2. q. 19. n. 246.* - Dalla dottrina predetta s'inferiſce, che il moribondo, il quale trattiene in caſa la concubina, acciò l'aſſiſta nella ſua infermità, non può eſſere aſſolto, ſenza ſcacciarla; &c. perchè queſta non è cauſa neceſſaria &c. poichè ſi trovaranno facilmente altre perſone, che lo ſervano. Lo ſteſſo ha da dirſi del Concubinario, che viſita la ſua Amica inferma &c. perchè il viſitare è ſolo cauſa utile, ò honeſta, e non neceſſaria. - S'inferiſce per ſecondo, che nè meno dev' eſſere aſſolto quello che non vuole cacciare l'Amica, ò laſciare di viſitarla ſolo perchè gli pare, che ſarà ſua infamia, ò della donna, perchè queſta cauſa è ſolo utile, e non fà l' occaſione involontaria; anzi è una finzione, per fomentare la paſſione coll' imaginazione dell'infamia; poichè non v' è coſa più frequente, & ordinaria, che il romperſi, e venir in diſguſti con tali donne, & allora ſi và pur' incontro all'infamia, e non ſi guarda à quel, *che diranno?*» Hæc, & plura *loc. cit. & alibi, Tract. 17. à num. 267. & ſeqq.* P. Jacobus in ſua Praxi impreſſa lingua Hiſpanica vigintì octo vicibus. -- Vide etiam; quæſo, P. Segnerum *in Confeſſario Inſtructo, c. 5. per totum*; ubi ad praxim multa fundatiſſimè docet.

Ad principale quæſitum rediens, ℟ *II.* 26
Nulla omninò cauſa eſt ſufficiens, ut quis in occaſione involuntaria conſtitutus non teneatur avertere periculum proximum, & formale peccandi lethaliter. Quia in poteſtate hominis ſemper eſt adhibere media oportuna, quibus extenuetur illud peri-

periculum, nempè deteſtando peccatum, firmo propoſito ſe muniendo, implorando Divinum auxilium; & interim fugiendo, quantùm eſt ſibi poſſibile, tale objectum, & circumſtantias proximiores, ad recidivum, V. G. fixum intuitum, allocutionem, ſolitariam manſionem, &c. Ut communiter tradunt ſummiſtæ; aliàs hæc media non aſſumens, nec adhibens cenſendus erit voluntarie exiſtens in tali occaſione; & conſequenter non erit capax abſolutionis.

Quæro XIII. *An vincenda ſit ipſa impoſſibilitas moralis, quando datur talis complicatio occaſionis proximæ, & periculi proximi peccandi mortaliter, ut neutrum ſine magno conatu vitari poſſit?*

27 Explico quæſitum per caſum. Quærit Titius in fomentum ſuæ libidinis pauperem puellam, & invenit unam nomine Bertam Parentibus, & omni humana ſpe deſtitutam, eamque domi veſtit, & nutrit, atque in concubinam allicit, & vertit. Berta poſt annum concubinatus conſcientiæ morſibus lacerata vadit ad pedes Confeſſarii, & gemebunda narrat dolentem hiſtoriam. Confeſſarius agnoſcit neceſſitatem moralem Bertæ perſiſtendi in ea domo, aliàs vel fame periret puella, vel in pejores incideret manus; eam igitur hortatur, ut deinceps reſiſtat, fortiterque repugnet luxuriæ Titii complicis, & adhibeat media ſpiritualia, jejunando, orando, proponendo &c. Reſpondet ei Berta id ſibi eſſe impoſſibile; nam ſi reſiſtit libidini Domini ſui, certiſſimè ab eo, aut graviter verberabitur, aut domo expelletur. *Quæro, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius in tali complicatione occaſionis, & periculi proximi?*

℞. In caſu tenetur ulteriùs perſuadere fœminæ, ut aſſumat hoc unicum medium ſpontè egrediendi, vel fugiendi à tali occaſione, & periculo proximo, etiamſi præ fame moritura eſſet. Atque adeò quæſito principali reſpondendum eſt, cùm datur ejuſmodi complicatio impoſſibilitatis extenuandi periculum formale, & proximum peccandi, & ſimul eripiendi ſe ob occaſione extrinſeca proxima, tunc vincendam eſſe talem impoſſibilitatem moralem deferendo occaſionem proximam, etiam cum periculo vitæ corporalis. Ratio eſt evidens; quia omnis homo tenetur vitare peccatum mortale, etiam cum periculo vitæ; ſed fœmina in ea hypotheſi peccaret mortaliter perſiſtendo in propoſito luxuriandi, vel non reſiſtendi luxuriæ complicis: nec poteſt deſiſtere ab eo propoſito, niſi vel egrediens è domo illa, vel patiens ſe expelli, quo caſu incurret periculum ſolùm fame pereundi; ergo hoc potiùs tenetur eligere, quàm illud; melius eſt enim mori, quàm fœdari peccato mortali.

Quid, ſi fœmina promittat, quamprimùm egredi tali domo? Tunc dico, quòd Confeſſarius debet ei quoque promittere abſolutionem quamprimùm, nempè poſtquàm de facto egreſſa eſt. Quid, ſi promittat, ſe pati expulſionem è domo, vel reſiſtere domino? ℞. Confeſſarius in hoc caſu non poteſt ei facilè credere; ſed debet experiri ejus propoſitum; quia urgentiſſimum motivum habet ad credendum oppoſitum in praxi; quare nullo modo eſt abſolvenda illa fœmina, niſi priùs domo expellatur, aut egrediatur. Conabitur tamen prudens Confeſſarius prædicare ei Divinam Providentiam, & Promiſſionem; nam Deus dicit: *Quærite primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia* (temporalia ad victum neceſſaria) *adjicientur vobis.* Matth. 6 *Non te deſeram, neque derelinquam.* Ad Hebr. 13. Et ſi Deus pavit te inimicam, multò magis paſcet amicam. Narrando ei exempla Sanctarum pœnitentium, quas Chriſtus dilexit & miraculosè etiam pavit. Animando ipſam ad patiendum pro Chriſto, ut poſſit tandem regnare cum Chriſto. 28

Objicies. In caſu propoſito dixiſti, quòd Confeſſarius timet, *ne illa puella egrediens è domo Titii incidat in manus viri pejoris:* Quid ergo, ſi puella hoc idem timeret? ℞. Timor iſte eſt merè ſpeculativus, non practicus; ergo eſt vincendus, & contemnendus; 29

Et ſi eſſet fundatus, & practicus, oporteret adhuc illum vincere cavendo ſe ab eo per recurſum ad Epiſcopum, vel Parochum, vel ad alium pium, ac potentem virum, qui ſuſciperet puellam, & adjuvaret in tali caſu; ut fieri ſolet cum ſimilibus veriè pœnitentibus fœminis; & Deus ſemper providet de remedio; quia eſt adjutor fortis in opportunitatibus, & tribulationibus. Vide Cardenam *p. 4. diſ. 40. c. 7 art. 3.*

Quæro XIV. *An aliquando liceat ſe ingerere occaſioni proximæ peccandi, aut eam quærere ad bonum finem?*

℞. I.

30 ℞. *I.* Aliud eſt quærere *directè* occaſionem peccandi, vel ei ſe ingerere *directè*, & aliud eſt *indirectè* tantùm illam quærere, vel ſe ingerere *indirectè*. Quærere directè eſt quando primò, & per ſe quæritur talis occaſio peccandi; licèt ſecundariò, & quaſi per accidens quæratur ad bonum finem, ſive ſpiritualem, ſive temporalem; vel intendatur aliquod bonum hujuſmodi. V. G. Titius habet extra domum Amicam, vel Amaſiam impudicam, ſed pauperem, & frequenter viſitat illam *primò* ad explendam propriam libidinem, *ſecundariò* autem ad ſublevandam pecunia, ope, auxilio &c. ejus miſeriam; iſte dicitur quærere directè occaſionem peccandi, aut ei ſe ingerere, indirectè verò quærere ad bonum finem. — Quærere autem indirectè occaſionem peccandi ad bonum aliquem finem, eſt quando primariò intenditur aliquod bonum honeſtum; ſecundariò verò ipſa occaſio peccandi. V. G. Paterfamilias pro bono regimine, & ſervitute familiæ ſuæ conducit famulam idoneam, ſed pulchram ſibi placentem cum periculo vivendi luxurioſè cum ipſa; iſte directè quærit bonum honeſtum, nempè regimen, ac ſervitutem familiæ ſuæ, indirectè verò occaſionem peccandi cum illa fœmina. His notatis.

31 ℞. *II.* Numquam eſt licitum quærere directè occaſionem peccandi, aut ei ſe voluntariè ingerere ob quemcumque bonum finem ſecundarium. Ratio eſt clara; quia directè, & ex propoſito quærere occaſionem peccandi, eſt formaliter quærere peccatum; atqui numquam in perpetuum licitum eſt quærere formaliter peccatum; ergo &c. Tum quia bonum Spirituale Animæ propriæ præferendum eſt cuicumque bono temporali proprio, & cuicumque bono ſive temporali, ſive ſpirituali alterius proximi: ita exigit ordo rectus rerum moralium, & Charitatis Chriſtianæ; ergo &c. Tum quia finis ille ſecundarius quantumvis bonus non poteſt ſpecificare, vel cohoneſtare actum de ſe peccaminoſum; nam bonum ex integra cauſa procedit; malum autem ex quocumque defectu; ideſt, plura requiruntur ad actum moraliter bonum, quàm ad malum; malus enim actus evadit ex carentia alicujus circumſtantiæ requiſitæ, ut vidimus in *Tractat.* 3. de Actibus humanis; ergo à fortiori actus evadet malus ex fine, nempe, quando eſt malus finis. — Tum quia nemo poteſt habere voluntatem directam committendi peccatum veniale (multò magis mortale) etiam propter bonum valdè magnum ſpirituale, vel temporale totius mundi; ut omnes Theologi docent, & deducunt ex illis verbis Chriſti Domini: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 15. ergo nequit homo quærere directè occaſionem peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali proprio, vel alieno; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

32 ℞. *III.* Non eſt licitum quærere etiam *indirectè* occaſionem proximam peccandi ob aliquem bonum finem directè volitum. Ratio eſt; quia illa Occaſio proxima adhuc eſt voluntaria ſaltem indirectè; ergo eſt peccaminoſa. Tum quia nequit non velle periculum morale peccandi ille, qui indirectè vult occaſionem illam peccandi, quam poteſt vitare, ut ſupponitur; ergo amat illud periculum, & ſic peccat. Neque bonus finis ſic, quem quis directè intendit, excuſat eum à peccato ſuo; quia finis bonus poteſt, & debet obtineri per bona: & licita media; & quando finis non poſſet obtineri, non deberet alio modo illicito, & malo proſequi, ſed potiùs relinqui, & omitti; aliàs præponeretur bonum temporale bono ſpirituali proprio; vel bonum ſpirituale vel temporale proximi præponeretur ſpirituali bono proprio, quod, ut dixi, eſt contra rectum ordinem rerum, & Charitatis.

33 *Unde infertur I.* Non eſſe licitum ire ad prædicandum Euangelium Infidelibus, vel ad convertendum Hæreticum cum periculo certo, aut probabili ſubverſionis, vel perverſionis propriæ; neque converſari cum meretricibus, neque audire Confeſſiones fœminarum cum periculo violandi caſtitatem propriam; & ſive de multis ſimilibus caſibus. *II.* Non eſſe licitum Patrifamilias conducere famulam illam pulchram ad regendam domum cum periculo formali incontinentiæ propriæ, aut filiorum ſuorum; neque puellam pauperem charitatis gratia domi alere cum tali periculo. Idem dices de plurimis ſimilis farinæ caſibus. Quare optimo jure damnatæ fuerunt hæ propoſitiones; videlicet

Num.

Num. 61. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere. Quinimò directè, & ex propoſito eam quærit, aut ei ſe ingerit.*

Num. 62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda; quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.*

Num. 63. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.*

Quæ quidem propoſitiones tamquam ſcandaloſæ damnatæ fuere ab Innocentio Papa XI.

Quæro XV. *Quando quis, ratione officii proprii, vel artis propriæ, negotii, vel commercii neceſſarii, ſe ingerit in periculum, vel occaſionem proximam peccandi, poteritne abſolvi?*

34 ℞. *I.* Si hoc faciat ob ſolam utilitatem; & honeſtatem, non poterit abſolvi, ut patet ex dictis. ℞. *II.* Si autem hoc faciat ex neceſſitate phyſica, vel morali. tunc diſtinguo. Vel tunc avertit aut extenuat, quantum eſt ex parte ſua, illud periculum formale peccandi, prout poteſt, & debet, ut vidimus, per actus proprios propoſiti firmi, orationis, &c. & ſic poterit abſolvi; nam in tali caſu occaſio illa extrinſeca evadit ſibi involuntaria ex una parte; & eſt ſibi neceſſaria ob urgentiſſimam cauſam morandi in ea, ut ſupponitur ex alia parte. -- Vel non avertit, aut non extenuat periculum formale peccandi; ita ut periculum maneat adhuc in eſſe periculi proximi, & moralis, & tunc non eſt abſolvendus; quia talis occaſio eſt ſibi aliquo pacto voluntaria quoad affectum; & non facit quod in ſe eſt, ad tollendum periculum recidivæ; ergo eſt inſipiens, indiſpoſitus, ac voluntariè recidivus, ut paret; Ex qua doctrina poteris innumeros reſolvere caſus. V. G.

35 Parochus, qui ex officio tenetur adminiſtrare Sacramenta, viſitare infirmos, docere populum, & ſimilia: ex quibus prævidet, ſe incurſurum in aliquam occaſionem, aut periculum peccandi. Mercatores, Officiales, Artifices, & ſimiles qui ratione officii, vel artis neceſſitantur converſari cum mulieribus; cohabitare cum puellis, loqui cum omnibus: & quandoque labuntur in peccata mortalia ex tali occaſione, poterunt abſolvi, dummodò non habeant conſuetudinem, vel habitum ſic peccandi; ſed conentur enervare radicem, & periculum formale ſuorum delictorum. Vide Jacobum Coreliam *in Practica Tract.* 10. *à nu.* 303. -- Joannem Cardenam, *part.* 4. *diſert.* 40. *per totam.* -- Bonacinam, *de matrim. q.* 4. *p.* 14. *à num.* 11. -- Martinum Doctorem Navarrum *in Summa cap.* 3. *à n.* 15. Laymannum, *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *à n.* 9. -- & alios DD.

Unam vel aliam addo regulam ex multis, quæ traduntur à Doctoribus in hac materia pro directione Confeſſarii. Homobonus de Bonis *in commentario caſuum reſervatorum, part.* 2. *capit.* 4. *ſect.* 2. dicit, & docet in praxi, quòd Medici partes ſunt, ad radicem morbi penetrare, eamque exſcindere, nec parcere ægroto, etiamſi aliquando medicinam moleſtè ferat; putridæ enim carnes ferro, & igne indigent; nec eſt medicinæ culpa, ſed vulneris, dum elementi crudelitate non parcit Medicus; ſævit, ut ſanet. Vulnera clauſa plus cruciant; & cùm putredo, quæ intrinſecùs fervet, ejicitur, ad ſalutem plaga cum dolore aperitur. Crudelis autem eſt Medicus, qui hominem exaudit, & vulneri, atque putredini parcit. Ita & Confeſſarius, qui eſt non corporum, ſed animarum Medicus, non debet nimis indulgere luxuriæ morbo laborantibus. -- Jacobus de Graſſis *Caſuum reſervat. lib.* 2. *capit.* 26. *numero* 5. ait: Medicus autem Animæ eſt Confeſſor, in quo multa concurrere debent; & primò debet eſſe Medicus in correctione, oſtendendo infirmo pœnitenti gravitatem criminum, & non omittendo correctionem ex timore; quia dum culpas graves corrigere metuit, incaſſum delinquentibus tacendo ſecuritatem promittit. 36

Unde malè agunt quidam ſimplices Confeſſarii, qui non exponendo pœnitentibus quantum deliquerint, audita confeſſione, ſimpliciter abſolvunt Paulus Segnerus *in Confeſſario instructo, capitolo* 5. §. 7. dicit: Sia contrito il penitente quanto à voi pare: non è dovere, che voi lo laſciate ſano sì, ma in bocca à un Drago: potendolo levare da un pericolo così fiero, qual' è quello di ricadere: con un rimedio, *che è l'unico à queſto male*, cioè con forzarlo à far le ſue parti innanzi, e con ſoſpendere l'aſſoluzione fin' à tanto. che egli non l'habbia ademadem-

„ adempite. Queſta giuſta ſeverità è molto
„ più neceſſaria co' publici peccatori; &c.
„ *Et* §. 9. ait. Suda la fronte a Teologi più
„ Eminenti per aſſegnare le Regole &c. e
„ per indrizzare in un' Foro ſi Sacroſanto
„ le ſentenze Sacerdotali: e pure tanti Con-
„ feſſori alla giornata, ſenza eſami, ſenza
„ diſtinzioni, ſenza dimande, aſſolvano in-
„ differentemente le Occaſioni proſſime, e
„ le rimote, i Concubinarj, & i continen-
„ ti, le Meretrici, e le Vergini, li Scanda-
„ loſi, e li modeſti; e troncano i legami del-
„ le conſcienze con una falce da prato; &c.
Optima doctrina.

Quæro XVI. *Quomodo dignoſcere poterit Confeſſarius, confitentem habere conſuetudinem peccandi in aliqua ſpecie peccatorum?*

37 ℞. Ex dictis in principio hujus Tractatus, à num. 1. patet reſolutio hujus quæſiti; nihilominùs ad majorem claritatem hujus tam difficilis (in praxi) materiæ, poſt longam, & maturam lectionem Librorum, addo. Tunc Confeſſor poterit formare prudens judicium, & cenſere ſuum confitentem, vel pœnitentem habere uſum, aut conſuetudinem peccandi in tali ſpecie peccati, quando ex interrogatione, & reſponſione cognovit, eum habere habitum, & facillitatem relabendi in hoc peccatum; nam alio modo videtur impoſſibile, dignoſcere ſtatum hujus pœnitentis aliàs mihi incogniti, niſi ipſum interrogem de tempore præterito, an ſit ſolitus ſic delinquere, an aliis vicibus confeſſus ſit hujuſmodi peccata, & quanto tempore perſeveraverit in hoc vitio. Unde interrogandi ſunt pœnitentes ignoti à Confeſſario. Nam, (ut inquit Antonius Naldus Faventinus *in ſua Summa*, *Verbo Peccatum*, *numero* 19. in fine) plerique Confeſſarii dimittunt pœnitentes in ſordibus ſuis per plura annorum curricula velut ſues in volutabro luti marceſcentes involvi: Quòd in propriam, & pœnitentium redundat damnationem; & velut cœcorum duces cœci, omnes ſimul in foveam cadunt.

Quæro XVII. *Teneturne pœnitens ſponte fateri propriam peccandi conſuetudinem?*

38 ℞. I. Aliqui DD. dicunt, quòd ſic. Ratio ipſorum eſt; quia aliàs ſtatus conſcientiæ pœnitentis non manifeſtaretur Confeſſario, qui ignorans circumſtantiam hanc notabiliter aggravantem, non poſſet imponere pœnitenti debitum ſatisfactionis modum, nec ſufficiens remedium ad impediendum recidivum; ergo ſaltem indirectè, & per accidens tenetur pœnitens recidivus aperire in Confeſſione conſuetudinem peccandi. Ita Silveſter V. Confeſſio 1. *q. nona in fine*. Naldus *cit. n.* 19. & alii DD.

39 ℞. II. Alii autem DD. dicunt, quòd non; Ratio eſt; quia nemo tenetur ex ſe fateri circumſtantiam aggravantem, ſed tantùm mutantem ſpeciem; peccata autem præterita ſæpiùs repetita (in qua repetitione conſiſtit conſuetudo,) & jam ritè confeſſa non addunt novam malitiam peccatis de novo commiſſis; ergo circumſtantia conſuetudinis, licèt aggravet, non tamen mutat ſpeciem; & conſequenter per ſe non tenetur pœnitens eam fateri conſuetudinem. Ita cum aliis citatis docet Cardenas, *in* 4. *p.* Criſis, *diſſert.* 37. *cap.* 2.

40 ℞. III. Quando conſuetudo ipſa peccandi importat novum peccatum diſtinctum à reliquis propter aliquam ſpecialem rationem, ut puta propter novam voluntatem expreſſam, vel interpretativam retinendi eam conſuetudinem, aut propter negligentiam culpabilem ei non reſiſtendi, vel eam non eradicandi, aut propter periculum proximum ſemper peccandi: &c. tunc pœnitens tenebitur ſpontè confiteri hanc pravam conſuetudinem. Ratio patet; quia novum peccatum numero, vel ſpecie diſtinctum à cæteris eſt omninò exprimendum in Confeſſione, ſi menti occurrat; ſed in caſu noſtro conſuetudo illa peccandi eſt novum peccatum, ergo &c.

41 ℞. IV. Quotieſcumque Confeſſarius interrogat pœnitentem de conſuetudine peccandi, tenetur omninò pœnitens pro veritate reſpondere ei: etiamſi aliàs benè diſpoſitus accedat ad Sacramentum Confeſſionis. *Probatur*. Confeſſarius habet jus inquirendi, & interrogandi de iis, quæ conducunt ad cognoſcendum ſtatum, & cauſam pœnitentis; ſed ad hoc conducit interrogatio de conſuetudine peccandi, & de intentione, quam habeat pœnitens ad illam extirpandam, & de modo adhibendo; ergo pœnitens eſt obligatus rectè reſpondere. -- Nec ſatis eſt, benè diſpoſitum accedere, ſed ulteriùs oportet, ut talis diſpoſitio Confeſſario aliquatenùs conſtet; quia non poteſt abſol-

Digitized by Google

ſolvere quemquam, niſi habeat credulitatem ſaltem probabilem de ſufficienti diſpoſitione confitentis; ergo pœnitens tenetur aliquomodo ipſum Confeſſorem certiorem facere ſuæ diſpoſitionis; ergo &c. Ita Sanchez Vaſquez, Cardin. de Lugo; & alii apud Cardenam *loc. cit. c. 2. & 3.* Et modò omnes ſcribentes poſt propoſitiones damnatas ab Innoc. XI. quarum quinquageſima octava dicebat: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

42 *Objicies*. Nemo tenetur confiteri bis eadem peccata; ſed confitendo quis conſuetudinem peccandi, confitetur denuò peccata jam confeſſa, nam quando V. G. Titius ſe accuſat de ſeptem perjuriis, addendo *ſe habere hanc conſuetudinem* pejerandi, jam denuò fatetur, ſaltem in generali, multa alia perjuria olim confeſſa; ergo &c. — ℞. Licèt, per ſe loquendo, nemo teneatur bis confiteri idem peccatum; ſunt tamen multi Caſus, in quibus aliquis tenetur iterùm, (ſaltem per accidens) confiteri idem peccatum. V. G. Titius ſurando magnam tritici quantitatem ſuaſit filiis ſuis, ut omnes ſimul concurrerent ad tale furtum; poſteà pœnitentia ductus confeſſus eſt furtum à ſe patratum, ſed oblitus eſt fateri ſuaſionem, & ſcandalum datum filiis; quomodo poterit hoc peccatum manifeſtare, niſi iterùm declarando furtum? Scandalum enim debet declarari cum ſua ſpecie, manifeſtando ſcilicet objectum, ſeu peccatum, ad quod induxit; ergo neceſſe eſt, ut Titius confiteatur ſuaſionem, & ſcandalum datum filiis ſuis ad furtum ſecum committendum; ergo furtum bis confitetur; prima vice per ſe, & directè; ſecunda autem vice per accidens, & indirectè. Idem dici poteſt de multis caſibus ſimilibus.

43 Confirmatur, *ex cap. omnes utriuſque* ubi habentur hæc præciſa verba: Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus; ut, more periti Medici, ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & remedium ejuſmodi adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. *Ita ibi*. Ex illis autem terminis *diligenter inquirens*, &c. conſtat, Confeſſarium non ſolùm poſſe, ſed debere interrogare pœnitentem de iis, quæ conducunt ad præbendum ei conſilium & remedium adhibendum ad futuram emendationem, & ſalutem. Atqui inquirere conſuetudinem peccandi maximè conducit ad hoc; ergo Confeſſarius, ut Judex, & Medicus habet jus interrogandi de conſuetudine, & pœnitens tenetur rectè reſpondere.

Quæro XVIII. *An confitentibus, qui habent conſuetudinem peccandi mortaliter, poſſit, aut debeat Confeſſarius negare, aut differre abſolutionem?*

℞. *I.* Certum eſt, pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi lethaliter poſſe differri abſolutionem de conſenſu ejus. Solet enim Confeſſarius ſuaviter ſuadere tali pœnitenti, eſſe ei utilius, quòd differatur abſolùtio pro majori motivo, & propoſito emendationis futuræ: cui ſuaſioni ſolet annuere prudens pœnitens, qui ex animo deſiderat emendationem. 44

℞. *II.* Certò etiam conſtat, negandam eſſe abſolutionem ei confitenti, qui non habet firmum propoſitum reſiſtendi malæ conſuetudini peccandi mortaliter in quacumque peccatorum ſpecie. Quia Confeſſarius nullo modo poteſt abſolvere, quem cognoſcit non rectè diſpoſitum; alias abſolutio eſſet invalida, & Confeſſio ficta, & ſacrilega. 45

℞. *III.* Certum etiam eſt, poſſe Confeſſarium abſolvere pœnitentem habentem conſuetudinem aliquam peccandi (ſine occaſione proxima extrinſeca voluntaria,) quando videt hunc pœnitentem nunc habere veram diſplicentiam de peccatis præteritis, & firmum propoſitum reſiſtendi prave conſuetudini de cætero; quia tunc cognoſcit adeſſe ſpem emendationis. 46

℞. *IV.* Certiſſimum quoque eſt, non poſſe nec debere Confeſſarium abſolvere quemcumque habentem pravam aliquam conſuetudinem peccandi, nulla eſt ſpes emendationis: ut probabo inferiùs: quamvis confitens dicat, ſe dolere, & habere propoſitum ſe emendandi. Remanent ergo difficultates circa puncta ſequentia; & dubitatur. 47

Primò. Utrùm habenti conſuetudinem peccandi mortaliter, & ſimul propoſitum verum emendationis cognitum à Confeſſario, poſſit negari, aut differri abſolutio, etiam ſine conſenſu ipſius pœnitentis? 48

℞. *I.* Semper expedire, & melius eſſe, per

per ſe loquendo, quòd ubi Confeſſarius dilaturus eſt abſolutionem, id faciat de conſenſu pœnitentis, ita ut pœnitens cognoſcat, Animæ ſuæ, & emendationi propriæ eſſe utilem eam dilationem abſolutionis; nam correctio, quæ ſpontaneè accipitur, fructuoſior eſt, quàm ea, quæ accipitur à pœnitente invito, & indignabundo.

49 ℞. *II.* Poſſe nihilominus Confeſſarium tali pœnitenti, etiam invito differre abſolutionem, dum judicat, id expedire ad ejus emendationem, & ad majorem firmitatem propoſiti non peccandi de cætero. Ita docent Suarez *de pœnit. diſp. 32. ſect. 2. cum aliis ibi citatis*. — Lugo *de pœnit. diſp.* 14. *ſect.* 10. — Segnerus *in Confeſſ. inſtruct. cap.* 4. — Cardenas, *p.* 4. *Criſis diſſert. 39. cap.* 2. & eſt communis ſententia T. T. magni nominis. Probatur. Nam Confeſſarius non ſolùm eſt Judex, verùm etiam Medicus Spiritualis (ex Conc. Lateran. *cit. ca. Omnis utriuſque*, & Conc Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *de Sacr. Pœnit.*) ergo ut Medicus peritus poteſt adhibere hoc remedium opportunum dilationis abſolutionis pro emendatione, & ſalute pœnitentis, etiam ſine conſenſu ipſius; peritus enim, & bonus Medicus non expectat conſenſum infirmi in applicandis remediis.

50 Præterea docet ipſa experientia, non paucos peccatores recidivos hoc uno acri remedio avulſos eſſe à conſuetudine inveterata peccandi; & ipſimet pœnitentes faſſi ſunt hanc veritatem dicendo: *Si cæteri Confeſſarii ſic antea mecum egiſſent, certè non tamdiù perſtitiſſem in depravata hac conſuetudine peccandi*: ergo hoc remedium prudenter exhibitum, & applicatum multos ſanat ægrotos aliàs incurabiles. Dixi *prudenter* adhibitum; quia magna requiritur prudentia in Medico Confeſſario in applicando hoc medicamento; nam remedia, quæ aliquibus proſunt, aliis poſſunt nocere, ob diverſas infirmorum diſpoſitiones. Solet tamen ferè ſemper prodeſſe dilatio abſolutionis iis, quibus non profuerunt charitativæ correctiones, & admonitiones.

51 Item poteſt, & debet Confeſſarius, ut Medicus adhibere remedia ad vitandum recidivum, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum pœnitentem; neque Concilia citata determinant quodnam genus remedii adhibendum ſit, ſed hoc relinquunt prudentiæ, & experientiæ Confeſſarii. Atqui dilatio abſolutionis, ut ſæpè experientia comprobavit, deterret ſalubriter pœnitentem conſuetudinarium, & hoc terrore firmat magis propoſitum non peccandi, & quandoque arcet omninò peccatorem ab errore viæ ſuæ, & à conſuetudine peccandi; quia ſicut facilitas obtinendi abſolutionem ſolet eſſe incentivum delinquendi, ita è contra difficultas obtinendi abſolutionem ſolet eſſe frœnum reprimens, & coercens a lapſu; ergo Confeſſor non ſolùm poteſt, ſed quandoque debet adhibere hoc genus remedii.

Objicies. Nonne validius remedium impediens recidivum eſt ipſum Sacramentum Pœnitentiæ? Unde ergo ſcimus, dilationem abſolutionis poſſe meliùs prodeſſe pœnitenti recidivo, quàm ipſamet abſolutio? ℞. Ab ipſa quotidiana experientia docemur, quòd poſt multas Confeſſiones perſiſtit peccator in ſua depravata conſuetudine peccandi; & poſt unam dilationem abſolutionis prudenter factam ipſe peccator in ſe reverſus convellit radicitùs eam conſuetudinem. Quod accidit, vel quia homo, quando confitebatur in ipſo conſuetudinis torpore, non habebat firmitatem propoſiti efficacis, atque adeò non erat ei fructuoſum Sacramentum Pœnitentiæ, vel quia, ſi habuit ſufficientiam propoſiti, ejus tamen firmitas fuit tam exiguæ intenſionis, ut fructus quoque Sacramenti eſſet modicus, & non talis, qui poſſet radicitùs convellere pravam ejus conſuetudinem. Dilata autem abſolutione, homo ille multò meliùs ſe diſponit per vehementiorem dolorem de præteritis iteratis peccatis, quo efficaciùs deſtruit habitum malum; & per firmius propoſitum cavendi in poſterum à vitio ſuo, ſicque multò majorem recipit gratiam à Sacramento; ergo &c. Ex qua doctrina, & experientia cognovimus, quòd melius ſæpè eſt remedium dilatio iſta abſolutionis, quàm ipſa abſolutio ſtatim conceſſa peccatoribus recidivis, etiam quando credimus hujuſmodi pœnitentes habere ſufficientem dolorem cum propoſito. 52

Confirmatur. In peccatoribus conſuetudinariis difficiliùs invenitur verus dolor, verumque propoſitum, quam in aliis; & hoc ob infirmitatem conſuetudinis, ſive multitudinis præteritorum actuum, 53

Digitized by Google

actuum, ex quibus generatur eſt habitus malus, qui difficilè removetur à ſubjecto; unde oritur Confeſſario vehemens ſuſpicio, confeſſiones ab iſtis hominibus factas tempore conſuetudinis laborare defectu efficaciæ propoſiti; & ideò Confeſſor pius, & prudens his, qui diuturnam peccandi conſuetudinem jam deſeruerunt, ſolet conſulere, ut de toto illo tempore, quo duravit conſuetudo, inſtituant confeſſionem generalem, ut revalident Confeſſiones præteritas, quæ apud viros prudentes, & timoratos ſuſpectæ ſunt; quinimò pœnitentes ipſi ex ſe, poſtquam omiſerunt conſuetudinem inveteratam, frequenter petunt à Confeſſario, an eorum Confeſſiones vitæ præteritæ fuerint validæ, quia valdè dubitant de earum valore. Ergo Confeſſarius ſciens hoc eſſe commune recidivis actualibus, poterit, ad firmandum eorum propoſitum, & ad tollendum periculum recidivæ, eis differre abſolutionis beneficium ad tempus, ut meliùs ſe præparent & diſponant &c. Non ergo tenetur Confeſſarius ſtatim abſolvere pœnitentem recidivum, etiamſi videat ipſum rectè diſpoſitum cum vero propoſito non peccandi de cætero; ſed quandoque poterit, & aliquando debebit experiri, utrùm ſit verum, & efficax propoſitum, utendo hoc remedio, & experimento dilationis abſolutionis; (ut probant Card. de Lugo, *tom. de pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 4. §. 7. -- Cardenas *part.* 4. Criſis, *diſert.* 39. *c.* 2. *per totum*; & alii graviſſimi) Poterit, inquam, quando talis dilatio videtur utilis; debebit, quando neceſſaria videbitur, etiam abſque conſenſu pœnitentis.

54 *II.* Dubitatur: *An pœnitenti aſſerenti, ſe habere verum propoſitum emendationis teneatur, aut poſſit credere Confeſſarius?*

Pro cujus difficultatis reſolutione animadvertendum eſt, aliud eſſe, quòd pœnitenti, ut plurimum, credendum ſit, quando ſeriò affirmat, ſe habere propoſitum non ampliùs peccandi; aliud verò, quòd ſemper, & in omnibus circumſtantiis illi credendum ſit. Deinde aliud eſt, quod pœnitenti credendum ſit id, quòd dicit de ſuo dolore, & propoſito, quando nullum indicium, nullave conjectura apparet in contrarium; & aliud, quòd illi credendum ſit, etiam quando adeſt indicium de nullitate propoſiti. Etenim doctrina, vel regula Theologorum Moralium de fide habenda pœnitenti in iis, quæ dicit in hoc Tribunali, (in quo ipſe pœnitens eſt Reus, Accuſator ſimul & Teſtis) intelligenda eſt non pro omni caſu, & circumſtantia, ſed ſolùm quando non apparent indicia in contrarium; igitur Regula illa patitur ſuas exceptiones. Pono authoritates nonnullorum DD.

Antonius Perez, *tract. 3. de pœnit. diſp.* 55 *3. cap. 4. num. 64.* ait: Secundò quæritur; An Confeſſarius debeat credere pœnitenti, & abſolutionem conferre, ſi dicat, ſe habere attritionem, vel contritionem? ℞. Debere, dummodò non ſit præſumptio fortior in contrarium; qualem præſumptionem, meo judicio, faciet frequentia relapſus &c. Impoſſibile enim eſt moraliter loquendo, hominem ſæpè confiteri, & ſemper relabi, quando facilis eſt emendatio, & propoſitum emendationis eſt ſerium. Quare præſumendum eſt, eum qui ita confitetur, & ſic relabitur, non habere propoſitum efficax. -- Franciſcus Suarez, *tom. 4. in 3. p. diſput. 32. ſect. 2. n. 3.* ait: Satis eſt, ut pœnitens credatur habere firmum propoſitum implendi ſuam obligationem, cui credendum eſt, præſertim ſi tunc primùm incidit in eam occaſionem &c. neque ex aliis conjecturis poſſit ſuſpicio probabiliter concipi à Confeſſario. -- Joan. Card. de Lugo, *to. de pœnit. diſput. 14. ſection 10. num. 166.* ait: Certum eſt, quando Sacerdos, attenta conſuetudine præterita; & propenſione pœnitentis, aliiſque circumſtantiis, judicat; pœnitentem non averti ſufficienter ab illo peccato, non poſſe eum abſolvere; quantumcumque pœnitens dicat, *ſe dolere* &c. Eodem modo, & in eodem ſenſu loquuntur alii T. T. qui hanc difficultatem ex profeſſo tractant, dum dicunt, credendum eſſe pœnitenti affirmanti, ſe dolere de peccatis ſuis, & efficaciter proponere emendationem, cum hac licèt exceptione, dummodò ex alio capite, aut circumſtantiis non conſtet, aut prudenter non timeatur, illum non eſſe ſufficienter diſpoſitum.

Ex dictis patet reſolutio difficultatis pro 56 *poſitæ*; Et ratio ulterior eſt; quia Confeſſarius prudenter credere debere pœnitenti; atqui impoſſibile eſt, quòd ego credam cum prudentia, & ſatisfactione dictis, aut verbis pœnitentis, quando habeo indicia, & conjecturas urgentes in oppoſitum, nam ex parte illius nullum aliud eſt motivum, niſi ejus dictum ſimplex, ex factis

ctis autem ipſius colligo indicia vehemen-
tia, quæ contraria ſunt dicto ſimplici ejuſ-
dem; ergo credere non teneor, nec poſſum
dictis illius; nam fortior eſt præſumptio ex
conſuetis factis; verba enim facilè profe-
runtur à pœnitente; emendatio verò, quæ
conſiſtit in factis, difficilè peratur &c. er-
go non poſſum credere verbis in tali caſu?

57 *III.* Dubitatur, *an quando Confeſſarius co-
gnoſcit pœnitentem eſſe conſuetudinarium,
ſeu recidivum inveteratum, poſſit judicare ſta-
tim ipſum quoque eſſe indiſpoſitum, eique ne-
gare, vel differre abſolutionem?*

Hæc eſſe ſolet difficultas quotidiana,
quæ magis torquet ingenium, & conſcien-
tiam Confeſſariorum; pro cujus recta, &
fundata reſolutione placet tranſcribere ſen-
tentias duorum Virorum ſcientia, & ex-
perientia nominatorum inter modernos
DD. Hiſpanos, & Italos:

P. Jacobus à Corilia Miſſionarius Apo-
„ ſtolicus *in ſua praxi part.* 1. *tr.* 20. *à n.* 234.
„ dicit, & docet: Suppongo per terzo, che
„ occorrendo qualche coſtume di peccare,
„ il Confeſſore non può aſſolvere, come s'
„ è detto, ſe non hà fondamento da perſua-
„ derſi probabilmente, che il penitente hà
„ vero propoſito d'emendarſi; e per queſto
„ non baſta ſolo, che egli lo dica; baſtarà
„ però, ſe vi concorre alcuna delle circon-
„ ſtanze, che hora riferirò.

58 *Prima Concluſione.* Dico primieramente,
„ che può darſi l'aſſoluzione al Penitente,
„ che non è ſtato trè, ò quattro volte am-
„ monito dal Confeſſore nelle Confeſſioni
„ antecedenti, del mal ſtato, nel quale vi-
„ veva, del pericolo, nel qual ſtava la ſua
„ Anima, nè prevenuto dallo ſteſſo Con-
„ feſſore con ſoavi avvertimenti, e vive re-
„ prenſioni della ſua mala vita, e non gli
„ hà mai ſuggeriti mezzi per vincere tal
„ conſuetudine. *Ibique hanc concluſionem pro-
„ bat citando pro ſe* Sanchez, Palaum, Dia-
„ nam, Azorium, & alios DD. *Dico per ſe-
„ condo*, che adhuc doppo d'eſſer ſtato av-
„ viſato, ſe viene il Penitente con ſtraor-
„ dinarie lagrime, ò ſoſpiri, che moſtrino
„ un vero dolore, gli ſi può dare l'aſſo-
„ luzione. Perche allora vi è fondamento
„ di credere, che venga tal Penitente con
„ propoſito fermo d'emenderſi &c. ....
„ *Dico per terzo*, che il Penitente dopo
„ la terza ammonizione hà uſato qualche
„ diligenza, per emendarſi, e in qualche
„ coſa ſi è emendato, di modo che hà
„ diminuito la frequenza, ò numero di
peccati; gli ſi può dare l'aſſoluzione. "
Ibique probat cum Laymanno, & De "
Lugo &c. *Dico per quarto*, che ſe il Pe- "
nitente viene à confeſſarſi indotto da "
qualche accidente infauſto, ò ſucceſſo fa- "
tale, da lui conoſciuto, come venuto "
dà Dio per avviſo; o caſtigo ſingolare "
&c. può eſſer' aſſuluto. *Quod ibi probat* "
&c. Dico per quinto, che ſe il Peniten- "
te viene à Confeſſarſi di ſua propria vo- "
lontà, e non perche l'obblighi il pre- "
cetto della Confeſſione annuale, nè per- "
chè ſuo Padre, Madre, Avo, ò Mae- "
ſtro gli commandi, che vada à confeſ- "
ſarſi, nè per aver obligo di confeſſarſi "
in tal tempo; mà ſolo con deſiderio di "
giuſtificarſi, & emendarſi, e migliorar "
la ſua vita, gli ſi può anco dare l'aſſo- "
luzione. *Quod probat ibi &c. Dico per ſe-* "
ſto, che in articolo, ò pericolo di mor- "
te ſi può, & anco ſi deve dare l'aſſo- "
luzione al peccatore, non oſtante il co- "
ſtume paſſato di peccare; poichè dob- "
biamo perſuaderſi, che qualſivoglia Chri- "
ſtiano in ſimigliante paſſo habbia vero "
dolore, e proponimento di mai più "
peccare. *Relinquo ſeptimum, quia eſt* "
quaſi epitome prædictorum &c. Dico per "
ottavo, che quantumque in tutti li caſi "
riferiti poſſa il Confeſſore aſſolvere il "
Penitente conſuetudinario; tutta via fa- "
rà bene, ſe l'emenda e poca, differir- "
gli, ò negargli l'aſſoluzione; acciò, "
giache la ſoavità dell' oglio, e dolcezza "
del Confeſſore non baſta per ſanarlo, "
lo ſani la mordacità del vino, e rigore. "
Perchè ſe bene il Confeſſore, ſecondo "
l'ufficio di Giudice, debba dare l'aſſo- "
luzione al Penitente ben diſpoſto, po- "
trà anche, come Medico prudente, e "
perito, differire l'aſſoluzione, acciò ri- "
ſani il bottone di fuoco quella piaga, "
che non può curare il lenitivo. Così in- "
ſegnano Suarez, Villalobos, Tom. San- "
chez, & altri molti citati dal Diana, *p.* "
1. *tr.* 7. *reſol.* 55. Hæc, & alia P. Cori-
lia cit.

Alter eſt P. Paulus Segnerus Miſſiona- 59
rius Apoſtolicus *in ſuo Confeſſario Inſtru-* "
cto, *capitulo* 4. §. 2. Ubi dicit, & do- "
cet ſic: Se voi prudentemente ſtimate, "
che alcuno di eſſi *Recidivi* habbia pro- "
poſito vero di mutar vita, voi potete à "
lui dare l'aſſoluzione, ancorchè te- "
miate, che debba facilmente tornar' "
al vomito, e ancorchè ſappiate, che "
come

„ come Cane putridiſſimo, vi è già per l'addietro tornato, non una volta ſola, mà molte, e molte. Là ragion' è perchè la riſoluzione preſente, che hà di emendarſi, e materia del Sagramento, non è l'emendazione futura, che col ſavor Divino può eſſer poſſibile anco ad un'inconſtante; *Potens eſt enim Deus*, come l'Apoſtolo dice, *Statuere illum*. -- Mà ſe per contrario a voi paja, che alcun di loro non deteſti la colpa con efficaeia, e che poſſeduto da ſuoi tirannici affetti, o d' intereſſe, o d'impurità, o di ſurore, &c. non volga quanto dovrebbe il ſuo cuore a Dio: allora non vi è permeſſo di aſſolverlo in modo alcuno; non oſtante, che egli aſſeriſca di eſſer contrito; perchè in queſto Tribunale voi ſiete il Giudice; e però à voi ſi appartiene ancora giudicare chi ſia ben diſpoſto, ſenza rimettervi in queſto al detto del Reo, a cui ben dovete cedere, come à quello, che anch' è Teſtimonio; mà non allora che una più ſorte preſunzione del fatto ſi oppone alla proteſta delle parole.

„ Ma qui ſtà tutto il punto, direte voi, avere una regola buona da aſſicurarſi, quando ſi debba alle promeſſe di coſtoro dar ſede, e quando negare? Riſpondo. Se un tal Peniteſire nell'accuſar ſe medemo moſtra ſegni di dolore non ordinario; ſe viene a confeſſarſi non per uſanza, che n'habbia; mà per trovar rimedio a quella ſua colpa, che ſuor dell'uſo lo inquieta; Se porta con eſſo ſe qualche emendazione; o ſe almeno egli hà poſto qualche ſollecitudine, qualche ſtudio, per emendarſi; ſe non eſſendo ſtato avviſato altre volte dal ſuo mal grave, adeſſo riceve in bene l'ammonizione, che voi gli fate, e ſi riſolve di uſar quei preſervativi, che voi gli præſcriverete à non ricadervi; in tutti queſti caſi dovete credergli, e coſi proſciogliterlo ancora, come diſpoſto.

„ Ma ſe per contrario non vi reca avànti neſſuna di queſte diſpoſitioni, mà più toſto una ſoma di peccati più eccedente ſenza riſentirſi del peſo, e ſenza punto penſare ne a ſcuoterlo, ne a ſcemarlo, con che prudenza lo giudicarete voi per contrito? Come riputarete efficace quella volontà, che non applica verun mezzo per conſeguire il ſuo fine? Queſto per verita non è portare alla Confeſſione un Propoſito vero, ma finto &c.

" Che ſe gl'indizii foſſero tanto dubbioſi, che non ſapeſte riſolvervi interamente; che avete a fare? In queſto caſo pigliate ſpazio maggiore a determinarvi. Non negate l'aſſoluzione al voſtro Penitente, mà differitela. Ritorni fra tanto tempo: acciò che egli ſi diſponga con ſegni alquanto più certi di pentimento, e voi poſſiate ricever maggior lume e dalla prudenza, con ripenſar più attentamente al ſuo ſtato, e dall'orazione con raccomandarvi al Signore più ſerventemente.

" Anzi queſto differire l'aſſoluzione vi giovarà talor'anche con quei *Recidivi* medeſimi, che voi per altro riputiate diſpoſti con propoſito ſufficiente a riceverla. Perchè queſto differimento ſuol'eſſere come appunto un carbone di ſuoco, che, dato a tempo, ſcuote à maraviglia dall'animo quel letargo, che era già vicino à cambiarſi in ſonno di morte; Fà, che il Penitente confuſo apprenda il ſuo male, vi penſi, vi proveda; e ſe già lo trova compunto, accreſce indicibilmente la contrizione; ſicchè quel pentimento, che prima leggiero, e languido avrebbe facilmente ceduto a i ſempliei inviti dell'oggetto preſente, ſi invigoriſce, e sà reſiſtere ancora alle batterie.

" E coſi queſto rimedio vien dagl' Autori Morali inſegnato communemente, ed è praticato da providi Confeſſori con molto frutto; maſſimamente dove già gl' altri più ſoavi ſi ſono trovati inutili all'intento, Fra quel mezzo poi che voi coſi differite l'aſſoluzione, preſcrivete al voſtro Penitente qualche divozione, o di tante limoſine, o di viſitare tante volte la tal Chieſa, o Altare, o di udire tante volte il tal Predicatore, o di leggere un tal libro ſpirituale, o altra ſimile, che vaglia come di mezzo a ottenere queſto propoſito più robuſto. Spero, che la Prattica v'inſegnerà quanti per queſte rimedio, uſato opportunamente, mutino vita, e laſcino tra le anguſtie di queſta a moderata ſeverità quelle ſpoglie di cattive conſuetudini, che non ſi avevano da più anni ſaputo ſtaccar di doſſo. Quod comprobat citatione DD. Arriagæ, Reginaldi, Bonacinæ, Caſtropalai, De Lugo, Henriquez, Laymanni, Sa, Coninchii, & Ant. Perez: locis eorum propriis ibi citatis.

His duobus Authoribus Segnero, & Corelia contentus ſum, his tamquam in hac arte peritis acquieſo; nam, ut inquit Philoſo-

loſophus, *Unicuique eminenter experto in propria ſcientia, vel arte credendum eſt*. Et ex his patet reſolutio ſundatiſſima propoſitæ difficultatis moralis, & practicæ, quæ etiam comprobat priores.

Quæro XIX. *An pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi*, V. G. blaſphemandi, vel pejerandi, vel ſe polluendi, &c. *Ubi nulla apparet ſpes emendationis, poſſit Confeſſarius negare, vel differre abſolutionem, quantumvis ore dicat, ſe dolere, & proponere emendationem?*

60 ℞. Quamvis ex dictis pateat reſponſio ad hoc quæſitum; nihilominus, ob propoſitionem ſexageſimam damnatam ab Innocentio Papa XI. rectè intelligendam, quæ dicebat — *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio: dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem*. Volo hìc iterùm meliùs reſolvere hanc difficultatem doctrina P. Cardenæ, & P. Coreliæ, qui hanc, & alias explicarunt propoſitiones.

Dico igitur I. Quòd propoſitio damnata, ut patet, loquitur de omni conſuetudine mortaliter peccandi, & de omnibus peccatis tam commiſſionis, quàm omiſſionis contra Legem vel Naturalem, vel Divinam, vel Eccleſiaſticam, vel humanam; & licèt hæc ultima non exprimatur, ſubintelligitur tamen, vel deducitur à paritate rationis, & culpæ. Igitur quicumque habet uſum, habitum, aut conſuetudinem mortaliter peccandi contra aliquod præceptum, comprehenditur in hac propoſitione.

61 *Dico* II. Quòd defectus ſpei emendationis poteſt ſe tenere & ex parte pœnitentis; ita ut pœnitens, vel confitens non ſperat ullam emendationem futuram de ſuo malo habitu, vel inclinatione ad tale vitium: & ex parte Confeſſarii, ita ut iſte deſperet de emendatione hujus pœnitentis propter conſuetudinem contractam in peccatis hujus ſpeciei. Quem defectum ſpei poteſt Confeſſarius colligere ex duplici capite: *I.* Si videat ipſum pœnitentem deſperare de ſua emendatione in futurum; in quo caſu ipſe quoque concipiat ſimilem deſperationem de tali pœnitente: *II.* Si non appareat in pœnitente iſte defectus ſpei emendationis, Confeſſarius autem prudenter ex diuturna conſuetudine peccatoris, & aliis circumſtantiis, nullam ſpem concipere poſſit de emendatione illius; quin potiùs de iſta deſperet. Quando autem defectus ſpei futuræ emendationis ſe tenet ex parte ſolius confitentis, nequit fieri, ut iſte ore proferat, *ſe proponere ſeriam emendationem*; quia deſperatio avertit voluntatem à conſecutione, vel proſecutione boni futuri, ad quod obtinendum nullum adhibet medium qui deſperat poſſe illud attingere. Reſtat ergo, quòd propoſitio damnata loquatur de illa deſperatione emendationis, quæ ſe tenet ex parte Confeſſarii, quam prudenter ipſe concipit à ſtatu, & circumſtantiis confitentis conſuetudinarii, vel recidivi; nam in tali caſu benè intelligitur ſenſus propoſitionis damnatæ, nempe quòd pœnitens ore proferat, *ſe dolere, & proponere emendationem*, etiamſi nulla appareat Confeſſario ſpes emendationis illius confitentis; ſic enim ad eumdem refertur deſperatio emendationis peccatoris, ad quem ſpectat negare, differre, & concedere abſolutionem ei, qui aſſerit, ſe dolere, & velle ſe emendare.

Dico III. Quòd nullus Confeſſor poteſt licitè abſolvere quempiam, niſi prius prudenter ſibi perſuadeat, eum eſſe ritè, & ſufficienter diſpoſitum, nempe habere verum dolorem de peccatis confeſſis, & verum propoſitum non peccandi in futurum; atqui ubi nulla apparet ſpes emendationis, ob inveteratam conſuetudinem ſic peccandi, Confeſſarius prudenter non poteſt ſibi perſuadere, hunc pœnitentem eſſe benè diſpoſitum; etiamſi proprio dicat ore, *ſe dolere, & proponere*; ergo &c. Etenim, ut vidimus, facta illius contraria omninò ſunt verbis, & fortior eſt præſumptio ex conſuetis; nam pœnitens iſte nil aliud deſiderat, quàm abſolutionem; Confeſſarius autem debet penſare, an ſit dignus abſolutione; quomodo autem poteſt prudenter reputare eum dignum, quem ſcit nunquam ſtetiſſe promiſſis? Promiſit multoties aliis Confeſſariis, vel tibi Confeſſario ſuo ſeriam, & ſolidam emendationem; at nunquam apparuit veſtigium veræ emendationis; ergo ſignum evidens eſt, quòd propoſita ejus fuerunt, & ſunt meræ velleitates, non voluntates. Hæc eſt cauſa perditionis multorum, qui ſemper abſolvuntur, & nunquam emendantur. Quare iſtos alloquens D. Auguſtinus, (& habetur, *cap. Pœnitentes diſt. 3.*) 62

diſt. 3.) dicebat: *Pœnitentes, ſi tamen eſtis Pœnitentes, & non eſtis irridentes, mutate vitam.*

63 *Dico* IV. Quòd, cùm Confeſſarius cognoſcit pœnitentem nullam habere ſpem emendationis ſuæ, debet proponere ei motiva, per quæ erigatur in ſpem, & ſic ſe diſponat ad concipiendam bonam ſpem, & propoſitum emendationis; quòd ſi conſequi non poſſit intentum, debet ei negare, vel differre abſolutionem. Ratio eſt: quia Confeſſarius ratione officii tenetur procurare diſpoſitionem confitentis, quem videt indiſpoſitum; ſed talis confitens, qui deſperat emendationem vitæ ſuæ, eſt indiſpoſitus; quia deſperatio de emendatione eſt magnum impedimentum ad eliciendum verum propoſitum ampliùs non peccandi. Si autem hoc non aſſequatur. Confeſſarius non poteſt ſibi prudenter perſuadere, & ſatisfacere de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis, & conſequenter nequit eum abſolvere.

64 *Dico* V. Quòd quando Confeſſarius advertit, nullam eſſe ſpem, aut nullam poſſe concipere bonam ſpem emendationis, vel propoſiti veri ipſius confitentis, tenetur eum admonere de malo ſtatu, & periculo, in quo verſatur ob inefficacitatem doloris, & propoſiti ſui, atque ei proponere media opportuna ad eum ritè diſponendum; quod ſi obtineatur, poterit eum abſolvere, vel etiam differre ad tempus abſolutionem. Si autem hoc non obtineatur, non poterit ei impertiri abſolutionis beneficium. Ratio patet ex dictis. Si vis plura, lege citatos DD. in fonte viſos.

Quæro XX. *Quanam, & quanta eſt obligatio peccatoris habentis conſuetudinem peccandi, in deſtruenda ipſa mala conſuetudine?*

65 ℞. Qui advertit, ſe habere pravam conſuetudinem peccandi mortaliter, V. G. Blaſphemandi, pejerandi, luxuriandi, & ſic de cæteris, & non adhibet diligentiam, vel media opportuna ad illam tollendam, & extirpandam, mortaliter peccat quoties advertit, & non conatur eam deſtruere; nam cenſetur eam approbare, dum non curat extirpare. Tum quia talis conſuetudo mala, inveterata eſt veluti occaſio propinqua peccandi, & eſt periculum formale, vel morale, & proximum recidendi, atque eſt ipſamet cauſa recidivæ; ſed qui manet in tali periculo, vel qui non deſtruit illud, nec auſert talem occaſionem, vel cauſam, peccat lethaliter, ut vidimus, & verſatur in continuo periculo peccandi, & numquam ſe emendandi; nam conſuetudo tranſit in naturam, natura in neceſſitatem, neceſſitas in incorrigibilitatem, & incorrigibilitas in gehennam; ergo &c. Patet igitur, quæ, & quanta ſit obligatio hominis habentis conſuetudinem aliquam peccandi mortaliter: tenetur enim ſub mortali eam extirpare.

Quæro XXI. *Quomodo poterit talis conſuetudinarius ſe liberare ab hujuſmodi ſtatu peccati?*

℞. Efficaciter deteſtando pravam ejuſ- 66
modi conſuetudinem, & proponendo ſeriè emendationem. Iſte eſt primus modus omninò neceſſarius ad ſe liberandum à malo, & perculoſo ſtatu, in quo conſuetudinarius moratur; quia ſi homini dicta conſuetudo efficaciter diſpliceat, vi illius diſplicentiæ, & propoſiti ſerii eam deponendi, vel extirpandi, interrumpitur ipſa conſuetudo. Præterea deſtruitur malus ille habitus per actus virtutis oppoſitæ tali vitio, de quo habetur conſuetudo; nam habitus acquiſitus vi actus contrarii perit, & deletur, non quidem ita, ut vi unius actus contrarii (niſi foret intenſiſſimus) pereat ex toto habitus, ſed ex parte; quoniam unus actus virtuoſus gignit ex parte habitum bonum, & ex parte tollit, vel expellit habitum ei contrarium, quippè qui minuit habitum ſibi adverſum; Ex frequentatis autem actibus bonis generatur habitus bonus, & ſimul excluditur habitus vitioſus; ut patet etiam experientia. Vide Azorium, *part. 1. libr. 3 capit. 23. quæſt. 2. Et lib. 11. cap. 3 quæſt. 3. & 4.* Bonacinam *de Legibus, diſput. 4. quæſt. 1. punct. 13. à numer. 5 & ſeqq.* Et alios DD. ab his citatos. – Anacletum Moral. *tract. 6. diſt. 2. quæſt. 2 num. 14.*

Quæro XXII. *Quid dicendum, & agendum de conſuetudine peccandi venialiter, ſeu de pœnitente, qui ſemper cadit in eadem peccata venialia?*

℞. 1. Si conſuetudo peccandi veniali- 67
ter, (V. G. mentiendi in re levi, murmurandi de rebus notis, jurandi veraciter quidem, ſed ſine neceſſitate, proferendi verba impura ſine prava intentione, imprecandi malum creaturis ſine animo,

ut eveniat eis tale malum, recitandi officium, vel alias orationes vocales cum diſtractione leviter culpabili, & ſic de cæteris) eſt materia remota totalis Sacramenti Confeſſionis; ideſt, ſi Pœnitens nullum aliud peccatum confiteatur præter hoc veniale, vel hæc venialia, quorum habet conſuetudinem; tunc dicendum, & judicandum erit à Confeſſario *quaſi eodem modo*, quo dictum, & judicatum eſt de conſuetudine peccandi mortaliter. Ratio eſt, quia tam una, quàm alia prava conſuetudo per ſe præbent fundamentum, & motivum judicandi pœnitentem non habere verum dolorem, & propoſitum; atqui Confeſſarius non poteſt abſolvere pœnitentem indiſpoſitum, aut ſine vero dolore, & propoſito confitentem ſua peccata; nam, ut vidimus, Confeſſarius debet formare judicium prudens, & ſibi prudenter perſuadere de ſufficienti diſpoſitione pœnitentium, aliàs faceret Sacramentum nullum, invalidum, & committeret Sacrilegium, vel ſaltem ſe exponeret periculo fruſtrandi ipſum Sacramentum. *Vide infra, num.* 70.

68 *Dices*. Peccata venialia ſunt materia voluntaria Confeſſionis, & poſſunt omitti abſque peccato; ergo videtur nimis dura prædicta reſolutio. ℞. Verum quidem eſt, peccata venialia poſſe omitti in Confeſſione abſque peccato; quia non tenemur ea confiteri; at in caſu noſtro non conſiderantur illa venialia, ut omiſſa, ſed ut confeſſa; & ut confeſſa tamquam pro materia totali ipſius Sacramenti: & tamquam confeſſa ſine debito dolore, & propoſito; quia ſupponimus hunc pœnitentem ſemper confiteri eadem omninò venialia ſine aliqua ſeria emendatione, ſine diminutione quoad ſpeciem, & quoad numerum; ergo dilatio, vel negatio abſolutionis conſideratur, & fit ob indiſpoſitionem confitentis; quia confitens unum, V. G. mendacium leve, & nihil aliud, debet neceſſariò habere dolorem de tali peccato, & propoſitum non mentiendi; nam dolor, & propoſitum ſunt materia proxima, & neceſſaria ad valorem Sacramenti.

69 ℞. *II.* Si autem pœnitens, ultra peccata venialia ex habitu vel conſuetudine commiſſa, confiteatur aliquod veniale, de quo non habet uſum, vel aliquod mortale aliàs confeſſum, de quo habeat actualem, aut virtualem dolorem in præſenti; tunc poterit abſolvi. Ratio eſt, quia tunc abſolutio cadit ſupra pœnitentem ritè diſpoſitum; nam cadit ſupra illud veniale, vel mortale, de quo dolet; Et licèt non cadat ſupra illa venialia, quorum pœnitens habet habitum, & de quibus non dolet; abſolutio tamen eſt valida; nam, ut ſuo loco videbimus, venialia peccata ſunt materia ſeparabilis; ideſt, poteſt deleri unum veniale ſine reliquis; & mortale aliàs ritè confeſſum eſt materia ſufficiens novi Sacramenti Confeſſionis, ſi confiteatur cum novo dolore.

Quare Confeſſarius pius, & prudens, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis, debet inſinuare pœnitentibus, qui ſemper habent eadem venialia confitenda, & nullum mortale, ut, ſi velint beneficium, & fructum abſolutionis, deteſtentur determinatè unum ex illis venialibus, cum propoſito efficaci ſe emendandi de hoc: vel confiteantur aliquod mortale vitæ præteritæ cum novo dolore de illo, & propoſito non peccandi ampliùs mortaliter. Ita ex communi, P. Sporer, *tom.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 4. *quæſt.* 2. *à numer.* 338. Et alii DD. ibi citati.

Onus enim Confeſſariis impoſitum eſt, ut, quando inveniunt Pœnitentes longo tempore habituatos in aliqua ſpecie peccati, procurent zelo, & ſpiritu eos admonere de malo ſtatu, in quo verſantur, ut ſeriam inſtituant emendationem vitæ; quia non dubito aſſerere, quòd, ſi Pœnitentes ſunt adeò vitiis dediti, & inveterati, tales ſunt etiam ex negligentia multorum Confeſſorum, qui os habent, & non loquuntur; intellectum, & non conſiderant; Animam, & non reflectunt, ſe reddituros eſſe rationem de illis Animabus, (quæ ad Forum Pœnitentiale, & pedes ſuos ſe proſternunt, confitentes peccata ſua) ante Tribunal Chriſti, qui reddet unicuique mercedem, præmium, vel pœnam ſecundùm opera ejus.

Si vis addiſcere remedia opportuna, & propria pro curandis recidivis, lege, quæſo, citatos Doctores. Omnes in hoc conveniunt, quòd Recidivis injungenda eſt aliqua Oratio brevis, ſed aſſidua, atque cordialis, & frequentia Confeſſionis apud eumdem Confeſſarium; nam variatio Medicorum multùm officere ſolet infirmo; Oratio autem humilis, & cor-

cordialis omnia poteſt, omnia vincit, omnia ad ſalutem (neceſſaria) obtinet à Deo, ut vidimus, *in Tract. 12. à num. 22.* Et Pœnitentia, ut virtus, & ut Sacramentum expellit omne peccatum, & habitum vitioſum enervat; ut ſuo loco videbimus, *part. 2. Tract. 60. à num. 35.*

70 R. III. *Conſuetudo tamen peccandi venialiter tantùm* in eadem ſpecie peccati non debet menſurari æqua lance, ſeu eodem prorsùs modo, quo menſuravimus conſuetudinem peccandi mortaliter, ut notum eſt; quia propoſitum vitandi venialia non eſt neceſſe, ut ſit ita ſtrictum, & efficax, ſicut vitandi mortalia, ut docent DD. communiter. Ergo hinc ſequitur, faciliùs poſſe abſolvi eum, qui frequentiùs cadit in eadem venialia, quàm qui in mortalia; nam offendere in iiſdem venialibus non eſt tam indicativum ſignum defectus ſufficientis doloris, ac propoſiti, ſicut eſt in mortalibus; tum quia frequentiores ſunt occaſiones labendi venialiter, (à quibus ſe ſeparandi non eſt tanta obligatio) quàm labendi mortaliter. Vide Layman *de Pœnitent. cap. 4. num. 19.* Coninch *diſput. 2. dub. 14.* Tamburin. *Meth. Confeſſ. libr. 1. cap. 3. §. 5.* & Sporer, *tom. 3. parte 3. cap. 2. numer. 338.* & 339. qui ibi dat optimum hoc conſilium dicens: Omitte nimiam curam colligendi omnia tua venialia in ſpecie &c. Et recitandi ea in Confeſſione: & ea tantùm, quæ magis gravant (in genere venialium,) quibuſque potiſſimùm liberari cupis, novo, ſerioque dolore, ac emendationis propoſito efficaci concepto, humiliter confitere; atque ex his ipſis unum in ſpecie toto conatu deinceps emendare, & extirpare contendas.

TRACTATUS XXXI.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non furaberis.

QUæro I. *Quid continetur in hoc præcepto?*

1 *Reſpondeo*: Hoc præcepto negativo: *Non furtum facies*: non tantùm prohibetur Furtum, ſed etiam quæcumque injuſta rei alienæ contrectatio, aut damnificatio. Inſuper præcipitur Reſtitutio rei alienæ; quia, ſicut præceptum affirmativum includit virtualiter negativum, ita è contra præceptum negativum includit affirmativum; ergo hoc præceptum Divinum, *Non furaberis* continet hoc etiam, *Injuſtè ablatum reſtitue*.

2 Nomine autem *Furti* latè accepti comprehenditur omnis injuſta læſio, vel damnificatio proximi in bonis externis, quæ multiplicibus modis accidere poteſt. Quemadmodum enim in Sexto Præcepto, *non mœchaberis*, nomine Mœchiæ propriè Adulterium tantùm ſignificante, per quamdam antonomaſiam, omnia peccata carnis intelliguntur prohibita: ita & hìc ſub nomine *Furti* propriè ſignificantis ablationem occultam rei alienæ invito Domino, comprehenditur omnis injuſta contrectatio, læſio & damnificatio bonorum fortunæ proximi noſtri.

Unde explicatio perfecta hujus latiſſimi 3 Præcepti petenda eſt ex univerſa fermè materia de Jure, & Juſtitia. Deus enim in hoc mandato prohibet, ne alterius Jus lædatur per injuriam, aut injuſtitiam, atque obligat, ut alteri cuivis Jus ſuum tribuatur per Reſtitutionem, &c. In gratiam itaque Juniorum Confeſſariorum incipiam tam vaſtam materiam, quæ ad hoc ſeptimum ſpectat Præceptum, & majori, qua potero, brevitate, & claritate divitiam in varios Tractatus, prout infra.

Quæro II. *Quid eſt Furtum propriè, & ſtrictè captum?*

R. Eſt ablatio injuſta rei alienæ invito 4 domino: Ita Toletus. *Vel*, Eſt acceptio rei alienæ occulta & fraudoloſa: Ita Layman, *vel*, Eſt occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito: Ita Anacletus in Theol. moral. *vel*, Eſt contrecta-

trectatio occulta rei alienæ externæ, rationabiliter invito domino illius: ita Sporer: *& ita in re omnes*. Explico hanc definitionem per ſingulas particulas.

5 *Eſt contrectatio*: hoc eſt acceptio, & detentio rei alienæ, ſeu ſimul acceptio, & detentio: ſeu ſeorſim acceptio, vel detentio. Quamvis enim omnis injuſta ablatio rei alienæ fiat propter detentionem, uſurpationem, &c. interdum tamen poſſunt ab invicem ſeparari: nam V. G. Si fur in flagranti deprehenſus re ablata ſtatim ſpolietur, erit tantùm ablatio; adhuc tamen eſt contrectatio rei alienæ, & verum furtum. Si autem rem alienam tibi commodatam, vel caſu apud te relictam injuſtè detineas, erit tantùm detentio, non ablatio rei alienæ; adhuc tamen verum furtum & contrectatio rei alterius; ergo vel auferendo, vel detinendo injuſtè alienum vel utrumque ſimul committendo, fit peccatum furti propriè dicti; quia ſemper fit contrectatio rei alienæ.

6 *Rei alienæ*: hoc eſt, ad alterum Jure aliquo ſpectantis: vel quæ eſt alterius, vel in poteſtate legitima alterius, quocumque modo ſit, ſive ratione dominii pleni, directi, vel utilis tantùm, ſive ratione uſus, & detentionis legitimæ.

7 *Rei externæ*: hoc eſt bonorum mobilium, quæ contrectari, moveri, & ab uno loco ad alium transferri poſſunt: ut ſunt pecuniæ, merces, divitiæ, fructus, & cætera bona externa, quæ bona Fortunæ appellantur. Igitur excluduntur bona Animæ, corporis, famæ, & honoris: quæ aliis injuſtitiæ ſpeciebus læduntur. Item excluduntur bona immobilia, & incorporalia, quæ aliis modis contra juſtitiam poſſunt auferri, aut impediri, aut damnificari.

8 *Occulta*: vel ſecreta, & fraudulenta, atque ſine violentia illata: aut omninò ignaro domino quoad ipſum factum, aut quoad injuriam ſaltem facti; nam per hoc differt *Furtum à Rapina*, quæ eſt occupatio rei alienæ ſciente domino, & vim patiente.

9 *Invito Domino ipſius*: ideſt, minimè conſentiente, quin potiùs omnimodè contradicente, & repugnante, ſaltem habitualiter, ſeu animi diſpoſitione: nam licèt de facto ignarus rei ablatæ actu non contradicat, tamen ſi ſciret rem ſuam auferri, certiſſimè contradicturus eſſet.

10 *Rationabiliter*: ideſt, ita ut dominus ipſius rei ablatæ non habeat, aut debeat aliunde eſſe rationabiliter contentus, ac teneatur conſentire, ut talis res ſibi auferatur hic, & nunc à tali perſona; ſed ſi repugnat, cum ratione, & cauſa juſta repugnet.

Ex defectu hujus ultimæ particulæ furtum non committit, qui accipit rem alienam tanquam ſibi debitam ad juſtam compenſationem: vel ut ſibi neceſſariam in extrema neceſſitate; vel qui aufert gladium à furioſo alium occiſuro: vel qui ſcit, aut credit, aut probabiliter exiſtimat, dominum conſentire, aut non fore invitum, rem talem ſibi auferri: qua ultima ratione ſæpiſſimè à furto excuſantur Uxores, Filiifamilias, Famuli, Religioſi, Amici, Familiares, quando aliquid non valdè grave accipiunt de rebus domeſticis. Item ſi uxor marito ſuo ſurripiat pecunias, quas in ludo perderet, & illas uxor prudens in uſum familiæ convertat: & ſic de cæteris ſimilibus caſibus. Ratio eſt, quia nulla harum ablationum, quamvis invito fiant domino, eſt contra juſtitiam, imò potiùs ſecundùm Charitatem: & Dominus eſſet irrationabiliter invitus, ſi ſibi rem talem nollet auferri. Ita Toletus, *libr.* 5. *c.* 15. -- Anacletus, *tract.* 9. *diſt.* 5. *q.* 1. Sporer, *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 5. *à num.* 5. *& ſeqq.* cum aliis. 11

Quæro III. *Quotuplex eſt Furtum?*

℟. Furtum ratione rei ablatæ dividitur in Simplex, & Qualificatum: hoc eſt, cui ſpecialis malitia adjungitur, ob quam qualificari dicitur: cujus ſpecies ſunt iſtæ: *Sacrilegium*, quod eſt Furtum rei ſacræ è loco ſacro: aut rei ſacræ è loco non ſacro: aut rei non ſacræ è loco ſacro. -- *Peculatus*, ideſt, Furtum rei ſpectantis ad Fiſcum Principis. -- *Crimen Plagii*, *ſeu Plagiatus*, & eſt, quando vel mancipia à dominis, vel liberi, ſeu filii à parentibus, in quorum poteſtate ſunt, abſtrahuntur, aut captivantur. -- *Abigeatus*, ſcilicet diſpergendo gregem, & inde furando animalia. Hiſque criminibus gravior pœna Legibus decreta eſt, quàm ſimplici Furto. 12

Quæro IV. *Quænam eſt differentia inter Furem, & Latronem?*

℟. *Fur* dicitur, qui furatur clam ſine aggreſſura. *Latro* cum aggreſſura, ſive cum armis, ſive ſine armis. *Fur* propriè dicitur, qui de nocte furatur. *Latro*, qui de die furatur. *Furtum ſimplex* fit cum 13

frau-

Digitized by Google

fraude tantùm. Latrocinium verò fit cum violentia manifeſta. Vide Sum. Angel. *V. Furtum, num.* 1.

Quæro V. *Quodnam eſt diſcrimen inter Furem diurnum, & nocturnum?*

14 ℞. Ultra prædictum, in jure fit magnum diſcrimen inter Furem diurnum, qui ſole lucente furatur, ita ut agnoſci poſſit, & Furem nocturnum, qui de nocte furatur, ita ut agnoſci non poſſit; nam præter alia Fur nocturnus in Foro externo impunè occidi poteſt: Non verò Fur diurnus, ſi ſimplex Fur ſit, & non Latro, ſeu Aggreſſor. V. Sporer. *cit. c.* 5. *n.* 11. Ratio autem ibi non aſſignatur, quam tamen inveni in Leſſio *de Juſt. & Jure, libr.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. Eſt igitur ratio, quia Fur nocturnus præſumitur animo occidendi veniſſe; ſicque miſcetur periculum Perſonæ cum periculo rei familiaris. Adde: Si illæ facultates ſint magni momenti; nec ſit probabilis ſpes aliter illas recuperandi. Sed de hoc alibi.

Quæro VI. *Quid eſt Rapina?*

15 ℞. Eſt contrectatio rei alienæ violenta invito domino. Differt à Furto per hanc particulam, *Violenta*: quòd nimirùm per Furtum auferatur res aliena occultè, & dolosè, ſine vi, & domino ignorante; per Rapinam autem auferatur res aliena, domino vidente, ac nolente, & rem ſuam ſervare volente, & tamen per violentiam ſibi illatam re ſua privatur: adeòque ſpecialis injuria, & contemptus ſibi infertur; ac proinde Rapina ſpecie differt à ſimplici Furto, Rapina enim, præter injuſtitiam Furti, continet aliam injuſtitiæ ſpeciem circa perſonam, & honorem proximi: nam alicui vim inferre, eſt ſpecies contumeliæ lædentis honorem alterius.

16 Unde fieri poteſt, ut aliquis à perſona illuſtri rem exiguam per vim auferens, venialiter tantùm peccet in genere Furti; mortaliter verò in genere contumeliæ. Et econtrà, poteſt quis mortaliter peccare in genere Furti, & venialiter tantùm in genere contumeliæ: Ut V.G. Si ruſtico, aut paſtori videnti, & reluctanti, aut reſiſtere non audenti rapias ovem; tunc contumelia levis, ſed furtum grave eſt.

Quæro VII. *Furtum ex genere ſuo mortale poteſtne evadere veniale?*

17 ℞. Affirmativè, & quidem variis modis *I.* ex parte ipſius furantis, ob imperfectionem actus; ut ſi fiat abſque ſufficienti deliberatione, vel ex aliqua præcipitantia, vel ex metu minuente voluntarium. Deinde ignorantia invincibilis, & inculpabilis juris, vel facti, ſicut in omni alia peccatorum materia, ita in hac furti materia peccatum tollit, & à peccato excuſat.

II. Furtum ex genere ſuo mortale excuſatur, & fit veniale, vel nullum ex parte 18
domini, cui res aufertur, ſi ſciatur, vel probabiliter putetur parùm, aut omninò non eſſe invitus. Adeòque qui V. G. aufert rem (etiamſi aliàs notabilem) Titio: ſi Titius non ſit notabiliter involuntarius, ſed æquè parùm curet, ac ſi res eſſet parvi momenti: non peccat mortaliter, ſed tantùm venialiter. Si autem conſtet, rem omninò pro neglecta haberi à domino Titio, omne peccatum ceſſabit. Communis Doctorum ſententia. Ratio patet: quia Furtum formaliter eatenùs peccatum eſt contra Juſtitiam, quatenùs ſit ablatio rei, invito domino, nolente ſcilicet juri ſuo cedere; ergo quò minùs invitus eſt dominus, quoque magis ſuo cedit juri, eò minùs erit peccatum, ſeu injuria: conſequenter peccatum mortale non erit, quando rem ablatam etſi magnam, non magis tamen curat Titius dominus, quàm ſi eſſet res modica; ſi autem omninò ceſſet eſſe invitus, & juri ſuo totaliter cedat, clarè ceſſabit peccatum omninò; cùm non fiat invito domino, ſaltem quoad rem ipſam ablatam; licèt eſſet invitus quoad modum ablationis illius rei; & ob hanc cauſam, ſi eſſet invitus dominus quoad modum tantùm, deſtruitur malitia furti formalis, & ſola remanet ratio alicujus peccati contra charitatem, aut reverentiam.

III. Furtum maximè excuſatur, & ve- 19
niale evadit ex parte materiæ, ſi hæc parva ſit, ac levis; cùm enim in multis aliis rebus admittatur parvitas materiæ, maximè in hac admittenda eſt. At difficultas tota conſiſtit in aſſignanda quantitate materiæ de ſe levis. Poſt longam inquiſitionem, & librorum diſcuſſionem, non aliam inveni regulam certam, & fixam præter hanc, videlicet, totum pendere ab æſtimatione morali, & judicio prudentis, & pii Viri ex circumſtantiis in particulari benè examinatis: nempè non ex ſola quantitate rei ablatæ, verùm etiam à circumſtantiis perſonæ ditioris, vel egentioris, cui res ablata eſt, indeque majori,

Digitized by Google

vel minori damno cauſato. Quòd ſi cupias aliquo modo ſcire, quænam ſit parvitas materiæ in genere Furti, propter quam Furtum ex genere ſuo mortale fiat veniale; debeo tibi priùs oſtendere, quænam ſit quantitas gravis; nam aſſignata quantitate gravi, facilè patebit materia parva excuſans à mortali.

Quæro VIII. *Quænam eſt materia Furti gravis, & ſufficiens ad peccatum mortale?*

20 ℞. I. Materia gravis abſoluta, & reſpectu cujuſcumque etiam opulentiſſimi, cui auferatur, aut furetur, eſt quantitas, aut valor duorum, vel trium Ducatorum, Scutorum, ſeu Aureorum. (Aureus nunc importat decem Julios Italicos; Julius verò conſtat ex decem Bajochis.) Ratio ſolidiſſima eſt, quia hæc eſt communis hominum, Doctorum, & Prudentum, viam mediam tenentium, perſuaſio, ac judicialis ſententia: ut videtur Auctoribus, quos hic fideliter citabo: V. Anacletum, *Theol. moral. tract. 9. diſt. 5. num. 9.* ubi dicit, duo autem, vel tres Ducati, à quocumque tandem auferantur, etiam Rege potentiſſimo, peccatum mortale conſtituunt, juxta communem. — V. Sporer, *tom. 2. tract. 5. cap. 5. num. 31.* ubi ait, Communis prudentum perſuaſio eſt, valorem excedentem unum, aut duos Ducatos, eſſe gravem abſolutè, ut vix aliquis etiam potentiſſimus reperiatur, qui ſpectatis omnibus impendiis, tantæ pecuniæ jacturam, ut ſibi damnoſam, non juſtiſſimè ægrè ferat. V. Layman, *libr. 3. tract. 3. cap. 1. numer. 3.* ubi docet, Dico tertiò. Duo, vel tres Ducati à quocumque auferantur, quamvis Rege potentiſſimo, mortale peccatum conſtituunt. Hæc eſt communis aſſertio. — V. Homobonum, *de Bonis in Examine Eccleſiaſtico, part. 1. tract. 7. quæſt. 118.* ubi aſſerit. Porrò quantitas rei, quæ ad conſtituendam materiam peccati mortalis ſufficit, arbitrio prudentis viri variis perpenſis circumſtantiis metienda eſt. Quamvis dari etiam poſſit aliqua pecuniæ quantitas, quæ abſque ulla habita ratione Perſonæ ſit mortalis: ut Furtum trium aureorum in Principe, vel Magnate. V. Summam Silveſtrinam, *V. Furtum, num 5.* — Ita etiam Sum. Angel. *num. 34.* Et alii DD. quos brevitatis cauſa non cito.

21 *Dices*. Furtum duorum, aut trium aureorum videtur exiguum detrimentum Regi, aut Principi, aut alii ditiſſimo cauſatum; ergo non poterit cenſeri materia gravis conſtitutiva peccati mortalis. ℞. Furtum prohibetur à Deo, non præciſè ob damnum actuale, quod afferret ſemel factum, furando V. G. Principi opulentiſſimo centum Aureos; ſed etiam (& multò magis) prohibetur ob damnum habituale, & conſecutivum, quod afferret ſæpiùs repetitum, ſi ſemel citra gravem offenſam liceret in tanta quantitate furari, tunc enim ex hominum malitia, & avaritia innata multiplicarentur hujuſmodi furta, ex quorum frequentia maximum detrimentum etiam Ditiſſimis Regibus ſequeretur; ergo Furtum in tali mediocri quantitate aſſignata cenſeri debet prohibitum ſub gravi & mortali offenſa; & conſequenter Furtum duorum, vel trium Aureorum magna, & notabilis quantitas jure, & ratione communiter æſtimatur.

Nec obſtat, quòd hæc quantitas reſpectu Regis ditiſſimi modica videatur: quia etſi modica ſit ad donationes pro Regia magnificentia faciendas; non tamen eſt modica, ſpectatis omnibus Regis oneribus, ad quæ ſublevanda hæc quantitas pecuniæ notabiliter juvat: ut patet, cùm militi ſolvendum eſt ſtipendium, qui per menſem unum pro tribus aureis ſuam vitam exponit periculo in bello.

22 ℞. II. Materia Furti gravis reſpectiva ad conditiones perſonarum, quibus aufertur, eſt illa, quæ ſufficeret ad victum unius diei tali perſonæ, cui ablata eſt. Ratio optima eſt, quia auferre cuipiam victum ſuum unius diei, quid notabile ab omnibus ferè hominibus prudentibus reputatur, & per ſe notabile damnum unuſquiſque (cujuſvis conditionis exiſtat) patitur, auferendo ei tantam quantitatem rei, vel pecuniæ, quæ ad victum unius diei ſatis eſſet. Difficile tamen eſt, deſcendere hic ad caſus particulares; nam quod reſpectu unius perſonæ cenſetur notabile, reſpectu alterius non cenſetur tale ob diverſitatem ſtatus, & conditionis; ideòque magna cum prudentia legendi ſunt libri, qui aſſignant quantitatem gravem pro ſingulis ſtatibus, & conditionibus perſonarum, quibus res furantur. Ego enim teneo regulam illam *de victu, aut de valore victus unius diei* tamquam omnibus optimam, ad diſcernendam gravem, & levem materiam in genere Furti. Quandoquidem non poteſt hæc quantitas mathematicè ſtabi-

Digitized by Google

ſtabiliri, ſed tantùm moraliter, ſicut juſta rerum pretia, quæ non conſiſtunt in indiviſibili termino, ſed habent ſuam latitudinem, & varietatem pro tempore, loco, & aliis circumſtantiis.

23 ℞. *III.* Quamvis ipſa res, quæ ſurripitur, non ſit notabilis valoris, tamen ſi auferatur ei, qui inde grave damnum, vel incommodum accipiet, aut patietur, eſt peccatum mortiferum; quamvis non in ſpecie furti. Ratio patet, quia notabile damnum proximo irrogatur: ergo &c. Tum quia graviter lædit charitatem erga proximum, qui illum afficit moleſtia iniqua, & vexatione injuſta; ergo &c.

Quæro IX. *Furta minuta, & parva poſſuntne conſtituere peccatum mortale?*

24 ℞. Utique; quia multa pauca faciunt unum ſatis: ideſt, multæ quantitates modicæ, & leves conſtituunt unam gravem, & notabilem. Quod fieri ſolet tripliciter. *Primo* ex intentione principali diteſcendi, vel plura ſurripiendi, ut V. G. Si quis furtis repetitis auferr quid modicum, ne fortè notetur à Domino, ſed cum intentione ſurripiendi tandem magnam quantitatem: iſte primò, & ſingulis furtis peccat mortaliter, quia habet propoſitum nocendi proximo in re gravi: & media ſemper participant malitiam ſui finis. Non tamen (quod benè nota Confeſſor) committit tot diſtincta furta mortalia, quot ſunt furta minuta, ſed unum tantùm; quia omnia illa furta minuta ſimul uniuntur moraliter ſub una intentione principali, & ſunt tamquam una continua executio illius intentionis mortalis. Ex qua doctrina plures reſolves caſus particulares.

25 Judica, Confeſſor, mortaliter peccaſſe eum, qui menſuras, vel pondera falſificando, vel mercibus deteriorem materiam miſcendo, & omnes veluti bonas vendendo, notabile lucrum in fine anni collegit. Item qui alienas vineas viſitando uvarum, aut aliorum fructuum multitudinem congregavit: quia in his caſibus unum eſt malignum propoſitum circa objectum grave, & mortale in genere furti.

26 Non autem ita facilè judicabis; graviter peccaſſe eum, qui hodie ab uno rem levem furatus eſt, & abſumpſit, ſine propoſito continuandi, & poſt aliquot dies iterùm aliam parvam quantitatem eidem, vel alteri abſtulit; & ſic deinceps; ſicque in anni circulo pervenit ad notabilem ſummam; quia talis non unum propoſitum retinuit, committendi omnia illa parva furta; unde nec unum peccatum grave commiſit, ſed plura venialia diſſoluta. Quòd ſi advertat, aliquando perveniſſe ad valdè notabilem quantitatem: tunc peccatum grave non effugiet; ſi non ratione ablationis, ſaltem ratione injuſtæ detentionis, ut inferiùs videbimus.

II. Furta minuta conſtituunt peccatum mortale ex prava intentione continuandi. 27
V. G. Qui ſucceſſivè repetitis vicibus furatur quid modicum, abſque quidem prævia intentione congregandi magnam quantitatem, vel diteſcendi, attamen advertens creſcere ſummam domino notabiliter nocituram, (quæ ſaltem ſimul ablata ſine controverſia conſtitueret peccatum grave) iterùm aliquid modicum ſurripit, quod complet, vel excedit illam certò notabilem quantitatem; illo ipſo ultimo furto peccat mortaliter, ratione conjunctionis volitæ cum præcedentibus prævisis; quia intentio, ſeu voluntas illa continuandi furtum; ſeu complendi uſque ad quantitatem notabilem, lethalis eſt; quia nimirum cenſetur conſentire in totum damnum, (ut ſupponitur) jam cauſatum, & completum per illud ultimum modicum Furtum: nam illud opus, quo injuſtum, notabileque damnum proximi completur, mortale eſt: non quidem ſecundùm ſe abſolutè, ſed cum relatione ad furta, & damna præcedentia conſideratum, ergo &c.

Dices. Hoc videtur nimis rigidum; nam 28
multiplicata peccata venialia numquam faciunt unum mortale; quomodo ergo illud ultimum Furtum modicum poterit eſſe mortale? ℞. Quotieſcumque multa peccata venialia ſunt diſparata, ideſt, abſque omni connexione adinvicem in materia, vel in effectu cauſato, (ut accidit in verbis otioſis, vel in mendaciis jocoſis, & ſimilibus) tunc verum eſt, multiplicata venialia, etiam in infinitum, non facere unum mortale. Quando autem illa venialia habent inter ſe connexionem, & continuationem, ut eſt in propoſita materia de Furto modico multiplicato, tunc ultimum veniale complens materiam magnam, ad mortale ſufficientem, eſt, vel fit mortale. Patet hæc doctrina in aliis materiis unibilibus: ut in materia *Jejunii*; ſi quis eodem die Jejunii plu-

plities modicum quid comederit, utique ultima vice, qua complevit notabilem quantitatem cibi, fregit Jejunium, & peccavit mortaliter. Ita in materia recitationis Horarum Canonicarum: ita in materia obſervantiæ Feſtorum, auditionis Miſſæ, & ſimilibus.

29 *Inſtabis.* Quomodo ergo ſalvabuntur tot famuli Principum, & Magnatum continuò, vel crebrò auferentes, conſumentes, vel malè impendentes aliqua modica, & numquam reſtituentes, aut reſarcientes damnum illatum Dominis ſuis? ℟. Excuſantur plerumque à mortali, & onere reſtitutionis, partim ex inadvertentia, quia numquam advertunt, vel reflectunt ad damnum notabile concreſcens ex præteritis: partim quia quandoque eos pœnitet de tranſactis furtulis, nec habent animum continuandi: partim quia Domini Magnates in his non cenſentur valdè inviti, nec ſuos famulos tam ſtrictè obligant ad tam exactam curationem, & cuſtodiam rerum ſuarum, & facilè dimittunt eis hæc modica damna. Alioquin & iſti peccant, ſicut alii, de quibus ſuprà.

30 *Petes.* Quid, ſi quis poſt notabilem quantitatem minutis Furtis coacervatam, rurſùm incipiat, & pergat modica furari? ℟. Oportet diſtinguere. Aut enim talis homo nondum egit pœnitentiam de Furtis præcedentibus, nec reſtituere propoſuit: & tunc denuò furando modica peccat mortaliter toties, quoties: quia ſemper habet explicitam vel implicitam voluntatem cumulandi, & retinendi injuſtè illam notabilem quantitatem rei alienæ. Aut talem jam pœnituit de Furtis præcedentibus, & vel de facto reſtituit, vel reſtituere propoſuit, data occaſione, & commoditate; & tunc denuò furando res parvas peccat tantùm venialiter, donec rurſus attingat quantitatem gravem, & notabilem, ſufficientem ad mortale Furtum; quia talis homo per pœnitentiam, & propoſitum illud abrupit continuationem Furtorum præcedentium cum ſequentibus: & ſequens materia ablata non concreſcit ampliùs cum præcedentibus, ſed manet per ſe ſola, & venialis, donec rurſùm concreſcat cum alia materia ſequenti furtim ablata. Ita ex Cardin. de Lugo, *tom. de Juſt. diſp. 16. ſect. 3. docet*, P. Sporer, *l. c. n. 39.* — Quære *hic ſupra* Q. VIII. *num.* 20. *Gravitatem.*

III. Minuta Furta conſtituunt peccatum mortale etiam ex ſola injuſta detentione: 31
ideſt, ex pluribus Furtis minutis, & ſingulis de facto venialibus, accreſcente tamen notabili quantitate ſufficiente ad mortale, adhuc exurget peccatum grave ratione injuſtæ detentionis tantùm, quandocumque is, qui furatus eſt, adverterit quantitatem illam notabilem eſſe, & non cogitaverit de pœnitentia, ac reſtitutione neceſſariò facienda. Ratio eſt: quia in *Furtis* duo conſiderari debent: unum eſt injuſta rei alienæ ablatio: alterum injuſta detentio, ſeu non reſtitutio rei alienæ; poteſt autem fieri, ut quis non peccet mortaliter accipiendo rem alienam, & poſt hæc mortaliter peccet injuſtè retinendo, V. G. accepiſti mutuum quid à Domino Titio, certo, & ſtatuto tempore reſtituendum; poſtea finito termino repetenti Domino Titio rem mutuatam non reſtituis, cùm poſſis, ac debeas, tu non peccaſti accipiendo, at retinendo utique peccas mortaliter ex genere ſuo; quia rem alienam injuſtè retines. Item abſtuliſti burſam, vel crumenam Cajo amico tuo intentione præciſa furandi paucos denarios, vel obolos, aut bajochos, poſtea repertos ibi aliquot Aureos detines: peccaſti ſolùm venialiter auferendo: ſed detinendo totam illam notabilem pecuniam mortaliter certè peccaſti. Ita in propoſito caſu. Furtis minutis, & venialibus ſæpè repetitis conquiſiviſti notabilem ſummam; peccaſti ſemper venialiter accipiendo; at verò peccabis poſtea mortaliter, compertam ſummam illam notabilem non reſtituendo; quia velle detinere alienum in magna quantitate, invito domino, ſemper eſt culpa gravis ex gravi damno illato rebus alienis, & ipſi domino; ergo &c. Comprobatur hæc reſolutio ex damnatione hujus propoſitionis, quæ eſt la 38. inter damnatas ab Innoc. XI. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva Furta: quantumvis ſit magna ſumma totalis.* — Hæc propoſitio eſt falſa, & ſcandaloſa; ergo ejus contradictoria erit vera, & bona; nempe: *Tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere ablatum per parva Furta, quotieſcumque ſit magna ſumma totalis.*

Quæro X. *Qualis, & quanta erit cenſenda ſumma notabilis ſufficiens ad mortale, quoties per parva Furta res alienæ furantur?*

℟. Uni-

Digitized by Google

32 ℞. Univerſaliter, ſi quis furetur plura parva ſive eidem domino, ſive diverſis, ad contrahendum peccatum mortale in genere Furti major quantitas requiritur, quàm illa, quæ ſimul ablata conſtitueret materiam peccati mortalis, ad minimum plus dimidio; ideſt, debet ſuperare quantitatem ordinariam ſaltem plus dimidio. V. G. Quantitas gravis ſimul ablata Titio eſt valor trium Juliorum; ergo quantitas aggregata ex pluribus Furtis parvis, debebit aſcendere ad valorem ſaltem quinque Juliorum. Ratio eſt: quia Dominus non eſt ita invitus ad Furta parva ſucceſſivè facta, quàm ad Furtum rei notabilis ſimul factum: & ordinariè non tantum ſentit damnum. *Item*. Major requiritur quantitas, ſi plura illa Furta diverſis perſonis, aut dominis fiant, quàm ſi eidem uni; quia tunc omnes, & ſinguli non tam grave damnum patiuntur, & ſic minùs inviti ſunt. -- *Item*. Eò etiam major requiritur quantitas in parvis Furtis factis ſive eidem, ſive diverſis dominis, quantò fiunt per majora temporum intervalla: quia eò magis deficit unius damni connexio cum cæteris præteritis, minuſque damnum ſentiunt domini, ſicque minùs inviti cenſentur.

33 *Unde reſolves*: Licèt V. G. valor unius Scuti, vel Ducati, vel Aurei ſimul, aut ſucceſſivè brevi tempore ablatus alicui mediocriter diviti conſtitueret peccati mortalis materiam; attamen idem valor ſucceſſivè per longum tempus, ut puta duorum, vel trium annorum intervallo, ſurreptus non concreſcit in materiam gravem peccati mortalis. -- Et ſi pluribus diſtinctis dominis tanto temporum intervallo (abſque diteſcendi, aut continuandi propoſito) talia Furta minuta fierent, etiam duo, vel tres aurei vix ſufficerent ad peccatum mortale. Quæ tamen omnia prudentis, & probi viri, vel Confeſſarii judicio relinquuntur examinanda. Ut ex Molina, Sanchez, Lugo, Jo: Medina, Leſſio, Laymanno, docent P. Sporer, *loc. cit. num.* 44. & Anacletus, *loc. cit. qu.* 2. *num.* 21.)

34 Confeſſarius autem inducere, & obligare debet pœnitentes illos, qui fraudantes pondera, menſuras &c. multa modica furati ſunt, ut reſtitutionem faciant iis; à quibus acceperunt, quantum poſſunt: V. G. in ſimili occaſione augendo eis pondera, menſuras, &c. -- Et famuli, vel ruſtici, qui minuta furta commiſerunt, ut minutim pro poſſe ſuppleant Dominis ſuis: aut ſi iſti Domini ignorentur, vel ampliùs inveniri nequeant, talia pauperibus erogent; niſi & ipſi ſint pauperes, & impotentes; nam ad impoſſibile nemo tenetur.

Quæro XI. *Plures tranſeuntes vineam proximi ſui, ſinguli paucos botros, vel racemos uvæ decerpunt: plures intrantes cellam vinariam, ſinguli furtivè modicum bibunt vinum: plures famuli eidem domino, ſinguli modicam ſubtrahunt pecuniam, &c. ita tamen, ut omnia hæc ſimul ſumpta conficiant quantitatem notabilem in grave detrimentum domini*. Quæro (inquam) quantum ſinguli peccent, & ad quid obligentur? Quod idem eſt, ac quærere; Quid de Furtis minutis factis eidem domino à diverſis furibus ſit ſentiendum?

℞. Certum eſt, ſi plures de communi conſenſu vel conſilio, vel cooperatione ita furentur, ſingulos peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem in ſolidum: quia ſinguli tunc ſunt cauſa moralis, & efficax totius damni. Quòd ſi unus primus incipiens hujuſmodi Furtum minutum, ſolo exemplo ſuo aliis cauſa fuit, ut & iſti illud damnum inferrent; utique etiam peccavit mortaliter, & ex charitate ſaltem ſub mortali tenetur ad compenſandam partem à ſe ablatam, ſi adſit ſpes probabilis, quòd alii ſint compenſaturi: ut cum aliis DD. obſervat Layman, *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. 35

Difficultas ſolùm eſt, utrùm, quando quis ſciens, alios quoque modica furari, vel furatos eſſe tali domino, nihilominus & ipſe modica furatur, abſque omni conſenſu, cooperatione, vel influxu in aliorum furta; utrùm, inquam, peccet mortaliter, & reſtituere teneatur ſuam partem ex eo quòd advertat, ſuo, & aliorum Furto notabile damnum inferri proximo. 36

Affirmativam ſententiam tenent Navarrus, Medina, Major, Sayrus, Vaſquez, Corduba, Angelus, Molina, & Filliuccius *tract.* 32. *cap.* 10. *num.* 149. Ratio tota eſt, quia talis ſciens cooperatur ad tale grave damnum proximi; ergo &c.

Oppoſitam verò ſententiam negativam, quæ videtur probabilior, tenent Leſſius, Sanchez, Tanner, Lugo, & Diana, *parte* 2. *tract.* 17. *reſol.* 42. cum noſtro Sporerio *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 47. Ratio eſt: quia

talis

talis nec infert illud grave damnum ratione ſui Furti ſecundùm ſe, quod modicum, & veniale eſſe ſupponitur: nec ratione ſui Furti ut conjuncti cum Furtis aliorum: quia ſuo Furto nequaquam cooperatur ullo modo efficaci ad Furta cæterorum, & illud grave damnum ex omnibus reſultans non cauſatur per ſuum Furtum, ſed per aliorum Furta, quibus nullo modo cauſam dedit. Alioquin ſequeretur, te peccaſſe mortaliter furando, V.G. duos bajochos Titio, cui ſcis antea ſocium tuum furatum fuiſſe viginti octo bajochos; data hypotheſi, quòd triginta bajochi eſſent materia Furti mortalis: & ſocium tuum peccaſſe venialiter tantùm: quod abſurdum videtur apud omnes DD. Ergo in caſu noſtro poteſt defendi prædicta opinio ſecunda, ut valdè probabilis.

Ad rationem autem prædictam: *Omnis ſciens, cooperans ad grave damnum proximi, peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem ſub culpa gravi.* Reſpondetur. Eſt verum, quando talis influit moraliter, vel phyſicè in totum damnum: aut per ſe graviter damnificat: non autem ſi leviter tantùm; ut eſt in propoſito caſu.

Quæro XII. *Quid de Furtis Domeſticorum, Uxorum, Filiorum, Religioſorum, & Famulorum judicandum eſt?*

37 ℞. Ut mortalia ſint, regulariter requiritur major quantitas materiæ, quàm in Furtis extraneorum. In hoc Omnes DD. conveniunt. Ratio omnium eſt: quia Dominus, Paterfamilias, Maritus, Prælatus non cenſentur ita inviti, nec volunt jus ſuum ita ſtrictè tenere adversùs Domeſticos, Uxorem, Filios, Subditos, & Famulos ſuos, ſicut adversùs extraneos. Et plerumque non tam ratione rei acceptæ, & quoad ſubſtantiam apparent inviti, quàm ratione modi accipiendi, ſcilicet clam, furtim, non petita licentia: aut ratione mali finis, V. G. ut luſu, luxu, potatione, crapula &c. perdant, vel conſumant. *Ita DD. citati cum communi.* Inſuper Pietas, V.G. Patris in Filios, Mariti in Uxorem, Prælati in ſubditum &c. diminuit involuntarium; Pius enim Parens non facilè credendus eſt, velle eſſe ita invitus, ut Furta non nimis gravia imputentur ad peccatum mortale, & conſequenter ad æternam damnationem ſuorum filiorum.

38 Id etiam apud omnes DD. citatos reperies conceſſum, & aſſertum, nempè Filiosfamilias, quemadmodum & Religioſos, raro peccare mortaliter auferendo eſculenta, & poculenta, ideſt, res comeſtibiles, & potabiles, dummodò ipſimet abſumant, & non aliis divendant, vel prodigant, etiamſi ſucceſſivè ad magnam quantitatem perveniant, ſecluſo gravi damno familiæ.

39 Quantitas autem rerum ablatarum à prædictis ſufficiens ad peccatum mortale menſuranda eſt à prudentia Confeſſarii ex circumſtantiis perſonarum, locorum, divitiarum, &c. vel ex ſtatu, & facultatibus Parentis, ejus genio, & affectu in filios, ex pluralitate filiorum, & filiarum, ex filii accipientis ætate, exercitio &c. ex rei acceptæ uſu, vel abuſu &c. ſemper tamen vitando extrema; ita ut nec temerè peccati mortalis ſcrupulus pœnitentibus injiciatur, nec etiam anſa præbeatur ad nimium de bonis Parentum, cæterorumque prædictorum conſumendum, & diſſipandum.... Una enim certa menſura propria ſingulis aſſignari non poteſt, quidquid conentur Doctores Morales in hac materia.

40 Nihilominus ad hoc, ut Confeſſarius Novitius poſſit aliqualem habere regulam judicandi, & diſcernendi materiam gravem à levi, tranſcribam placita nonnullorum DD. At in primis memoriæ commenda: notabilem quantitatem abſolutam, quæ ablata per Furtum à quocumque, etiam ditiſſimo, eſt ſufficiens ad mortale peccatum conſtituendum: & *eſt valor duorum, vel trium Aureorum. Item.* recogita notabilem quantitatem reſpectivam, quæ *eſt valor victus unius diei* reſpectu illius perſonæ, cui furatur: & hæc variatur pro diverſitate conditionis, ſtatus, & officii perſonarum. V.G. Quis furatur alicui Diviti valorem unius Aurei; erit materia notabilis; quia hæc quantitas pecuniæ cenſetur ſufficiens ad victum illius Divitis. Quis furatur alteri mediocriter Diviti valorem quinque Juliorum: erit pariter materia notabilis reſpectu iſtius perſonæ: quia cenſetur ſufficiens ad victum ejus. Quis furatur alicui Artifici mechanico valorem trium Juliorum: erit quoque materia notabilis reſpectu hujus; inde enim commodè victitat, & hæc ſumma quaſi æquat mercedem diurni laboris iſtius. Et tandem quis furatur cuipiam pauperi operario valorem unius Julii: erit ſuf-

Digitized by Google

ſufficiens materia gravis, quia tanta quantitas ſufficit illi ad victum unius diei. – Item recordare, quòd ad peccatum mortale Furti parvi, ſed replicati, nempè multorum minutorum ſucceſſivè ablatorum, requiritur major quantitas, & tanto major, quantò major eſt longitudo temporis interpoſiti ab uno ad aliud furtulum. V. G. Si quis mortiferè peccaret furando unica vice decem Julios Diviti, requirerentur ſexdecim, aut decem & octo, aut viginti Julii ad conſtituendum mortale per furta minuta ſucceſſivè, & caſualiter ablati eidem Diviti.

41 Et ex his colliges; quanta ſumma circumcirca requiratur ad conſtituendum mortale in furtis, ſive unica, ſive pluribus vicibus perpetratis à Filiisfamilias, Uxoribus, domeſticis &c. Non aliam poſſum tibi præbere regulam; quia variatis circumſtantiis, variatur caſus; ergo & judicium Confeſſarii. Tu igitur, Confeſſor tyro, ſciens quantitatem notabilem requiſitam ad Furta mortalia Filiorumfamilias, debere excedere regulariter quantitatem Furtorum mortalium, quæ ab extraneis fiunt, conſiderabis conditionem, & ſtatum pœnitentiũm tuorum, & juxta prædictam diverſitatem Perſonarum judicabis, & æſtimabis prudenter, an hæc materia ablata ſit gravis, & notabilis, an verò levis, & modica? V. G. venit ad pedes tuos Filius alicujus ruſtici agricolæ, & confitetur, ſe furatum eſſe de bonis domeſticis valorem unius Julii. Poteris prudenter formare judicium, hanc fuiſſe materiam levem, quia major quantitas requiritur in Filio furante, quàm in extraneo, qui ſi furatus eſſet valorem unius Julii tali ruſtico agricolæ utique graviter peccaſſet; & ſic de cæteris &c. *Item*. Venit Villicus conductor, qui fatetur, ſe clam abſtuliſſe de bonis Domini ſui valorem duorum Juliorum. Si vis benè judicare, interroga illum de ſtatu illius Domini, qui paſſus eſt tale damnum, quòd ſi repereris eum eſſe Divitem, judicabis intra te, illam non fuiſſe notabilem quantitatem ad mortale ſufficientem; & ſic de ſimilibus &c.

42 *Petes*: Quantumne poteſt Furtum Filiorum excedere quantitatem notabilem Furti extraneorum? ℞. Quia certa regula aſſignari non poteſt in hac materia, nec à Doctoribus (quos hìc, & nunc habeo ad manus) aliquid determinatur; ideò, ſalvo ſemper meliori judicio, dico, quòd, conſideratis opibus Patris, conditione perſonarum, amore naturali Parentum, indulgentia Patris in filios, & penſatis aliis penſandis, mihi videtur, Furtum Filiorum, ad hoc, ut mortale judicetur, *debere excedere plus dimidio, vel etiam duplo* quantitatem notabilem Furti, quæ ſufficit ad peccatum mortale reſpectu extraneorum. Ratio eſt: quia lumen rationis rectæ dictat, Patrem juſtum, ac pium plus debere invitum eſſe in furto *ut duo* ſibi facto ab aliquo extraneo, quàm in furto *ut quatuor* facto ſibi à proprio filio, ergo rationabilis videtur mea reſolutio in gratiam novi Confeſſarii, qui non eſt verſatus in libris.

Quæro XIII. *Qui non poteſt habere rem ſibi debitam, poteſtne licitè ſibi facere compenſationem, aut furtivè ſibi ſatisfacere?*

℞. I. Summa Angelica *V. Furtum*, *n.* 40. dicit, quòd ſic: & hoc verum credit, ſi nullum iſtorum quatuor concurrit. I. Quòd quis poſſit Judice ſententiante rem ſuam rehabere: quia nemo debet ſibi Jus dicere. II. Quòd ſit ſcandalum ſui, vel proximi innocentis, cujus fortè cuſtodiæ erat res commendata. III. Periculum mortis corporalis, vel alterius læſionis magnæ. IV. Periculum mortalis peccati, V. G. perjurii, & hujuſmodi. Quia aliquo iſtorum interveniente, non licet; imò ſi accepit, & imminet aliquod iſtorum, tenetur reſtituere: quod probat variis textibus legis ibi citatis, quos omitto, ne confundam mentem legentis, & non intelligentis hujuſmodi citationes legales. 43

℞. II. Summa Sylveſtrina, *V. Furtum*, *n* 17. docet pariter affirmativè, & dicit, quòd licèt talis peccet in modo accipiendi; tamen reſtituere non tenetur. Ad hoc autem, quòd non peccet, multa requiruntur, quæ videntur reduci ad iſta ſex. I. Quòd quis non ſit dubius, an debeat habere talem rem; ſed ſuum creditum ſit ſibi liquidum; quia actori probatio incumbit; aliàs ſe exponeret periculo furti; indecens enim eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut in re dubia detur certa ſententia. II. quòd non poſſit ſuum habere in Judicio: quod tunc eſt, quando non habet aliquem, qui velit, aut poſſit teſtificari; aut quando non ſperat probabiliter juſtitiam: aut quando res eſt modica, & expenſæ judiciales multæ. III. Quòd non ſit veriſimile ſequi ſcandalum, aut 44

gra-

gravamen aliis; quia nemo debet cum alterius jactura locupletari. IV. Quòd non immineat illi periculum famæ ex hoc, quòd res probabiliter ventura ſit ad lucem; quia qui fidens conſcientiæ famam ſuam negligit, nimis crudelis eſt. V. Quòd non immineat periculum propriæ perſonæ: quia hoc eſſet tentare Deum. VI. Quòd conſcientia ſit ſtabilita: ſic quòd nec aliquid fiat contra eam, nec putet, ſe venturum in tentationem peccati mortalis, paratus ſcilicet perjurare, ſi interrogaretur. Peccat ergo contra prædicta ſibi Jus faciens: ſed ſatisfacere poſtea non tenetur, niſi plus debito accepiſſet: vel niſi, non reſtituendo, immineret aliquid de prædictis malis, cui obviaretur reſtituendo.

45 ℟. III. Summa Theol. Anacleti Reiffenſtuel, *tract. 9. diſt 5. quæſt 6. à numer.* 117. dicit, quòd cauſa excuſans à Reſtitutione, eſt compenſatio; ſi videlicet quis abſtulit quidpiam ab eo, qui tantumdem ſibi tenebatur ſolvere. Verumtamen ſciendum, quòd ejuſmodi occulta compenſatio in Foro conſcientiæ non ſit licita, niſi concurrentibus ſequentibus conditionibus, quarum *Prima*, eſt, Ut debitum ſit certum: ideſt, ut moraliter conſtet, rem eſſe tuam, aut tibi ex Juſtitia deberi; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ſicque non licet, mediante occulta compenſatione, alterum privare ſua poſſeſſione, ſi res illa non eſt debita ex Juſtitia, ſed ſolùm ex gratitudine; nam gratitudo non inducit ſtrictè, & proprie debitum. *Secunda*, ut non poſſis rem tuam alia ratione recuperare, vel ſaltem non abſque notabili moleſtia, aut expenſis, aut amiſſione favoris, vel benevolentiæ, aut honoris. V. G. Si debitum quidem ſit certum, ſed tibi deſunt probationes: tunc locus erit occultæ compenſationi; quia alia tibi non apparet via habendi rem tuam. *Tertia*, ut non fiat compenſatio in re alterius, ſed tantùm in re ipſius debitoris: nam compenſatio juſta non aliunde, ſed ex bonis debitoris fieri poteſt, alioquin Tertius injuſtè gravaretur. *Quarta*, ut non plus accipiatur, quam debeatur: alias exceſſus ille foret contra Juſtitiam, ſicque in conſcientia reſtituendus. *Quinta*, ut abſit periculum ſcandali, ne videlicet compenſatio hæc alicui imputetur tamquam Furtum. *Sexta*, ut abſit periculum infamiæ, ne talis deprehenſus tamquam Fur habeatur, & puniatur; nam Judices ſolent punire tales compenſationes, ut Furta: præſertim ſi debitum non poſſit liquidò probari. Ita etiam Bonacina, *tom. 2. diſp. 1. de reſtit. quæſt. ult. punct. 2. à num.* 10. Leſſius, *lib. 2. cap. 12. num. 57.*

℟. IV. Summa Theol. Moral. Patritii Sporer, *tom. 2. tract. 5. cap. 5. ſect. 3. à numer.* 70. *& ſeqq.* ait: Juſta, & licita eſt 46
occulta compenſatio debiti certi: utpotè, vel ipſammet rem tibi debitam occultè rapiendo: aut æquivalens ex bonis debitoris auferendo: aut ex ejuſdem bonis apud te exiſtentibus retinendo; dummodò adſint debitæ conditiones. Ratio hujus aſſertionis eſt: quia eo caſu nulla infertur injuria ipſi debitori: nam ſolùm aufertur ab eo, quod non ampliùs ſuum, ſed jure alterius eſt. Neque enim eſt injuriæ vendicatio, ſed potiùs defenſio juſta ab injuria, qua te continuò vexat debitor, rem tuam, vel tibi debitam injuſtè tamdiù retinendo, ſcilicet id, ad quod jus habes ex Juſtitia, V. G. mutuum, pretium, mercedem, &c. Eſtque recuperatio illius, quod tuum eſt, vel tibi debetur, & ab altero injuſtè detinetur, quod alio modo recuperare non vales commodè; quod Jure Naturæ omnibus licere debet, quo unicuique licet, ſe indemnem ſervare quovis modo citra novam injuriam alterius. Sed ſic eſt, quòd hìc agitur de tua indemnitate, ſeu de recuperatione juſti debiti, aliàs, & aliter non facilè recuperandi, idque citra omnem injuriam alterius: ergo &c. Nec eſt præjudicium Judicis: quia ſupponitur tale debitum per Judicis ſententiam commodè recuperari non poſſe, ſive ob defectum probationis, ſive ob iniquitatem, vel avaritiam debitoris, vel ipſius Judicis: quo caſu, & jus Naturale permittit, & rationabiliter præſumitur, Leges humanas non prohibere, occultam compenſationem ſibi facere, aliàs per ſententiam Judicis faciendam: quòd ſi prohiberent, certè injuſtæ eſſent. — Unde ſequitur, talem occultè ſic compenſantem minimè eſſe Furem in foro conſcientiæ: neque incurrere Excommunicationem, aut aliam Cenſuram fortè in Furantes latam: ac in Judicio vocatum poſſe licitè jurare, ſe nihil alterius abſtuliſſe: quia quod ſuum erat, accepit: mihique licet accipere rem meam apud quemcumque inventam, quando certò ſcio, rem

Digitized by Google

rem eſſe meam ; ergo Furti crimen non commiſit, qui ſibi juſtè compenſavit. – Inſuper is ſtatim ac rem per compenſationem ſibi vindicat, facit eam omninò ſuam; unde ſi poſtea res pereat, ſibi perit: quia nimirùm omnis res, quæ perit, ſuo domino perit: & res ſemper clamat ad dominum ſuum. Ita Communis DD. Vide Navarrum, *cap.* 17. *num.* 112. – Molinam, *diſp.* 69. Leſſium, & alios – Lege Tannerum, *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *dub.* 4. – Lugonem Card. *diſp.* 16. *ſect.* 5. – Dianam, *part.* 2 *tract.* 16. *reſol.* 46. – Tamburinum, *lib.* 8. *tr.* 2. *cap.* 5. §. 1. – D. Thomam, 2. 2. *qu.* 66. *art.* 5.

47 Volui, hanc Reſolutionem corroborare tot citationibus Doctorum veterum, ac modernorum; quia lis magna mihi fuit cum quibuſdam Divitibus acriter defendentibus non eſſe licitam occultam compenſationem, quam ſolent facere eorum Ruſtici, quando iſti à Dominis ſuis angariantur, &c. De quibus benè dixit Eccleſiaſticus, cap. 13. *Paſcua Divitum ſunt pauperes*. Et David Pſal. 13. *Qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis*: Ubi Ugo de S. Charo gloſſat: *Sicut eſcam panis*, ideſt, quotidie devorant, ſicut eſca panis quotidie ſumitur.

Quæro XIV. *Famuli, & Officiales minùs juſto ſtipendium accipientes, poſſuntne licitè ſibi occultè compenſare ad æqualitatem juſti ſtipendii faciendam?*

48 ℞. I. Quando liquidò conſtat de injuſtitla ſtipendii, ſervatis conditionibus ſuprà poſitis, dico, quòd ſic. Ratio eſt: quia famulis, & officialibus ex juſtitia debetur æquale ſtipendium ſuis laboribus; niſi ipſimet ſpontè remittere, vel pro minori ſervire velint, ſicut poſſent etiam gratis ſervire: ergo ſicut qui errore, vel fraude inductus, vel neceſſitate coactus mercem ſuam minoris juſto vendidit, in foro conſcientiæ poteſt pretii juſti defectum exigere: & ſi aliter recuperare non poſſit, occultè compenſare, ut omnes concedunt; ita eadem ratione famulus, vel officialis, qui ob errorem, fraudem, neceſſitatem, (vel aliam ſimilem cauſam) operam ſuam minoris juſto locavit: maximè quando Dominus pactam mercedem vel in toto, vel in parte ſolvere nollet, (quia ſaltem ſecundùm quid famulus involuntarius, fuit, adeòque animum donandi non habuit,) poterit defectum ſtipendii jure exigere: & ſi alia via habere nequeat, occultè ſibi compenſare. Et dominus ille ſibi ipſi imputat, quòd minori pretio famulum ſervire cogens, occaſionem præbeat tali occultæ compenſationi.

Idemque dicendum, quoties dominus 49
famulis, & ancillis ſuis, conſiderato eorum labore, loci conſuetudine, & neceſſitate, non præbet eis ſufficientem victum, atque iſti miſeri ſæpiùs monendo, orando, ſupplicando Dominum ſuum, conſequi non potuerunt quod ſibi debitum eſt; tunc etiam licite uti poterunt aliqua juſta, & occulta compenſatione. Ita communis DD. cit.

℞. II. Ne autem hujuſmodi famulis, 50
& officialibus laxentur habenæ ad Furta domeſtica ſub colore juſtæ compenſationis, Innocentius Papa XI. hanc inter alias, ordine la 37. Propoſitionem damnavit, quæ dicebat: *Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*. – Et meritò dicta theſis, ſicut jacet, tamquam ſcandaloſa, & in praxi pernicioſa damnata fuit: quia nimis erat inductiva ad plurima Furta: eò præſertim, quòd judicium de inſufficientia ſalarii relinquebat ipſis famulis, qui, ſtante quocumque dubio, ob naturalem erga ſe ipſos affectum, facilè pro ſe judicarent; cùm tamen nemo eſſe poſſit judex in propria cauſa. Accedit, quòd iniquum ſit, Patremfamilias, vel Dominum, qui eſt in poſſeſſione ſuorum bonorum, ſuperveniente dubio de juſtitia ſalarii, per occultam ſurreptionem famulorum à dicta ſuorum bonorum pacifica poſſeſſione deturbare, contra illud Axioma: *In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*, ut habetur arg. c. In pari, de reg. Jur. in 6. Vide Joann. de Cardenas *in Criſi Theol. ad propoſit. 37. damnat. à num.* 38.

Quæro XV. *Furans ex neceſſitate rem notabilem, peccatne mortaliter?*

℞. I. Qui accipit rem tempore extre- 51
mæ ſuæ neceſſitatis, V. G. cibum, veſtitum, ligna, & hujuſmodi res, non peccat; quia tunc non furatur, vel non committit furtum propriè dictum: eò quòd non contrectat rem invito domino; quia tempore neceſſitatis extremæ omnia ſunt communia, puta ad vitam neceſſaria: ut habetur, *diſt.* 47. *ſicut hi*. – & *cap. Diſcipulos: de Conſ. diſt.* 5. Quia in tanto periculo

Digitized by Google

culo reduci debet ad Jus Naturale, quod vult omnia eſſe communia, ut erant in principio mundi. Unde manifeſtè ſequitur, quòd ſi iſte poſtea venerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur reſtituere, maximè ſi res ſit conſumpta; quia habebat jus in re accepta, & de Jure Naturæ talis res ablata ſua facta eſt. Ita Communis DD.

52 ℞. *II.* In neceſſitate autem gravi, vel communi accipiens rem notabilem, peccat mortaliter; quia tunc verè furatur; nam dominus illius rei eſt rationabiliter invitus. Tum quia ſi concederetur licentia ſurripiendi alienum in omni gravi, aut communi neceſſitate, totus mundus plenus foret Furtis, & daretur anſa non ſolùm veris pauperibus, verùm etiam quibuſvis aliis, qui gravem, aut communem patiuntur neceſſitatem accipiendi alienum; ſicque auferretur eleemoſyna, vel jus petendi auxilium à divitibus, aut mutuum ab amicis: nullúſque pauper, aut miſer vellet mendicare, ſed ſuis manibus abripere omnia ſibi neceſſaria. Quod eſſet confuſio magna, & deſtructio Reipublicæ, &c. eò quòd tales neceſſitates crebriùs occurrere ſolent, noſtriſque temporibus, ubi paupertas ſemper in dies creſcit, creſcerent quoque Furta, & Latrocinia ſub prætextu gravis neceſſitatis facta. Quare Innocentius Papa XI. inter alias Propoſitiones damnavit etiam hanc, ordine la 36. *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

Quæro XVI. *Quænam eſt iſta extrema neceſſitas?*

53 ℞. Eſt illa, quæ verſatur circa ea, quæ natura æquali jure omnibus omnia voluit eſſe communia: Ut vita, fama, libertas. V. G. Si quis ſit certè moriturus, vel graviſſimo morbo conficiendus, vel fame, aut frigore necandus, vel ab hoſte, aut latrone occidendus: aliudve graviſſimum, & morti moraliter æquivalens malum incurſurus, niſi ſibi pecuniam, panem, veſtem, ligna, medicamentum, inſtrumentum, vel quid tunc ſibi omninò neceſſarium provideat, accipiat, uſucapiat: nec adſit alia via, nec alius modus, nec aliud medium ſibi opitulandi, ac periculum ſit in mora. Ita Card. de Lugo cum communi, *diſput. 16. ſect. 6. de Juſt. & jure.*

Quæro XVII. *Quænam verò eſt ſola gravis neceſſitas?*

54 ℞. Eſt illa, qua poſita homo ſolùm periclitatur in ſtatu, & eſſe meliori: ut puta, ſi deberet amittere ſuum ſtatum aliàs juſtè acquiſitum, & cogi laborare, ſervire, mendicare, niſi opportuno ſubſidio adjuvetur, — Ecce tibi brevis, & clara differentia inter neceſſitatem gravem, & extremam. *Extrema* facit periclitari hominem in natura: *Gravis* verò in ſtatu. *Prima* eſt neceſſitas ſimpliciter; *Secunda* autem ſecundùm quid.

Quæro XVIII. *In pari neceſſitate extrema, quid jure agendum?*

55 ℞. Tunc qui habet dominium, & poſſeſſionem legitimam rei, non debet ſpoliari, nec privari. Quia is tunc duplici jure rem detinet ſuam; primò, propter æqualem extremam neceſſitatem; ſecundò, propter dominium, ac poſſeſſionem rei, a qua non cecidit, & cui non ceſſit. Ita Scotus Doctor ſubtilis, *in 4. diſt. 15. qu. 2. ad 5.* cum communi DD.

Dices. Uniſquiſque magis debet diligere ſe ipſum, quàm proximum; ergo in pari neceſſitate vitæ, debeo magis meam, quàm alterius vitam ſervare; & hoc jure naturæ. ℞. Id intelligendum eſt de dilectione ordinata; talis autem non foret, ſi quis magis vellet conſervationem etiam injuſtam vitæ ſuæ, quàm conſervationem juſtam vitæ proximi ſui. Unde, non obſtante amore naturali ſui ipſius, magis debet Latro ſuſtinere patienter ſuſpendium, & mortem, quàm occidere ſuſpendentem, ut evadat. Ita à ſimili in caſu noſtro diſcurrendum eſt.

Quæro XIX. *Sola voluntas furandi conſtituitne hominem Furem?*

56 ℞. Non, quoad homines; ſic verò, quoad Deum. Non quoad homines; quia oportet, ut ſit contrectatio rei alienæ. Sic, quoad Deum; quia eſt contra Præceptum Nonum Decalogi: *Non concupiſces rem proximi tui*; tum quia mala voluntas facit hominem malum in eadem ſpecie mali; ergo &c.

Quæro XX. *Eſtne Fur, qui accipit rem Domino videnti, & non contradicenti?*

57 ℞. Si non contradicit ex timore, aut verecundia, perinde eſt, ac ſi contradiceret: aliàs videtur conſentire tacitè, vel expreſsè: & ſcienti, & non contradicenti nulla ſit injuria; ergo &c.

Quæro XXI. *Qui ſolum uſum rei alienæ uſurpat, eſtne Fur?*

58 ℞. Quod ſic; V. G. Utens re depoſita,

vel

Digitized by Google

vel re commodata ad alium uſum &c. Et tenetur ad reſtitutionem æſtimationis ipſius uſus. — V. Angelum in Summa, V. Furtum, *n.* 10

Quæro XXII. *Poteſtne committi Furtum in Contractibus, & Negotiis?*

59 ℞. Affirmativè, & hoc dupliciter. *Primò*, per dolum. Ut dum quis alterum decipit circa rei ſubſtantiam, qualitatem, valorem, vel pretium. *Secundò*, per vim, vel metum: dum quis alterum cogit ad contractum injuſtum, eique damnoſum. Et talis contractus prædictis modis initus, vel factus ſpectat ad rapinam materialiter, quatenùs videnti, & ſcienti infertur per vim injuria, ac damnum: etſi deficiat formaliter. Primo verò modo factus contractus formaliter ſpectat ad Furtum, licèt materialiter deficiat, quatenus ille uſurpat rem alienam, non ignaro omninò domino, ſed non vidente injuriam aut damnum ſibi factum dolosè. Ideoque apud Theologos in foro conſcientiæ eadem eſt ratio & culpæ, & obligationis in ejuſmodi contractibus damnoſis, ac in Furto, vel Rapina: quidquid in foro externo Juriſtæ diſtinguant. V. Sporerium, *tom.* 2. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 14.

Quæro XXIII. *Quid eſt damnificatio injuſta?*

60 ℞. *I.* Eſt cùm quis ſive occultè, ſive manifeſtè, injuſtè infert damnum Tertio, deſtruendo, vel deteriorando rem alienam, invito domino. Unde dicitur damnificatio non lucroſa, ad differentiam Furti propriè, & ſtrictè capti, quod fit animo lucrandi, & fruendi. Qui enim tantùm damnificat, nullum reale capit lucrum vel commodum ex re damnificata. Ut patet de comburente ſilvam, aut ſegetem alterius.

61 ℞. *II.* Damnificatio dividitur in Inculpatam, & Culpatam. Culpata item dividitur in Culpatam culpa theologica, & Culpatam culpa civili tantùm.

Damnificatio inculpata dicitur, quando nulla omninò culpa interveniente, damnum proximo infertur. Quod variis modis poteſt contingere. Vel quia damnificans non eſt capax culpæ, ut infans, vel furioſus, vel ebrius, &c. Vel quia juſta adeſt cauſa damni inferendi: ut in bello juſto defenſivo, vel offenſivo, vel ſi fiat damnum uni, ne majus damnum eidem, vel pluribus contingat, V. G. incenſa eſt pars domus Titii, & tu partem nondum ardentem deſtruis, ne ædes contiguæ comburantur, vel ne ignis latiùs diffuſus majus damnum inferat Titio. Et hoc etiam jura ſtatuunt. Quibus in caſibus utique, ſicut nulla culpa, ſic nulla reſtitutionis, ſeu damni reſarciendi obligatio contrahitur.

Damnificatio culpata per culpam theologicam (ſeu per verum peccatum) dicitur 62
illa, qua damnum infertur cum aliqua voluntate nocendi, aut damnificandi directè, vel indirectè. *Directè*, nempè ex propoſito volendi nocere. *Indirectè*, nempè in cauſa poſita, vel non amota nocendi; qui enim vult cauſam, vult etiam ſaltem indirectè effectum prævifum. Et ex hac damnificatione theologicè culpabili omni jure, naturali, & poſitivo, oritur obligatio reſtituendi, ſeu damnum reſarciendi: eaque obligatio, etiam ante conteſtationem litis, ad hæredes tranſmittitur, jure naturali, civili, & Canonico.

Damnificatio culpata per culpam tantùm civilem, dicitur, qua, ſecluſa etiam 63
omni voluntate nocendi proximo, omnique actione, vel omiſſione culpabili coram Deo, nihilominus damnum proximo infertur ex aliqua tua actione, vel omiſſione defectuoſa contra exactum modum agendi humanum. — Definitur enim hæc culpa civilis, ſeu politica ſic: *Eſt defectus ab eo, quod bonum, & æquum eſt, ac humana diligentia præſtari poterat.* Et quidem in foro externo, quiſquis ex culpa civili tantùm damnum alteri dedit, ad ejus integram compenſationem compelli poteſt à Judice per actionem Legis Aquiliæ: ut habetur, *de damno dato, ff. & inſtit. ad L. Aquiliam.*

Attamen Jure naturali in Foro Con- 64
ſcientiæ, & ante Judicis ſententiam non oritur hujuſmodi obligatio: atque ad nihil obligatus eſt, qui abſque culpa theologica quodcumque damnum dedit; niſi præceſſerit pactum, aut ſequatur ſententia Judicis. Ratio eſt, quia talis obligatio (ſi adeſſet) oriretur aut ex Legum Civilium conſtitutione, ex pacto aliquo antecedente; atqui non oritur à Legibus Civilibus talis obligatio in conſcientia: quia Leges illæ inſtitutæ ſunt ad Cives cautiores, ac diligentiores reddendos, & reſpiciunt quamcumque omiſſionem cautelæ, omnemque negligentiam in hujuſmodi damnis, adeòque quaſi pœnales ſunt;

Digitized by Google

ſunt; ſed ſic eſt, quòd Legibus pœnalibus commune eſt, ut non obligent ante judicis ſententiam, ſeu condemnationem; ergo &c. – Neque hìc ſupponitur ullum pactum interceſſiſſe; quòd ſi interceſſerit, tunc communis D. D. ſententia eſt, damnificantem obligari ex culpa etiam civili: ex qua autem, an ſcilicèt ex lata, vel ex levi, vel ex leviſſima? videbimus ſuo loco *De Reſtit. Tract. 35. num. 112.*

Quæro XXIV. *Quot modis poteſt quis participare in Furto, aut Rapina, aut Damnificatione?*

65 Notandum primò, certum eſſe, (ut in principio hujus Tractatus adnotavi) quòd contra Septimum Decalogi Præceptum non tantùm peccetur per Furtum, aut Rapinam, injuſtè videlicèt alienum ſurripiendò, aut violenter rapiendo; verùm etiam per quamcumque injuſtam damnificationem Proximi in bonis fortunæ. – Dupliciter autem hoc poteſt contingere: *Primò* immediatè, ſeu per ſe ipſum id exequendo: ut ſi quis propriis manibus furetur, aut rapiat rem alienam, vel proximi ſui bona damnificet. *Secundò* mediatè, cooperando nempè ad tale Furtum aut Rapinam, aut damnificationem; & hoc multis modis fieri poteſt.

℞. Ergo. Novem ſunt modi, vel genera, quibus poteſt aliquis participare in Furto, &c. vel cooperari ad Furtum, &c. Quæ aptè comprehenduntur his verſiculis, & verbis:

„ Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Pal-
„ po, Recurſus,
„ Participans; Mutus, Non obſtans,
„ Non manifeſtans.

Quorum priores ſex modi poſitivè cooperantur ad Furtum; tres autem poſteriores negativè cooperantur, ideſt, omittendo id, quod ex officio, atque juſtitia facere tenebantur. Omnes autem has perſonas verbis, & nominibus prædictis comprehenſas oportet breviter tibi declarare, ut infrà.

66 *Juſſio*. Qui ita jubet, ut alterius animum ad Furtum perpetrandum moveat; ut V. G. Si Pater Filio, Dominus ſervo, aut aliis ſibi ſubditis jubeat furari, &c.

Conſilium. Qui ſuo pravo conſilio permovet alterum ad furandum. Item exhortationes, preces, aut promiſſiones faciens, ut alter excitetur efficaciter ad Furtum.

Conſenſus. Qui efficaciter approbat, aut dat ſuum votum, vel ſuffragium, ſicque conſentit ad tale Furtum.

Palpo. Nomine Palponis, ſeu Palpantis intelligitur adulator laudans damnificantem, aut Furtum perpetrandum commendans taliter, ut ex hoc alter moveatur ad damnificandum. Item exprobrans ignaviam alterius, ut inducat ipſum ad tale Furtum, & damnum.

Recurſus. Qui refugium, ſecuritatem, receptaculum, &c. præbet furi, ex quo is moveatur ad iterùm furandum. Et hæc aſſecuratio poteſt contingere vel receptando perſonam, vel rem ablatam, vel inſtrumenta occultando, aliiſve modis, quibus alter animatur, & efficaciter movetur ad furandum.

Participans. Qui adjuvat furem V. G. ſcalam apponendo, excubias agendo, prædam aſportando, aut aliàs ſimiles actiones exercendo, quæ in talibus circumſtantiis proximè juvant ad tale damnum inferendum. Item qui participat de re furata ſcienter, qui eam conſumit, ea utitur, eam emit, aut vendit, fit particeps Furti.

Mutus. Qui id, ad quod ex officio tenebatur, omittit. V. G. Pater non corrigendo: Conſultor non conſulendo: Cuſtos non clamando, non objurgando, quando videt damnificantem.

Non obſtans. Qui omittit operam, qua poterat damnum impedire, quamque ex officio tenebatur, navare. Ut Princeps, Magiſtratus, Præpoſitus viarum, & ſimiles, qui tenentur impedire Latrones, piratas &c.

Et non manifeſtans. Qui, cùm ex officio teneatur, omittit manifeſtare malefactorem: ſive ante factum, quando damnum erat impediendum: ſive poſt factum, quando damnum jam illatum erat reſarciendum. Ut V. G. Cuſtos deputatus, Exploratores, & ſimiles perſonæ, quibus incumbit manifeſtare, accuſare.

Iſti omnes, & ſinguli non ſolùm incurrunt reatum peccati Furti, vel Rapinæ, vel damnificationis, cooperando ad tale injuſtum opus; ſed etiam obligantur ad reſtitutionem *in ſolidum*; qui ſunt cauſa phyſica, aut ſaltem moralis efficax damni illati. Ita omnes mei DD. 67

Quæro XXV. *Eſtne Furtum, accipere occultè rem ſuam apud alium inventam?*

℞. I. Si res tua juſto aliquo titulo, aut Jure, 68

Digitized by Google

Jure, V. G. pignoris, commodati, depoſiti, locationis &c. apud alium extet, eamque occultè recuperes: peccas peccato Furti, & teneris ad reſtitutionem. Ratio eſt; quia tunc iniquè ſpolias alterum ſuo jure, quod in illam rem habebat ad certum tempus. Hoc tamen adde: ſi probabile erat, te rem illam, jure alterius finito, commodè recuperaturum, abſque diſpendio, aut lite.

R. *II.* Si verò injuſto titulo apud alium fuerit res tua, vel aliàs tibi debita: eam accipiens non teneris ad reſtitutionem, etiamſi occultè receperis; quia nulla fit inæqualitas, neque alter juſta ratione poteſt eſſe invitus; teneris tamen illum monere, ſi commodè potes, nihil ampliùs tibi deberi, ut ille ſentiat ſe non ampliùs obligari: tum ne permaneat in peccato, tum ne tibi per ſe ſatisfaciat, quando ad cor rediret, ſe habere rem alienam.

R. *III.* Peccare tamen ſic occultè recuperando rem tuam, inſcio altero; niſi illæ conditiones adeſſent, quibus poſitis, licita evadit compenſatio occulta, ut vidimus *ſuprà numero 43.* Ratio eſt; quia fieret injuria publicæ poteſtati, quæ ad hoc conſtituta eſt, ut ſingulis jus ſuum tribuat; & retribuere faciat; tum quia, tibi à temetipſo miniſtraretur Juſtitia privata; nemo autem poteſt eſſe Judex in propria cauſa quando adeſt Judex publicus, qui poſſit, ac velit adminiſtrare Juſtitiam.

Quæro XXVI. *Titius emit rem furtivam, vel furatam, teneturne reſtituere eam Domino, an Furi?*

69 R. *I.* Si bona fide eam emiſti, ubi intellexeris eſſe alienam, poteris reſcindere contractum, & ſic reddere eam Furi, a quo accepiſti, vel emiſti, ut pretium tuum recuperes: nec teneris in rigore conſcientiæ gratis domino reddere. Quia nullam injuriam intuliſti domino hanc rem emendo, & apud te retinendo: cùm bona fide egeris (ut ſupponitur:) ergo non poteſt Dominus illius rei meritò ægrè ferre, ſi tu eamdem rem reſtituas in eo ſtatu, in quo antea erat, relinquendo furi onus reſtituendi. Tum quia iſte contractus fuit nullus, quia involuntarius; error enim dedit cauſam contractui; ergo poteris contractum reſcindere. Tum quia: ſi quis inventam rem alienam in platea ſibi aſſumeret, & poſtea adverteret, eam ſibi fore damnoſam, poſſet utique reponere eamdem rem in eodem loco ad litem fugiendam: nec tenetur eam cum ſuo damno ſervare, ut Domino reſtituat, quem ignorat. Ergo à ſimili. *Ita multis citatis docet* Leonardus, Leſſius, *lib. 2. cap. 14. dub. 3. de Juſt. & jure.*

R. *II.* Si autem mala fide emiſti rem furatam, ideſt, ſciens venditorem eſſe 70
Furem, vel rem eſſe furtivam, utique peccaſti peccato furti, & reſtituere teneris vero Domino; quia connumeraris inter eos, qui ſunt ſub nomine *Recurſus*, vel *Participans*, de quibus *in L. 3. §. non tantùm: & §. conceptum, Inſtit. de obligat. ex delicto: & L. eos, C. de Furtis*: ubi dicitur; Receptatores non minùs delinquunt, quàm Aggreſſores, & Fures. Ergo &c. Tum quia rem alienam recepiſti invito domino; ergo injuſtè retines: peccaſti emendo, & peccas retinendo talem rem.

Unde non excuſantur Cauponarii ac- 71
cipientes pecuniam, vel aliam rem à Filiisfamilias, vel à famulis ſurreptam Patri, vel Domino ſuo: quando iſti ſunt rationabiliter inviti circa ſubſtantiam rei. Vide Bonacinam *de Reſt. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 9 num. 3.*

Et qui ſciens rem eſſe furtivam, eam 72
recipit celandi cauſa, Furti crimen committit, eademque pœna reus cenſetur; ergo multò magis qui eam venditin gratiam Furis, vel eam commutat, aut alienat. Quare nullo modo excuſari poſſunt à crimine Furti, & conſequenter ab obligatione reſtituendi. Qui proxenetæ officium faciunt filiisfamilias, ac famulis ad vendendas res domeſticas. Vide Laymannum, *lib 3. de juſt. tr. 2. c. 5.*

Plura videbis in ſequentibus Tractatibus qui reducuntur ad hoc Septimum Decalogi Præceptum.

TRACTATUS XXXII.

DE JUSTITIA, ET JURE.

QUæro I. *Quid eſt Juſtitia?*

1 *Reſpondeo*: Juſtitia, prout hic ſumitur, eſt una ex quatuor Virtutibus Cardinalibus, quæ rectè ordinat hominem ad alterum, dando, & reddendo cuivis id, quod ſuum eſt. -- *Vel*: Eſt conſtans, & perpetua voluntas tribuendi cuique Jus ſuum.

2 *Jus* accipitur hic pro *Juſto*, ideſt, adæquato, ac debito alteri; & ſic eſt objectum Juſtitiæ; quia hæc virtus verſatur circa debitum juſtum, & æquale reddendum, aut tribuendum proximo, qui habet Jus reale, ſeu poteſtatem legitimam exigendi rem tamquam ſuam; & unicuique in ſuum commodum referendum eſt, quod ſuum eſt.

3 *Juſtitia hæc* dividitur in Legalem, Diſtributivam, & Commutativam. *Legalis* eſt, quæ reſpicit, & procurat bonum commune Reipublicæ: & ſe extendit ad omnia, quæ à Lege ſunt ſtatuta propter commune bonum; multò enim laudabilius eſt curare bona communia, quàm curare privata.

4 *Juſtitia* Diſtributiva eſt, quæ commoda, & onera communia (ut puta Officia, Beneficia, Exactiones, Tributa &c.) diſtribuit inter partes Communitatis cum proportione Geometrica ad ſingulorum merita, vel ſecundùm conditionem ſtatus; dando, ſcilicet Majora Majoribus, & minora minoribus.

5 *Juſtitia commutativa* eſt, quæ verſatur in commutationibus rerum, pactis, & contractibus faciendis. Et hæc tunc obſervatur, quando fit commutatio rerum ſecundùm æqualitatem dati, & accepti: ideſt, conſiderando ſolùm valorem rerum ſine ullo reſpectu ad perſonas, ut V. G. tanti valeat (moraliter ſaltem) res reddenda, quanti valet res accepta: qualeſcumque tamdem ſint perſonæ contrahentes, ſive nobiles, ſive ignobiles, ſive Majores, ſive minores, ſive æquales, ſive inæquales. Sicque fit, quando V. G. quis debet alteri centum, & ipſi reddit centum, vel aliquid illi centum æquivalens.

6 Dixi: *moraliter ſaltem*: quia dicta æqualitas non ſemper debet eſſe omninò exacta, & punctualis ad unguem; ſed ſufficit æqualitas moralis, & humana, quæ habetur juxta prudentem æſtimationem hominum. Patet hoc manifeſtè in rerum venditionibus, & emptionibus, in quibus metaphyſica illa æqualitas attingi ſemper non poteſt, ſed ſola moralis æqualitas; Sic enim V. G. animal vivens, æſtimato pretio juſtè venditur, & emitur, non obſtante varietate pretii in ſua latitudine juſti; nam hoc animal; ut puta equus, æſtimabitur à peritis diverſimodo pretio V. G. trigintà quatuòr, aut triginta quinque, vel triginta ſex aureis: & quodlibet ex his pretiis juſtum erit juxtà æſtimationem peritorum; quandoquidem pretium rei naturale non conſiſtit in uno indiviſibili.

7 *Juſtitia commutativa*, *& diſtributiva* variè differunt: præcipuè verò in hoc, quòd diſtributiva ſervare debet proportionem Geometricam; commutativa autem proportionem Arithmeticam. Quia finis Juſtitiæ Commutativæ eſt, conſtituere æqualitatem inter *Datum*, *& Acceptum*, V. G. Centum reddendo pro Centum. Finis verò Juſtitiæ diſtributivæ eſt, conſtituere æqualitatem inter proportionem, & proportionem; ut nimirùm talis ſit proportio inter res, & onera, quæ diſtribuuntur, qualis eſt proportio inter conditiones perſonarum, quibus illæ res, & onera diſtribuuntur: ut Majora Majoribus, minora minoribus aſſignentur.

8 *Arithmetica proportio* eſt vera æqualitas rei ad rem, ut puta centum ad centum: aut alterius juſti pretii ad rem emptam juxta æſtimationem prudentem hominum peritorum. — *Geometrica proportio* eſt, qua ſingulis tribuitur id, quod quiſque debet habere, cum inæqualitate tamen; juxta ſcilicet inæqualitatem perſonarum, & cum

Digitized by Google

& cum proportione ad ſtatum, & conditionem ſingulorum.

Quæro II. *Quid eſt Jus?*

9 ℞. *I.* Eſt objectum Juſtitiæ propriæ dictæ; quia Juſtitia à *Jure* derivat; & principaliter ordinatur ad hoc *Jus* conſtituendum, alterique reddendum; proprium enim officium Juſtitiæ eſt, Jus ſuum unicuique tribuere.

10 ℞. *II. Jus* varias habet acceptiones. I. Accipitur pro facultate aliquid agendi legitimè, & inculpatè: quo modo dici ſolet, aliquem uti *Jure ſuo*, dum agit, quod licitè agere poteſt. II. Accipitur pro ſententia Judicis: ut *cap. ult. de Conſt. in 6.* ibi: *Extra territorium Jus dicenti impunè non paretur*. III. Accipitur pro ipſa Juris ſcientia: quo modo ſtudioſi, qui Jus Civile, aut Canonicum audiunt, dicuntur *Juri operam dare*: & periti in tali ſcientia *Juriſta* nominantur. IV. Accipitur pro ipſamet Lege: quo pacto Lex Jus quoddam dicitur: & dividi ſolet in Jus naturale, & poſitivum: in Jus Divinum, & humanum: in Jus Canonicum, & Civile. *Ubi nota*. Quando audis aliquem nominari *Juris utriuſque Doctorem*, intellige de Jure Canonico, & Civili. V. Accipitur tandem Jus, prout eſt objectum virtutis Juſtitiæ; & de hoc loquimur in præſenti; ſicque *Jus* eſt facultas, ſeu poteſtas legitima, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, aut ad aliquid faciendum; ita ut ab illius rei obtentione, vel retentione, vel ab illa actione facienda licitè impediri non poſſit. Vel breviùs, *Jus* eſt facultas utendi re pro libitu ſuo citra injuriam alterius.

Quæro III. *Jus taliter acceptum, prout eſt objectum Juſtitiæ, quotuplex eſt?*

11 ℞. Duplex; nempè Jus ad rem, & Jus in re. *Jus ad rem* dicitur, quo ipſa res nondum eſt affecta, ſeu obligata, aut acquiſita: ſed habetur tantùm Jus in ordine ad acquirendam poſſeſſionem, & dominium illius rei, antequàm hæc actu poſſideatur. Vel, Jus ad rem illud eſt, quod non tribuit actionem in rem ipſam, ſed tantùm in perſonam impedientem te ab illius rei conſecutione. Quale eſt Jus, quod tibi competit ex donatione erga rem tibi donatam, antequam illius rei traditio tibi fiat. *Item* Jus, quod acquiſiviſti per inſtitutionem in hæredem ante aditionem hæreditatis. *Item* Jus ad Beneficium Eccleſiaſticum per electionem, aut præſentationem. Et ſic de ſimilibus.

12 *Jus in re* dicitur illud, quod habes in re aliqua, cujus poſſeſſio, & dominium actu jam eſt tibi à te comparatum. Et hoc Jus tibi tribuit actionem in rem ipſam: quæ actio realis, rei vindicatio appellatur à Juriſtis. Quale eſt Jus, quod habes in re per donationem, emptionem & ſimiles contractus, ſecuta rei traditione. *Item* quod acquiris in Beneficio Eccleſiaſtico per actualem ejus collationem, ſeu inveſtituram, aut poſſeſſionem. Et ſic de ſimilibus.

Quæro IV. *Quot ſunt ſpecies Juris in re?*

13 ℞. Variæ ſunt ſpecies Juris in re: quarum aliquæ rem ipſam reſpiciunt, aliæ uſum ipſius rei. Species Juris in re reſpicientes ipſammet rem ſunt. I. *Dominium*; quo quis de re ſua poteſt facere quod vult, dando, vendendo, commutando &c. II. *Poſſeſſio*; quæ (ſi eſt juſta, ſimulque pacifica.) addit Dominio hoc, quòd in tali Jure dominus non impediatur, aut deturbetur, III. *Proprietas*; quæ inſuper dicit, quòd quis in Jure parem non habeat.

14 Species autem Juris reſpicientes uſum rei duæ ſunt: videlicet Uſusfructus, & Uſusjuris. *Uſusfructus* eſt Jus alienis rebus utendi, & fruendi, ſalva rerum ſubſtantia. *Uſusjuris* verò eſt Jus utendi tantùm rebus alienis, ſalva earum ſubſtantia.

15 Eſt & alia ſpecies Uſus rei, qui dicitur *Uſusfacti*, ſeu nudus rei Uſus: qui nihil Juris præbet utentibus: qualis eſt V. G. actualis equitatio in alieno equo ex permiſſione, aut licentia proprii domini: vel actualis inhabitatio domus alienæ, & hujuſmodi, &c. De quo Uſufacti fit expreſſa mentio, *c. Exiit*, §. *Nec quiſquam*, *de verb. ſignif. in 6.* ubi Pontifex ſic loquitur: *Qui inquam, uſus non Juris, ſed facti tantummodò nomen habens, quòd facti eſt tantùm, nihil Juris in utendo præbet utentibus.*

16 *Uſusfructus* differt ab Uſujuris tantùm per hoc, quòd minus Juris eſt in eo, qui habet ſolùm Uſumjuris, quàm in eo, qui habet Uſumfructum; nam *Uſuarius* (habens Uſumjuris tantùm) poteſt ſolùm uti re aliena; non verò frui. V. G. Titio relictus eſt in teſtamento Uſus alicujus rei: poterit Titius uti tali re; frui verò non

poteſt; quia ei tantùm competit Uſus, non Uſusfructus. Clariùs dicam. Conceſſus eſt Titio uſus unius Horti: poterit quidem in ipſo Horto deambulare, ac poma, olera, & reliqua ibi naſcentia ad uſum proprium, ſuæ familiæ, & hoſpitis colligere, & manducare; non poterit tamen ſuo arbitrio vendere, vel alienare, &c. — Aſt *Uſufructuarius* (habens uſumfructus) poteſt & uti, & frui re aliena; & hæc duo de jure ei competunt. Quare ſi Titius eſſet Uſufructuarius illius Horti, poſſet etiam ad libitum ſuum vendere, vel alienare omnes fructus, qui in tali Horto naſcuntur. Ita habetur *L. Plenum, ff. de Uſu, & habit.* — *&* §. 1. *Inſtit. eod.* cum concordanti Gloſſ.

17 Patet ergo differentia, quæ eſt inter *Jus utendi, & Jus fruendi*: nam qui habet Jus utendi, gaudet nudo dumtaxat uſu alicujus rei alienæ; itaut quamvis poſſit re illa uti pro ſuis neceſſitatibus, ex ea tamen fructus naſcentes non faciat omninò ſuos. Sicque V. G. qui habet Jus utendi equa alterius, poteſt quidem ea uti ad ſuas neceſſitates; fructus tamen ejus equæ idest, partus equinus non erit ſuus, ſed domini proprietarii equæ. At verò Jus fruendi tribuit cuipiam hujuſmodi etiam Jus, ſeu poteſtatem legitimam percipiendi fructus rei alienæ; ſeu Jus utendi, & fruendi ſimul: ac proinde Uſusfructus eſt melior, & pinguior Uſujuris.

Quæro V. *Quid importans Fructus rei?*

18 ℞. Quidquid, ſalva rei ſubſtantia, eſt perceptibile ex ipſamet re. Sic cenſentur eſſe fructus in grege ovium, aliorumque animalium, lac, lana, fœtus; in fundo, vel agro, fœnum, ſegetes, fructus arborum, virgulta, arbores cæduæ (idest, quæ ſuccidi ſolent,) non verò fructiferæ, niſi eſſent mortuæ, lapides in lapidicinis: locatio in domo, vel prædio; & his ſimilia prout habetur, *L.* 10. *& ſeq. de Uſufructu &c.* — Dixi: *ſalva rei ſubſtantia*: quia Uſufructuarius tenetur rem illam, ex qua fructus percipit, integram Proprietario ſervare.

Quæro VI. *Ad quid tenetur Uſufructuarius?*

19 ℞. Ad hæc. I. Ad ſolvendum impenſas, quæ ratione fructuum percipiendorum fieri debent. II. Ad præſtandas collectas, tributa, & ſimiles præſtationes reales, quæ pro re fructuaria debentur domino, ſeu proprietario. Nam qui ſentit onus, ſentire debet commodum: & è contra. III. Tenetur rem illam rectè colere, eaque quaſi bonus Paterfamilias uti; ſicque V. G. debet in locum arborum demortuarum novas plantare, ſartatecta conſervare, & cætera præſtare juxta arbitrium boni viri, & ſecundùm pacta, hac conventione cum domino proprietario inita. Ut habetur, *L. Hallenus, ff. de Uſufructu, & alibi.*

Quæro VII. *Ad quid tenetur Uſuarius?*

℞. Pro ratione rei ſibi conceſſæ ad uſum, & pro ratione pacti initi cum domino illius rei, tenetur ſe gerere. Poterit tamen regulariter loquendo Uſuarius ſic ſe gerere. V. G. ſi Titio in teſtamento legetur à Cajo uſus jumentorum, vel gregis ovium, aut vaccarum; non poterit percipere earum fructus, ſeu fœtus, vel lanam (hæc enim in fructu magis, quàm in uſu numerantur,) neque lac, niſi in modica quantitate, & quatenus ad victum quotidianum opus eſt: poteſt autem bobus, vel jumentis uti ad arandum ad agrum ſtercorandum, & ad omne aliud miniſterium, ad quod boves, & jumenta apta ſunt; prout expreſsè habetur deciſum, *L. Plenum, ff. de uſu, & habitat. &* §. 1. *Inſtit. eod.* 20

Si autem Titio uſus domus, ſeu inhabitatio ejus relicta fuit, aut aliunde competat de jure, poteſt quidem non ſolùm in propria perſona, ſed etiam cum ſua familia habitare in ipſa domo; non tamen poteſt, domum alteri locare, neque inhabitationem ejus alteri concedere (niſi fortè ad breve hoſpitium,) neque uſum hujuſmodi vendere; prout ſimiliter deciſum habetur, *L. Cui uſus, & ſeqq. de uſu &c.* 21

De Poſſeſſione, & Dominio rerum.

Quoniam hæc materia vaſtiſſima, & legalis pertinet ad Tractatum *de Juſtitia, & Jure*, hic pauca utiliora, ac neceſſariora magno labore tranſcribam pro inſtructione Tyronum.

Quæro VIII. *Quid eſt Poſſeſſio?*

℞. Eſt actus, vel Jus poſſidendi rem aliquam, à quo denominatur quis *Poſſeſſor*. Dixi: *Actus: vel Jus*: hæc enim duo non ſunt idem: & quamvis poſſint inſimul jungi; adhuc tamen ab invicem ſepa-

Digitized by Google

ſeparari poſſunt: prout accidit in poſſeſſione facti tantùm.

Quæro IX. *Quotuplex eſt Poſſeſſio?*

23 ℞. Poſſeſſio ut ſic dividitur in Poſſeſſionem Juris tantùm; Facti tantùm; & Juris & Facti ſimul. – *Poſſeſſio Juris tantùm* eſt ipſummet Jus poſſidendi rem, ſolo animo retentum; & habetur quando quis rem ſuam ipſo facto non ampliùs poſſidet; nihilominùs de Jure ejuſdem rei Poſſeſſionem retinet, & continuat in animo ſuo. Hoc modo civiliter, ſeu de Jure poſſidet, qui abeſt quidem à rebus ſuis, adhuc autem eas animo poſſidet, eò quòd non diſceſſerit inde eo animo relinquendi poſſeſſionem talium rerum.

24 *Poſſeſſio facti tantùm*, ſeu naturalis, eſt ſolus actus poſſidendi ſine Jure: & talem poſſeſſionem habet, qui nunc poſſidet alienam, eò quòd ſit deſtitutus Jure, aut titulo juſto poſſidendi eam rem. – Si Poſſeſſor iſte poſſideat eam rem, ut ſuam bona fide exiſtimatam, tunc appellatur *Poſſeſſor bonæ fidei*. Si autem rem alienam mala fide poſſideat: ideſt, benè ſciens, eam rem non eſſe ſuam, prout Fur poſſidet rem furtivam, tunc dicitur *Poſſeſſor malæ fidei*.

25 *Poſſeſſio Juris, & Facti ſimul* vocatur ea, quæ includit ſimul utrumque, ideſt, tam Jus, quàm Actum poſſidendi. Et talis Poſſeſſio competit cuilibet domino poſſidenti rem ſuam per corporalem inſiſtentiam: ideſt, qui in re, quam de Jure poſſidet, vel in aliqua parte ejuſdem rei præſens exiſtit, aut ſaltem res poſſeſſa eſt in conſpectu ejus, ut ipſammet rem videre poſſit, vel partem ejus, ſive per ſe, ſive per alium ſuo nomine. Et hæc eſt perfecta, & plena Poſſeſſio, quæ eſt rei corporalis detentio, corporis, & animi, & Juris adminiculo: Ita Gloſſa, *L. 1. ff. de acquiren. vel amitten. poſſeſſ.*

Quæro X. *Quænam commoda, ſeu privilegia confert perfecta Poſſeſſio?*

26 ℞. Plura; & præcipua ſunt hæc. I. Si oboriatur controverſia inter quoſdam de rei proprietate, vel dominio, &c., adhibita diligenti inquiſitione, maneat adhuc dubium, cujuſnam res illa ſit; tunc melior eſt conditio poſſidentis, & ipſi adjudicabitur cauſa: juxta Reg. 65. in 6. *In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis*. II. Poſſeſſio parit in Judicio præſumptionem dominii: unde in prædicto caſu poſſeſſor non tenetur probare, rem eſſe ſuam, ſed alter, qui eam rem repetit. Et quidem ſi alter non ſatis probaverit rem eſſe ſuam, nihil obtinebit: ſed prior obtinebit victoriam, & remanebit in poſſeſſione, etiamſi reverà res ejus non ſit; prout expreſsè habetur, §. *Retinendæ, Inſtit. de Interdict.* III. Poſſeſſio, ſi ſit bonæ fidei, ſuo tempore parit præſcriptionem; ideſt, facit ut res, quæ priùs reverà non erat tua, putata tamen tua, elapſo tempore à jure definito, fiat tua; ita ut non ampliùs tenearis eam domino reperto, & repetenti reſtituere: ex lege Præſcriptionis. *L. 3. ff. de Uſucap.*

Quæro XI. *Homo habetne dominium vitæ ſuæ?*

℞. Minimè: ſed hoc penès ſolum Deum remanet; unde homo eſt quidem procurator, cuſtos, & quaſi uſuarius vitæ ſuæ, non verò eſt dominus. Patet ex illo Sapientiæ cap. 16. *Tu es Dominus, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*. Deus enim noſter Dominus univerſorum eſt: & habet poteſtatem omnis carnis, ideſt, hominis: ut habetur in Daniele Proph. cap. 14. Accedit ratio: Si homo eſſet dominus vitæ ſuæ, poſſet licitè ſe vita privare, ac ſeipſum interficere: hoc autem eſt falſum, & contra Divinum præceptum: *Non occides*. 27

Quæro XII. *Homo eſtne dominus propriæ famæ?*

℞. Affirmativè; attamen ſine cauſa juſta tantum bonum prodigere, vel negligere non poteſt; ut docet Div. Thomas, 2. 2. *quæſt. 93. artic.* 4. Quia homo, poſt vitam acceptam à DEO, comparat ſibi primùm bonam famam per vitam virtuoſam: ergo fama ſua eſt, & efficitur dominus ejus, ſicut aliarum rerum, quas proprio acquirit labore. Hinc eſt, quòd multi viri Sancti propriam famam, & honorem poſitivè ſpreverunt rationabili de cauſa, ut putà ad æternam vitam tutiùs conſequendam per virtutem humilitatis. Sicque Div. Auguſtinus ſcripſit *in libris Confeſſionum* propria peccata. S. P. Franciſcus è publico loco ſuos denunciavit defectus: Sanct. Joan. à Capiſtrano antequàm Seraphicum aſſumeret habitum ſua publicavit peccata in platea, & vicis Peruſiæ: & ſic de multis aliis legitur. 28

Quòd autem ſine juſta cauſa homo non poſſit prodigere, vel negligere famam, patet ex illo Eccleſiaſtici cap. 41. *Curam* 29

habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Et *cap. Non ſunt audien.* 11. *quaſt.* 3. habetur: *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra*. Et *cap. Nolo*, 12. *qu.* 1. *Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo: qui fidens conſcientia ſua, negligit famam ſuam, crudelis eſt*.

Quæſtio XLI. *Clerici Beneficiarii ſuntne domini bonorum Eccleſiaſticorum?*

30 Pro fundata reſolutione hujus quæſtionis notandum eſt. Bona Clericorum ſunt in quadruplici differentia, videlicet Bona patrimonialia: Bona quaſi patrimonialia: Bona merè Eccleſiaſtica: & Bona parſimonialia. Explico.

Patrimonialia dicuntur, quæ Clericis obveniunt ratione hæreditatis, donationis, artis, vel alia de cauſa profana, qua ſolent etiam Laici acquirere bona fortunæ. *Quaſi patrimonialia* ſunt, quæ à Clericis acquiruntur ex induſtria ſpirituali, ſive extraordinariis functionibus Eccleſiaſticis abſque Beneficio: veluti celebratione Miſſarum votivarum, Concionibus, Confeſſionibus, Cantu, & ſimilibus. *Merè Eccleſiaſtica* appellantur, quæ à Clericis acquiruntur ratione Beneficii, quod poſſident: ut ſunt ordinarii redditus, decimæ, fundationes, fructus agrorum, domorum, aliarumque rerum ad Beneficium ipſum pertinentium. *Bona* tandem *parſimonialia* Clericorum dicuntur ea, quæ Clericus ex redditibus ſuis Eccleſiaſticis de congrua ſuſtentatione parciùs, ac ſtrictiùs, quàm honeſtè potuiſſet, vivendo, ſibimetipſi ſubtraxit. His prænotatis.

31 ℞. I. Clerici ſæculares Beneficiarii habent plenum dominium bonorum ſuorum *Patrimonialium*: unde de iſtis liberè donare, vel alio modo licito diſponere poſſunt: imò etiam teſtari poſſunt. Ita communis: & habetur clariſſimè *cap. Quia nos*. Et *capit. Relatum*, 13. *de Teſtam.* ubi dicitur: *Cæterum quæ Clericis ex hæreditate vel artificio, aut doctrina proveniunt diſtribuantur pro arbitrio decedentis*. Ratio etiam eſt: quia Clerici nullo modo (ut ſupponitur) abdicarunt dominium bonorum ſuorum, ſicut abdicare ſolent Religioſi, ſeu Regulares; ergo retinent idem dominium, quod ante Beneficium habebant.

32 ℞. *II.* Etiam de bonis *quaſi patrimonialibus*, ſeu induſtrialibus Clerici liberè diſponere poſſunt. Ita Navarrus, Leſſius, & alii communiter D. D. paucis exceptis. Ratio eſt: quia Canon cit. exprimit: *quæ vel artificio, aut doctrina proveniunt &c.* Tum quia, hujuſmodi bona præſtantur à Fidelibus abſque ullo onere expreſſo, vel tacito dandi ſuperflua pauperibus: (quale tamen onus Bona Beneficiorum habent annexum:) ſed dantur ei veluti ſtipendium ſuæ ſuſtentationis, & tamquam merces laborum ſuorum, & operum perſonalium. Unde hæc bona non immeritò æquiparantur bonis patrimonialibus.

℞. *III.* Inſuper idem dicendum *de bonis parſimonialibus*: Ita Bonacina, Covarruvias. Engel, Leſſius, & alii DD. ſatis communiter contra nonnullos alios DD. Ratio eſt, quia hujuſmodi pars, vel portio fructuum Eccleſiaſticorum eſt juſta merces Clerici, qui Eccleſiæ benè ſervit: *dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Luc. cap. 10. 33

℞. *IV.* Clerici ſæculares Beneficiarii acquirunt de facto verum dominium bonorum etiam *merè Eccleſiaſticorum*; id tamen habent cum onere erogandi ſuperflua in pauperes, in Eccleſiam ſuam, aliaſque pias cauſas. Ita probabilior, ſimulque communior opinio Doctorum; licèt quoad primam partem ſit contra multos D. D. Theologos: Canoniſtas, & SS. Patres, præcipuè antiquiores, qui volunt, ac ſuſtinent, tales Clericos non eſſe dominos illius portioni ſibi ſuperfluæ, ſed ſolùm Oeconomos, & diſpenſatores; adeò ut ex Juſtitia teneantur erogare ſuperflua proprii Beneficii in cauſas pias: & ſi ſecus egerint, obligentur ad reſtitutionem Eccleſiæ ſuæ, pauperibus, & aliis piis cauſis, faciendam ex aliis bonis, quæ pleno obtinent jure, puta ex patrimonialibus, induſtrialibus, parſimonialibus, &c. 34

Probatur hæc quarta Reſolutio quoad primam partem, nempè, quòd Clerici Beneficiarii ſint de facto domini omnium bonorum etiam *merè Eccleſiaſticorum*, ſeu redditUum proprii Beneficii, probatur, inquam, ex Jure Canonico; Nam *capitulo unico de Clericis non reſiden. in 6.* dicitur, quòd Clerici, qui extra caſus à Jure conceſſos non intereſſunt Divinis Officiis, *ſi de diſtributionibus ipſis quidquam receperint, rerum ſic receptarum Dominium non acquirant*: ergo ſupponit 35

Ca-

Canon, quòd alii Clerici Beneficiarii, qui interſunt Divinis Officiis, acquirant Dominium ſuorum redd tuum Eccleſiaſticorum. — Deinde Conc Lateranenſe ſub Leone Papa X. & Sanctus Pius V. in Conſt. incipien *Ex proximo*, ſtatuunt, atque declarant, quòd Cerici Beneficiari pro rata omiſſionis Horarum Canonicarum *fructus non faciant ſuos*; ergo cæteri recitan es integras Horas cenſen ur fructus facere ſuos. Nam argumentum à contrario ſenſu reputatur in Jure fortiſſimum. — Item Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *de Reformatione*, loquens de diſtributionibus Beneficiatorum reſidentium, imponenſque pœnam perſonaliter non ſer vientibus, ait: *Si quolibet die ſtatuto non impleverint ſervitium, illius diei diſtributionem amittant, nec ejus quoquomodo Dominium acquirant*. Ergo è contra reſidentes, & ſervitium Eccleſiæ perſonaliter implentes, acquirunt Dominium diſtributionis ſuæ. *Et ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *De Reform* §. *Si quis autem*, ubi loquitur de Reſidentia, & aſſiſtentia Beneficatorum curam animarum habentium, & adversùs non reſidentes pœnas ſtatuendo, ait: Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus Decreti diſpoſitionem abſuerit; ſtatuit Sacroſancta Synodus, præter alias pœnas adversùs non reſidentes, ſub Paulo Tertio impoſitas, & innovatas, ac peccati mortalis reatum, quem incurrit: *eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere &c.* Ergo à contrario ſenſu, Reſidentes, & Aſſiſtentes in ſua Eccleſia *fructus ſuos faciunt*. Et tandem *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* ubi vult, quòd Clericus Beneficiatus in caſu ibi expreſſo delinquens, *privetur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac Reſidentiæ fecit ſuos*. Ergo cùm tot Jura, & Canones concedant Clericis Beneficiariis dominium ſuper red ditus Eccleſiaſticos, non erit hoc eiſdem à nobis Moraliſtis denegandum.

36 *Confirmatur* hac ratiocinatione, & reflexione. Circa annum noſtræ ſalutis quadringenteſimum ſeptuageſimum, creſcente multitudine Clericorum ſæcularium, variiſque ſuppoſitis incommodis, *Simplicius Papa* fecit diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum, & in quatuor partes diviſit bona alias communia: quarum prima tribuebatur Epiſcopo, ſecunda Clericis, tertiá pauperibus, & quarta fabricis Eccleſiarum; ſuitque iſta diviſio per *Gelaſium Papam* confirmata; ut habetur, *cap. de redditibus. Et cap. Conceſſo. Et cap. Quatuor* 12 *quæſt.* 2. — Porrò poſt factam ejuſmodi diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum (quorum altera parte Clericis attributa, ſimul fuerunt erecta Beneficia Eccleſiaſtica) omnes obligationes, atque redditur erant bona communia ſingulis Clericis, prout quiſque opus habebat, diſtribuenda: ſicque vivebant Clerici in communi, ſicut modo vivunt Religioſi, &c. Tractu autem temporum, ſemperque creſcente multitudine Clericorum, refrigeſcente charitate, multiſque exortis litibus, & in ommodis; vel quòd non poſſent ita communiter pacificè inter ſe vivere; vel quòd plerique majores expeterent commoditates: vel quòd nollent ſtatui Eccleſiaſtico ſub tanto diſciplinæ rigore, tamque tenui, ac menſurata portione ſervire, ac mancipare; iterum, atque iterum facta fuit diviſio Eccleſiarum, & Beneficiorum, & conſequenter bonorum Eccleſiaſticorum, certique, ac determinati proventus annui ſingulis Beneficiariis aſſignati fuere, ex quibus copiosè, ſeorſim, & pro ſuo arbitratu vivere poſſent.

Ex his ſic argumentor, & ſimul confirmo Reſolutionem meam. Facta prædicta diviſione, quilibet Clericus Beneficiatus, vel Beneficiarius, licèt non habeat dominium abſolutum, & diſpoticum bonorum ſui Beneficii, ſaltem habet uſumfructum liberum: Uſufructuarius autem dominium habet omnium fructuum; ergo &c. Tum quia, conducens bona Beneficii, utique dominium fructum acquirit: igitur etiam dominium illorum habuit Beneficiarius, qui hæc bona locavit; alioquin plus in alium tranſtuliſſet, quàm ipſe haberet, contra textum, *in cap. Nemo poteſt; de reg. jur. in* 6. *Et L. Nemo plus*, *ff. eodem*. Si vis plura, vide Bonacinam, *tom.* 1. *in fine: de Simonia, diſp.* 4 *puncto* 1. *n.* 5. — Leſſium, *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *à n.* 43. — Anacletus *moral. tract.* 7. *diſt.* 4. *q.* 3. 37

Probatur ſecunda pars, quòd nempè Clerici tale dominium habeant cum onere ſuperflua in pauperes, aliaſque pias auſas erogandi. Omnes DD. Theologi, Canoniſtæ, Sanctique PP. in hoc conveniunt; ergo vera eſt concluſio. Si hanc veri- 38

veritatem cupias funditiùs conſpicere, lege Doctores citatos, quibus addo Epiſcopum Henricx: *de Juſt. & Jure, diſp.* 4. *n.* 130. Card. de Lugo, *diſp.* 5. *ſect.* 1. Laymannum, *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Et omnes meos, quos legi. Unde ſequitur manifeſtiſſimè, Beneficiatos quoslibet graviſſimè peccare, ſi redditus ſuperfluos notabili quantitate in uſus profanos: V. G. in ludos, comeſſationes, vanitates, in ditandos conſanguineos &c. conſummant, vel applicent. Vide Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Refor.*

39 Quo autem Jure hujuſmodi obligatio incumbat Clericis Beneficiariis, variant DD. Etenim Navarrum Canoniſta periſſimus cum aliis tenet, hanc obligationem eſſe de Jure Naturali Divino, ex motivo virtutis Juſtitiæ: Fagnanus cum aliis, ex lege Charitatis: Card. de Lugo cum aliis, ex virtute Religionis, quod videtur probabilius; quia ex primæva fundatorum intentione talia bona Cultui Divino ſpecialiter deputata, & conſecrata fuerunt, ut proinde nonniſi piè, religioſèque expendi debeant.

Quæro XIV. *Religioſi poſſuntne habere dominium bonorum temporalium.*

40 Rᴇ. Religioſi, ſeu Regulares profeſſi, ſeu qui ſolemniter profeſſi ſunt aliquod Regulare inſtitutum, aut Religionem aliquam ex approbatis à ſummo Pontifice, penitùs ſunt incapaces omnis dominii in particulari rerum temporalium; itaut nemo ipſorum in particulari quidquam ſuo nomine, tamquam proprium poſſit poſſidere, ſibique appropiare. Ita certiſſima omnium DD. ſententia eſt. Patet *ex cap. Cùm ad Monaſterium: de ſtatu Monach. &* alibi. Concordat Triden. Conc. *ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de Regularibus.*

41 Poſſunt tamen in cómmuni habere dominium bonorum temporalium; ita ut titulo Congregationis, Monaſterii, Domus Religioſæ, vero dominio bona temporaralia poſſideat. Ita rursùm certa, & communis omnium: *ex Can. cit. &* Concil. Trid. *cit. cap.* 3.

42 *Excepto Ordine Fratrum Minorum* de corpore Regularis Obſervantiæ, Capuccinorum, qui ex vi Regulæ cap. 6. ubi dicitur: *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, neque aliquam rem*, &c. & ex declaratione ſumm. PP. Nicolai III., & Clementis V., prout apparet, *in* 6. *Decretalium: de verb. ſignif. cap. Exiit*, *& cap. Exivi*: ſunt incapaces dominii omnium temporalium rerum, etiam in communi: & tantummodò habent uſum facti rerum neceſſariarum ad vitam, & officium &c.

Quæro XV. *Filiifamilias poſſuntne habere dominium pecuniarum, & aliarum rerum?*

Ut meliùs reſpondeam, ſupponendum eſt. Bona Filiorumfamilias poſſe quadrupliciter eſſe, & conſiderari, ſeu aſſignari, nempè Bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, profectitia, & adventitia. — *Bona caſtrenſia* ſunt illa, quæ Filiusfamilias acquiſivit in caſtris belligerando, ſeu militando. — *Quaſi caſtrenſia* ſunt, quæ Filius, ut Magiſter artium liberalium, ut Medicus, ut Advocatus, ut Lector &c. de publico quocumque officio, tamquam ſtipendia habuit, & acquiſivit. *Item* quæ Filius Clericus acquiſivit ex Beneficio, vel Officio Eccleſiaſtico. *Item* quæ Filius adeptus eſt ex donatione Principis, vel Superioris. — *Bona profectitia* dicuntur illa, quæ Filius lucratur negotiando in rebus paternis. — *Bona* tandem *adventitia* dicuntur omnia illa, quæ Filiofamilias adveniunt ex alia cauſa, quàm ex enumeratis; utputà legata ex teſtamento ab Avo, vel Avia, vel ab aliqua aliò Conſanguineo, aut Amico; vel ex fortuna proſpera, & hujuſmodi &c. His cognitis. 43

Rᴇ. *I.* Bonorum caſtrenſium, & quaſi caſtrenſium Filiusfamilias plenum, perfectum dominium habet; ita ut eorum dominium directum, ſeu proprietas, & dominium utile, ſeu uſusfructus, ac ipſa adminiſtratio pleno jure ſpectet ad ipſum Filium independenter à Parentibus; adeòque de iſtis bonis (niſi ætate, vel lege impediatur) liberè poſſit diſponere, donando, contrahendo &c. Ita Omnes DD. Et ſtatuitur expreſsè *l.* 2. Caſtrenſe, ff. *De peculio caſtrenſi.* 44

Dixi in parentheſi: *Niſi ætate, vel lege impediatur*: quia, ſi ætas impediat Filium; tunc adminiſtratio, & uſus eorumdem bonorum Parenti cedit: Lege enim prohibetur Fillus impubes teſtari de quibuſvis bonis, etiam caſtrenſibus. *Item* Lege prohibetur Filius pupillus alienare de bonis ſuis. 45

Adverte tamen hic, quòd in probabili ſententia DD. talis alienatio ſi fiat à Filio impubere, aut pupillo, ſaltem quoad mobilia, non irritatur, ſed ſolùm da- 46

tur

tur ad repetendum: ideſt, non tollitur obligatio naturalis in foro conſcientiæ, ſed tantùm tollitur obligatio civilis in foro externo, aut judiciali. Unde ſequitur, quòd ſi Filiusfamilias impubes, vel pupillus aliquid tibi donet de bonis ſuis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, quamvis ſine conſenſu Patris, vel Tutoris, ſine ſcrupulo poteris id retinere, donec repetatur in Judicio; diſponit enim tunc de re ſua &c. Idem dicendum de quocumque alio contractu &c.

47 ℞. *II.* Bona profectitia, tam quoad proprietatem, quàm quoad uſumfructum Filiusfamilias Patri acquirit: ideoque Filius nullum omninò dominium, nec directum, nec virtuale, ſeu utile ſibi acquirit: ſed utrumque ad Patrem pertinet, ſibi ſolùm conceſſo uſu ſimplici, & dependente à Patre. Ita communis DD. Unde de hujuſmodi bonis profectitiis nihil poteſt Filius alienare ſine licentia Patris.

48 At, quid ſi Filius ludo, de his pecuniis paternis facto, aliquid notabili lucretur; Cujuſnam erit illud lucrum;

℞. In rei veritate adhuc eſſet bonum profectitium; ideòque in rigore loquendo eſſet totum Patri tribuendum. Ex alio tamen capite communiter loquendo poterit Filius ſibi retinere lucrum; nam numquam ſolent Patres talia lucra à Filiis rigoroſè exigere. Loquimur autem de ludo licito; nam in ludo illicito Filius non eſt ſubditus Patri; & tunc (ut volunt aliqui DD.) lucrum ex eo ludo illicito habitum ſibi Filius acquirit.

49 Et quid de bonis, ſeu peccuniis, quas Filius ex bonis paternis negotiando propria, & ſpeciali ſua induſtria acquirit?

℞. Multi D.D. apud Sanchez, *lib. 2. conſil. dub. 9. n. 3.* docent, illud lucrum eſſe mixtum, nempè partim profectitium partim adventitium, quatenùs eſt ex induſtria ſingulari, ac labore extraordinario Filii: ideòque proprietatem talis lucri partim pertinere ad Patrem, & partim ad Filium. Econtra alii multi DD. cum Card. de Lugo, *diſp. 5. nu. 40.* docent, totum illud lucrum eſſe profectitium, & conſequenter ipſius Patris; quia acquiritur ex bonis omninò paternis; ergo &c.

50 *Dices*. Induſtria tota eſt Filii; lucrum autem factum de induſtria ex bonis etiam alienis, vel furtivis cedit homini induſtrio?

℞. Ita eſt; niſi talis homo induſtrius cenſeatur eam induſtriam gratis exhibere in commodum alterius: ut eſt in propoſito: Filius enim ex amore Patri debito cenſetur ei ſervire; ergo gratis lucratur Patri?

℞. *III.* Bonorum adventitiorum Filiusfamilias ſolùm habet dominium directum ſeu proprietatem rei: dominium verò utile, uſumfructum & adminiſtrationem habet Pater, dum vivit. Ita *L. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis*. Excipiuntur tamen hi Caſus: I. Si ipſe Pater uſumfructum Filio cedat. II. Si ab aliis uſusfructus expreſsè Filio relictus, vel conceſſus ſit. III. Quando Pater noluit conſentire Filio adeunti aliquam hæreditatem. IV. Ubi Pater contraxit inceſtuoſis nuptias: aut minùs legitimum divortium fecit. In his caſibus ea bona Filiis applicantur de Jure &c. 51

Nota hic, ut alios intelligas libros, quòd Bona prædicta Filiorumfamilias, alio nomine dicuntur *Peculium*: quod dicitur, quaſi puſilla pecunia, ſive patrimonium puſillum; quodque dividitur, ut ſuprà, in Peculium caſtrenſe; quaſi caſtrenſe; profectitium; & adventitium. 52

Quæro XVI. *Uxores habentne dominium aliquorum bonorum?*

Adverte. Uxoris bona, alia ſunt *dotalia*, nempè Dos, quæ ab uxore, vel ab alio, ejus nomine, datur Marito ad onera Matrimonii ſuſtinenda, nimirùm ad alendam ipſam uxorem, liberos, ſeu filios, familiam &c. Alia ſunt *paraphernalia*, nempè illæ res, quas uxor præter dotem ſecum attulit, ſibique reſervavit. 53

℞. Quamvis uxori remaneat proprietas dotis, ſeu bonorum dotalium; nihilominùs plena adminiſtratio, & uſusfructus ad Maritum attinet. Et clarè deciſum, *L. 1. & l. Dotis fructus, ff. de Jure dotium*. — Bonorum verò paraphernalium non ſolùm proprietatem, ſed etiam plenum dominium, atque adminiſtrationem ipſa uxor habet. Ita habetur expreſsè in Jure Cæſareo, ſeu Civilis. *L. Hac lege, C. de Pactis conventis*.

Ex dictis infertur moraliter, Maritum conſumentem, ac dilapidantem bona paraphernalia uxoris ſuæ ſine ejus licentia, graviter peccare contra juſtitiam &c. & ſimiliter uxorem de bonis dotalibus notabilem quantitatem conſumentem, marito rationabiliter invito; graviter peccare. 54

Quæro

Quæro XVII. *Quænam ſunt bona, quæ ſub dominio proprietatis cadere poſſunt?*

55 ℞. Res omnes externæ uſibus humanis ſubjectæ cadunt ſub dominium hominis; idque Jure naturæ: ut montes, agri, flumina, plantæ, beſtiæ, metalla, & cætera inferiora, & ſubjecta ipſimet homini, quæ contrectamus, & aptamus ad noſtra commoda, ac ſervitia. Communis cum D. Thoma 1. *par. quæſt.* 96. *artic.* 2. Ratio eſt: quia hæc omnia natura ſua ſunt inferiora, & ſubjecta homini, & ad ejus uſum à Deo condita, & ordinata; atque ita diſpoſitioni hominum aliquo modo ſubjectata, ut poſſint homines viventes ſuper terram hæc omnia ſuis uſibus accomodare citra cujuſque injuriam. – Patet etiam ex Sacra Scriptura Geneſis, cap. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, & ex Pſalmo 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* (ideſt, hominis,) *oves, & boves, & cætera*.

Quæro XVIII. *Homo ipſe poteſtne cadere ſub dominium alterius hominis?*

56 ℞. *I.* Jure naturæ non poteſt; quia omnes homines conditione naturæ ſunt pares, & liberi; cùm ſint ejuſdem naturæ, ex eodem primo Parente, & ad eumdem Finem ultimum conditi à Deo. Et quamvis quidam homines à natura ſint magis apti ad imperandum, alii autem ad ſerviendum; nemo tamen naſcitur propriè ſervus; cujus ſignum eſt; quòd in ſtatu naturæ integræ, ſeu in ſtatu Innocentiæ nulla futura erat ſervitus; Servitus enim eſt pœna peccati; ergo &c.

℞. *II.* Jure tamen Gentium, & Civili poteſt quis effici ſervus alterius hominis. Patet hoc *Exodi* 21. *Levitici* 25. *Deuteronomii* 20. & 21. ubi variæ leges præſcribuntur de variis generibus Servitutis. Et in novo Teſtamento 1. *Corinth.* 7. & 12. – *Epheſ.* 6. – *Coloſſ.* 3. & 4. & alibi. Unde conſtat, etiam Chriſtianos poſſe eſſe ſervos, vel mancipia non ſolùm Gentium, ſed etiam Chriſtianorum.

Dices. Servitus rigorosè capta eſt contra naturam hominis; ergo &c.

℞. Non eſt ita contra naturam, ut ſit contra rectam etiam rationem, vel contra præceptum naturale; ſed dicitur contra naturam, quia eſt contra primævam naturæ conditionem, ſecundùm quam, cùm omnes homines eſſent tunc recti, juſti, innocentes, ac ſine peccato, iniquum fuiſſet, ſi alter alterius ſervituti ſe ſubjeciſſet. Nunc autem, ſuppoſito peccato; ſervitus eſt ſecundùm rationem: ſicut uti pharmacis, & cruciatibus afficere hominem, eſt contra naturam ſecundùm primam naturæ conſtitutionem; non autem eſt contrarationem, ſuppoſito morbo. Unde D. Auguſtinus, libr. 19. de Civit. cap. 15. ait: *Nuſquam Scripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Noe juſtus peccatum filii vindicaret; nomen itaque iſtud ſervi culpa meruit, non natura*.

Quæro XIX. *Quo Jure facta eſt diviſio rerum temporalium quoad dominia, & proprietates?*

℞. Non Jure naturali, nec Jure poſitivo Divino, nec jure humano Civili, ſed Jure Gentium. – *Non Jure naturali*: quia alioquin ſequeretur, communitatem rerum, etiam poſt peccatum, ſeu in ſtatu naturæ lapſæ, prohibitam eſſe à Jure naturæ: ſicque peccare Religioſos viventes in communitate bonorum; quod eſt falſiſſimum, & erroneum. Tum quia Jus naturæ neque facit hanc diviſionem, neque præcipit, hanc fieri, neque ſecundùm ſe natura ipſa ad hanc inclinat: quia Natura ex ſe omnia reliquit communia, & potiùs amat communitatem, ſeu communicabilitatem bonorum, quàm diviſionem. – *Non Jure Divino poſitivo*: quia nuſquam in ſcripturis divinis legitur tale Jus, vel Lex: quamvis, facta jam diviſione rerum ab hominibus, eam Deus approbaverit, prohibendo Furtum, & mandando reſtitutionem. *Non Jure Civili humano*: quia hoc Jus eſt proprium unius Imperii, vel Regni, vel Reipublicæ tantùm: adeòque jam ſupponit, diviſionem rerum eſſe factam inter homines. Ergo *Jure Gentium* facta eſt diviſio rerum quoad dominia, & proprietates: ut habetur, *diſt.* 1. *cap. Lex gentium. Et ff. de Juſt. & Jure. L. ex hoc jure*. Hoc tamen non eſt intelligendum ita, ut quaſi ſit aliquod præceptum apud omnes Gentes, ut fiat iſta diviſio: ſed quòd commune omnium judicium ſit, diviſionem rerum temporalium expedire tum ad pacem, tum ad meliorem rerum adminiſtrationem; idque apparet expediens, ſpectata mortalium conditione, quæ ſui eſt amans, & alieni negligens: quæque cupiditati, & ambitioni dominandi miserè eſt ſubjecta ex peccato. 57

Jus

58 *Jus Gentium* nihil aliud eſt, quàm commune hominum judicium, & gentium, ſeu omnium nationum conſenſus. *Vel eſt*, conceſſio, aut Jus proveniens ex communi judicio, & ſententia. Quoniam verò vitia plerumque regnant in humano genere apud omnes nationes; ideò expeditiſſimum viſum fuit apud omnes hujus mundi prudentes, fieri bonorum diviſionem. Unde ſequitur, ſi in aliquo hominum cœtu hæc vitia poſſint dono ſupernaturali toli, vel comprini, ut non dominentur, Jus Gentium ibi non poſtulare rerum diviſionem, ſed potiùs earumdem communitatem, qualis erat in ſtatu innocentiæ: præſertim cùm multa alia ex hac communitate ſequantur commoda, veluti temperantia, modeſtia, tranquillitas animi, carentia ſollicitudinis, expeditio mentis ad res divinas, & ad amorem, ac ſtudium veræ Sapientiæ: ut patet experientia in Monaſteriis, & cœtibus Religioſorum Regularium, ubi magis conſpici ſolent flores, & fructus Scientiæ, & Sanctitatis.

Quæro XX. *Facta jam diviſione rerum Jure Gentium, remanſeruntne aliqua adhuc communia?*

59 ℟. Etiam: & *I.* In caſu extremæ neceſſitatis communia manent omnia neceſſaria pro vita tuenda; nam *Jure naturæ omnia ſunt communia* in ſimili caſu: ut habetur, *cap. Jus naturale, diſt.* 1. -- *II.* Communia omnibus manent aer, aqua, littora maris, portus, flumina, & ripæ: ut habetur *de inſtit. de rerum diviſ.* -- *III.* Nullius etiam dominii ſunt feræ beſtiæ, aves, piſces, animalia ſylveſtria, gemmæ, &c. quæ Jure Gentium primò capientis propria fiunt; quod enim antea nullius erat, id naturali ratione occupanti conceditur, §. *feræ, inſtit. de rerum diviſ.* Excipe: niſi in his intercedat ſpeciale jus ratione poſſeſſionis loci, &c. *IV.* Totius communitatis, bona propria, & ſingulorum civium communia ſunt: ut theatra, viæ publicæ, fontes publici, balnea, prata, ſylvæ, &c. à quorum uſu nemo illius communitatis ſine injuria impediri poteſt.

Quæro XXI. *Quibuſnam modis acquiritur dominium rerum temporalium?*

60 Adverte *I.* Quòd res corporales, quæ ſub dominio proprietatis cadere poſſunt, generatim ſunt duplicis generis. Quædam enim etiam nunc nullius ſunt, qui carent proprio domino: uti ſunt gemmæ in littore maris, piſces maris, volucres cœli, & alia ſimilia, quæ nondum in dominium cujuſpiam devenerunt. *II.* aliæ res corporeæ ſunt, quæ habent alicujus dominium. Et hæ rursùm diſtinguuntur in duas ſpecies; aliæ enim ſunt, quæ habent certum dominium: ut ſunt bona Titii, bona Sempronii, &c. Aliæ autem, quæ habent incertum dominium, ideſt ſunt alicujus domini, de quo hic, & nunc ignoratur, quis ille ſit. Ut ſi invenio rem perditam, & neſcio cujus ſit: & hæc alio nomine dicuntur *Bona incerta*.

Quiſquis autem repererit bona hæc incerta, obligatur ea reſtituere vero domino, ſi hunc dignoſcere poſſit: & tenetur moralem diligentiam adhibere ad verum dominum dignoſcendum. Ratio eſt: quia ille, qui hujuſmodi rem amiſit, ejus dominus eſſe non deſinit; atqui unaquæque res reddi debet domino ſuo; ergo &c. ut etiam habetur, *cap. ſi quid.* 14. *q.* 4. ibi: *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* 61

Dices. Rerum mobilium deperditarum, quando ignoramus ubi ſint, illicò amittimus poſſeſſionem: ut habetur arg. *L. Si id, quod, ff. de acquir. poſſeſ.* ibi. *Si id, quod poſſidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus ubi ſit: deſinimus poſſidere.* Ergo &c. 62

℟. *I.* hoc non procedere, ſi adhuc adhibeamus diligentem inquiſitionem ad recuperandam hanc rem amiſſam; nam quamdiù intendimus, quærimus, & ſollicitamus, ut rem inveniamus, necdum penitùs perdidimus ejus poſſeſſionem, ſed adhuc retinemus civilem poſſeſſionem rei deperditæ: quia eamdem rem pro derelicta non habemus, ubi habemus ſpem recuperandi. ℟. *II.* quamvis rerum deperditarum, poſt fruſtrà adhibitam diligentem inquiſitionem, amittamus poſſeſſionem; non tamen idcircò perdidimus ipſarum dominium: ſiquidem faciliùs amittitur rerum poſſeſſio, quàm dominium: *L. ſi quis vi, ff. de acquir. poſſeſſ.* Quia igitur dominium rei deperditæ remanet adhuc penès priorem dominum; hinc oritur obligatio eamdem rem reſtituendi vero domino, ſi inveniatur: ut habetur, cap. Multi. 14. q. 5. ibi: *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt: Deus mihi dedit: cui debeo reddere? Diſcant ergo, peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat.* Ergo &c.

Quid,

63 Quid, ſi poſt diligentem inquiſitionem à me factam, non inveni verum dominum talium rerum incertarum, ſeu amiſſarum, vel deperditarum, quas ego jam caſu reperi?

℞. Juxta communem, magiſque piam opinionem DD. hujuſmodi res pauperibus erogandæ ſunt, aut in alios pios uſus inſumendæ. Ratio eſt: quia ſi res illæ ipſimet domino ampliùs reſtitui non poſſunt, ſaltem applicari debent iis, quibus præſumitur dominus velle, ut applicentur; atqui tales ſunt pauperes; ergo &c. nam quilibet rationabiliter velle præſumitur, res ſuas ſibi prodeſſe omni meliori modo, quo fieri poteſt ad remedium animæ ſuæ, ſi eas alia ratione acquirere nequeat. Unde deduces, ſi inventor eſt pauper, poſſe ſibi, ut pauperi eas applicare: poſteaque rogare, & orare Deum pro anima illius domini, ut faciunt alii pauperes.

64 Non deſunt tamen DD. probabiliter aſſerentes, quòd res illæ inventæ licitè ab inventore quolibet retineri, & conſumi poſſint; quia (ut dicunt) nullo claro Jure prohibetur hoc; quinimò videtur communitas hominium in talem retentionem tacitè conſentire; ſiquidem hac ratione compenſari ſolent fortuita rerum amiſſarum damna; nam qui hodie V. G. amiſit unam rem, cras caſualiter inveniendo aliam rem, reſarcire poterit jacturam rei ſuæ antea deperditæ: & ſic de aliis. Ita Medina, Ledeſma, P. Navarra, D. Soto, Maſtrius, Henrinx, Laymann, Leſſius apud Anacletum, *tract. 7. de Juſtitia, & Jure diſt. 5. nu. 8.* -- Et aliis citatis P. Sporer, *tom. 2. tract. 6. in Decal. cap. 1. nu. 183.* ubi ait. Probabilis quoque, & in praxi ſatis tuta eſt hæc ſententia, & hujuſmodi res incertæ, & inventæ, non comparente domino, *titulo inventionis* poſſint retineri ab inventore. Ratio eſt: quia in Jure idem eſſe cenſetur, *Dominum rei non comparere, ac rem nullius eſſe*, vel *pro derelicta haberi*. Unde & ipſa Reſpublica ejuſmodi bona inventa applicat quandoque pauperibus, quandoque ſuis neceſſitatibus; quod fieri non poſſet, niſi cenſerentur ea bona nullius eſſe, & pro derelictis haberi. Atqui bona, quæ nullius ſunt, ſeu pro derelictis habentur, Jure naturæ commmunia ſunt, & Jure Gentium fiunt primò occupantis: ergo & juſtè ab inventore retineri poſſunt.

℞. Nunc *ad Quæſitum* 21. & dico. Tribus præſertim modis generatim rerum 65 corporalium dominium acquiri ſolet. I. Jure naturali, vel Jure Gentium. II. Jure Civili, & Canonico. III. Privata hominum voluntate: dum per varias conventiones, pacta, & contractus, dominium rerum in alium, & alium transfertur. -- *Primò modo* multipliciter accidere ſolet, vel poteſt acquiſitio dominii: nempe Jure belli juſti, occupatione, nativitate, alluvione, ſpecificatione, acceſſione, confuſione, commixtione, edificatione, plantatione, fructuum perceptione, & traditione. *Secundò verò modo* contingit poriſſimùm mediante Præſcriptione, atque uſucapione. *Tertiò* tandem *modo* patet ex dictis. Non de omnibus his ſpecialibus modis, ſed de aliquibus tantùm agendum erit in ſequentibus Quæſitis, ut brevtiati inſerviam.

Quæro XXII. *Res, quæ nullius ſunt, quomodo fiunt alicujus?*

℞. Jure naturæ, ac Gentium fiunt primò occupantis. 66 Ita habetur expreſſum, §. *Feræ. Inſtit. de rerum diviſ.* ibi: *Quod enim ante nullius erat, id naturali ratione occupanti conceditur*. Limita: niſi lege aliqua humana earum dominium cuipiam alteri applicetur. Nam tunc eſſet ſtandum diſpoſitioni talis Legis: prout fit in *bonis vacantibus*: ideſt, in bonis morientis ſine hærede; hujuſmodi enim bona ex diſpoſitione Juris Civilis applicantur Fiſco.

Quæro XXIII. *Cujus ſit theſaurus inventus?*

℞. Spectato Jure communi Civili opus 67 eſt diſtinctione. Theſaurus in proprio fundo inventus, totus eſt inventoris; ſi autem in alieno fundo fortuitò inveniatur, tunc dimidia pars erit domini illius fundi, & dimidia inventoris. Ita expreſsè, *L. 1. C. de Theſauris; lib. 10. Et §. Theſ. Inſtit. de diviſ.*

Quid, ſi quis data opera in alieno fundo theſaurum ſcrutetur, atque inveniat?

℞. Si hoc faciat, ſine conſenſu domini, 68 inventor compellendus eſt, totum theſaurum domino fundi reddere: atque ulteriùs puniendus. -- Si autem arte magica theſaurus inveniatur? Quamvis in proprio fundo reperiatur, tunc totus theſaurus Fiſco adjudicabitur per ſententiam Judicis. Idque fit in pœnam criminis, *L. 1. C. de Theſ. l. 10.* & DD. communiter. Quamvis

Digitized by Google

vis aliqui DD. rectè hìc notent, quòd hęc diſpoſitio legis, utpote pœnalis, non obliget ante ſententiam Judicis, ad inſtar aliarum pœnarum.

69 Si quis autem ſciens alicubi theſaurum latere, & emat fundum? Nullam facit injuriam venditori, & fit dominus totius theſauri. Ita *ex l. Auth. ff. de rei vindic.* Tum quia ager continens theſaurum occultum non pluris valet, quàm ager, ut ſic; nam pretium rei ſumitur ex communi æſtimatione hominum: etiamſi res in ſe utiliſſima eſſet, aut prætioſiſſima emptori ob cognitionem privatam, & ſcientificam naturæ illius rei. *Exempli gratia*: pharmacopola peritus in herbis, ſciens utilitates maximas quarumdam herbarum, aliàs vilium communi æſtimatione hominum, poteſt licitè vili, & communi pretio faſcem illarum herbarum emere; quia illa major utilitas ſoli emptori cognita, & nota non auget pretium, vel æſtimationem illius rei apud homines.

Dices. Venditor non intendit vendere theſaurum ſed agrum tantùm; ergo &c.

70 ℞. Neque emptor emit theſaurum: imò nec poteſt emere, cùm theſaurus abſconditus ſit res omninò derelicta: ſed emit agrum ſolùm; acquirit poſtea theſaurum in tali agro reconditum *titulo inventionis*, non emptionis.

Quæro XXIV. *Principes poſſuntne licitè venationem, piſcationem, & captionem animalium ſylveſtrium, ac piſcium aliis interdicere?*

71 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia, licèt hujuſmodi animalia ſub nullius dominio exiſtant, ac proinde, ſpectato Jure Gentium, fiant primò occupantis; populus tamen poteſt cedere Juri ſuo in favorem Principis: & ipſa conſuetudine hoc jus Principibus conceſſum eſſe, judicandum eſt. Tum quia quilibet dominus poteſt alium prohibere, ne in ſuo fundo, vel agro, aut ſtagno piſcationem, aucupium, aut venationem exerceat; ergo à fortiori Princeps in ſuo territorio. Antecedens patet ex *L. Item ſi fundi, ff. de Uſufructu*: ibi: *Aucupiorum quoque, & venationum redditum ad Fructuarium pertinere.* Et §. *Feræ, Inſtit. de rer. diviſ.* ibi: *Planè qui alienum fundum ingreditur, venandi, aut aucupandi gratia, poteſt à Domino, ſi is præviderit, prohiberi ne ingrediatur.*

Dices. Jure naturæ, & Gentium licitum eſt, capere animalia libera, & ſylveſtria, ac piſces maris, vel fluminis, quia nullius ſunt domini; atqui Principes non poſſunt tollere Jus Naturæ, & Gentium; ergo neque ſibi reſervare venationem, & piſcationem.

℞. Venationem, vel piſcationem eatenus eſſe, vel dici licitam de Jure naturæ, & 72
Gentium, quatenus ipſa venatio, vel piſcatio non eſt prohibita Jure hujuſmodi, ſicut prohibitum eſt Furtum; non autem ſic, & taliter eſt licita, quaſi ejus prohibitio ob rationabiles cauſas facta, ſit contra Jus naturæ, vel Gentium. Vel clariùs: Jure naturæ, & Gentium, permiſſum eſt venari, & piſcari: hæc autem permiſſio non facit Jus ſtrictum & poſitivum ad venandum, & piſcandum; ſed tantùm Jus negativum, vel permiſſivum. Multa enim ſunt Jure naturæ permiſſa, & licita, quæ tamen juſtis de cauſis Jure humano poſtmodum prohibentur. V. G. Uſus carnium licitus eſt de Jure naturæ, ideſt, non prohibitus eſt hoc Jure; & tamen Lex humana Eccleſiaſtica, ſeu Canonica certis diebus, juſtis de cauſis, prohibet nobis uſum carnium. Ergo à ſimili Lex humana Civilis poterit prohibere uſum (aliàs licitum) venationis, & piſcationis.

Ad argumentum in forma ſic reſpondeo. Jure naturæ licitum eſt venari, & piſcari; *diſtinguo*: Jure poſitivo, *nego*: Jure negativo, vel permiſſivo, *concedo*. Atqui Principes non poſſunt tollere Jus naturæ; *diſtinguo ſimiliter*: non poſſunt tollere Jus naturæ poſitivum, *concedo*; non poſſunt tollere quandoque juſtis de cauſis Jus Naturæ negativum, vel permiſſivum, *nego*. Ergo nequeunt ſibi reſervare venationem, & piſcationem: *nego conſequentiam*.

Quæro XXV. *Qui, ſtante tali prohibitione Principis, piſcatur, aut venatur in loco publico, ſeu non concluſo, peccatne?*

℞. Utique peccat contra juſtam Princi- 73
pis prohibitionem, & obligatur ad compenſationem damni illati; quia violat Jus Principis in tali loco dominantis. Dicunt tamen DD. quòd talis acquirit dominium feræ captæ, vel piſcis: & quòd ad iſtius piſcis, vel feræ captæ reſtitutionem non tenetur; quia talis fera ſylveſtris, vel avis, aut piſcis etiamnum gaudet ſua naturali libertate, ac proinde nedum eſt ſub ſtricto dominio Principis, aut domini fundi,

di, ſed eſt nullius; ergo tranſit in dominium primò occupantis. Quia verò talis venator, aut piſcator lædit ipſum Jus venandi, aut piſcandi competens Principi, aut, domino teritotiali, ideò peccat aliquo pacto contra Juſtitiam, & tenetur ad reſarciendum damnum illatum, &c. Ita Sannig, Leſſius, Tannerius, Lugo, *apud* Anacletum, *tr.* 7. *diſt.* 5. *q.* 2.

74 A fortiori illicitum, & injuſtum erit capere feras, aves domeſticas, ac piſces, aut alia animalia certo in loco jam concluſa, V.G. in hortis, in nemoribus muro circumdatis, in lacu, aut piſcinis, &c. Talia enim animalia jam non ampliùs gaudent ſua naturali libertate; ſed cùm per induſtriam humanam contineantur ſub tali certa cuſtodia, exiſtunt ſub dominium ejus, qui eſt dominus illius loci concluſi: verumque furtum committit, qui invito domino aliquid capit: ut habetur §. *Gallinarum*. *Inſtit. de rerum diviſ.*

Quæro XXVI. *Quid eſt Præſcriptio?*

75 R. Eſt acquiſitio dominii rei alienæ per poſſeſſionem ejus, certo temporis ſpatio à Lege definito bona fide continuatam: quæ *Præſcriptio* alio nomine *Uſucapio* etiam dicitur. Eſt tamen hæc differentia, quòd *Uſucapio* rebus tantùm corporalibus conveniat; *Præſcriptio* verò tam corporalibus, quàm incorporalibus competat, *vel*, ut alii volunt, *Uſucapio* propriè ſit rerum mobilium; *Præſcriptio* autem immobilium. Hæc tamen differentia non ſemper attenditur in Jure; nam quandoque confunduntur, vel una pro alia accipitur: unde parum, vel fermè nihil ab invicem differunt.

76 Jus autem Præſcriptionis, ſeu Uſucapionis introductum eſt Jure humano poſitivo tum Civili, tum Canonico ob publicam utilitatem, & quietem, ne incerta eſſent rerum dominia, neve infinitæ orirentur lites circa rerum proprietates: ut habetur, *L.* 1. *de Uſucap.* Unde ſequitur, quòd translatio dominii facta auctoritate Legis per Præſcriptionem juſta eſt: ſimulque per eam transfertur rerum dominium nedum in Foro externo, ſed etiam in Foro interno conſcientiæ.

Quæro XXVII. *Quænam conditiones requiruntur ad legitimam Præſcriptionem?*

77 R. Hæ quatuor. I. Poſſeſſio rei legitimo tempore à Jure definito continuata. II. Bona Fides. III. Juſtus titulus. IV. Ut res illa ſit apta præſcribi. *Explico I. Poſſeſſio rei legitimo tempore à Jure definito continuata*: quia ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit; nam Præſcriptio fundatur ſuper poſſeſſionem: ubi autem fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt. Quantum verò temporis requiratur, vel definitum ſit, videbimus inferiùs.

II. *Bona Fides*. Nam poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit. Bona autem fides eſt credulitas inculpata qua quis prudenter ſibi perſuadet, rem hanc eſſe ſuam, qui enim dubitat ab initio non poteſt, manente dubio, inchoare Præſcriptionem; ſi autem dubium ſuperveniat ei, qui bona jam fide cœpit poſſidere, poterit continuare præſcriptionem, neque interumpit poſſeſſionem; dummodò interim moralem diligentiam adhibeat in inveſtiganda veritate rei; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

III. *Juſtus titulus*: ſaltem rationabiliter præſumptus, ſive putativus Titulus, ideſt, qui innocente errore putatur juſtus; quamvis revera non ſit, &c. Nomine autem *Tituli juſti* intelligitur cauſa ex ſe habilis ad transferendum dominium, ut V.G. Donatio, emptio, hæreditas, &c. hujuſmodi.

IV. *Ut res ſit apta præſcribi?* ideſt, ut ſit talis, in qua per Legem non prohibeatur fieri Præſcriptio. Quædam enim res ſunt, quæ in Jure dicuntur non poſſe præſcribi, ſeu uſupercipi, aut uſucapi; ut ſunt *res furtivæ*, quæ non præſcribuntur tempore ordinario: eò quòd res furtivæ ſunt vitioſæ; nihilominùs ipſæ etiam à bonæ fidei poſſeſſore præſcribuntur tempore longiſſimo nempè poſt triginta annos; prout DD. communiter tenent, & probant *ex L. Sicut in rem, C. de Præſcript.* Quædam verò nullo modo, nulloque tempore præſcribi poſſunt: ut ſunt *res publicæ*: ideſt, res publicis uſibus deputatæ: ſicuti Forum, pons, portus, via publica &c. *Item* Laici non poſſunt præſcribere, vel uſucapere Jura ſpiritualia, V. G. Jus Decimarum, Jus conferendi beneficia Eccleſiaſtica, &c. cùm nec talia poſſidere poſſint. Secus eſt de Jure Patronatus; quia hujus Juris ſunt capaces &c.

Quæro XXVIII. *Quot anni requiruntur ad Uſucapionem, ſeu Præſcriptionem complendum?*

R. I. Res mobiles privatorum cum titulo, & bona fide præſcribuntur *triennio*; 78
ſine

ſine titulo autem requiritur ſpatium *triginta annorum*. *Ita ex l. un. C. de Uſucap. Et §. 1. de Uſuc. Inſtit. -- Et L. ſicut in rem, C. de Præſcript. 30. ann.*

℞. *II.* Ad præſcribenda bona immobilia privatorum cum titulo, requiritur ſpatium *decem annorum* inter præſentes: & *viginti annorum* inter abſentes. *Sine titulo autem utrobique requiritur tempus triginta annorum* Ut habetur *cit. §. 1. Inſtit. de Uſucap. Et ex cit. Q. ſicut in rem, C. de Præſcript. 30. ann.*

Præſentes in propoſito caſu dicuntur, qui in eadem Provincia commorantur. *Abſentes* verò, qui in diverſis habitant Provinciis; ſive deinde res in eadem Provincia ſint, ſive alibi. Alii tamen DD. volunt, quòd *Præſentes* dicantur, qui in eodem Territorio habitant: *Abſentes* verò qui in diverſis Territoriis commorantur. -- Per *Territorium* autem intelligitur locus, qui proprium habet Gubernatorem, vel Poteſtatem, vel Præſidem Judicem, qui ſoli Principi, vel Senatui ſubeſt.

℞. *III.* Ad præſcribenda bona Immobilia contra Eccleſiam, vel Monaſterium, vel Hoſpitale, aut contra alias pias cauſas, requiruntur *anni quadraginta*. Contra verò Eccleſiam Romanam, vel ejus Jura exiguntur *Centum anni*. Ita habetur ex *Auth. Quas actiones, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Tum *ex cap. de Quarta, & cap. Ad aures. Et cap. Ad audientiam, de Præſcript. & alibi*.

℞. *IV.* Ad præſcriptionem tamdem rerum mobilium ad Eccleſias, vel Monaſteria pertinentium, variant DD. Alii enim requirunt prædictum terminum *trium* tantùm *annorum*. Ita Leſſius, Laymannus, aliique DD. -- Alii verò exigunt ſpatium *quadraginta annorum*. Ita Abbas Panormitan. Goſtienſis, Engel, aliique DD.

Quæro XXIX. *Quid eſt Juſtitia vindicativa?*

79 ℞. Eſt virtus illa, qua Superior ſubdito ſuo infert debitam, & condignam pœnam pro delicto commiſſo. Et hæc virtus participat & de Juſtitia Legali, & de Juſtitia Commutativa. Quatenus Superior reſpicit bonum commune procurandum, & conſervandum debita punitione delinquentium, eſt vera *Juſtitia Legalis*. Quatenus autem exercetur à Judice ex officio debito, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ & erga Rempublicam, & erga partem læſam expetentem compenſationem injuriæ, vel injuſtitiæ ſibi factæ eſt vera *Juſtitia Commutativa?*

Quæro XXX. *Quænam eſt differentia inter Injuſtitiam, & Injuriam?*

80 ℞. Hæc duo paſſim confunduntur; cùm tamen propriè & in rigore differant. *Injuria* enim ut oppoſita Juri, ſeu juſto debito alteri, ſignificat ipſummet injuſtum alteri illatum velut paſſivè; in patiente verò eſt injuria, quæ tot modis poteſt accipi, quot modis accipitur Jus. *Injuſtitia* autem ut oppoſita Juſtitiæ ſignificat ipſammet actionem, vel omiſſionem, qua alteri Jus debitum aufertur, vel negatur: adeò ut *Injuſtitia* ſit ex parte agentis. *Injuria* verò ex parte paſſi illud, quod injuſtum eſt; Unde dici debet, *tu feciſti mihi injuſtitiam, & ego paſſus ſum injuriam à te*: ergo injuria procedit ab omni injuſtitia.

℞. *II.* Injuſtitia, prout confunditur cum injuria ſic definitur: Eſt voluntaria læſio Juris alieni unde ſequitur, quòd nullus niſi volens poteſt facere injuriam alteri; & nullus niſi nolens poteſt pati injuriam; quare, ut Jura loquuntur. *Nulla eſt injuria, quæ in volentem fit*: vel *volenti, & conſentienti nulla fit injuria*. Quia nemo poteſt ſibimet inferre injuriam ex eo, quòd non poſſit habere volitionem ſibimet contrariam. Et nemo poteſt alteri injuriam propriam, ac formalem inferre, niſi ille habeat voluntatem contrariam; atqui non poteſt habere voluntatem contrariam ille, qui volens, & conſentiens in tale factum, vel actum, omninò cedit Juri ſuo, quantum eſt ex parte ſua; qui eo ipſo aufert à ſe omnem voluntatem, quantum eſt de ſe.

Quæro XXXI. *Quid eſt Acceptio perſonarum?*

81 ℞. Eſt peccatum contra Juſtitiam diſtributivam; quod fit quando quis in diſtributione communium bonorum, vel onerum, non attendit cauſam, ſed perſonam. -- Hoc peccatum eſt mortale ex ſuo genere contra Juſtitiam: & locum habet in collatione officiorum & beneficiorum, in dandis votis, vel ſuffragiis, in Judiciis, & ſententiis ferendis, in exhibitione honoris debiti, &c.

Explico breviter, & probo. Quando diſtributione bonorum communium non attenditur proportio dignitatis, ac meriti, vel in diſtributione onerum communium

Digitized by Google

non attenditur proportio facultatis ſingulorum, ſed attenditur alia conditio impertinens, ſeu non attenditur mens cauſæ ſingulorum, tunc peccatur contra Juſtitiam diſtributivam. V. G. Quando conferuntur officia, vel Beneficia indignis, vel minùs dignis, prætermiſſis dignis, vel dignoribus perſonis. *Vel* quando onera communia tributorum, & gabellarum, & ſervitiorum, laborum, &c. ſimilia imponuntur inæqualiter, nempè plus juſto, & æquo gravando eos, qui ſunt minoris facultatis; & è contra parcendo iis, qui majoris ſunt facultatis. *Vel* quando in judiciis; & ſententiis ferendis non ſervatur debita forma, & proportio inter partes, vel non attenditur meritum cauſæ litigantium. *Vel* quando dantur ſuffragia, aut vota ſecreta, non conſiderantur merita eligendorum, &c. Et in cæteris actibus, ubi præ oculis habenda eſt hæc virtus Juſtitiæ diſtributivæ, & non habetur; ſicque attenditur non cauſa, non meritum, ſed perſona.

Quòd autem ſit peccatum mortale ex ſuo genere, patet; quia acceptio perſonarum graviter prohibetur in Sacra Scriptura Eccleſiaſtici cap. 42. *Ne accipias perſonam, ut delinquas.* -- Jacobi cap. 2. *Si autem perſonas accipietis, peccatum operamini.* Et alibi ſæpiùs, ut *Levitici cap.* 19. *Deuteronomii, cap.* 1. *&* 16. *Proverbiorum, cap.* 18. *&* 24. -- Lege Concil. Trid., *ſeſſ.* 12. *cap.* 14. *de Refor. Et ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Refor. & alibi.* Vide etiam propoſitionem la 47. damnatam ab Innoc. XI. -- Obſerva ejus intelligentiam, & explicationem apud Joan. de Cardenas, *in Criſi Theol. diſert.* 28. -- Lege Sporerium *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 108. *& ſeqq.* -- Caſtropalaum, *p.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 2. *pun.* 11. §. 2. -- Leſſium, *l.* 2. *c.* 32. per totum: *& cap.* 34. *dub.* 12. *& ſeqq.* Laymanum, *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *à n.* 6.

82 Hoc unum adverte, quòd Acceptio perſonarum locum non habet in mera gratuita propriorum bonorum, vel favorum diſtributione. Unde *apud DEUM*, qui nullius debitor eſt, etſi unum hominem præ alio majoribus donis, & gratiis præveniat, ac ditet, non per hoc deberet dici acceptor perſonarum, vel dari locum acceptionis perſonarum; nam D. Paulus ad Rom. 2. ait, *Numquid acceptio perſonarum eſt apud Deum? Abſit.* Poteſt enim tibi, & mihi dicere illud Matth. 20. *Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt. An non licet mihi, quod volo, facere?* Sed acceptio perſonæ habet locum tantùm in iis, quæ debentur alteri de Jure, & ex aliquo debito formali.

Quæro XXXII. *Quid eſt acceptio Munerum?*

83 ℞. Eſt peccatum valdè affinis acceptioni perſonarum: & ſæpiſſimè eſt cauſa illius; maximè enim fit acceptio perſonarum ob acceptionem munerum. Fit autem hoc peccatum de acceptione munerum quoties quis munera accipit ob opus, aliàs debitum, (maximè ex Juſtitia, vel ex officio faciendum. Acceptare igitur munera ex pacto expreſſo, vel implicito ob opus, aliàs debitum ex Juſtitia, mortale peccatum eſt ex genere ſuo contra ipſammet Juſtitiam, & reſtitutioni obnoxium; niſi juſta cauſa quandoque excuſet. Secùs eſt de acceptis ob opus debitum ex alia virtute. Ut optimè probat noſter P. Sporer, *loc. cit. à nu.* 120. *& ſeqq.*

Quæro XXXIII. *Quid de acceptis ob turpem cauſam, erit dicendum?*

84 ℞. *I.* Accepta ob turpem cauſam ea dicuntur, quæ dantur, & accipiuntur ob peccatum aliquod patrandum, vel jam patratum. V. G. ſi meretrix, vel alia levis fœmina accipiat pretium meretricium, ſeu operis ſui pravi; ſi Judex, ut injuſtam ferat ſententiam; ſi ſicarius, ut hominem occidat; & ſic de infinitis ſimilibus.

℞. *II.* Accepta propter hujuſmodi opera turpia patranda, ante impletionem operis, non poſſunt licitè, nec juſtè retineri; ſed reſciſſo contractu iniquo, ex conſequenti neceſſariò reſtituenda ſunt. Quia invalidum omninò eſt pactum de re inhoneſta, vel turpi patranda: nam *impoſſibilium, & iniquorum nulla eſt obligatio.*

℞. *III.* Poſt impletum jam opus turpe, poteſt quis licitè recipere, vel retinere pretium pactum, vel datum; quinimò etiam non datum, ſed promiſſum, jure naturali; & in foro ſaltem conſcientiæ, juſtè exigere poteſt. Quia tunc non datur tale pretium pro ipſo peccato, ſed pro actu illo materiali, quatenus danti utilis, vel delectabilis eſt, accipienti autem aliquo modo laborioſus, vel periculoſus eſt; & conſequenter eſt pretio æſtimabilis, & venalis, ſeu vendibilis. Ita communis DD.

De

De Tributis, Vectigalibus, vel Gabellis, Pedagiis, &c.

Quæro XXXIV. *Quid nomine Tributi intelligitur?*

85 ℞. Tributum latè ſumptum eſt quidquid Principi tribuitur, vel ſolvitur ad onera communia ſuſtinenda, ſicque comprehendit Vectigalia, Gabellas, Pedagia, Guidagia, Tallias, Capitationes, Cenſus, Collectas, Taxas, &c. Hic autem erit ſermo ſpecialis de *Gabellis*. Gabella propriè capta eſt tributum illud quod Principi, vel Magiſtratui ſolvitur ex rebus vendatis mobilibus, vel immobilibus. Et quæ de hac re dicemus, poterunt adaptari aliis prædictis Tributis.

Quæro XXXV. *Ut Gabella ſit juſta, quænam conditiones requiruntur?*

86 ℞. Quatuor iſtæ. I. Auctoritas legitima exigentis. II. Juſta cauſa exigendi. III. Modus debitus imponendi. IV. Perſona ſubdita ſolventis: explico ſingulas.

1. *Auctoritas legitima* imponendi tributa, vectigalia, gabellas, ordinariè eſt penes Principes ſupremos, qui in territorio ſuo alium Superiorem non agnoſcunt: & etiam penes eos Superiores, qui à Summis Principibus privilegio, aut legitima conſuetudine hanc facultatem conſecuti ſunt; ut habetur, *cap. Super quibuſdam, de verb. ſignif.*

2. *Juſta cauſa exigendi*, ac imponendi gabellas eſt, I. Suſtentatio Principis. II. Neceſſitas, vel magna utilitas Reipublicæ, cui alia ratione ſubveniri non poſſit: qua ceſſante, etiam exactio illius gabellæ ceſſare debet.

3. *Modus debitus imponendi* gabellas eſt: quòd exactio ſit moderata, & juxta menſuram cauſæ, vel neceſſitatis, &c. *Item*, ne imponatur ſuper eas res, quæ neceſſariæ ſunt ad vitam, & familiam ſubditorum alendam; juxta *L. Univerſi. C. de vectigal.* -- Sed in hoc puncto ſecundo datur limitatio.

4. *Perſona ſubdita ſolventis*: quia tributa juſtè exigi poſſunt directè à ſolis ſubditis; cùm hoc ſit maximum ſignum ſubjectionis. Indirectè verò, & per accidens etiam exiguntur ab extraneis, quando iſti invehunt merces in regionem alterius Principis, propter Jus mercimonii illis conceſſum. Vide Sporer *tr. 5. cap. 5. ſect. 6. per totam*. Ex Leſſium, *lib. 2. c. 33 dub. 1.* Ubi dicit:

87 Hæ omnes conditiones debent concurrere, ut vectigal, ſeu gabella juſta cenſeatur. Unde quinque modis fieri poteſt, ut gabella ſit iniqua, vel injuſta, nempe,

1. *Ex Auctore*: ut ſi non habeat auctoritatem Principis, aut imponatur exemptis.

2. *Ex fine*: ut ſi non imponatur ob publicam neceſſitatem, aut magnam utilitatem Reipublicæ.

3. *Ex forma* vel modo: ut ſi ſubditi onerentur abſque debita proportione: vel ſi gravamen ſit immodicum, &c.

4. *Ex materia*: ut ſi imponatur rebus ad vitam omninò neceſſariis.

5. *Ex Uſu*: ut ſi talis gabella non impendatur ad publicam utilitatem. Et hæ conditiones tam pro, quàm contrà aſſignantur etiam à Card. Cajetano *in Sum. V. Vectigalia*.

Quæro XXXVI. *Subditi tenenturne in foro conſcientia, & ex Juſtitia ſolvere Gabellas juſtè impoſitas?*

88 ℞. I. Multi, graveſque DD. mox citandi ſuſtinent opinionem negativam. Ratio eſt: quia Lex pœnalis non obligat in conſcientia, ſed tantùm ſub pœna ſtatuta; Lex enim non obligat ultra mentem Legiſlatoris; atqui Legiſlator præcipiens, vel prohibens aliquid ſub determinata pœna, videtur habere intentionem directam ad ſolam pœnam; ergo &c. *Subſumo*: ſed talis eſt ex Gabellarum ſolvendarum, quæ Lex ſemper imponit mulctam, ſeu pœnam defraudantibus, quæ communiter eſſe ſolet pœna commiſſi, vel caducitatis, ſeu confiſcationis mercis defraudatæ; ergo defraudantes Gabellas non peccant; & conſequenter non tenentur ad reſtitutionem, niſi poſt condemnationem.

Dices. Talis defraudatio vectigalium tendit in præjudicium Conductorum ementium talia tributa; ergo erit contra Juſtitiam.

℞. Reputandum eſt hoc leve damnum; imò imputandum Ementibus hujuſmodi Gabellas; quia ipſi debent evigilare; nam ſub tali conditione illas emunt; & optimè ſciunt multos fore defraudatores. Tum quia, ſi cum uno perdunt, cum alio poſtea lucrantur ob pœnam contraventionis.

Hanc opinionem abſolutè docent Angelus

g lus *in Sum. V. Pedagium, num. 6.* Navarrus *in Manual. cap. 23. n. 54. 56. 59. 60.* Beja *in Reſp. par. 1. caſ. 13.* & alii apud Dianam Coordinat. *Tom. 6. tr. 1. reſ. 76* Eamque probabilem putant Leſſius, *lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 55.* & Bonacina, *de Contract. diſp. 2. q. 9. pun. 1. n. 5.*

Quare Emanuel Sà, *verbo Gabella, n. 6.* aſſerit, defraudantes vectigalia non eſſe à Confeſſariis urgendos ad reſtitutionem; quod etiam docuit Epiſc. Malderus *in 2. 2. tr. 5. cap 6. dub. 15.*

89 *R. II.* Probabilior tamen, & communior eſt oppinio oppoſita; nempè quòd ſubditi teneantur in conſcientia, & ex Juſtitia ſolvere Gabellas, vectigalia, & cætera tributa, quando iſta ſunt juſta, vel juſtè impoſita. Ratio clara eſt; Cùm enim Principi ex officio incumbat adminiſtrare Rempublicam, curare bonum commune, ac proſpicere communibus neceſſitatibus, & utilitatibus: quæ omnia abſque magnis ſumptibus Princeps præſtare non poteſt; nec ſumptus hujuſmodi ſufficienter ſuppetunt, niſi mediantibus Gabellis, cæteriſve impoſitionibus. Jure poteſt Princeps, vel Magiſtratus exigere illa tributa, quatenus, (ad ipſiuſmet, & officialium ſuorum competentem ſuſtentationem, atque ad neceſſitates, ac utilitates publicas) neceſſarium, & ſufficiens eſt; ergo etiam ſubditi in conſcientia, & Juſtitia tenentur ſolvere.

Præterea. Juſtitia commutativa obligat ſemper in conſcientia; atqui juſta tributa, vectigalia, gabellæ &c. ſunt debita Principi ex Juſtitia commutativa, tamquam debitum ſtipendium ad ſuum ſtatum, & bonum publicum ſuſtinendum; ergo &c.

Confirmatur ex illo ad Rom. cap. 13. *Ideò in & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* Et Matthæi, cap. 22. Ubi Chriſtus Dominus oſtenſo ſibi numiſmate Cenſus, dixit: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Ideſt, Cæſari Tiberio Imperatori reddite tributum, pecuniam &c. Et Deo decimas, victimas, &c. ut gloſſat Ugo de S. Charo.

Ita cum multis Suarez, *lib 5. de Legibus, cap. 18.* Vaſquez, *de Reſtit. cap 6. §. 3. dub. 2.* -- Leſſius, *lib. 2. cap. 33. dub. 8.* -- Laymann, *lib. 3. tr. 3. cap. 3. nu. 5.* -- Lugo, *de Juſtit. diſp. 36. ſect. 4.* & plures alii apud Sporer, *cit. §. 2. num. 150.*

TRACTATUS XXXIII.

DE CONTRACTIBUS.

QUæro I. *Quid eſt Contractus?*

1 *Reſp. I.* Contractus dupliciter accipitur: largè, & ſtrictè. *Contractus largè captus* coincidit cum pacto generatim ſumpto, ſicque comprehendit omnem prorſus contractum ſive gratuitum, ſive oneroſum. *Contractus ſtrictè captus* ſub ſe complectitur ſolùm contractum oneroſum, ſeu reciprocum, qui nempè ex utraque parte paciſcentium, ſeu contrahentium pariit obligationem.

2 *R. II.* Contractus largè acceptus, eſt duorum, vel plurium in idem, conſenſus: ideſt, plurium in unum placitum unio ad aliquid dandum, vel faciendum. V G. Ego tibi dono librum, & tu accipis librum donatum; ſi tu non acceptas, non fit contractus iſte donationis Et ſic de aliis &c.

R. III. Contractus ſtrictè, & propriè acceptus, eſt ultrò, citròque obligatio: ideſt, duorum, vel plurium in idem conſenſus, ex utraque parte obligationem pariens; ut fit in Emptione, Venditione, Locatione &c. V. G. Ego vendo tibi librum, & tu das mihi pretium; Ego Venditor ſum obligatus ad dandum librum, & tu Emptor obligaris ad mihi dandum pretium. Et ſic de aliis &c. 3

Qua-

Quæro II. *Quotuplex eſt Contractus?*

4 ℞. *I.* Multiplex; quia variæ ſunt diviſiones contractuum: I. Contractus dividitur in Explicitum, & Implicitum. *Contractus Explicitus*, ſeu formalis eſt, qui fit expreſſa partium conventione; ut V. G. Donatio, vel Emptio &c. quia in his expreſſe duo in idem conveniunt cum obligatione mutua, vel ſaltem alterius erga alterum. - *Contractus implicitus*, ſeu virtualis eſt, qui fit implicitè tantùm, & abſque ulla expreſſa pactione ſe obligandi. Et hic vocatur *quaſi contractus*: Ut V.G. Tutela, & quodvis aliud officium ſuſceptum; qui enim Tutelam, aut quodlibet aliud officium ſuſcipit, eo ipſo ſe obligat erga alterum, & alter obligatur erga illum juxta leges, vel conſuetudinem &c. *Vel* qui negotium alterius gerit, vi legis, vel conſuetudinis tacitè ſe obligat, ad rectè gerendum &c.

5 ℞. *II.* Contractus dividitur in contractum Nominatum, & Innominatum. *Contractus nominatus* eſt, qui habet ſpeciale, & proprium nomen, quo ab aliis diſtinguitur, ſpecificatur: Ut Emptio, Venditio, Mutuum, Locatio, Societas, Commodatum, Depoſitum, & ſimiles. - *Contractus innominatus* eſt, qui non habet nomen proprium, & ſpeciale, ſed genericum tantùm. Hujus ſunt quatuor ſpecies, videlicet: *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias*. V G. ſi Titio de panem pro vino tibi dando, erit contractus innominatus, *do, ut des*, quia datur una res pro alia, quarum neutra eſt pretium alterius; ergo iſte contractus proprium nomen non habet.

Dices. Erit *permutatio* rei cum alia.

℞. Verum eſt; ſed hoc nomen eſt generale, non verò ſpecificum; nam *permutatio* convenit etiam *emptioni*, & *mutuo*; ergo non conſtituit ex ſe contractum nominatum &c.

Item: ſi Titio des panem, vinum, veſtem &c. ut pro te laboret, erit contractus, *do ut facias*. Item: Si ſcribas, vel labores Titio, ut det tibi panem, vinum, veſtem &c. erit contractus, *facio ut des*. Et tandem: Si ſervias Titio, ut te doceat; erit contractus, *facio, ut facias*.

6 ℞. *III.* Contractus dividitur in contractum bonæ fidei, & ſtricti juris. *Contractus bonæ fidei* ſunt illi, in quibus Judex multa poteſt ex æquo, & bono arbitrari: ut ſunt Emptio, Locatio, Societas, Commodatum, Depoſitum, Pignus, &c. *Contractus ſtricti juris* ſunt illi, in quibus Judex ad verba ipſa adſtringitur; ut in ſtipulationibus, in contractu feudali & emphyteutico, in promiſſione liberali, in donatione &c. *Stipulatio* quid ſit: vide inferiùs, n. 36.

℞. *IV* Contractus dividitur in abſolu- 7
tum, & conditionatum. *Contractus abſolutus* eſt, qui fit independenter à quacumque conditione. *Contractus conditionatus*, eſt, qui fit dependenter ab aliqua conditione extrinſeca: V. G. Dono tibi meum equum, ſi promovearis ad tale officium: qua conditione non impleta, nullam inducit obligationem.

℞. *V.* Contractus largè captus, ſeu pa- 8
ctum dividitur in pactum nudum, & veſtitum. *Pactum nudum* dicitur illud, quod in meris terminis conventionis conſiſtit: talis eſt omnis contractus innominatus, antequam ex altera parte ſit impletus. *Item*, omnis contractus, qui re ipſa perficitur, & pactum nudum ante rei traditionem; ut donatio, mutuum &c. *Pactum* verò *veſtitum*, eſt, quod habet aliquid amplius, ex quo robur obtineat Jure Civili.

Pactum veſtitur ſex modis. I. Re ipſa. II. Verbis. III. Litteris. IV. Specifico nomine contractus. V. Cohærentia, & VI. Juramento.

℞. *VI.* Contractus in communi dividi- 9
tur in Lucrativum, & Oneroſum. *Contractus lucrativus*, ſeu gratuitus eſt ille, in quo nihil rependitur: ideſt, in quo ex una tantùm parte oritur obligatio. Ut Promiſſio, Donatio, Commodatum, Teſtamentum, Legatum &c. -- *Contractus oneroſus* eſt, quo ex utraque parte inducitur obligatio; ita ut obligationi unius correſpondeat obligatio alterius partis. Ut ſunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, &c.

Quæro III. *Omnis contractus, etiam nudus, parit ne obligationem in foro conſcientiæ?*

℞. Quòd ſic: dummodò ſpontè, ac li- 10
berè ſit factus, & contrahentes ſint habiles. Quia Jure naturæ tenetur quiſque præſtare quod promiſit, & alter acceptavit: ſive promiſerit titulo gratuito, ſive oneroſo.

Nec refert, an pacto nudo, an veſtito promiſerit; quia Jure naturæ, & Gentium nulla eſt diſtinctio inter has promiſſiones, ſed ſolo Jure Civili, quod ſolum Forum externum reſpicit. Tum quia, ad obligandum ſe ſe, ſufficit animus verbis expreſ-

Digitized by Google

expreſſus, & acceptatus; ut communiter docent Theologi.

Quæro IV. *Qualis conſenſus requiritur ad valorem contractuum?*

11 ℞. *I.* Ad valorem contractuum omninò requiritur mutuus, & reciprocus contrahentium conſenſus; ut patet ex ipſamet definitione contractus tam largè, quàm ſtrictè capti. Ad talem autem conſenſum quatuor requiruntur conditiones. I. Ut conſenſus ſit liber. II. Ut ſit ſerius, ſeu promiſſorius. III. Ut aliquo ſigno externo ſit expreſſus. IV. Ut talis conſenſus acceptetur ab altero, cum quo ſit contractus.

12 ℞. *II.* Quando in alterutro contrahentium contingit error circa ſubſtantiam rei, tunc Jure naturæ contractus eſt irritus, & invalidus. Quia deeſt conſenſus ſubſtantialis: *Cùm nullus ſit errantis conſenſus*: ut dicit Lex: *Non idcircò. C. de Jur. & fact. ignorant.* Sine conſenſu autem contractus eſt nullus; ergo &c.

13 ℞. *III.* Si autem error contigat ſolùm circa qualitatem accidentalem; tunc contractus eſt validus. Quia talis contrahens verè conſenſit in emptionem illius rei ſubſtantialiter. Deinde error ille (prout ſuppono) non dedit cauſam contractui; neque qualitas illa fuit deducta in pactum, tamquam conditio: (ut item ſuppono.) Præterea tali contractus factus fuit abſque metu: & fraude: (ut etiam ſuppono:) ergo erit validus; nam ſolus, & ſimplex error qualitatis accidentalis unius rei, non tollit conſenſum; aliàs pauci eſſent contractus validi.

14 ℞. *IV.* Si autem dolus adſit, qui det cauſam contractui, & proveniat ex parte unius contrahentis, qui alium contrahentem decipit; tunc talis contractus licèt Juræ naturæ non ſit omninò irritus; tamen pro arbitrio ejus, qui deceptus eſt, irritari poteſt; ſi ſit contractus ſolubilis. -- Quòd *non ſit omninò irritus*, probatur. I. Ex contractu Matrimonii, qui dolo initus, remanet validus: & quia natura ſua inſolubilis eſt, validus perſeverat; nec ob injuriam acceptam irritari poteſt. II. Quia dolus iſte verſatur non circa ſubſtantiam rei, vel materiæ, ſed circa cauſam contrahendi, quæ rei eſt extrinſeca, & acceſſoria; ac proinde non tollit conſenſum. III. Si deceptus velit, contractum conſtare, deceptor non poteſt reſilire; ne ex ſuo dolo commodum reportet. Quòd autem *poſſit irritari pro arbitrio decepti*, patet; quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum, injuriam ei facit; ac proinde tenetur illum reſtituere integrum.

15 Hinc ſequitur, deceptorem teneri ad reſtitutionem rei, & fructuum; etiamſi dominium illius rei translatum fuerit; quia per injuriam fuit cauſa alienationis talis rei: & deceptum poſſe uti occulta compenſatione; ſi aliter quod ſuum eſt recuperare nequeat. V. Leſſium, *l.2.c.17. dub.5.*

16 ℞. *V.* Contractus initus ex metu gravi ab intrinſeco proveniente remanet validus ut habetur, *ex cap. Sicut nobis: e Regul.* Ubi votum Religionis emiſſum à conſtituto in lethali infirmitate, cenſetur validum; ergo & contractus; ut omnes D.D. fatentur; quia talis metus non eſt propriè cauſa contractus, ſed ſolùm occaſio.

17 ℞. *VI.* Similiter metus gravis ab extrinſeco proveniens, juſtè tamen incuſſus, non invalidat contractum. Quia talis metus non infert cuipiam injuriam; nam (ut ſupponitur) juſtè incutitur, quando malum, quod minatur, jure inferri poteſt. Unde ſi quis contraxit Sponſalia metu Excommunicationis, poteſt compelli ad contrahendum Matrimonium; Ut habetur, *cap. ex litteris: 2. de Sponſalib.* -- Et ſi quis violavit Virginem, compellitur eam dotare, vel ducere. -- Item, ſi quis promiſit aliquid, ne accuſaretur de crimine, de quo *Jure* poterat accuſari, tenetur ſtare promiſſis: non obſtante, quòd promiſerit ob metum accuſationis: & ſic de ſimilibus.

18 *Petes*. Quid, ſi ei, qui minabatur accuſationem, non erat animus accuſandi, ſed ſolùm terrendi; poteritne id, quod ſic extorſit, ſibi retinere: Dico quòd ſic. Quia, etſi non habeat animum, habet tamen Jus accuſandi, eoque Jure uti poteſt, quod Jus eſt pretio æſtimabile. Ita Leſſius, & Sanchez, *lib. 4. de Matrimon. diſp. 9.*

19 ℞. *VII* Metus tamen gravis ab extrinſeco procedens, ſimulque injuſtè incuſſus ad extorquendum conſenſum facit, quòd talis contractus vel ipſo Jure poſitivo invalidus ſit, vel ſaltem reſcindendus ſit per ſententiam Judicis. Ita communis DD. & deſumitur ex Jure Canonico, *cap. Abbas. Et cap. Ad audientiam. De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt. Ubi generales hæ regulæ*

gulæ

Digitized by Google

gula dantur: Quæ metu, & vi fiunt, de Jure debent in irritum revocari. Item: *Quæ vi, metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Unde Gloſſa Magna, *in cap. 2. iis, quæ vi &c.* enumerat plures caſus, vel contractus, qui, ſi fiant ex metu gravi, ac injuſtè incuſſo, ſunt ipſo jure invalidi. Ut ſunt Sponſalia, Matrimonium, Profeſſio Religioſa, & his ſimilia: in quibus requiritur plena omninò libertas. V. Anacletum, *tr.* 8. *diſt.* 1. *q.* 2. -- Sanch. *lib.* 4. *de Matr. d.* 8. *n.* 2. – Herinx *d.* 1. *de contract. q.* 3. *n.* 46. Maſtrium Moral. *diſp.* 4. *n.* 23.

Ratio eſt: quia injuſtè cogitur ad contrahendum; ſed qui injuſtè cogitur, cenſetur involuntariè conſentire; ergo nullus eſt conſenſus, moraliter loquendo; unde DD. dicunt, ad contractum validum requiri conſenſum liberum. coactionem repugnare voluntati, ſeu libertati contractuum. Et *lex* 12. *de Sponſalib.* ubi dicitur: *Ibi locum non habet conſenſus, ubi metus, & coactio intercedit.* Et in Regulis Juris Civilibus habetur, *nihil conſenſui tam contrarium, quàm vis, & metus.* Quæ omnia intelligenda ſunt de metu gravi, & coactione à cauſa extrinſeca proveniente: & de metu injuſtè incuſſo, ut patet.

Quæro V. *Contractus aliàs per ſe invalidi poſſuntne juramento firmari, & validari?*

20 ℞. *I.* Juramentum confirmare contractum dicitur, quando non ſolùm ſervandum eſt tale juramentum ob honorem Divini Numinis; ſed etiam alteri, in cujus favorem fit, Jus tribuit; & ſic contractus in ſua ſpecie validus efficitur, qui antea invalidus erat Jure humano &c.

21 ℞. *II.* Quando id, quod juramento promittitur alicui, ſine ullo promittentis peccato ſervari poteſt; tunc juramentum ordinariè eſt validum, & conſequenter ſervandum, ſi ille alter, in cujus favorem factum eſt, velit illud ſervari, vel aliàs legitimè non relaxetur. -- Quando verò id, quod promittitur, ſive peccato promittentis ſervari nequit; tunc juramentum eſt invalidum, & irritum. Utraque aſſertio colligitur ex *cap.* cùm contingat: de jurejurando: ubi dicitur, *ſervari debere hujuſmodi juramenta* (quæ ſcilicèt fiunt ſuper contractum Jure Civili invalidum) *ſine vi, & dolo ſponte præſtita; cùm in alterius præjudicium non redundent, ne obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ*, unde à contrario ſenſu colligitur manifeſtè, non eſſe ſervanda juramenta, ſi obſervatio vergat in diſpendium ſalutis æternæ; vergit autem, ſi intercedat peccatum mortale, aut etiam veniale. Idem colligitur ex illa Regula Juris 58. in 6. *Non eſt obligatorium Juramentum, contra bonos mores præſtitum.* Quia nemo obligari poteſt ad peccatum.

22 ℞. *III.* Quando aliquis àctus principaliter prohibetur Jure Civili ob privatam utilitatem alterius contrahentis, tunc confirmatur juramento; niſi vis, aut dolus intervenerit. Quia quiſque poteſt renunciare id, quod in ſuum favorem eſt introductum. Juramentum autem accedens ſequitur actum conſideratum ſecundùm ſuam primordialem naturam, ideſt ſequitur naturam contractus, quam habet ex natura rei; ergo cùm actus, ſeu contractus ſecundùm naturam ſuam (ſepoſito Jure Civili) ſit validus, confirmabitur juramento; & ſic fiet validus, qui aliàs erat invalidus ex Jure humano; atque ita duplici obligatione tenebitur jurans promiſſa, actum, vel contractum adimplere; nempè obligatione Juſtitiæ, & Religionis propter juramentum.

23 ℞. *IV.* Quando actus prohibetur à Lege humana ob favorem publicum principaliter, tunc non confirmabitur addito juramento; imò juramentum erit invalidum, ita ut non indigebit relaxatione; ratio eſt: quia, *ex cap. ſi diligenti:* 12. *de foro competen.* Et *L. Jus publicum*: 38. *ff. de pactis*: habetur, *non poſſe jus publicum pactis privatorum tolli*; nam bonum publicum præferendum eſt bono privato.

24 ℞. *V.* Quando actus Jure naturæ eſt irritus, vel irritabilis, tunc non confirmatur juramento. Ut V.G. quando vi, vel dolo extortus eſt conſenſus in talem actum, aut contractum; tunc enim ratione injuſtitiæ tenetur violator, vel extortor ad reſtitutionem; quia nullum ſolidum jus acquiſivit: & qui juravit ſuper talem contractum, ratione injuriæ paſſæ, poteſt petere juramenti relaxationem, in communis DD. apud Leſſium, *lib.* 2. *cap.* 17. *d.* 0. *num.* 56.

Quæro VI. *Quanam Perſonæ contrahere, ſeu contractus inire poſſunt?*

25 ℞. *I.* Generatim loquendo, omnes, & ſoli illi contrahere poſſunt, qui habent liberam bonorum adminiſtrationem. Ad

Digitized by Google

diſtinguendum verò, & cognoſcendum quinam ſint iſti; oportet ſecernere, & ſegregare eos, qui non poſſunt licitè, & validè contrahere; q·are.

26 ℞. *II.* Inter eos, qui non habent hanc liberam bonorum adminiſtrationem in primis ſunt *Infantes, Amentes, aut aliàs uſu rationis carentes*: tales enim, licèt ſint capaces dominii, non tamen habent uſum liberæ adminiſtrationis bonorum ſuorum ob defectum ætatis, & uſus rationis II. *Religioſi ſolemniter Profeſſi*: qui, cùm nullius rei dominium habeant in particulari ob votum Paupertatis, conſequenter non poſſunt liberè, & legitimè diſponere de bonis Monaſterii, neque contrahere civili jure, & Canonico ſine conſenſu Prælati, vel Superioris, &c. III. *Filiifamilias, & Uxores* nequeunt contrahere, niſi de iis bonis, quorum dominium, & adminiſtrationem habent: ut vidimus ſuprà, *Tractat.* 32. *num.* 43. IV. *Pupillus pubertati proximus, ac Minorennis* non valet contrahere in ſuum incommodum, ſeu præjudicium, ita ut civiliter obligetur, ſine authoritate ſui Tutoris, vel Curatoris: ut habetur expreſſum, §. *primò Inſtitut. Authent. Tutor.*

27 *Pupillus* ille dicitur, qui cùm adhuc impubes ſit, deſinit eſſe in poteſtate Patris ſui, vel per mortem ipſius Patris, vel per emancipationem. Et iſte Pupillus vel eſt pubertati proximus; vel infantiæ proximus. *Pupillus pubertati proximus*, ſi maſculus eſt, dicitur ille qui habet ætatis decem annos cum dimidio; ſi fœmina, quæ habet novem annos cum dimidio. Ante autem hoc ſpatium temporis, dicitur *Pupillus infantiæ proximus*.

28 *Pubertas* in maſculis incipit poſt expletum ætatis ſuæ decimum quartum annum. In fœminis autem poſt duodecimum annum. Hinc eſt, quòd ante hanc ætatem expletam vocantur *Impuberes*: eaque expleta nominantur *Puberes, & Minorennes*.

29 *Minor, ſeu Minorennis* eſt Pubes uſque ad vigeſimum quintum annum expletum. Poſt hanc ætatem expletam vocatur Major, ſeu Majorennis.

30 *Tutor, & Curator* differunt potiſſimùm in ſequentibus actis. *Tutor* datur à Lege uſque ad tempus pubertatis ad tuendam præcipuè perſonam Pupilli, ſecundariò autem ad bona ejus adminiſtranda; ſecutâ verò pubertate, Tutela finitur. *Curator* datur uſque ad vigeſimum quintum annum, præcipuè, ut bonorum Minorennis adminiſtrator exiſtat.

Obligatio Civilis dicitur illa, quæ aut Legibus conſtituta, aut certo Jure Civili comprobata eſt. *Obligatio naturalis* eſt, quæ ex Jure Gentium per conſenſum oritur; Hinc ſequitur, quòd ille dicitur *obligari civiliter*, qui in Foro externo, ac Civili conveniri poteſt. *Naturaliter autem obligari* dicitur, qui ex Jure Gentium obligatus exiſtit, ac proinde ſaltem in Foro interno conſcientiæ tenetur: niſi tamen beneficio Legis Civilis, ſeu per reſciſſionem actus ope Judicis factam, à tali obligatione liberetur. 31

Obligationis naturalis quatuor ſunt effectus. I. Quòd Creditori jus tribuat accipiendi ac retinendi id, quod naturali obligatione ipſi debitum eſt. II. Quòd impediat debiti ſoluti repetitionem. III. Quòd tribuat cuipiam jus exceptionis, & compenſationis. IV. Quòd poſſit accedere Fidejuſſor, – Verumtamen hi tres poſteriores effectus quandoque ex diſpoſitione Juris Communis ſeparantur, ac præſertim in Pupillis, & Minoribus, ſeu Minorennibus, ſi iſti ſine conſenſu Tutoris, vel Curatoris ſe cuipiam obligent. Ita communis Legiſtarum apud Anacletum noſtrum, *tr.* 8. *diſt.* 1. *q.* 3. 32

His terminis, & nominibus legalibus explicatis, omnia dicta, & dicenda optimè intelligere poteris; nam declaratio ſermonum dat intellectum.

Quæro VII. *Quot modis perficiuntur contractus?*

Notandum. Contractus dupliciter dici poteſt perfectus. *Primò*: quando res, circa quam verſatur, eſt tradita. Sic V. G. Emptio dicitur perfecta, quando res jam eſt tradita, & pretium ſolutum. Verùm hæc perfectio non eſt de intrinſeca ratione contractus: ſed ſæpè eſt effectus conſequens contractum; atque adeò finis, ob quem contractus fit. Nam contractus Emptionis, & venditionis eſt perfectus in ratione contractus ante traditionem rei; dicitur enim propriè *res empta, & vendita* ſtatim, ac inter Emptorem, & Venditorem Conventum eſt de pretio illius rei. *Secundò*: quando ipſe contractus habet omnia neceſſaria, quæ talis contractus ſecundùm ſuam ſpeciem requirit, ut tale nomen mereatur; ſive traditio 33

Digitized by Google

rei ad hoc ſit neceſſaria, ſive non; & de hoc modo perfectionis, ſeu de hac ſecunda perfectione intelligitur Quæſitum.

34 ℟. Contractus quadrupliciter perficitur. I. *Re* perficiuntur contractus illi, qui non conſiſtunt in conventione ſola, ſed requirunt traditionem rei. Ut ſunt Depoſitum, Commodatum, Mutuum, Permutatio, Pignus, Donatio. Non enim iſti contractus cenſentur celebrari, aut celebrati, niſi re tradita: ut ipſamet nomina indicant, quibus ſignificatur traditio alicujus rei. Unde ante traditionem, dum in ſolis verbis conſiſtunt, dicuntur *Pacta nuda*, quæ non pariunt obligationem Civilem.

35 II. *Scriptura* perficiuntur illi contractus, qui ante Scripturam *Rati* non habentur in Jure. Ut Emphyteuſis, & omnis alius contractus, quem contrahentes nolunt concludere, niſi coram Notario, qui Inſtrumentum conficiat.

36 III. *Verbis* dicuntur perfici, qui requirunt certam verborum formulam: tales ſunt omnes ſtipulationes. Hæ ſtipulationes ſunt formulæ quædam Inſtrumentorum quæ conſtant interrogatione prævia unius partis, & reſponſione ſubſequenti alterius: Ut fit in Sponſionibus, Promiſſionibus, Fidejuſſionibus &c.

37 IV. *Conſenſu* perficiuntur contractus, qui non requirunt certam verborum formulam; ſed ſufficit conſenſus quovis modo exteriùs ab utraque contrahentium parte explicatus: Ut Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Sponſalia, Matrimonium, &c. Vide Leſſium, *lib. 2. cap. 17. dub. 2.*

Quæro VIII. *Contractus pariens obligationem in utroque Foro: interno, & externo?*

38 ℟. I. Omnis contractus etiam nudus, ſponte, & liberè factus (ſi contrahentes ſint habiles) parit obligationem naturalem, ſeu in Foro Conſcientiæ; ita ut parte invita, non poſſis reſcindere; niſi Jure poſitivo ſit irritus, vel detur irritandi poteſtas. Eſt Communis ſententia Doctorum. Ratio autem eſt: quia Jure naturæ, & Gentium tenetur quiſque præſtare quod promiſit, altero acceptante; ſive promiſerit titulo gratuito, ſive oneroſo. Nec refert, an pacto nudo, an veſtito promiſerit; quia Jure naturæ, & Gentium, nulla eſt inter hæc pacta diſtinctio, ſed ſolo Jure Civili, quod Jus reſpicit Forum externum. Ut vidimus *ſupra n. 10.*

39 ℟. II. Contractus autem, qui dicitur *Pactum nudum*, non parit obligationem Civilem, ſeu in Foro externo Civili. Ratio eſt: quia Jus Civile reſiſtit talibus contractibus, qui non ſunt facti juxta formularium Legale: ne lites multiplicentur: & permittit eos reſcindi, etiam altera parte nolente, quamdiù pactum nudum neutra ex parte eſt impletum: vel ſi ex altera parte impletum eſt, liberum eſt huic vel pœnitere, vel cogere partem ad complendum. Verumtamen hoc non eſt licitum in foro conſcientiæ: quia utraque pars tenetur ſervare promiſſum, & fidem, altera parte volente, & præſtante; unde in Foro Eccleſiaſtico, & Canonico Jure coguntur tales contrahentes ſtare contractui, & implere promiſſionem, aliàs licitam. Quia cùm Jus Canonicum ſit conditum ad dirigendas conſcientias in ſalutem Animarum, reſpicit obligationem naturalem, &c.

40 Hinc collige, quantum interſit, Confeſſarium ſcire vim, ac differentiam Fori interni, & Fori externi; cùm multa in Foro externo concedantur, quæ in Foro interno non licent; Ad Theologos autem, & Confeſſarios ſpectat judicare ſecundùm *Forum Poli*, nempè internum conſcientiæ, non ſecundùm *Forum Fori*, nempe externum, juxta Civilem Politiam, ſeu Gubernationem. Magis, magiſque apud nos æſtimandum eſt Jus Canonicum, quàm Jus Civile &c. quia ſumus Judices Animarum, & Conſcientiarum.

41 *Forus* maſculini generis ſignificat locum, ubi judicium exercetur. *Forum* verò generis neutri ſignificat territorium Judicis, ubi habet poteſtatem: ut docet *Summa Armilla. V. de Foro.* Tranſlatum poſtea eſt ad ſignificandum Forum, ſeu Judicium internum, & externum, ut paſſim invenitur in libris moralibus.

Quæro IX. *Quando contractus fuit invalidus, quomodo debet, vel poteſt ratificari?*

42 *Notandum eſt*, Contractum poſſe eſſe invalidum multiplici de cauſa. I. Vel *ratione fictionis*: ut ſi uterque, vel alteruter contrahentium in animo non conſenſit. II. Vel *ratione metus gravis*. III. Vel *ratione doli*. IV. Vel *ratione alicujus impedimenti irritantis*. V. Vel *ratione defectus formæ ſolemnis*.

℟. I.

℞. I. Si contractus ſit invalidus *ratione fictionis*, nihil requiritur ad ipſum ratificandum, niſi conſenſus liber ex parte ejus, in quo fuit præterita fictio; Quia quando ſimulatè, vel fictè contraxit, nihil defuit contractui, præter ejus internum conſenſum; nam (ut ſupponitur) exteriùs conſenſum præſtitit; ergo ſupplendus erit iſte defectus per illius internum conſenſum aliquo ſigno externo expreſſum, vel exprimendum, quo nimirùm oſtendat, ſibi placere contractum jam initum.

43 ℞. II. Similiter quando contractus *ratione metus* fuit invalidus, nihil aliud requiritur, niſi ut is, qui metu conſenſit, ſublato metu, novum conſenſum præbeat, ut ſuprà. Nec refert etiamſi multum temporis à primo contractu invalido interceſſerit; quia alter ſemper manet in ſuo priore conſenſu, utens re, tamquam ſua. Ut rectè notat Navarrus, *cap.* 22. *n.* 80.

44 ℞. III. Si dolus dedit cauſam contractui, deceptus non cenſetur illum ratificare, niſi veritate detecta rurſus exteriùs conſentiat. -- Idem dicendum, quando ſuberat aliquod impedimentum irritans: ubi enim ſciverit ſublatum impedimentum, opus eſt novò conſenſu. *Prior pars patet*: quia quamdiu latet dolus, conſenſus non eſt liber: imò Jure non cenſetur eſſe conſenſus; nam voluntas non fertur in incognitum. *Poſterior pars etiam patet*: quia quando erat impedimentum irritans, conſenſus fuit invalidus, utpote in materiam inhabilem; ergo impedimento ſublato requiritur novus conſenſus. Vide plura apud Leſſium, *lib.* 2. *c.* 17. *dub.* 11.

45 ℞. IV. Si contractus ſolùm fuit irritus ratione formæ ſolemnitatis Jure Civili requiſitæ, tunc pro Foro conſcientiæ non eſt opus alia ratificatione; quamvis pro Foro externo requiratur, & debeat ſuppleri illa ſolemnitas. Patet ratio; quia quando agentes, vel contrahentes ſunt per ſe habiles, & plenè conſenſerunt, actus, vel contractus Jure naturæ, & Gentium eſt validus; ergo &c. Ad evitandam verò litem ſupplendus erit defectus ſolemnitatis, &c. præſertim hac noſtra ætate in qua lites abundant etiam in rebus ſolemniter celebratis.

De Contractibus in ſpecie, & primò de Gratuitis.

De Contractu promiſſionis.

Quæro X. *Quid eſt Promiſſio?*

℞. Eſt ſpontanea, & deliberata fidei humanæ 46 obligatio, facta alteri de aliqua re bona, & poſſibili. Fitque, quando quis ſpontè, ac animo ſe obligandi, pollicetur alicui quidpiam dare, vel facere, quod honeſtè, & commodè poteſt.

℞. II. Promiſſio differt à Propoſito; 47 quia Promiſſio eſt actus voluntatis externè manifeſtatus, quo quis ſe alteri obligat. Propoſitum verò, licèt ſit actus voluntatis deliberatus, & firmus aliquid faciendi, vel dandi; ex ſe tamen nullam inducit obligationem; quia concipitur ſine actuali obligatione, & explicatur per verbum, *Faciam, dabo, &c.* Promiſſio verò explicatur per verbum, *Promitto, me facturum, aut daturum tibi hoc, vel illud*; & intenditur obligatio.

Promiſſio debet eſſe de re *bona* morali- 48 ter; quia, ut habetur *in Regula 69. Juris Can. in 6. In malis promiſſis fidem non expedit obſervare*. Idque intelligendum, etiamſi Promiſſio de re mala ſit juramento firmata; nam in Reg. 58. ibi: habetur: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*. -- Debet etiam eſſe Promiſſio de re *poſſibili*; quia *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*: juxta Reg. 6. eodem loco.

Infertur proinde, quòd ſi quis Propo- 49 ſitum utcumque firmum non ſervaverit, peccati propterea reus non erit; quia nulla ſe obligatione conſtrinxit ex tali Propoſito: ut puta ſi Titius propoſuit jejunare, vel dare eleemoſynam, aut Coronam B. V. vel alias preces recitare: hoc, vel illud poſtea non implendo, non peccavit; niſi aliunde ſit obligatus ad tale quid faciendum; aut niſi omittat ex inordinata paſſione, gravi ſocordia, pigritia &c. In tali tamen inordinata bonorum Propoſitorum mutatione, invenies peccatum veniale *inconſtantiæ*; cùm ſit quædam inordinatio mentis derelinquere ſine ulla rationabili cauſa Propoſita bona, benè conſulta. Vide Leſſium, *lib. 3 cap. 2. dub. 6. in fine*. Qui enim facilè mutat Propoſitum, vocatur inconſtans.

℞. III.

50 ℞. *III. Promiſſio* legitimè facta, & ab altero acceptata, ex genere ſuo obligat ex virtute Juſtitiæ, & ſub culpa gravi; niſi rei promiſſæ parvitas excuſet. Unde illud Axioma: *Omne promiſſum cadit in debitum*. Quia promittere, propriè loquendo, eſt aſtringere alteri fidem ſuam, animo ſe obligandi. Vide Sanchez, *lib. 1. de Matrimonio diſput. 5. à numero* 14. – Plurimæ tamen Promiſſiones non impletæ excuſari poſſunt à mortali: quia per eas non intendunt homines ſe propriè, ac rigoroſè obligare; ſed tantùm ex quadam benevolentia, & humanitate promittunt. Vel quia ignorant tantam ex ſimplici promiſſione inſurgere obligationem. Unde in proverbium abiit: *Verba humanitatis minimè obligare*: quod eſt contra aliud, *Verba ligant homines*.

51 ℞. *IV. Promiſſio*, etiam valida, & rigoroſa variis modis deſinit obligare. *I.* Propter condonationem *Promiſſarii* (qui eſt ille, cui facta eſt promiſſio, & qui eam acceptavit;) nam quilibet Juri ſuo partiali renunciare poteſt. *II.* Per mutationem rei promiſſæ, quæ V. G. evaſit vel impoſſibilis, vel illicita, vel damnoſa, vel inutilis *III.* Ob ſupervenientem mutationem ſtatus *Promiſſoris*, ſeu Promittentis: ut V. G. ſi Promiſſor in paupertatem incidat. *IV.* Ob mutationem etiam ſtatus Promiſſarii: ut V. G. ſi puellæ diviti, pulchræ, honeſtæ promiſit Matrimonium, quæ poſtea fiat pauper, vel deformis, vel corrupta. *V.* Propter ingratitudinem ipſiuſmet Promiſſarii, hæc enim cauſa non tantùm obligationem Promiſſionis tollit, ſed inſuper Donationem facit revocabilem: ut habetur, *cap. ult. de donationibus*. Intelligo de *gravi ingratitudine*. *VI.* Per compenſationem; ſi videlicet duo ſibi invicem aliquid promiſerunt, & alter non vult ampliùs ſtare promiſſis; tunc nec prior manet obligatus. *VII.* Ob non ſubſiſtentiam motivi principalis: Ut ſi intuitu paupertatis quidpiam Titio promiſiſti, quem poſtea comperis revera non eſſe pauperem. Idem dicendum, ſi intuitu præſtiti beneficii promiſiſti, & tamen illud beneficium præſtitum non fuit, Ita P. Anacletus, *tractat. 8. diſt. 2. quæſt. 1.*

De Contractu Donationis.

Quæro II. *Quid eſt donatio?*

℞. *I.* Eſt doni datio: ideſt: datio rei merè liberalis. *Vel* eſt translatio dominii alicujus rei per actum purè liberalem in alium facta. Et multipliciter dividitur. I. in donationem merè gratuitam: & in donationem remuneratoriam. II. In donationem abſolutam, & in conditionatam. III. In donationem inter vivos: & in donationem cauſa mortis &c. 52

℞. *II.* Donatio qualibet ante acceptationem non patit ullam obligationem; poteſtque liberè revocari. Ratio patet; quia nullus eſt contractus, nullum eſt pactum, donec adſit conſenſus reciprocus; ergo &c. 53

℞. *III.* Donatio merè verbalis ante actualem rei traditionem non dat *Jus in re*, ſed tantùm *Jus ad rem*; nam ut dicitur *L. Traditionibus, C. de Pactis. Traditionibus, & uſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis acquiruntur*. Unde reſolves. Si Cajus tibi donavit equum abſentem: non per hoc acquiris Jus, ac dominium illius equi; & hinc, ſi interea Cajus vendat illum alteri, eique tradat equum tibi antea ſolo verbo donatum, iſte Tertius dominium equi acquirit. Tu tamen habes actionem perſonalem in Cajum pro injuria tibi facta ratione *Juris ad rem*, quod jus vi præteritæ donationis habebas in equo. Et ſic de ſimilibus. 54

℞. *IV.* Illi tantùm poſſunt donare, qui ſunt habiles ad contrahendum: ut patet ex dictis *ſuprà, n.* 25 55

℞. *V.* Donatio Patris filio facta ſtudiorum cauſa, eſt valida; nec filius tenebitur poſtea computare rem ſibi donatam in diviſionem, aut legitimam portionem; quia talis donatio fuit loco alimentorum; tum quia ſi computetur, aut detrahatur, jam non erit donatio contra ſuppoſitum caſum. Ita *ex l. ſi Pater. 2. ff. famil. &c.* 56

℞. *VI.* Tot cauſis poteſt revocari Donatio verbalis, quot Promiſſio; quia Donatio verbalis ante realem, hoc eſt, rei traditionem, vix differt à Promiſſione; unde vide *ſuprà n. 51.* Donatio verò realis inter vivos tribus potiſſimum de cauſis adhuc revocari poteſt. I. Ob ingratitudinem *Donatarii*, nempè ejus, qui donum accepit. II. Ob prolem ſuſceptam. III Si fuerit inofficioſa. Vide Leſſium, *lib. 2. c. 18. dub. 14.* 57

℞. *VII.*

58 ℞. *VII.* Inofficioſa Donatio eſt illa, quæ fit contra officium Pietatis Paternæ in filios. Ut ſi quis Pater tantum donet alteri, ut filii ſui priventur ſua legitima portione. *L. 1. C. de inoffic. donat.*

De Commodato.

Quæro XII. *Quid eſt Commodatum?*

59 ℞. *I* Eſt gratuita conceſſio alicujus rei ad aliquem ſpecialem uſum. — Qui dat rem, vocatur *Commodator*: qui autem recipit, dicitur *Commodatarius*.

60 ℞. *II* Res commodata poteſt eſſe vel immobilis: ut domus, ſtabulum &c. vel mobilis; ut equus, vas, aliquod inſtrumentum artis &c. Et res illa, quæ propriè eſt commodata, gratis dari, & accipi, ac uti debet; alioquin mutaretur contractus, mercede interveniente, ut evaderet *Locatio*. — Item res commodata ad ſolum uſum datur, ſeu ad utendum ea; quia per hoc contractus iſte *Commodati* differt à Pignore, & Depoſito, quorum uſus non conceditur; nam ſi Creditor re pignorata, vel Depoſitarius re depoſitata utatur invito domino, furtum in tali uſu committit. — Deinde in *Commodato* ſolus uſus rei, non autem dominium rei conceditur; & per hoc differt à *Mutuo*, in quo rei datæ dominium etiam transfertur. — Et tamdem res commodata ad aliquem ſpecialem uſum conceditur; non enim licitum eſt uti re commodata ad alium uſum, quàm ad quem conceſſa eſt; ut habetur *arg. cap. un. de Commodato*: & alibi; quia ad incertum uſum nihil commodari poteſt; nam per hoc differt Commodatum à *Precario*; quia Precarium fit ad incertum uſum, & tempus; Commodatum verò ad uſum certum, & tempus. Vide plura *in Summa Sylveſtrina. V. Commodatum.*

De Precario.

Quæro XIII. *Quid eſt Precarium?*

61 ℞. Eſt quod precibus petentis ad utendum conceditur, quamdiù is, qui conceſſit, patitur, aut vult. Unde *Precarium* quaſi convenit cum Commodato; cùm utrumque gratis fiat, & in utroque res ad uſum tantùm concedatur. Differt tamen in hoc, quòd Commodatum eſt ad certum tempus, & uſum; ita ut res commodata repeti non poſſit à domino, niſi poſt uſum, & tempus expletum; eo autem finito reſtituenda eſt, quamvis non repetatur. — E contra *Precarium* quocumque tempore revocari poteſt; nam qui precario concedit, ſic dat, quaſi ſtatim recepturus, cùm ſibi libuerit. Intellige, dummodò non ſtatim revocetur ſine cogente neceſſitate: ne fruſtrà, & illuſoriè conceſſum videatur, neve beneficium alicui præſtitum, ipſi damnoſum exiſtat; ut habetur *L. 1. ff. de Precario.*

De Depoſito.

Quæro XIV. *Quid eſt Depoſitum?*

62 ℞. Eſt quod cuſtodiendum alicui datur. Et fit regulariter gratia ſolius Deponentis, nulla mercede data, vel promiſſa; alioquin ſi pro cuſtodia rei detur merces, jam tranſit in alium contractum, nempe Locationis, & Conductionis; cùm tunc Depoſitarius (idest, qui rem cuſtodiendam recipit) accipiens mercedem, cenſeatur operam ſuam ad eam rem conſervandam alteri locare; ut habetur *L. 1. §. ſi veſtimenta, ff. Depoſiti.*

63 Si Depoſitarius re depoſita ſine expreſſa, vel rationabiliter præſumpta domini licentia utatur, aut ipſam alienat, peccat, & furtum commitere cenſetur. Ita habetur *L. Si ſacculum, ff. Depoſiti. Et §. Furtum autem. Inſtit. de Obligationibus &c.* Ratio eſt: quia uſus rei depoſitæ non eſt ei conceſſus ex vi hujus contractus; ergo &c.

Quæro XV. *Si res commodata, vel depoſita pereat, cuinam perit?*

64 ℞. *I.* Si caſu fortuito pereat apud Commodatarium, aut Depoſitarium, domino ſuo perit; nam quælibet res domino ſuo perit; cùm ergo dominium, & poſſeſſio rei commodatæ, vel depoſitæ maneat apud dominum, ſequitur, quòd ſi fortuitò perit; dominò illius perit.

65 ℞. *II.* Si autem pereat talis res ex culpa, aut mora Commodatarii, aut Depoſitarii: tunc iſte, vel ille ad reſtitutionem tenetur. Ita habetur expreſſum *in Jure Can. c. un. de Commodato.*

66 ℞. *III.* Si pactum intervenerit de præſtando damno, quomodocumque res pereat; tenebitur quis etiam de caſu fortuito: eò quòd periculum rei in ſe ſuſcepit, ſeque obligavit ad quodcumque damnum reſarciendum; ſiquidem *contractus ex*

con-

conventione legem accipiunt. Reg. 85. Juris Can. in 6.

67 ℞. IV. Si Commodatarius poſt expletum uſum, vel tempus rei tardaverit reddere rem domino ſuo, tenebitur etiam de caſu fortuito; nam *Mora ſua cuilibet eſt nociva: Reg. 25. Juris in 6.* Limita; niſi res eodem modo fuiſſet peritura apud dominum; quia tunc non cenſetur mora fuiſſe cauſa damni. Si autem eodem modo non fuiſſet peritura apud dominum, & mora tua, aut culpa periit caſu etiam fortuito, tunc verè obligaris ad recompenſationem damni. Ut habetur *in cit. c. un. de Commodato.*

68 Idem dicendum ex paritate rationis de Depoſito, poſtquam illud dominus repetivit, & tu fuiſti in mora reddendi.

69 ℞. V. Nemo tenetur de damno dato in re alterius, etiamſi apud ipſum exſtat ex contractu, niſi ob dolum, aut ob culpam latam: idest, niſi res illa pereat apud ipſum ex tanta ſua negligentia, aut culpa, quæ ſit peccatum mortale: ſtando intra limites conſcientiæ, & Juris naturalis. Ut fundatè probat more ſolito Leſſius, *librò 2. de Juſtitia Jure, capitulo 7. dub. 6. numero 27.* Ratio theologica eſt: quia, quando ſolùm culpa venialis fuit, non cenſetur actus perfectus in ratione injuriæ, ergo non inducit obligationem reſtitutionis, vel recompenſationis damni, ſaltem perfectam, qua quis aſtringatur ſub peccato mortali. Non enim poteſt obligatio major eſſe in ſuo ordine, quàm fuerit injuria, ex qua naſcitur, parit in ſuo ordine.

70 Stando verò intra limites Legis humanæ aliter eſt diſcurrendum: Siquidem loquendo de Commodato, *cùm gratia ſui tantùm quis commodatum recipit, de leviſſima etiam culpa tenetur*: ut habetur, *cit. capitulo unico de Commodato*. E contra verò, loquendo de Depoſito, Depoſitarius ordinariè tenetur ſolùm de dolo, & culpa lata: *argum. leg. 1. Cod. Depoſiti: ibi. Qui Depoſitum accepit, dolum ſuum, & latam culpam præſtare debuit.* Ratio hujus diverſitatis eſt clara; quia Depoſitum regulariter fit gratia ipſius Deponentis, ut illud ipſi ſecurè aſſervetur. Commodatum verò fit gratia ſolius Commodatarii, cujus neceſſitati, aut indigentiæ per rem commodatam Commodans ſubvenit.

Quæro XVI *Qui ſine culpa gravi, vel mortali ſeu theologica fuit cauſa, vel occaſio damni illati in re aliena apud ſe exiſtente, ut ſuprà, teneturne ad compenſandum illud damnum?*

℞. Quidam DD. affirmant; ratio eo- 71
rum eſt: quia ſicut ubi nulla eſt culpa, nulla ibi eſt obligatio: & ubi eſt mortalis culpa, eſt etiam obligatio ſub mortali: ita etiam ubi eſt culpa venialis, ibi videtur eſſe obligatio ſub veniali; ergo &c. — Sed aliis DD. veriùs videtur, nullam eſſe obligationem reſtituendi; nam obligatio in materia gravi, non poteſt eſſe niſi ſub gravi peccato; pendet enim obligatio ex materiæ gravitate; at mirum videretur, hominem ſub veniali duntaxat obligari ad reſtitutionem damni centum aureorum: nec poſſe ab hoc liberari peccato veniali, niſi proponat realem reſtitutionem. Ratio eſt; quia cùm ſolùm venialis culpa (ut ſupponitur) in damno inferendo, vel illato interceſſerit: ut puta ex quadam levi negligentia, in conſideratione, oblivione &c. cenſetur tale damnum quaſi fortuitò obveniſſe; quis enim in hujuſmodi rebus cuſtodiendis, & periculoſis, non aliquando aliquam negligentiam (velut in ſuis propriis) admittit? Rariſſimè tamen hinc talia damna accidunt; ergo meritò quaſi fortuita videri debent. Vide Leſſium, *cit. lib. 2. c. 7. dub. 6. n. 28.*

Quæro XVII. *Prædictæ leges humanæ obligantes ad reparationem damni illati ex culpa duntaxat levi, vel etiam leviſſima, obligantne in conſcientia ante Judicis ſententiam?*

℞. Minimè. Ratio eſt: quia non vi- 72
dentur tales leges receptæ communiter cum tanto rigore in Foro conſcientiæ. Tum quia nemo eſt, qui in rebus alienis cuſtodiendis (etiam ex vi contractus communis Commodati, Depoſiti, Pignoris, Conductionis, &c.) ut putet, ſe majorem diligentiam, & cuſtodiam debere ex Juſtitia adhibere, quàm in rebus ſuis propriis pro Foro conſcientiæ. Pauciſſimos autem reperies homines qui effugiant culpam levem, & leviſſimam in in rebus propriis cuſtodiendis; quia à venialibus negligentiis ſe abſtinere, difficillimum eſt.

Pro recta intelligentia dictorum, & dicendorum, oportet ſcire: *Culpam* aliter accipi apud Juriſtas, & aliter apud Theologos;

Digitized by Google

logos; Siquidem Theologi nomine *culpa* intelligunt peccatum, ſive mortale, ſive veniale. Juriſtæ verò accipiunt *culpam* pro omiſſione alicujus diligentiæ, unde ſequatur damnum aliquod proximo. – Hæc autem *culpa* Juridica, ſeu Civilis communiter dividitur in culpam latam, levem, & leviſſimam:

74 *Culpa lata* eſt omiſſio ejus diligentiæ, & circumſpectionis, quam paſſim homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent. Ut V. G. ſi quis librum ſibi commodatum relinqueret foris ante oſtium domus ſuæ, qui proinde perditur. Et hæc culpa licèt dolus propriè non ſit, tamen in Jure æquiparatur dolo.

75 *Dolus* enim propriè capitur eſt omnis calliditas, fallacia, & machinatio, ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum alterum, adhibita ſtudiosè.

76 *Culpa levis* eſt omiſſio ejus diligentiæ, & circumſpectionis, quam ſolent homines diligentiores illius conditionis adhibere. Ut V. G. ſi quis librum ſibi commodatum in cubiculo relinqueret, oſtio tamen aperto; nam homines diligentiores ſolent etiam claudere oſtium ad res ſuas meliùs cuſtodiendas.

77 *Culpa leviſſima* eſt omiſſio ejus diligentiæ, & circumſpectionis, quam diligentiſſimi, & prudentiſſimi viri adhibent. Ut V. G. ſi quis librum ſibi commodatum intra cubiculum relinquens, & claudens etiam oſtium; non tamen experitur, vel tenet manu, an oſtium benè ſit clauſum ut ſolent facere diligentiſſimi.

78 *Caſus fortuitus* eſt rei inopinatæ eventus, qui neque à diligentiſſimo prævideri, & caveri poteſt. Ita ex Anacleto, *lib. cit. tract.* 8. *diſt.* 2. *quæſt.* 4. – Navarro in Manuale, *cap.* 17. *num.* 178. – Leſſio, *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. colligitur &c. Qui Leſſius, *dub.* 7. aſſerit, & probat, neminem teneri in foro conſcientiæ ex culpa levi, & leviſſima; ſed solùm ex lata, & gravi.

De Teſtamentis, & Legatis.

Quæro XVIII. *Quid eſt Teſtamentum?*

79 R. Eſt voluntatis humanæ juſta ſententia de eo, quod poſt mortem ſuam fieri voluerit, cum directa hæredis inſtitutione. – Differt à *Codicillo* per ultimam particulam; nam *Codicillus* eſt ultima voluntas hominis abſque hæredis inſtitutione; unde eſt quaſi imperfectum Teſtamentum. Teſtamenta enim mutantur, & declarantur, ſalva hæredis inſtitutione, per Codicillos. Tam in Teſtamento, quàm in Codicillo fieri poſſunt, & ſolent Legata, Donationes cauſa mortis, Fideicommiſſa &c. – *Legatum* eſt donatio quædam à Teſtatore relicta, & ab hærede præſtanda. – Teſtari poteſt omnis, qui contrahere, & alienare poteſt.

80 Teſtamentum variè dividitur. Aliud enim eſt *Teſtamentum ſolemne*, ſeu perfectum: & eſt quod conditur cum omnibus formulis, & ſolemnitatibus à Jure requiſitis, ut ſit validum. Aliud eſt *minùs ſolemne*, ſeu privilegiatum: & eſt quòd, etſi careat illis ſolemnitatibus, valet tamen ex privilegio, ut eſt Teſtamentum ad pias cauſas. Aliud eſt *Teſtam. ſcriptum*, ſeu clauſum: & eſt quod fit ſcripturâ, vel ſcripto, ſed non legitur: quia Teſtator vult latere id, quòd ſcripſit uſque ad ejus mortem incluſivè. Aliud eſt *Teſtam. nuncupativum*, quod oretenus pronunciatur à Teſtatore coram Teſtibus, & Notario, qui poſtea ſcribit mentem, & voluntatem expreſſam ipſius Teſtatoris. At omiſſis aliis, quæ non faciunt ad noſtrum intentum, ſcribam ea, quæ mihi videntur neceſſaria ſciri à Confeſſario novello.

81 *Teſtamentum ad pias cauſas* dicitur illud, in quo hæres inſtituitur cauſa pia, vel opera pia: ut V. G. Eccleſia, Monaſterium, Hoſpitale, Pauperes &c. ſive, quod principaliter, & directè fit ob DEI, Beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum honorem, & conſequenter in Animæ Teſtatoris ſalutem. Idem dicendum de Codicillo, & Legato ad pias cauſas facto: ut quando relinquitur aliquid Eccleſiis, Capellis, Religioſis, aliiſque piis locis, & cauſis, ſeu operis pietatis &c. item quando legantur eleemoſynæ pauperibus, & ſuffragia Defunctis, &c.

82 Ut Teſtamentum ad pias cauſas ſit validum in Foro tam interno, quàm externo, non requiruntur ſeptem Teſtes, nec aliæ ſolemnitates Juris Civilis; ſed ſufficiunt ea, quæ ſunt de Jure Naturæ, & Gentium, nimirùm, ut ſit poteſtas in diſponente, capacitas in eo, in cujus favorem diſponitur, libertas in diſpoſitione, ſimulque adſint duo Teſtes. Ita Covarruvias, *capit.* 11. *de teſtam. numer.* 9. Julius clarus, §. *Teſtam. quæſt.* 6. *num.* 1.

Leſſius, *lib. 2. cap. 19. dub. 2.* Anacletus Moral. *tract. 8. diſt. 3. quaſt. 3* -- Et colligitur apertè ex *cap. Relatum 1. de teſtam.* Ubi Alexander Papa Tertius mandat, ut Judex cauſas, in quibus agitur de iis, quæ relicta ſunt Eccleſiis, tractet non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Canones; duobus, vel tribus dumtaxat legitimis Teſtibus requiſitis; Quod etiam in Foro Civili ſervandum eſſe, docent Clarus *ſuprà cit. & alii DD.* Neque requiritur præſentia Parochi; nam Pontifex prædictus hoc non expreſſit. Potuit enim Papa hac in re Legibus Civilibus derogare; quia poteſtatis Eccleſiaſticæ (cujus plenitudo reſidet in Romano Pontifice) eſt, ordinare hominem ad finem ſupernaturalem, qui eſt ſalus Animæ: & conſequenter poteſt ſubmovere, & tolere omnia illa, quæ ſtudium, & curſum bonorum operum ad ſalutem Animarum pertinentium, impediunt. Atqui iſtæ Leges Civiles in cauſis piis impedirent ſtudium, & curſum bonorum operum; ergo &c. -- Tum quia, cùm hæc materia ſit Spiritualis, tenendum eſt, & obſervandum Jus Canonicum in utroque Foro, tam in Eccleſiaſtico, quàm in Civili; quod ipſum confirmat praxis communis.

83 Quinimò præſentia illorum duorum, vel trium Teſtium non eſt de forma ſubſtantiali, ſed tantùm de probatoria, adeòque hujuſmodi Teſtamentum validum eſt etiamſi duo Teſtes non fuerint adhibiti, dummodò aliunde conſtet manifeſtè de mente Teſtatoris relinquentis ſua bona ad pias cauſas. Ita Fagnanus *in cap. Relatum, num.* 8. Covarruvias, *loc. cit. nu.* 12. Leſſius, *tit. num.*.7. Laymann. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 3. Anacletus, *tit. num.* 22. Ratio eſt: quia in ultimis voluntatibus ad pias cauſas non habent locum Leges Civiles ob defectum Juriſdictionis; in Jure autem Canonico nullibi habetur Decretum irritans Teſtamentum, aut Codicillum, aut Legatum ad pias cauſas factum ſine duobus Teſtibus: quando aliunde certò coſtet de voluntate Teſtatoris, ut puta per propriam ejus ſcripturam, per aliud quodcumque ſignum externum manifeſtativum propriæ voluntatis.

84 Unde ſequitur: ſi hæredi certò conſtet, voluntatem Teſtatoris fuiſſe, ut aliquid in pias cauſas expendatur, talem hæredem in Foro conſcientiæ obligatum eſſe ad ſatisfaciendum; licèt in Foro externo id nequaquam probari poſſit. Ratio eſt; quia Jure Naturæ, & Gentium plus non requiritur: & tunc probatione opus non eſt, ubi de veritate, & voluntate conſtat.

Item ſequitur: ſi moribundus cœpit facere Teſtamentum, & morte præventus non abſolvit; licèt quoad alia irritum ſit, valere tamen quoad Legata pia, quæ jam expreſſa fuerunt. Ratio patet ex dictis. 85

Quæres. An credendum ſit Parocho, vel Confeſſario, qui poſt mortem Titii pœnitentis, vel parochiani, proteſtatur, Titium ante mortem ſuam Legatum aliquod feciſſe ad pias cauſas? 86

℞. Minimè: quia vox unius, vox nullius: ut habetur, *argum. cap. Licèt: Et cap. In omni. Et capit. veniens, de Teſtibus*. Et *L. Juriſjurandi, Cod. eodem*. Et juxta illud Salvatoris noſtri, Matth. 18. & Luc. 17. *In ore duorum, vel trium Teſtium ſtat omne verbum*. Atque eò minùs credendum erit ei, ſi tale Legatum reſultet in ejuſdem Parochi, aut Confeſſarii favorem, quia nemo Judex, & ſimul Teſtis in propria cauſa.

Quapropter prudentes, ac circumſpecti Parochi, Capellani, & Confeſſarii advertere debent, ne incidant in foveam iſtam, in quàm nonnulli imperiti inciderunt, nec tamen aliud obtinuerunt, quàm litigioſas confuſiones, & expenſas. Et quando caſus dabitur recipiendi ultimas hujuſmodi diſpoſitiones, non ſuſcipiant, *niſi advocatis duobus ſaltem Teſtibus maſculis, aut fœminis intereſſe non habentibus in tali cauſa*; quamvis etiam unus Teſtis cum Parocho ſufficere poſſit; (ut notat Layman, *lib. 3. de Juſtitia: tract. 5 part 3. cap. 2. num.* 5. Etiamſi Legatum ſit pro Eccleſia ſua; quia Rector, aliuſve Beneficiatus, aut Religioſus non prohibetur eſſe Teſtis in cauſa Eccleſiæ ſuæ.

Si autem Teſtator coram Teſtibus voluntatem ſuam declaravit hoc modo: *Volo hoc, vel illud erogari ad pias cauſas, ſicuti Confeſſario meo mandavi, & manifeſtavi*; in hoc caſu Confeſſarius audiri debet; & ſecundùm ejus relationem executio fieri debet; dummodò talia indicia afferat, ut, ſpectatis circumſtanciis, veriſimile eſſe poſſit, defunctum hoc ipſum mandaſſe. Ut docent Covarruvias, *cap. tum tibi, n. 23. de Teſtam.* Et Navarrus 87

rus, *lib.* 3. *Conſil.* 16. *de teſt. edit.* 2. Et Layman, *l. c.*

88 Hic tamen (ut dicit Anacletus *cit. n.* 29. cum Laymanno, *cit. cap.* 5. *num.* 20.) advertendum eſt, plerumque non expedire, quòd Confeſſarii, præſertim Religioſi interſint confeſſioni Teſtamentorum, aut Teſtatori in particulari ſuadeant, quibus hæreditas, vel Legata relinqui debeant, præſertim propriis Eccleſiis, vel Conventibus; ſed ipſi tantùm ſuadeant in generali, ut pias & juſtas diſpoſitiones faciat; niſi Teſtator ipſe conſilium petat; & tunc quod juſtum, honeſtum, & pium eſt, conſideratis conſiderandis, proponendum erit in ſalutem Animæ illius, & in utilitatem familiæ, & hæredum.

89 Hoc unum adverto, & rogo, ut Confeſſarius, vel Parochus caveat, ne moribundis ſuadeat ex ſe, ut inſtituant onera perpetua Miſſarum celebrandarum; quia, ut quotidiana docet experientia, hæredes vel ex negligentia, vel avaritia, vel alio prætextu multoties non implent has obligationes in maximum animarum ſuarum detrimentum, & periculum imò etiam in ruinam ſucceſſorum; nam malè parta, & malè retenta, malè etiam dilabantur. *Et ſubſtantia injuſtorum ſicut fluvius* dilabitur, ut dicit Eccleſiaſticus, cap. 40. *Vide Chriſtianum Inſtructum P. Segneri, part.* 1. *rag.* 27. *n.* 37. *&* 28.— *& part.* 2. *rag.* 20. *num.* 17.

Addo hic obiter. Liberum eſſe cuilibet ſæculari eligere propriam ſepulturam etiam in Eccleſiis non Parochialibus, & Regularium.

Verumtamen Excommunicationem Papæ reſervatam incurrerent tam Clerici ſæculares, quàm Regulares, qui ad eligendam Sepulturam in ſuis reſpectivè Eccleſiis aliquem inducerent, vel ad immutandam jam electam Sepulturam allicerent. Ita habetur *ex Clementina. Dudum de Sepult.* Et *ex Conſtitut. Leonis Papæ Decimi*: *Dum intra.* Et *ex Clement. Cupientes &c.* Ex quibus Textibus patet, quòd Electio Sepulturæ relinquenda omninò eſt libertati, & devotioni cujuslibet, qui ſit ſui Juris. — Impuberes ergo, qui non ſunt ſui Juris, non poſſunt de rigore Juris eligere ſibi Sepulturam; poteſt tamen eorum Pater pro eis eligere &c. Ratio eſt: quia electio Sepulturæ eſt quædam ſpecies Teſtamenti; ergo qui non valet teſtari, non valet ſibi locum ſepulturæ eligere. — Et cùm in hac materia agatur de præjudicio Parochialis Eccleſiæ, (nam Sepulturam propriam non eligens ſepeliri de Jure debet in ea Parochiali, ubi defunctus eſt) ad validam electionem Sepulturæ, extra Teſtamentum, vel Codicillum, vel ad eam mutandam requiruntur duo, vel tres Teſtes, ſicut in qualibet diſpoſitione ad pias cauſas: ut vidimus.

Religioſi profeſſi nequeunt de jure eligere ſibi ſepulturam; Ratio patet ex dictis; quia non poſſunt teſtari, nec ſunt ſui juris.

Et caſu, quo exiſtens quis extra Monaſterium in loco valdè remoto, & diſtante, ibi mori neceſſe ſit, & nequeat commodè ad ſuum Monaſterium poſtea deportari; poterit tunc eligere per accidens locum Sepulturæ. Et Sepultura non electa, in Parochiali, ubi, & ſub qua deceſſit, ſepeliendus eſt: ſicut & quivis ſæcularis in itinere moriens. Ut habetur *Capit. fin. de ſepult. Et capitulo Religioſi*: *de Sepulturis, in* 6. cum Gloſſa. Vide plura apud Bonacinam, *de Contract. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *per totam.* — Caſtropalaum, *tractat.* 16. *diſput.* 4. *punct.* 13. §. 8. — & Officialem Curiæ Regularis P. Matthæucci, *p.* 2. *c.* 21.

Legata pia non ſolventes, regulariter non poſſunt Sacramentaliter abſolvi, quia, ut dicit S. Auguſtinus, epiſt. 54. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Et Concilium Carthaginenſe 4. vocat hujuſmodi defraudatores, *Egentium necatores.* — In quibuſdam etiam Diœceſibus hoc peccatum eſt reſervatum; nempe, *Legata pia non ſolventes*: *ut in Parmenſi, Burgenſi, Placentina, Aretina, & alibi.* 90

Notandum etiam hic, & cavenda eſt propoſitio la 43. damnata ab Alex. VII. quæ ſic ſonabat: *Annuum Legatum pro Anima relictum non durat plus, quàm per decem annos.* 91

Qui defendebat hanc ſcandaloſam propoſitionem fortè credebat, Animas non detineri in Purgatorio niſi ad ſummum *per decem annos*: quod eſt falſum, ut conſtat ex multis Revelationibus, & praxi omnium fidelium; nam in Eccleſia Catho-

lica

lica fiunt paſſim Officia anniverſaria pro defunctis per plurimos annos.

Præterea: quando Teſtator relinquit legatum pro Anima ſua, V. G. ut celebrentur centum Miſſæ: vel illud legatum fuit *temporale*, ut puta per decem annos: vel fuit *perpetuum*. Si temporale, utique durabit ſolùm per illud temporis ſpatium, quod fuit aſſignatum. Si autem fuit perpetuum, & annuum; qua conſcientia, qua fide vis illud mutare in temporale ad decem tantùm annos?

Dices, Credibile eſt, quòd Anima Teſtatoris per Suffragia jam facta decem annis continuis, exierit de Purgatorio.

℞. Credibile quoque eſt, quòd non exierit. Sed dato etiam caſu exitus illius, adhuc tu Legatarius, vel Hæres teneris præſtare annuale ſuffragium; quia talis fuit mens Teſtatoris, qui voluit non tantùm ſibi, ſed aliis Defunctis ſuffragari.

92 *Petes*. An adſit obligatio aliqua faciendi Teſtamentum?

℞. Nemo in conſcientiæ Foro per ſe obligatus eſt ad hoc faciendum: ſed interdum per accidens obligabitur, ne alioquin lites, aliave mala, & incommoda oriantur; ut dicit Layman. *l. c. cap. 3. n.* 10.

93 *Adverte* cum Sporer, *tom. 2. tract. 6. cap. numero 99*. Parentes plerumque peccare contra Charitatem, & Juſtitiam diſtributivam, ſi inter filios, quorum natura communis eſt, hæreditatis inæqualitatem notabilem conſtituant, ſine juſta cauſa; quia quos natura æquavit, æquare debet & amor; tum quia hinc ſolent oriri multa mala, odia, lites, & vindictæ. Et Jus naturale ſemper poſtulat, ut Parentes liberis, ſeu filiis neceſſariam, & honeſtam ſuſtentationem relinquant, etiam ultra legitimam Jure Civili debitam. Quare D. Auguſtinus, *tom. 1. ſerm. 49. de diverſis*: noluit ab Eccleſia ſuſcipi Legata, quæ neceſſitati filiorum Parentes in Teſtamento ſubtraxerant.

94 Et tamdem adverte cum Layman, *cit. capitulo 5. numero* 18. magis expedire divitibus, ut bona, quibus abundant, tempore vitæ ſuæ in pauperes, Miſſas, & alias pias cauſas, per ſemetipſos erogent, quàm ut Teſtamento relinquant, poſt mortem ſuam diſtribuenda: Ratio eſt clariſſima, & evidentiſſima: partim, quia Eleemoſynæ, quæ à vivente erogantur, majoris meriti, & ſatisfactionis ſunt apud DEUM, quàm ſi in tempus mortis differantur; quo tempore homo Chriſtianus dat, quia retinere bona ſua diutiùs non poteſt; & ſi vult Deo gratus eſſe, hoc illi dare debet, quo adhuc uti licitè poteſt; partim, quia hæredes ſæpè ſæpiùs non integrè, neque fideliter legata pia exequuntur.

De Contractibus oneroſis. Et I. De Mutuo.

Quæro XIX. *Quid eſt Mutuum?*

℞. Mutuum ſic dictum eſt, quaſi *ex meo* 95 *tuum*. Et interdum ſignificat ipſam rem, quæ mutuò traditur; interdum verò ipſum contractum Mutui: & in hac poſteriori ſignificatione ſic deſcribitur: Mutuum eſt traditio rei, numero, pondere, vel menſura conſtantis, facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, ut res ſimilis in ſpecie, ac bonitate reſtituatur ſtatuto tempore. *Explico*.

Dicitur *traditio rei*: quia iſte contractus perficitur traditione rei; nam ante actualem traditionem non cenſetur eſſe Mutuum, ſed Promiſſio. Aditur: rei *conſtantis numero, pondere vel menſura*: quia in hujuſmodi rebus, quæ numerantur, ponderantur, aut menſurantur, ſolet fieri Mutuum: Ut in frumento, vino, oleo, pecunia numerata, & ſimilibus.

Ponitur ulteriùs, *facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis*: quia in Mutuo transfertur dominium rei mutuatæ in Mutuatarium, ideſt, in eum, qui recipit mutuum; unde ſi res mutuata pereat, caſu fortuito, aut infortunio, eadem perit ipſi Mutuatario; quia quælibet res domino ſuo perit; Mutuatarius autem erat dominus illius rei ex vi Mutui; ergo &c.

Dicitur: *cum obligatione, ut res ſimilis in ſpecie, & bonitate reſtituatur*: quia ſi reddenda ſit res alterius ſpeciei, non eſt Mutuum, ſed Permutatio. Et ſi eadem numero res foret reſtituenda, etiam Mutuum non eſſet, ſed Commodatum.

Additur tàmdem: *ſtatuto tempore* reſtituenda; quia Mutuator, nempe qui dat mutuum, vel mutuans debet ad aliquod tempus carere re mutuata; & hoc tempus juxta conventionem factam eſt de ratione intrinſeca, & eſſentiali Mutui; unde pro tempore iſto nihil licitè exigi poteſt;

alioquin *Mutuum* non differret à *Precario*. vel tranſiret in *Locationem*: vel tamdem in *Uſuram* converteretur.

De Uſura.

Quæro XX. *Quid eſt Uſura?*

96 ℞. Eſt lucrum immediatè ex Mutuo proveniens. Quòd ſi Uſura accipiatur pro contractu uſurario, tunc aliud non eſt, quàm Mutuatio cum pacto expreſſo, vel implicito recipiendi aliquid ſupra ſortem, ratione Mutui.

Nomine *lucri* intelligitur quodlibet temporale, ac pretio æſtimabile, quod ultra ſortem (nempe ultra rem mutuatam) accipitur, quaſi ratione mutui debitum, ſive hoc accipiatur ex vi pacti expreſſi, ſive ex vi pacti taciti; ut meliùs videbitur in ſequentibus.

Lucrum uſurarium immediatè procedit ex vi pacti ipſiuſmet Mutui; ut patet ex definitione Uſuræ; unde ſi immediatè proveniret ex amicitia, vel gratitudine, aut liberalitate Mutuatarii, etiam cum animo alliciendi Mutuantem ad continuandum, non erit Uſura, nec lucrum uſurarium; Ut autem cenſeatur ex vi Mutui procedere, requiritur, ut Mutuator intenderit, Mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare obligatione ſtricta, qualis per pacta induci ſolet: vel certè, ut Mutuatarius putet, hanc Mutuantis fuiſſe mentem.

Quòd ſi aliquod lucrum ex Mutuo præciſè non proveniat, licèt aliàs ſit injuſtum, non erit tamen Uſura, nec Lucrum propriè uſurarium. Ut V. G. ſi vendas rem tuam ſupra juſtum pretium, lucraris quidem injuſtè, ſed non committis Uſuram; quia tale lucrum provenit non ex vi Mutui, ſed ex iniqua venditione. *Mutuum enim eſt veluti unica ſedes Uſuræ*; ergo omne lucrum uſurarium ex Mutuo provenire debet. Ita Anacletus, *tract. 8. diſt. 4. q. 2.* -- Leſſius, *lib. 2. cap. 20. dub. 3. &c.*

Quæro XXI. *Quotuplex eſt Uſura?*

97 ℞. Duplex, expreſſa ſcilicet, & tacita. *Uſura expreſſa* dicitur, quando expreſsè exigitur pretium pro mutuo. Ut ſi quis dat mutuos centum aureos hoc pacto, ut poſt annum reddantur ſibi centum quinque; tunc hoc lucrum quinque aureorum eſt uſurarium expreſsè, -- *Uſura Tacita*, (quæ & implicita, & virtualis etiam dicitur) eſt, quæ committitur in contractu non Mutui formalis, ſed virtualis; ideſt, quando quis nomine, ac ſpecie alterius contractus occultat, & palliat Uſuram ſuam; quapropter *Uſura palliata nominatur*.

Quæro XXII. *Quot modis poteſt committi Uſura palliata?*

℞. Multis modis: ſed præcipuè iſtis, 98
videlicet, I. *Sub pallio Depoſiti*. V. G. Titius deponit apud Cajum pecuniam, dando ei facultatem utendi tali pecunia cum pacto, ut propterea obligatus ſit ad aliquid ſibi ſolvendum, ut puta octo pro centum. Uſura palliata eſt ſub nomine Depoſiti; revera enim contractus iſte non eſt *Depoſiti*, ſed *Mutui*. Ut habetur *L. Certi, & ſeqq. ff. de rebus creditis*. Nam in Depoſito rei dominium manet apud deponentem, ſine jure utendi. Cùm autem in caſu noſtro jus utendi, imò abſumendi concedatur, transfertur etiam jus dominii illius pecuniæ in utentem; ergo fit *Mutuum*; & conſequenter ex dato, & accepto inde pretio vi pacti, Mutuum uſurarium eſt. -- Ita Sporer, *tom. 2. tr. 6. cap. 4. n. 96.*

II. *Sub pallio Emptionis, & Locationis.* 99
V. G. Titius petit mutuos quinquaginta aureos à Cajo, qui reſpondens ait, do tibi hanc pecuniam, non tamen mutuo, ſed emo à te duas vaccas iſtas, quas tibi locatas relinquo, & pro annua penſione volo quatuor aureos. Titius indigens tali pecunia, non quidem vendit vaccas, ſed tantùm promittit penſionem illam, &c. Ecce Uſura ſub ficto Emptionis, & Locationis nomine palliata, -- Si enim de facto Titius venderet vaccas, & poſtea reciperet ad locationem, iſte contractus ab Uſura immunis eſſet. -- Quòd ſi Titius vaccas revera non haberet, tunc uſura magis manifeſta, ac putrida eſſet, &c.

III. *Sub pallio Emptionis, & Venditio-* 100
nis, fit quotieſcumque quis vendit rem pluris juſto ob ſolam dilationem ſolutionis pretii, aut emit minoris juſto ob ſolam anticipatam ſolutionem. Dum enim venditor concedit dilationem, implicitè illi emptori mutuat pretium uſque ad tempus ſolutionis: & dum emptor anticipat ſolutionem, implicitè etiam mutuat uſque ad tempus traditionis rei emptæ; unde lucrum hinc proveniens eſt uſurarium. Vide Leſſium cit. -- Anacletum cit.

Digitized by Google

cit. – & Sporerium cit. – & habetur etiam *ex cap. In Civitate* 1 *de Uſuris*. – Et *cap. Naviganti*, *fin. de Uſur.* Et *cap. Conſuluit* 10. Hoc valdè eſt notandum à Confeſſario novello; nam his noſtris miſeris temporibus multi delinquunt in hac Uſura palliata in damnum notabile pauperum Emptorum.

101 IV. *Sub pallio Venditionis, & Reemptionis*. V. G. Titius mercator credito vendit Cajo pannum, aliamve mercem pretio ſummo, & rigoroſo, ut puta centum aureis: cum pacto reemendi: & ſic ſtatim eamdem mercem reemit pretio infimo, ut puta nonaginta tantùm aureis. Aut è contra Cajus indigens pecunia præſenti emit à Titio mercatore pannum, vel aliam mercem credito prædicto ſummo pretio, cum pacto revendendi & mox revendit eidem mercatori pretio infimo numerato; ita ut Cajus maneat debitor centum aureorum, & Mercator lucretur ſtatim decem aureos ex hoc contractu, qui apud Hiſpanos dicitur *Mohatra*, & apud nos Italos vocatur *Stocco*: in quo Doctores Theologi communiter agnoſcunt palliatam Uſuram ſub pallio Venditionis, & Reemptionis: quia revera in hoc negotio nil aliud agi videtur, quàm quòd ſub ſpecie emptionis, & venditionis reciprocæ homini indigenti mutuentur v. g. nonaginta aurei cum pacto expreſſo, vel tacito; ut poſtea reſtituat centum aureos. Ecce calliditas, & aſtutia mercatorum in lucrando ſine labore, & ſub colore venditionis. Unde meritò damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio, quæ eſt In 40.

Contractus Mohatra licitus eſt; etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cùm contractu retrovenditionis prævia inito, cum intentione lucri.

Quæro XXIII. *Quo Jure prohibitæ ſunt Uſuræ?*

102 ℞. Omni Jure, nempè Naturali, Divino, & Humano prohibentur Uſuræ, & Uſurarii contractus. Probatur breviſſimè: *Jure naturali*: quia eſt contra Jus, & lumen naturale, ut idem bis, ſeu duplici pretio vendatur: Item, ut vendatur quod non eſt venditoris; atqui in omni Uſura committuntur iſti errores, ut idem bis vendatur, vel duplici pretio vendatur; & quod non eſt venditoris, vendatur, ergo &c. *Jure Divino*: quia patet in Pſalmo 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? ... Qui pecuniam ſuam non dedit ad Uſuram*. – Et Levitici capit. 5. *Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram*, & alibi &c. Item Lucæ, ca. 6. ait Chriſtus Dominus Deus: *Benefacite, & Mutuum date; nihil inde ſperantes*. Et apertè *in Jure Canonico*, cap. Super eo, de Uſuris: ibi, *Uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur*. Quinimò pertinaciter aſſerens, exercere Uſuras non eſſe peccatum, velut hæreticus eſt puniendus: ut *in Clement. unica, tit. de Uſuris*. – Et licèt Jus Civile permittat Uſuras moderatas, *L. eos, qui.* 26. *Cod. de Uſuris*; id tamen facit ad majus malum evitandum, ſicut permittit *Proſtibula*?

Quæro XXIV. *Eſtne licitum ſperare lucrum ex Mutuo?*

℞. I. Nec principaliter, nec minus principaliter licitum eſt ſperare lucrum, quod 103
detur tamquam ex obligatione Juſtitiæ propter mutuum; quia dicit Jeſus, *Mutuum date, nihil inde ſperantes*: ubi S. Thomas 2. 2. *qu.* 78. *art.* 1. *ad* 4. dicit: Dare mutuum non ſemper tenetur homo; & ideò quantum ad hoc ponitur inter conſilia: ſed quòd homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti. – Tum quia, ut inquit Leſſius, *cit. dub.* 5. velle accipere tale lucrum, eſt iniquum: eſt enim velle accipere alienum; ergo neque licebit ſperare tale lucrum; non enim licet ſperare, quod non licet accipere.

℞. II. Licitum erit ſperare lucrum ex mutuo, mediante amicitia, vel gratitudine: ita tamen, ut non ſperetur immediatè ex ipſo mutuo, tamquam debitum, vel pretium ejus. Ratio eſt: quia tunc ſolùm ſperatur illud lucrum, ſicut gratuitum donum; nam etiam ante mutuum, licitè poteras aliquod donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficeris per hoc, quòd mutuaſti.

℞. III. Licitum etiam eſt, ex mutuo ſperare amicitiam, & ex amicitia lucrum: nam benevolentia, & amor pecunia non menſurantur: ut dicit S. Thomas, *loc. cit. artic.* 2. *in corpore quæſtionis*; ibique *ad* 2. *argum.* dicit, quòd recompenſatio alicujus beneficii dupliciter fieri poteſt: Uno modo ex debito juſtitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari poteſt: & hoc debitum attenditur ſecundùm quantitatem beneficii accepti. Alio modo, tenetur aliquis ad recompenſandum beneficium ex debito amicitiæ: in quo magis

Digitized by Google

conſideratur affectus benefactoris, quàm quantitas beneficii: & huic debito non competit civilis obligatio. Non primo modo, ſed tantùm ſecundo modo poteris ex mutuo ſperare recompenſationem, tamquam lucrum ex amicitia.

Quæro XXV. *Quid, ſi mutuans aliquid ultra ſortem exigeret, tamquam debitum ex benevolentia, & gratitudine?*

104 ℞. Ego dico, quòd talis committeret Uſuram palliatam *pallio benevolentiæ, & gratitudinis*; nam petere V. G. duo pro centum mutuatis, & exigere illa duo tamquam debita quocumque titulo civilis obligationis, eſt contra naturam contractus mutui, ut patet ex dictis: quia mutuans dum exigit aliquid ultra ſortem, tamquam aliquo modo debitum, imponit de facto onus Mutuatario indebitum; ergo facit ei injuriam. Quare damnata fuit ab Innoc. XI. hæc propoſitio, la 42. quæ dicebat:

Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

Quæro XXVI. *Poteſtne Mutuans aliquid ultra ſortem exigere à Mutuatario hoc titulo, quia numerata pecunia pretioſior eſt numeranda?*

105 ℞. Negativè; quia falſum eſt ſuppoſitum; pecunia enim in ſe, & ex ſe ubicumque ſit: & ponatur, retinet ſuum tantùm valorem intrinſecum, naturalem, vel legalem; ergo ſive præſens, & numerata, ſive abſens, & numeranda eadem ſemper eſt; ille igitur titulus majoris valoris eſt fictus ab Avaro, & Uſurario ex amore inordinato ſuæ pecuniæ. Tum quia exigere aliquid ultra ſortem in Mutuo, ſecluſo omni reali, & rationabili titulo, vel jure, ſemper remanet lucrum uſurarium. Unde damnata eſt hæc propoſitio la 41. ab Innoc. XI. quæ dicebat:

Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda: & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

Quæro XXVII. *Poteritne ſaltem Mutuans aliquid ultra ſortem exigere ratione obligationis factæ Mutuatario non repetendi rem mutuatam, niſi poſt annum completum?*

106 ℞. Nequaquam; quia hæc obligatio eſt imbibita in natura contractus Mutui; ita ut tempus non poſſit vendi; quòd autem ſit *annus*, vel plus, vel minus, hoc per ſe nihil addit naturæ Mutuationis; de ratione enim mutui eſt hæc obligatio non repetendi ſortem niſi poſt tempus ſtatutum, & quòd mutuans privetur per illud ſpatium commodo rei mutuatæ; ergo qui exigit ex pacto tacito, vel expreſſo aliquid ultra ſortem ratione temporis, reverà committit uſuram. Unde meritò damnata eſt hæc propoſitio, la 42. ab Alexandro ſeptimo: quæ dicebat:

Licitum eſt Mutuanti aliquid ultra ſortem exigere; ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

Ecce quot modi palliandi Uſuram inventi ſunt ab avaritia humana! Benè dicit Apoſtolus 1. ad Timotheum *cap. 6 v. 10. Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à Fide.* Ly *cupiditas* ſignificat *amorem pecuniæ*: ut explicat P. Segnerus *in Manna*, 30. *Martii*.

Ex ſupradictis multos alios ſimiles caſus reſolvere poteris: V. G. Non eſſe licitum mutuare cum pacto, ut mihi viciſſim remutues, aut certum officium, aut beneficium conferas: vel ex mea officina, quæ tibi opus ſunt, emas, & ſimilia multa; quæ excogitari poſſint ab humana malitia: hac una fundamentali ratione munitus: Quidquid temporale, ac pretio æſtimabile ultra ſortem, aut rem mutuatam exigitur, quaſi ratione mutui ex obligatione, ſeu pacto expreſſo, vel tacito, debitum ſit, *Lucrum* ſemper *Uſurarium eſt*: ut notat Div. Thomas, 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 2. communiter receptus: & deſumitur etiam, *ex cap. ſi fœneraveris*; *& ſeqq.* 14. *quæſt.* 3. Nam ex Doctrina communi innumeri poſſunt caſus reſolvi. 10

Quæro XXVIII. *Montes Pietatis ſuntne liciti, ac pii?*

℞. Affirmativè, quia per diverſos ſucceſſivè Summos Pontifices, ac tamdem in Concilio Lateranenſi, *ſeſſ.* 10. per Leonem Papam X. fuerunt ſolemniter approbati, tamquam liciti, & omni ſpecie mali carentes, ut patet ex ejuſdem Bulla incipien. *Cùm inter nonnulles. Tum quia* fuerunt inſtituti à Sanctis viris ex Ordine noſtro Fratrum Minorum de Regulari Obſervantia: nempè *à B. Bernardino de Feltre* 10

tro, *B. Jacobo de Merchia*, aliiſque Concionatoribus Apoſtolicis doctrina, pietate, ac Sanctitate celeberrimis; ergo &c.

Quæro XXIX. *Danturne aliqui juſti Tituli, quibus liceat aliquid ultra ſortem in mutuo exigere?*

109 ℞. Quòd ſic: & ſunt, Lucrum ceſſans, Damnum emergens, Periculum amittendi ſortem principalem, & ſimiles. Explico.

Lucrum Ceſſans. Si videlicet Mutuatori, ſeu Mutuanti ex eo, quòd alteri mutuum dat, certum lucrum ſibi ceſſat; ſicque damnum patitur ex tali mutuo; ut ſi V. G. Negotiaturus eras cum ſpe lucri.

Damnum emergens. Si ex tali mutuo tibi immineat notabile damnum. Ut V. G. ſi des pecuniam, quam deſtinaveras ad emendum frumentum tempore abundantiæ: & ſic poſtea cogaris illud emere pretio majori.

110 *Verùm hìc advertunt DD.* (& omnes Confeſſarii benè capere debent) quòd tale mutuum debet reverà eſſe cauſa talis *damni emergentis*, *& lucri ceſſantis*; alioquin committeretur Uſura palliata; *& quòd* non plus exigatur à mutuante, niſi quantum arbitrio boni viri, ſpectatis omnibus circumſtantiis, illud lucrum amiſſum, aut damnum paſſum æſtimetur. Et in hoc caſu plus exigens, licèt propriè non committat Uſuram, eò quia juſto Titulo exigit, admittit tamen injuſtitiam, exigendo pretium exceſſivum ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis; *& quòd* mutuans admoneat Mutuatarium de tali lucro ceſſante, vel damno emergente, ne proximus indigens decipiatur; nam fortè nollet mutuum cum tali, & tanto onere; &c. *& quòd* hoc debet deduci in pactum à principio; quia ſi neque damnum ipſum, neque periculum damni deduxiſti in pactum, Mutuatarius non tenetur quidquam pro eo ſolvere; etiamſi poſtea eveniat tibi damnum; dummodò ipſe non fuerit in mora ſolvendi. Ut cum aliis rectè advertit Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 10. *&* 11.

111 Inſuper advertendum, & ſciendum, quòd illud ſupra ſortem emolumentum, quod in tali caſu exigitur, non accipitur ratione mutui, ſed tamquam *Intereſſe*, ne mutuans diſpendium patiatur, unde videtur premium meruiſſe: ut dicit Lex *arg. c. Pervenit de Fidejuſſoribus*. Pro-

Lucis Moralis Pars I.

ut notat Gloſſa, *cap. Quoniam* 14. *quæſt.* 4. atque deſumitur ex *L. Si commiſſa*, *ff. Rem ratam habere*.

112 *Periculum tamdem amittendi ſortem*, cui mutuator ſe exponit quandoque mutuum dando homini non ſatis noto, vel fideli, eſt juſtus Titulus exigendi aliquid ſuprà ſortem, ratione expenſarum, & difficultatum in recuperanda ſorte principali; Ratio eſt, quia exponere res ſuas periculo in gratiam alterius, aut ſubire difficultatem acquirendi eas, eſt quid pretio æſtimabile: cùm nemo teneatur tanto ſuo incommodo mutuare, & gratis pro altero graves curas ſuſcipere, aut res ſuas periculo exponere.

Quæro XXX. *Poteſtne mutuator licitè paciſci, quòd ſi mutuatarius ſtatuto tempore non reſtituerit mutuum, ſolvat certam pœnam?*

113 ℞. Affirmativè. Ratio eſt, quia tunc talis pœna Imponitur, atque exigitur juſto titulo, nempe ut mutuatarius hac ratione reddatur cautus, & ſolers ad reſtituendam ſortem principalem ſuo tempore: & ne culpa ſua impunè fallat; ſiquidem debitor, qui eſt in mora culpabili ad ſolvendum, peccat contra juſtitiam, retinendo alienum invito domino: ac proinde is juſtè punitur pœna, vel pacto conventionali. Ita communis cum Scotò, *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 2. §. *de ſecundo*.

Quæro XXXI. *Eſtne licita lex illa Civilis, vel Imperialis, qua conceditur, recipi poſſe quinque pro centum mutuò datis annuatim?*

114 ℞. Si juſto aliquo Titulo fiat, licita eſt. Poteſt autem eſſe Titulus juſtus ratione contractus *Societatis* ſive expreſſi, ſive impliciti, ac Lege publica, vel conſuetudine Patria conſtituti ad bonum commune Reipublicæ; in quo caſu, vel contractu unus pecuniam, alter verò induſtriam confert. Juſtum enim eſt, ut ſi alius, mediante mea pecunia, lucretur negotiando, mihi partem lucri attribuat, titulo Societatis initæ; ut dicit Engel, *titulo de Uſuris*. §. 3. *numero* 11. Hoc ipſum plures D. D. concedunt etiam in illo contractus Societatis, quo quis ſalva ſorte principali, ac poteſtate diſſolvendi pro libito contractum ipſum, dat mercatori pecuniam, ut is inſtituta negotiatione, ſive poſtea lucrum inde capiat, ſive damnum patiatur in annos ſingulos teneatur, certum quid ſolvere: V.G.

X 3 quin-

Digitized by Google

quinque pro centum; ita tamen, ut, ſi mercator plus lucretur, velit alter eſſe ſemper contentus illo modico lucro jam pacto, nempè *quinque pro centum*. Ut docet Layman, *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 51. cum multis DD. Angelus *in Summa ſua Angelica*, *V. Societas* 1. §. 7. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. *numero* 23. ubi vocat, & probat hanc opinionem eſſe probabiliorem, & veriorem; multis citatis DD. & rationibus (more ſuo) ſolidis, ac fundatis.

Quæro XXII. *Qui bona fide fecit contractum uſurarium, quem ſi talem eſſe ſciviſſet, non feciſſet, poteſtne ratione lucri ceſſantis, veritate comperta, tantum retinere, quantum contractu juſto aliàs lucratus fuiſſet?*

115 ℞. Quidam viri ſanè docti affirmant: & dicunt in tali caſu contractum illum iniquum, bona fide tamen initum, reducendum eſſe ad limites contractus juſti. – Leſſius autem, *libro* 2. *capitulo* 20. *dub.* 12. *numero* 105. dicit: Si tamen limitetur hæc ſententia ad contractus illos, in quibus uterque contrahentium cenſetur conſentire in eodem titulo; ita ut is, cum quo contrahis, intendat tibi dare lucrum omni eo titulo, quo tu intendis illud accipere (ut fit in mutuo:) ſic non videtur improbabilis; & poteſt habere locum in aliquibus caſibus, ut ibi explicat. -- Emanuel Sa; *V. Uſura num.* 8. abſolutè, ac ſine limitatione concedit, dicens: Qui fecit contractum Uſurarium, bona fide credens eſſe juſtum, poteſt tantùm lucri retinere, quantùm acquiſiviſſet alioquin per contractum licitum. P. Sporer, *tom.* 2. *tractat.* 6. *capitulo* 4. *numero* 105. dicit: Id in praxi non facilè concedendum, approbant omnes DD. Et ſimpliciter non licere, communiter videntur DD. ſupponere. Id tamen eſſe licitum ſaltem, quando mutuans intendit, & expreſſit, ſe velle contrahere omni meliori modo, probat ex Card. de Lugo, *diſput.* 25. *ſect.* 9. *tota*.

Bonacina *de Contractu diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 15. *numero* 9. dicit: Non poſſe retinere illud lucrum; niſi contrahentes expreſſerint, velle ſe obligare omni meliori modo: aut velle contrahere meliori modo, quo poſſent: & exemplicat ſic: Titius mutuavit Cajo centum, credens, ſe poſſe ex eo mutuo quinque pro centum exigere; quòd ſi ſciviſſet, ſe licitè non poſſe ea quinque exigere, celebraſſet alium contractum juſtum cum eodem Cajo, exempli gratia, contractum Societatis, quo juſtè potuiſſet illa quinque exigere. Quæritur modò, utrùm Titius poſſit illa quinque retinere, re cognita, loco eorum, quæ in contractu Societatis juſtè acquiſiviſſet?

Quòd non poſſit retinere, probat ſic: Acquiſita contractu injuſto, & invalido, non poſſunt retineri: quia nullo juſto titulo acquiſita fuerunt; ſed quæ accepta ſunt in hoc caſu, dicuntur acquiſita contractu injuſto, & invalido, utpotè uſurario in re; ergo &c.

Quòd autem poſſit retinere, ſi contrahentes expreſſerint, velle ſe obligare, vel contrahere omni meliori modo, quo poſſent: probatur. Quia expreſſio hæc hoc operatur, ut videlicet, cùm ille contractus ſit de natura ſua invalidus, alius validus ſuccedat in ipſius locum; quia iſte contractus ſi fiat *meliori modo*, V. G. *titulo Societatis*, eſt validus; habet enim tunc juſtum titulum; ergo ex vi illius expreſſionis legalis, ſuccedit titulus iſte. Quamobrem, ſi quis bona fide mutuet Mercatori pecuniam, accipiendo quinque pro centum, intendens *omni meliori modo* contrahere, altero idem intendente, mutuans cenſetur celebrare contractum *Trium contractuum*: nempè *Societatis*, *Aſſecurationis* ſortis principalis, & *Venditionis*, ſeu Ceſſionis majoris lucri incerti; nam intentio contrahentium eſt, contrahendi omni meliori modo; hic autem eſt melior modus, quàm prior. Et ſic de ſimilibus multis.

Quæro XXIII. *Uſurarius comparatne ſibi dominium rei per Uſuram acceptæ?*

℞. Quòd non; quia deeſt illi verus Titulus: atqui ſine vero, ac juſto Titulo rerum dominia non transferuntur. Et quamvis cum propriis commiſceat bonis: obligatur velut fur tamen tantumdem reſtituere. 116

Interrogatus de hoc Caſu: Titius petit à Cajo Mercatore mille Ducatos ad mutuum conſignando ei ſufficiens, pignus, & ampliùs offerendo aliquid ultra ſortem, ut puta quinque pro centum quolibet anno, donec ſolverit mutuatam pecuniam. Quæritur. *An Cajus tuta Conſcientia poſſit hunc contractum acceptare, & inire?*

Reſpondi negativè. Ratio eſt: quia cùm

ſuffi-

ſufficiens, & ſecurum pignus Cajus jam habeat, nullum ſibi probabile ſubeſt periculum amittendæ ſortis; ergo nullus apparet juſtus titulus accipiendi aliquid ultra ſortem. Quidquid enim ex Mutuò præcisè ultra ſortem exigitur, & velut ex debito expectatur, ſive hoc fiat ex pacto expreſſo, ſive tacito, vel implicito, Uſurarium eſt. -- Ita P. Petrus Marchant, *tom. 2. Tribunalis Sacramentalis, tr. 8. tit. 5. ſect. 4. dub. ſol. mihi 571.*

Dices. Cajus Mercator probabiliter timet, ne, ſi pecuniam ſuam mutuet Titio eveniat ſibi aliquod damnum vel ex parte lucri ceſſantis, vel ex parte damni emergentis; ergo hoc titulo licitè poterit paciſci de quinque pro centum, ut ſibi conſulat, ſeque reddat indemnem.

℞. Non poteſt *abſolutè* paciſci de certa refuſione illius damni: quia tantùm probabile, & incertum eſt tale damnum: poterit quidem *ſub hac conditione*, nimirùm: Mutuo tibi mille Ducatos, accipio pignus; quoniam verò probabiliter timeo damnum futurum ex hoc ſervitio, hac conditione tibi hujuſmodi mutuo pecuniam, ut, ſi damnum verè mihi provenerit, illud refundas. Ita idem P. Marchant, *loc. cit.* Iſte Author eſt magnus Theologus, & optimè verſatus in conſcientiis dirigendis, ut patet legenti ejus Opera Moralia.

Ita etiam docent Cotonius *in Summa* Diana. V. Mutuum, *numero* 15. Ipſe Diana, *part.* 1. *tractat.* 8. *Reſol.* 37. §. 2. Bonacina de Contract. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *p.* 11. *num.* 1. Thom. Tamburinus, *lib.* 9. *de Contract. tr.* 1. *c.* 3. §. 6. *n.* 3. & alii DD.

Petes. Quando pignus datur propter ſolam ſecuritatem ſortis mutuatæ; poteritne eo uti, vel frui Mutuans?

℞. Quòd non: ut communiter docent Theologi. Lege Filliucium, *tr.* 34. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 109. Leſſium *de Juſt. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 16. *nu.* 137. & apertè colligitur, *ex c.* 1. & 2. *de Uſuris*.

Quæro XXXIV. *Quænam pœna Uſurariis*
117 *ſtatuta ſunt?*

℞. Variæ; ſed præcipuæ ſunt: I. Notoriè Uſurarius eſt ipſo Jure infamis. II. Uſurarius notorius non eſt admittendus ad Communionem Altaris. III. Non eſt ſepeliendus in loco Sacro. IV. Uſurarius manifeſtus nequit condere Teſtamentum: quòd ſi condat, ipſo Jure irritum eſt; niſi ante mortem reſtituerit, & de tali reſtitutione idoneam cautionem dederit. Ut habetur, *cap. Infamis* 3. *quæſt.* 7. -- Et *c. In omnibus de Uſuris*. Et *c. eodem* 2. *in* 6. & alibi.

De Contractu Societatis.

Quæro XXXV. *Quid eſt Societas?*

℞. I. Eſt honeſta duorum, vel plurium conventio, ad commune lucrum ſecundùm proportionem rerum contributarum, inter eos æquè diſtribuendum, ſuam induſtriam, & pecuniam conferentium. Ita deſumitur ex, *l.* 4. & *ſeqq. ff. pro ſocio*. Contractus iſte eſt frequentiſſimus in negotiationibus: & qui ſic contrahunt, in Jure apellantur *Socii*. 118

℞. II. Societatis plures ſunt Species. 119 I. Societas dividitur in expreſſam, & tacitam. *Societas expreſſa* eſt, quæ verbis, ſeu litteris expreſſis, de rerum ſuarum communicatione inter duos, vel plures, deliberatè contrahitur; atque in hac oportet attendere ſpecialia pacta contrahentium; ſiquidem omnis contractus ex conventione legem accipere dignoſcitur. -- *Societas tacita* eſt, quæ ſive verbis, ſive litteris, per actus ſociales rebus ipſis contrahitur: ut contingit quando duo fratres ætate Majores quidpiam in commune contulerunt, atque ex eo negotiati ſunt; & in hac proceditur ſecundùm ipſam naturam Societatis, ut ſic: eò quod nulla Specialis conventio intervenerit:

℞. III. Deinde alia eſt Societas vitæ, 120 alia bonorum. *Societas vitæ*, dicitur, quando duo, vel plures conjunctim vivunt ad eamdem menſam &c. *Societas bonorum* eſt, quæ initur in bonis fortunæ; atque hæc juxta diverſitatem bonorum ſubdividitur in Societatem officiorum, vectigalium, negotiorum, *Societas negotiorum* dicitur etiam quæſtuoſa, & lucrativa: & de hac præcipuè nunc loquimur.

℞. IV. *Ad Societatem quæſtuoſam, vel lucrativam* quinque requiruntur conditiones. I. Ut fundetur in negotiatione licita, & honeſta. II. Ut ſinguli Socii aliquid conferant in commune: ut puta unus pecuniam, aut mercem, alius operam, induſtriam, laborem, &c. III. Ut ſervetur æqualitas tam quoad lucrum, 121

quàm quoad damnum pro rata collatæ ſortis, & induſtriæ. IV. Ut ſors principalis ſubjaceat periculo conferentis; ita ut ſi pereat abſque culpa ſocii, pereat illi, qui eam in communem ſortem contulit. V. Ut juſta pacta ab initio inter Socios inita, ſerventur; quòd ſi nihil expreſsè pactum eſt; loci conſuetudo laudabiliter introducta ſervetur. Simulque non immiſceatur fraus, dolus, ſive deceptio, aut alia culpa ex parte ſociorum; alioquin inducerent obligationem reſarciendi damnum inde ſecutum, etiam in Foro conſcientiæ. Ita P. Anacletus cum multis DD. ex communi Jure: *tr. 8. diſt. 4. q. 10.*

122 *In hoc contractu Societatis*, ſi quid pereat caſu fortuito, & abſque culpa ſociorum, damnum cenſetur commune: *ex L. ſocius ſocio, ff. pro ſocio: & alibi.*

Et quia contractus iſte celebratur in utilitatem utriuſque Socii, conſequens eſt, ut præſtetur non ſolùm dolus, & culpa lata; ſed etiam levis; non autem leviſſima: *arg. L. ut ſi certò, §. Nunc videndum eſt, ff. Commodati.* Quamvis in foro conſcientiæ, & ante ſententiam Judicis, non teneatur, niſi ex culpa lata, gravi, theologica; ut diximus alibi.

Expenſæ non ſuperfluæ cauſa Societatis factæ à Socio ponente induſtriam, ſunt communes, & conſequenter ſolvendæ ex communi pecunia; niſi aliter conventum ſit inter ſocios, vel conſuetudine receptum.

Socius negociator ratione hujus contractus; tenetur adhibere pro conſervandis, & augendis bonis communibus eam diligentiam, quam quiſque homo diligens hujus conditionis adhibere ſolet circa res proprias.

Socius ponens induſtriam poteſt moderatas facere Eleemoſynas de bonis communibus ad invocandum Divinum auxilium pro felici ſucceſſu Societatis: hoc enim eſt medium valdè idoneum ad luctandum etiam temporaliter.

Item in itineribus factis cauſa ſocietatis expenſæ debent eſſe communes, ſeu ex communi maſſa, vel ſorte, *arg. L. ſi fratres, §. Si quis ex Sociis, ff. pro ſocio.* — Vis probationes harum concluſionum? Vis plura? Lege libros majores de hac materia. Ego enim magnam vim mihimet facio, ut ſim brevis.

Quæro XXXVI. *In hoc contractu Societatis eſtne licitum pactum de aſſecuratione ſortis principalis?*

℞. Licitum eſt pactum de aſſecuratione ſortis principalis, ſaltem ſub præſtatione juſti pretii pro impoſito gravamine aſſecurationis hujuſmodi: vel ea lege, ut remiſſio majoris lucro incerto in compenſationem dicti gravaminis, velit ſocius eſſe contentus modico dumtaxat lucro, certo tamen, puta *quinque pro centum* in ſingulos annos ſibi præſtandis. Ita DD. citandi. Fundamentum hujus ſententiæ deſumitur, *ex L. ſi non fuerint, ff. Pro ſocio*, ubi dicitur: *Ita coiri ſocietatem poſſet, ut nullam partem damni alter ſentiat: lucrum verò commune ſit: ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt*, hoc eſt, periculum damni ſubeundi: ut explicat Gloſſa ibidem *V. Damnum eſt*. Ratio autem eſt: quia contractus aſſecurationis, ſeu ſuſcipiendi periculum rei alienæ, eſt pretio æſtimabilis, ac de jure licitus: ut habetur, *arg. L. in nave: ff. Locati*; ergo poteſt conjungi contractui Societatis, cæteroquin pariter licito. Nullo enim jure reperitur prohibitum, duos, vel tres contractus (aliàs licitos) conjunctim fieri, & permiſceri; atqui ita fit in contractu illo Societatis, ubi periculum ſortis amittendæ redimitur juſto pretio ab altero ſocio, remittendo alteri ſpem majoris lucri licèt incerti, poſſibilis tamen. 123

Nec obſtat, quòd *qualibet res domino ſuo pereat*: nam hoc verum eſt regulariter loquendo, ac ſecluſo ſpeciali pacto, quo quis periculum rei alienæ ſpontè, ac libenter in ſe ſuſcipit. Neque refert, quòd alter ſocius ſit ſecurus de lucro, & ſimul de ſorte principali; quia etiam alius ſocius habet emolumentum æquivalens partim ex diminutione pretii, vel obligationis, & partim ex ſpe majoris lucri acquirendi; nam & piſcator vendit jactum retis pretio certo, cùm ipſe maneat incertus, an aliquem piſcem ſit capturus: & emptor remanet contentus ſola ſpe plures capiendi piſces; Vide Ugonem Cardinalem, *diſp. 30. de Juſt. ſect. 4. nu. 40.* — Leſſium, *lib. 2. cap. 25. dub. 3. nu. 23.* — Navarrum *in manuale, cap. 17. n. 254.* — Laymannum, *lib. 3. ſect. 5. tr. 4. cap. 20. n. 2. & 4.* Bonacinam, *tom. 2. de contract. diſp. 3. q. 6. pun. 1. n. 3.* — Anacletum *moral. tr. 8. diſt. 4. q. 10. n. 134.* — Sporerium, *tom. 2. tr. 6. c. 6. n. 58.* & alios, quos piget citare.

De Lu-

Digitized by Google

De Ludo, & Sponſione.

Quæro XXXVII. *Quid eſt Ludus?*

124 ℞. Eſt contractus, quo partium conſenſu utrinque deponitur, vel ſpondetur pecuniâ, aut aliquid pretio æſtimabile, certis legibus ex induſtria, vel fortuna pendentibus, ut victori in præmium cedat.

Ludus virtuoſus eſſe poteſt, & ad virtutem *Eutrapeliæ*, ſeu Jucunditatis reducitur; nam etiam Sapiens debet interdum remittere faciem rebus agendis intentam; iſta autem remiſſio fit per ludicra verba, & facta; ergo his ludis interdum uti ad ſapientem, & virtuoſum pertinet; ut docet D. Thomas, 2. 2. *quæſt.* 168. *articul.* 2. Quare ludus iſte virtuoſus poteſt ſic definiri: eſt certamen quoddam ſuſceptum ad competentem animi oblectationem.

Ludus omnis generis, quantum eſt de Jure naturæ per ſe licitus eſt, ſervatis iſtis conditionibus: I. Ut ludens poſſit liberè diſponere de rebus ludo expoſitis: II. Ut ludens ad ludendum non cogatur: III. Ut non miſceantur fraudes contra leges ludi: IV. Ut inter ludentes ſervetur æqualitas: in perdendo, & lucrando, ut cum multis DD. & rationibus probat P. Sporer, *l. c. ſuprà, cap.* 6. *à num.* 62. & *ſeqq.*

Ludus illicitus eſt etiam ipſo jure naturæ injuſtus, atque invalidus, cum onere reſtitutionis totius lucri. Tunc autem cenſetur illicitus, quando caret aliqua ex quatuor conditionibus ſuperiùs dictis.

Ludus alearum, & *taxillorum*, atque omnis ludus, qui principaliter fortuna, vel caſu potiùs, quàm arte, & induſtria regitur, prohibitus eſt Jure poſitivo, Canonico, & Civili. Jure quidem Canonico iſte ludus prohibetur Clericis, & Monachis *ex Can. Apoſt.* 41. *relat. diſt.* 35. Et *cap. Clerici*: 2. *de vita*, & *honeſtate Cleric.* Et Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *de Reform.*

Doctores communiter cum Navarro, *cap.* 2. *n.* 9. licèt agnoſcant gravem obligationem Clericorum, & Monachorum abſtinendi ab hujuſmodi ludo, cenſent tamen tunc ſolùm eſſe mortale peccatum ejuſmodi luſum, quando hi ſunt aleatores per modum habitus, & velut conſuetudinarii; contra hos enim videntur loqui prædicti Canones. Aut quando nimis ſumptuosè, aut publicè cum ſcandalo populi ita ludunt.

Quæro XXXVIII. *Quid eſt Sponſio?*

℞. Eſt contractus, quo duo de veritate, vel eventu alicujus rei incertæ contendentes, ſibi viciſſim aliquid ſpondent, ut ſit ejus, qui veritatem fuerit aſſecutus. 125

De cujus contractus juſtitia requiruntur quatuor conditiones, quæ ad ludum licitum exiguntur, ut ſuprà. Circa autem quartam conditionem *æqualitatis ſervandæ* hìc frequens eſt exceſſus voluntarius in re ſponſa, vel depoſita; quia verò in hoc puncto partes convenerunt, ſtandum erit conventioni, licèt inæqualiter factæ.

De Fidejuſſione, & Aſſecuratione.

Quæro XXXIX. *Quid eſt Fidejuſſio?*

℞. Eſt contractus, quo quis ſuſcipit in ſe obligationem debiti alterius, obligans ſe ipſum ad ſolvendum, ſatisfaciendum, ſi debitor ipſe non ſolverit, aut non ſatisfecerit. 126

Quicumque poſſunt principaliter ſe ipſos obligare ex quocumque contractu, iidem etiam pro aliis fidejubere poſſunt; & è contra, &c. Unde Pauperes, pupilli, filiifamilias, Religioſi profeſſi non poterunt. Monachus enim propria authoritate ſine dubio fidejubere non poteſt: & ſi fidejuſſerit ſine Prælati, & majoris partis Capituli conſenſu, Monaſterium inde minimè obligari, reſcribit Innoc. III. *in cap. quod quibuſdam de Fidejuſſor.*

Quæro XL. *Quid eſt Aſſecuratio?*

℞. Eſt contractus, quo quis conſtitutò pretio ſuſcipit in ſe periculum rei alienæ, obligando ſe ad illius rei compenſationem, vel in totum, ſi tota pereat: vel in partem, ſi pereat pars illius. 127

Ut ſit licitus iſte contractus debet habere quatuor conditiones: I. Ut ſit æqualitas inter pretium, & periculum aſſecurandæ: II. Ut aſſecuratio ſit libera, & non coacta: III. Ut Aſſecurator ignorans admoneatur de periculis rei: IV. Ut res aſſecuranda exiſtat, & quidem cum periculo: alioquin quid aſſecurabitur? Unde ſi quis petat à te aſſecurationem. V. G. Navis, ſciens Navim cum merce jam periiſ-

periiſſe: invalida erit tua aſſecuratio de Navi, vel mercibus; neque ille aſtutus exigere, vel recipere poterit talis rei compenſationem: quia revera nihil aſſecuraſti, nec potuiſti, &c. Et è contra, ſi tu ſcias certitudinaliter, talem Navem jam ſecuram perveniſſe ad portum, non poteris ſuſcipere aſſecurationem &c. Idem dicendum de ſimilibus caſibus.

De Pignore, & Hypotheca.

Quæro XLI. *Quid eſt Pignus?*

128 ℞. Eſt contractus, quo res alicui traditur, vel obligatur in ſecuritatem debiti; ut ſi aliter ſatisfactum non fuerit, inde ſatisfieri poſſit, ac debeat.

Pignus, & *Hypotheca* genericè ſumpta omninò coincidunt. In rigore autem Juris, & ſtrictè ſumpta in hoc differunt: quòd *Pignus* propriè ſit res mobilis, quæ creditori obligatur, ſimulque traditur in ſecuritatem debiti. *Hypotheca* autem propriè eſt res immobilis, vel ſi mobili, ſola conventione, verbo, vel ſcripto abſque traditione, vel poſſeſſione alteri obligatur.

Quæro XLII. *Quid eſt Emphyteuſis?*

129 ℞. Eſt contractus oneroſus, quo conceditur alteri res immobilis, & meliorabilis quoad dominium utile ſub certa penſione reali annua, ſolvenda domino proprietario, vel ejus legitimo hæredi, vel ſucceſſori.

Emphyteuta dicitur ille, cui conceditur tale dominium utile: qui, ſi à tribus annis continuis in Emphyteuſi laicali, & duobus annis, in Eccleſiaſtica, integram penſionem, ſeu Canonem non ſolvat, ipſo jure cadit in pœnam commiſſi, reſque caduca fit, ita ut dominus proprietarius eum expellere poſſit, quamvis ſolutione talis penſionis interpellatus non fuerit: prout ſtatuitur in utroque jure.

Item Emphyteuta non poteſt rem ſibi conceſſam alienare per venditionem, niſi præmonito domino proprietario, ejuſque conſenſu requiſito, & habito: alioquin ipſo jure cadit in pœnam commiſſi, & caducitatis, ac jure ſuo, unà cum melioramentis ſpoliatur; dummodò alienatio traditione perfecta ſit, &c.

Novus Emphyteuta à domino proprietario inveſtiri, & pro inveſtitura ſolvere debet laudemium, ideſt pretium, honorarium certum: *Laudemium* ſi dicitur, quia dominus proprietarius ſuo conſenſu, & authoritate approbat, ac veluti laudat translationem factam.

De Feudo.

Quæro XLIII. *Quid eſt Feudum?*

130 ℞. Eſt conceſſio, vel donatio rei immobilis magni momenti (V. G. Regni, Provinciæ, Civitatis, Arcis, Opidi, Territorii, Villæ) ſecundùm utile dominium pro fidelitate, & obſequio perſonali, quod Vaſſallus Domino ſuo exhibere debet. — *Vel breviùs*, Feudum eſt conceſſio rei immobilis pro omagio. — *Feudatarius* dicitur ille, cui facta eſt talis conceſſio, qui tenetur ſervare conditiones, & pacta, quibus ſibi conceditur tale fundum, vel Feudum à Domino ſuo.

Quæro XLIV. *Quid eſt Cenſus?*

131 ℞. I. Eſt Jus contractu aliquo conſtitutum, percipiendi annuam penſionem ex re, vel perſona alterius. Venditor Cenſus, (ideſt ille, qui accepta certa pecuniæ quantitate ſupponit rem ſuam Cenſui, ſe obligando ad ſolvendam annuatim certam penſionem) vocatur *Cenſuarius*. Qui verò pretium dedit, ſicque Cenſum, ſeu Jus percipiendi annuam penſionem ex re alterius, emit, vocatur *Cenſualiſta*.

℞. II. Cenſus variè dividitur; nempè in Cenſum Reſervativum, & Conſignativum. In Realem, & Perſonalem. In Perpetuum, & Temporalem. In Irredimibilem, & Redimibilem. Vide apud citandos DD.

℞. III. Juſtus, & licitus eſt Cenſus realis abſolutè. Quia hic Cenſus eſt verus contractus emptionis, quo emitur jus percipiendi fructus, vel eorum loco annuam penſionem; imò potiùs eſt ipſe uſusfructus partialis talis rei, V. G. prædii, vineæ, & alterius rei fructiferæ, in qua fundatur Cenſus realis; ita ſcilicet, ut totum dominium directum prædii, vineæ &c. remaneat penes venditorem, ſeu Cenſuarium; dominium verò utile, ſeu uſusfructus ex parte vendatur, & conferatur Emptori, ſeu Cenſualiſtæ. Et hujuſmodi Cenſum ex profeſſo approbarunt Summi Pontifices Nicolaus Quintus, & S. Pius Quintus per ſpeciales Bullas. Bulla Pii incipit, *Cum onus Apoſtolica*, & habetur *tom. 2. Bullarii Romani*, *Conſtitut. 79.* ejuſdem Papæ: quas quidem Bullas, ſeu Conſtitutiones latè, ſeu diffuſè explicant

plicant Navarrus *Comment. de Uſuris, nu.* 84. -- Lugo Card. *tom. de Juſtit. diſp.* 27. *ſect.* 4. *& ſeqq.* Tamburinus, *in Decal. l.* 9. *de Contract. tract.* 2. *de Cenſibus cap.* 5. -- Bonacina, *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 4. *pun. unic.*

℞. IV. Ut autem Contractus Cenſualis iſte ſit licitus, & juſtus, Jure Naturæ requiruntur tres conditiones. I. Ut conſtituatur in re frugifera, & utili: ut eſt ager, vinea, domus, &c. II. Ut juſto pretio Cenſus vendatur, & ematur: III. Si res Cenſui ſubjecta pro parte, aut ex toto pereat, aut infrugifera omninò reddatur; etiam Cenſus ipſe pro rata, aut pro parte, aut ex toto pereat &c.

Præter has Jure Naturæ ad Cenſum realem requiſitas conditiones, adſunt nonnullæ aliæ, quæ de Jure Pontificio in Bulla citata S. Pii V. requiruntur: & præcipuè ſunt: I. Quòd Cenſus nonniſi ſuper re frugifera immobili, vel quæ pro immobili habetur, & deſignata conſtituatur: II. Quòd Cenſus impoſterum non niſi redimibiles conſtitui poſſint. III. Quòd pretium Cenſus integrum ſolvatur numerata pecunia in actu celebrationis Inſtrumenti coram Notario, & Teſtibus: IV. Quòd non fiat, nec in pactum deducatur anticipata ſolutio: V. Quòd pretium Cenſus ſemel conſtitutum non poſſit augeri: & multæ aliæ, quas videre poteris in Auctoribus citatis ſuprà: & in Leſſio, *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12.

℞. V. Aliqui tamen DD. affirmant, eas ſolùm requiri conditiones, quas Jure Naturæ, ſeu ex natura contractus, requiri ſuprà dictum eſt, in Foro conſcientiæ, ut contractus iſte careat labe Uſuræ; quamvis in Foro externo præſumatur Uſurarius defectu cujuslibet conditionis ex prædictis in Bulla aſſignatis; quinimò alii DD. exiſtimant contractum iſtum non eſſe habendum Uſurarium, & nullum in Foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis, dummodò celebratus fuerit, ſervatis conditionibus requiſitis ex natura contractus: & conſequenter perſeverati poſſe in contractu jam celebrato. Ita Molina, Salonius, Salas, Navarrus *Comment. de Uſuris n.* 98. apud Bonacinam, loc. cit. Auctores optimi, ſententia probabilis, ſed mihi haud plenè probata; Lege in fonte DD. cit.

De Cambio.

Quæro XLV. *Quid ſit Cambium?*

℞. Eſt permutatio pecuniæ pro pecunia diverſa. -- *Campſor* eſt ille, à quo petitur pecunia permutanda. *Campſarius* eſt alter, cui pecunia commutatur. -- Cambium dividitur in Reale, & Siccum. *Cambium Reale* eſt legitima permutatio pecuniarum, ex qua juſtum quid lucri capi poteſt, ratione officii, laboris, &c. *Cambium Siccum* eſt quod fingitur eſſe, cùm revera non ſit; Ut, quando habetur ſola ratio temporis, aut quando fingitur alicubi ſolutio pecuniarum facienda, & tamen fit in eodem loco, ubi ſunt Campſor, & Campſarius: quod eſt Uſura palliata ſub *pallio Cambii*; & ideò Cambium *Siccum* dicitur, quia caret humore Juſtitiæ, ſeu juſto titulo ad pariendum lucrum. 132

Quare hujuſmodi Cambia Sicca, tamquam uſuraria damnavit S. Pius V. in Bulla de Cambiis edita, quæ incipit, *In eam pro noſtro*: eſtque Conſtitutio in ordine la 118. dicti Papæ, tom. 2. Bullarii Romani.

Porrò *Cambium Reale* ſubdividitur in Minutum, & Locale. *Cambium Minutum* eſt permutatio numiſmatum diverſæ rationis, & ſpeciei: Ut V.G. Si major pecunia cum minori, antiqua cum nova, patria cum extranea, aurea cum argentea permutatur. Dicitur *Minutum*: quia in eo frequentiùs pecuniæ grandiores cum minutis, aut minutioribus commutantur: Ut V.G. quando numi aurei cum argenteis, vel juliis cambiuntur.

Cambium locale eſt illud, in quo pecunia hic præſens commutatur cum pecunia diſtanti in alia ſcilicet Civitate: quod fit per *Litteras Cambii*; quia regulariter litteræ, vel chirographa dantur, quibus mandatur Mercatori correſpondenti, ut in illa Civitate talem, & tantam pecuniam ſolvat exhibenti litteras hujuſmodi, &c. Et hoc Cambium valdè utile eſt, ac neceſſarium humano commercio, ſpecialiter Mercatoribus, ac Divitibus iter agentibus in remotas Regiones, ne ſummo cum incommodo, quin & periculo magnum pecuniæ pondus ſemper ſecum portare cogantur, &c.

Juſtum autem lucrum, ſeu auctarium Cam-

Cambii realis cenſetur illud, quod vel Lege publica, vel loci conſuetudine taxatum, vel communi hominum æſtimatione, vel prudentis, & experti viri, & præſertìm ipſorum Mercatorum timoratæ conſcientiæ judicio, conſideratis conſiderandis circumſtantiis, æquum, juſtum, ac rationabile apparet. Vide plura apud Sporerium, *tom. 2. Tract. 6. cap. 6. ſect. 2. tota*.

De Locatione, & Conductione.

Quæro XLVI. *Quid eſt Locatio?*

133 ℟. *I.* Eſt contractus oneroſus, quo quis rem aliquam, vel perſonam alteri utendam, vel fruendam certo pretio, mercede, vel penſione conſtituta, concedit. – *Conductio* viciſſim eſt contractus hujuſmodi, quo quis rem aliquam, vel perſonam utendam, vel fruendam, certo pretio, mercede, vel penſione conſtituta, ab altero ſuſcipit. – unde contrahentes dicuntur *Locator*, & *Conductor*.

134 ℟. *II. Locator* tres obligationes contrahit: I. Tradere rem minimè vitiatam, non damnoſam, & non inutilem ad uſum locationis. II. Facere aliquas expenſas rei locatæ conſervandæ. III. Non expellere Conductorem niſi modo, ac tempore debito. – *Conductor* è contra triplicem contrahit obligationem. I. Solvere penſionem debitam. II. Facere aliquas expenſas in re conducta, ut infrà, *n. 139.* III. Finito tempore ſuæ locationis reddere eamdem rem integram, & ſalvam, ſicut accepit.

135 ℟. *III.* Omnis res mobilis ſive immobilis poteſt locari, & conduci. *Mobilis*, ut veſtis ad induendum, tapetum ad ornandum, equus ad equitandum, bos ad arandum, vacca ad fructificandum, &c. *Immobilis*: ut domus ad habitandum, hortus, ager, vinea, olivetum, pratum, prædium, &c. ad fructum capiendum ad breve tamen tempus infra decennium; nam ſi ad tempus longius concedatur, fiet alius contractus, ut puta Emphyteuticus.

Quoniam verò nomine rerum immobilium, vel ſtabilium veniunt etiam *Jura* V. G. Jus exigendi Tributa, Gabellas, Decimas, certos fructus, &c. ideo etiam hæc locari, & conduci poterunt. – Et quoniam homo ipſe poteſt vel ſe, vel ſuam operam, laborem, ſervitium, opificium, induſtriam, vel quodvis pretio æſtimabile obſequium alteri mancipare, poterit & locare; Ut famuli, Coloni, Artifices, Medici, Chirurgi, Magiſtri litterarum, & artium, &c. Huc ergo ſpectant omnes *contractus Mercenarii* pro mercede pecuniaria iniri.

℟. *IV.* Conductor elocare poteſt rem ſibi locatam ad uſum, vel fructum alteri æquè idoneo ad eumdem uſum, vel fructum, ex L. *Nemo*, *6. C. de Locato*: ibi, *Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam aliis locare; ſi nihil aliud convenit*, ideſt, niſi aliter inter partes conveniatur per pactum. 136

℟. *V.* Penſio, merces, pretium locationis conſtituenda ſunt, & ſolvenda in ſola numerata pecunia; nam ſi aliter fiat, non erit propriè *locatio*; ſed contractus innominatus: nempè *Facio*, *ut des*: *Do*, *ut facias*. Unde *Locator* cogi non poteſt, ut, pro pecunia conſtituta, acceptet alias res, etiam æquivalentes; ſicut è contra *Conductor* non poteſt cogi, unam ſpeciem pro alia ſolvere; uti cum communi notant Navarrus, *cap. 17. n. 108.* Layman. *lib. 3. tr. 4. par. 3. c. 22. n. 1.* 137

℟. *VI.* Tanta autem penſio ſtatuenda eſt pro re locata, quanta, conſideratis conſiderandis ex natura talis contractus, per juſtam conventionem judicio prudentis, & experti viri æſtimabitur; ita ut non excedat commoditatem uſus, vel fructus ſperati ex tali re. – Quòd ſi læditur aut Conductor nimia penſione, aut Locator notabiliter minori penſione; tunc in Foro externo dabitur Actio ad reſcindendum contractum, & ad reſtitutionem etiam in integrum parti læſæ, vel deceptæ ultra dimidium juſti pretii tantùm. In Foro autem conſcientiæ ſemper obligatur lædens ad reſtituendum læſo, vel decepto, ſive læſio fuerit ultra, ſive infra dimidium juſti pretii: quod habet locum etiam in Emptione, & Venditione. Ut communiter docent DD. citati. 138

℟. *VII.* Expenſæ ordinariæ ad ſolum uſum, vel fructum rei locatæ capiendum ſpectat ad Conductorem. Expenſæ autem neceſſariæ ad ipſam ſubſtantiam rei locatæ, ejuſque partes permanentes conſervandas ſpectant ad dominum Locatorem. Ut habetur in *L. Dominus*, *55.* & *L. Colonus*, *61. ff. Locati*. Et ex communi DD. – 139

Expen-

Digitized by Google

Expenſæ tandem admodùm utiles pro melioratione rei locatæ, quæ ſcilicet rem locatam reddant notabiliter meliorem, ac impoſterùm utiliorem ipſi etiam Locatori: (Ut V.G. plantare arbores fructiferas, vineas, &c. fundum ſterile fructiferum reddere, puteum valdè commodum fodere, & ſimilia) ſpectant ad Locatorem. Quia reverà ſemper dominus ſanæ mentis Locator cenſetur ſaltem tacitè conſentire, quoties talia melioramenta reddunt rem utiliorem, ac frugiferiorem ipſimet, ac ſuis hæredibus: ideòque abſolutè tales expenſæ ad ipſum pertinent. Quòd ſi eas nolit poſtea compenſare Conductori, iſte ſibi poterit compenſari, ut cum aliis DD. dicit P. Sporer, *tom.* 2. *tract.* 6. *c.* 7. *n.* 38.

140 ℞. *VIII.* Si res locata caſu pereat ſine omni culpa Conductoris (ſecluſo tamen ſpeciali pacto aſſecurationis) Locatori tamquam domino ſuo perit, ejuſque erit damnum. – Si autem culpa Conductoris pereat, vel deterior fiat, eidem, ejuſque damno perit, totumque valorem rei domino reſarcire tenebitur; ut alibi diximus. – Quòd ſi dubitetur, vel neſciatur, an caſu, an verò culpa, vel dolo Conductoris res perierit? Ipſimet Conductori incumbet onus probandi, & quòd res caſu perierit, & quòd ſine ejus culpa, vel dolo, ut habetur *L. ſi quis ex argentariis, 6. §. 9. in fine ff. de edendo*. Et ex communi DD.

141 ℞. *IX* Quando accedit impedimentum ex parte rei conductæ, quo impedimento ſtante, Conductor uti, vel frui non poſſit re conducta; ſicque vel in toto, vel in parte res illa inutilis fiat, liberabitur à penſione ſolvenda eo tempore, quo re conducta uti, vel frui non poteſt. Ut V.G. ſi domus ruinam minetur: ſi nocturnis ſpectris, ſeu diabolis infeſtetur: ſi ob periculum belli, vel peſtis tutam habitationem non habeas: ſi ager, vel prædium alluvione deſtruatur, flumine inundetur, tempeſtatibus deſoletur, &c. Ratio clara eſt: quia nullus tenetur mercedem ſolvere pro eo, quo uti, vel frui non licuit, ſine ejus culpa; ergò &c. Ita Navarrus, Leſſius, Molina, Laymann, apud Sporerium, *cit. num.* 45. – Quando autem impedimentum accidit ex parte ipſius Conductoris, etiam involuntariè: V.G. quia infirmus non potuit colere hortum, vel agrum conductum; conjectus in carcere non potuit habitare in domo conducta, & multò magis ſi voluntarium impedimentum poſuit, vel fuit cauſa talis impedimenti; tunc tenebitur Conductor totam penſionem, vel mercedem ſolvere: Ratio patet: quia per ipſummet Conductorem ſtetit, quò minùs re ſibi locata uti, vel frui poſſit, ac vellit: & res conducta velut parata eſt ad ſerviendum ipſi Conductori; ergo ſibimet imputari debet tale impedimentum.

℞. *X.* Quando impedimentum accidit ex parte Locatoris voluntariè, ſeu per culpam ſuam, quò minùs Conductor re ſibi locata frui, vel uti poſſit, V.G. ſi mala fide locaſti Titio equum, vel domum, vel fundum alienum, poſtea à vero domino evictum, ſeu recuperatum; tunc non tantùm Titius Conductor bonæ fidei liberatur à penſione pro rata temporis; ſed etiam tu Locator præſtare ei teneris, *quantum ei intereſt: id eſt*, obligaris non ſolùm ad damna, quæ ea de cauſa ſequuntur Titio Conductori; verùm etiam ad omne lucrum ceſſans intrinſecum, & extrinſecum, videlicèt, quantos inde fructus percepiſſet, vel quantùm inde lucratus eſſet (expenſis tamen deductis in tali re conducta) Titius Conductor; juxta Regulas generales Inſtitutionis: ut habetur *L. Si Fundus* 33. *ff. Locati*. Ratio etiam eſt: quia horum omnium malorum cauſa fuit Locator: & culpa ipſius deſiit Conductori uſus, fructus, & lucrum rei ſibi locatæ. 142

Reſtat nunc tandem tractatus *de Emptione, & Venditione*; quoniam verò hæc materia valdè uſualis, & quotidiana eſt, ſolemniùs, ac fuſiùs præ omnibus Contractibus deſcribenda eſt in toto ſequenti Tractatu, in gratiam Confeſſarii tyronis, cui laboro ex charitate.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS XXXIV.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

QUæro I. *Quanam fuit origo hujus contractus Emptionis, & Venditionis?*

1 *Reſpondeo I.* Olim antiquitus ante inventionem nummi, & pecuniæ in uſu erat ſola rerum Permutatio: quando unuſquiſque pro ratione neceſſitatis, vel utilitatis bona ſua ſibi non neceſſaria, vel inutilia permutabat cum alio pro neceſſariis, vel utilibus habendis: cùm plerumque, & ferè ubique contingat abundantia unius rei, & inopia alterius: hic vinum abundat, ſed deficit oleum: illic oleum abundat, ſed vinum deficit, &c. & quod uni ſupereſt, alteri deeſt. Et hoc a ſuavi, ac prudenti Divina Providentia procedit, ut homo homine indigeret, & homo ab homine ſublevaretur: ſicque quaſi neceſſario amoris vinculo homines ad invicem commercium haberent, & alterutrum diligerent. -- Verùm quia non ſemper, nec facilè concurrebat, ut tu haberes hic, & nunc, quod mihi opus erat, & ego viciſſim haberem, quod tu deſiderabas: & ſæpiſſimè rerum permutandarum inæqualis erat valor; ideò Jure Gentium, & conſenſu hominum prudentium electa fuit *quædam materia certa*, cujus uſu ex publica æſtimatione perpetua difficultatibus Permutationum, quoad æqualitatem quantitatis, & valoris ſubveniretur. Et *hæc materia* dicta eſt *Nummus*, & *Pecunia*.

2 *Nummus*, ſeu numiſma eſt nomen Græcum à *Nomos*, ideſt *Lege* derivans: littera O, in V, commutata: quia (ut dicit Calepinus) cùm antea permutatione mercium homines uti ſolerent, *Lege* uſus *Nummi* inductus eſt. Scribitur tamen per duplex MM, ex antiquis lapidibus, & nummis. Eſtque generale nomen, & de qualibet *Pecunia*, ſive Moneta dici poteſt; ſive aurea ſit, ſive argentea, aut etiam ærea. -- *Pecunia* verò eſt nomen pariter Græcum à *pecore*, ſive à *pecu* deſumptum; quia apud antiquos omnis pecuniæ fundamentum fuit *Pecus*: vel *Pecunia* ſortita eſt Nomen à *Nota pecudis*, eò quòd primum Numiſma ſignatum fuit figura pecoris, vel pecudis. Et ſicut olim divitiæ, & ſubſtantiæ hominum erant in pecoribus; ita nunc temporis in Nummorum, & Pecuniarum multitudine conſiſtunt.

Atque hinc ex contractu generaliſſimo 3
Permutationis rerum, & mercium natus eſt ſpecialis contractus *Emptionis, & Venditionis*. Nam quatenùs permutatur res pro tali pretio, vel pecunia, dicitur *Venditio*, cujus materia appellatur *Merx*, ſcilicet quælibet res pretio æſtimabilis; quatenùs verò commutatur talis pecunia pro aliqua re pretio æſtimabili habenda, dicitur *Emptio*; cujus materia eſt ipſum pretium, vel pecunia ipſa.

QUæro II. *Quid eſt Emptio?*

R. Emptio eſt Pactio pretii pro mer- 4
ce. Et è contra *Venditio* eſt pactio mercis pro pretio. Dicam clariùs. *Venditio*, & *Emptio* eſt contractus oneroſus mutuo conſenſu abſoluto conſtitutus, dandi mercem pro certo pretio, & dandi pretium certum pro tali merce. -- Per ly *certum* intellige pretium determinatum, unicum, & ſtatim debitum. Explico ſingulas particulas.

Eſt contractus oneroſus: nimirùm ex utra- 5
que parte contrahentium obligans, ſcilicet Venditoris, & Emptoris; Venditor enim ſe obligat ad tradendam mercem ſuam: Emptor verò ad tradendum pretium. Eſtque contractus bonæ fidei, non ſtricti Juris: quia frequentiſſimè fieri ſolet inter cives: nec ſolent apponi multæ conditiones, quæ aliàs in contractibus *Stricti Juris* ponuntur, ſed Vendens, & Emens ſe remittunt ad conſuetudinem Patriæ, &c.

Mutuo conſenſu abſoluto conſtitutus: nam 6
Emptio, & Venditio eſſentialiter perficitur mutuo conſenſu de tali pretio pro tali merce dando, & accipiendo: conſenſu expreſſo verbis, nutibus, & quandoque litteris; quare etiam inter abſentes

per

Digitized by Google

per litteras, vel nuncium fieri poteſt. Hoc autem conſenſu mutuo poſito, utrinque ſtatim acquiritur jus ad rem; unde non eſt neceſſe, ut transferatur actum dominium per realem traditionem, ſed ſufficit, ut uterque ex vi contractus maneat obligatus ad transferendum dominium, unius rei, vel mercis, alter pretii, vel pecuniæ. Verum quidem eſt, quòd Emptio, & Venditio integraliter completur per traditionem, & apprehenſionem & mercis, ſimul & pretii; quo facto uterque acquirit Jus in re, & dominium perfectum.

7 *Conſenſu abſoluto*; nam ſi conſenſus conditionatus fuerit; V.G. *Vendo tibi frumentum meum, ſi Romam proficiſcar*: tunc perficietur iſte contractus, quando conditio impleta erit: & ſic obligatio illa vendendi frumentum retrotrahitur ad tempus initi contractus ab initio, perinde ac ſi venditio ab initio fuiſſet abſolutè celebrata: ideòque commoda & pericula rei venditæ pro illo tempore ad emptorem ſpectant. Idemque dicendum, quando requiritur alterius ratihabitio; eſt enim veluti venditio conditionata: Ut V. G. *Vendo tibi hoc prædium, ſi tuus Pater, aut Tutor ratum habuerit, ideſt, approbaverit.*

8 *Dandi mercem pro pretio, ac pretium pro merce*. Accipitur hìc nomen *Mercis* non ſtrictè, pro ſola re mobili, ſed latè pro omni re pretio æſtimabili, & vendibili, ſive ſit mobilis, ſive immobilis; nam emi, & vendi poſſunt etiam res immobiles, ſive corporales, ut domus, prædium, ſive incorporales, ut Jura, debita.

9 Sed quid, ſi pro merce detur partim pretium, partim alia res?

℞. Si data pecunia ſuperet valore aliam rem datam; tunc ſimpliciter Emptio, & Venditio erit. Si autem alia res ſuperet pecuniam datam; ſimpliciter permutatio erit. Ratio utriuſque reſponſionis eſt: quia *Acceſſorium ſequitur Principale*. -- Si tandem pecunia, & res data æqualis ſit valoris, vel quaſi æqualis; tunc attendenda erit mens contrahentium: aut cenſebitur partim venditio, partim permutatio.

10 *Pro pretio certo*: ideſt determinato, unico, & ſtatim debito; alioquin invalidus eſſet contractus Emptionis, & Venditionis: ut ſi diceres: *Vendo tibi hanc veſtem juſto pretio*: vel *quanti volueris*; quia certum pretium tunc non conſtituitur. E contra verò, valida erit emptio, ſi dicas, *Emo à te hunc equum, hanc veſtem, quanti tu emiſti, vel quanti in his nundinis nunc temporis ſolet vendi*: quia tunc eſt aliquod determinatum pretium. Ratio eſt: quia in hoc contractu tam pretium, quàm merx ſtatim tota ſimul debetur; non per hanc ſpecialem qualitatem Emptio-venditio differt à Locatione, Emphyteuſi, & aliis contractibus, in quibus non confertur dominium abſolutum rei cum pretio unico ſtatim debito, & ſolvendo.

Quæro III. *Quotuplex eſt pretium rei?*

℞. Pretium rerum venalium duplex eſt: nempè Legitimum, & Naturale, Naturale ſeu vulgare eſt triplex. Summum, Medium, Infimum. Omnia, & ſingula, iſta pretia ſufficiunt ad juſtum contractum Emptionis-Venditionis. Explico meliùs ſingula. 11

Pretium legitimum, ſeu legale eſt, quod publica lege, aut Decreto Principis, vel Magiſtratus taxatur, conſiderata qualitate rei venalis, & omnibus aliis circumſtantiis; & hoc pretium pro juſto habendum eſt, & acceptandum, quoties non conſtat, Superiorem iniquè (ut puta ex ignorantia, odio, avaritia, aut muneribus) taxaſſe. - Porrò hoc pretium conſiſtit in indiviſibili, ideſt, non poteſt privata authoritate augeri, alterari; atque ex juſtitia ſub onere reſtitutionis obſervandum eſt; adeò ut quomodocumque excedatur, ſeu plus exigendo, ſeu minus dando, ſupra, vel infra taxam, injuſtitia committatur, cum obligatione reſtituendi exceſſum, vel defectum taxati pretii. 12

Quoniam verò pretium plerumque taxatur in gratiam Emptorum, ut Venditores non poſſint ultra illud quidpiam exigere, hinc ſequitur, quòd Emptores licitè poſſunt dare minus pretio taxato, ſi Venditores fuerint contenti, dummodò naturale pretium infimum attingant. Ratio eſt obvia, & pervia; quia nullus obligatur favore ſuo: & unuſquiſque poteſt Juri ſuo cedere. 13

Nihilominus *Taxa* quandoque non obligat in conſcientiæ Foro, quando res, vel merx tua eſt notabiliter, vel longè præſtantior, quàm res aliæ, quæ communiter taxato pretio venduntur ibi; tunc enim ratio naturalis dictat, quòd poſſis vendere aliquantò pluris ſupra taxam. 14

Digitized by Google

xam. Sicut è contrà, ſi res tua (frumentum, vinum, oleum, & ſimilia) ſit notabiliter pejor aliis, etiam minoris proportionaliter vendere debes. Ratio eſt, quia Taxa ſemper intelligi debet de rebus venalibus ordinariæ, & communis bonitatis; ergo, &c. Ita Card. de Lugo, *diſp. 26. ſect. 5. num. 64. tom. de Juſtit. & Jure*: Et communis DD. apud Sporer *tom. 2. tract. 6. cap. 5. ſect. 1. §. 1.*

15 *Item*, Taxa ceſſat obligare, ſi evadat injuſta certò, & manifeſtè, mutatis circumſtantiis: Ut V.G. ſi poſt publicationem Taxæ ſuperveniat rerum abundantia, vel è contra penuria. Ratio eſt, quia ubi notabilis eſt mutatio circumſtantiarum, unde mercium, & rerum omnium æſtimatio pendet, pretium quoque à Superiore mutari convenit; quod ſi non mutetur, tu ipſe mutare poteris, & quandoque debebis. Unde duces. I. Si pretium legale tempore inopiæ non augeatur à Magiſtratu; tu poteris res illas vendere pretio vulgari. II. Si tempore copiæ non minuatur pretium legale; tu debes illud minuere, reducendo ad vulgare, ſeu naturale.

16 Dixi: *certò, & manifeſtè*; quia quando pretium legale non eſt evidenter injuſtum, ſed tantùm dubites de injuſtitia, non potes illud mutare; quia in dubio ſemper pro Superioribus eſt præſumendum de bona juſtitia, &c. Ita ex Leſſio, *lib. 2. cap. 21. dub. 2.* — Navarro, *cap. 23. n 88.* Ubi dicit: æſtimatio, vel taxa injuſta non obligat, ſaltem in Foro conſcientiæ, ſecundùm omnes. Tum quia, ſupetveniente maxima neceſſitate, tollitur omninò taxa.

17 *Item*, Taxa ceſſat obligare, ſi Princeps ſciat, & patiatur populum non vendere, & emere juxta Taxam, ſed pretio vulgari, & currenti; quia tunc tacitè cenſetur conſentire: ut notat Tamburinus, *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 4. nu. 19.* cum aliis DD.

18 *Pretium autem naturale*, ſeu vulgare eſt illud, quod à plurimorum judicio pendet, qui non idem omninò judicant, nec in unum determinatum conveniunt; ſicque habet quamdam latitudinem; unde differt à pretio legali, quod conſiſtit in indiviſibili, quia taxatur à Principe, vel à Republica, aut à Magiſtratu, ubi Senatores in unum conveniunt ex matura deliberatione, & conſenſu communi. — Vel pretium *naturale* dicitur, quia ſecluſa definitione legis, aut Legiſlatoris, conſtituitur paciſcentium, ſeu contrahentium conſenſu *ex ipſa natura* mercium, conſiderata ſecundùm eſſe uſuale, ſeu in ordine ad uſum humanum ratione neceſſitatis, utilitatis, affectionis, & voluptatis. — Dicitur etiam *vulgare*, quia à *Vulgo* imponitur, ex communi hominum æſtimatione, juxta *L. Pretia, ff. ad L. Falcidiam*; ita ut illud cenſeatur juſtum mercis prætium eſſe, quod loci conſuetudo approbat, vel peritia mercatorum imponit, qui regulariter non idem omninò judicant; quod enim aliqui æſtimant valere V. G. *Novem*, alii æſtimant *Decem*, & alii *Undecim*.

Hinc fit, ut pretium *vulgare* ſit triplex, 19
nempè *infimum*, *medium*, *& ſummum*. Infimum, dicitur etiam *pium*; Medium, *moderatum*: & ſummum, *rigoroſum* etiam nominatur. Si V. G. pretium *medium* ſit æſtimatio, ut *Decem*; infimum erit *Novem*: & ſummum erit *Undecim*. Vel rurſus ſi medium pretium ſit *Centum*: infimum erit *Nonaginta quinque*: & ſummum *Centumquinque*. Unumquodque iſtorum æſtimatur *juſtum pretium*, quia ſtat inter limites humanæ æſtimationis.

Nota hic cum Leſſio, *lib. 2. cap. 21.* 20
dub. 2. n. 11. quòd ipſum quoque *medium* pretium vulgare habet ſuam latitudinem. & conſequenter infimum, & ſummum: quod patet in ſecundo exemplo de *Centum*. Et ſic de aliis.

Quæro IV. *Res, quæ non habent prætium legitimum, nec vulgare, poſſuntne vendi quanti vult dominus?*

℞. *I.* Quidam DD. affirmant: probant 21
autem ſic; quia cùm non ſint neceſſariæ vitæ humanæ, ſi quis velit eas emere, ſpontè cenſebitur velle dare, quod venditor exigit; quare venditor licitè poterit quod voluerit, accipere: tum quia *Quiſque in rebus ſuis eſt moderator, & arbiter*: ut habetur *L. in re mandata. 21. C. Mandati*. Et commune proloquium, *Rem valere quanti vendi poteſt*. Ita Soto, *l. 9. q. 2. art. 3.* — & Petrus Navarra, *l. 3. c. 2. n. 11.*

℞. *II.* Aliis DD. meliùs, & veriùs negant. Ratio eſt, quia juſtum pretium etiam earum rerum, quæ nec Lege, nec communi æſtimatione taxatæ ſunt (Ut V. G. quædam peregrinæ gemmæ, inſignes canes, falcones, aves Indiæ, Leones, picturæ veteres, numiſmata antiqua, & ſimilia) ſumendum eſt ex judicio intelligentis

Mer-

Digitized by Google

Mercatoris, qui, ſpectatis circumſtantiis ad rei valorem facientibus, talem rem æſtimet; atqui res quælibet venalis debet vendi juſto pretio: ergo non erit licitum tanti vendere, quanti vendi poteſt; alioquin poſſet quis rem ſingularem (quam bona fide, & prudenti judicio æſtimat valere 10. tantùm) poſſet, inquam, vendere 100. vel 1000. ſi videret Principem aliquem ea re delectari, eamque velle omni pretio emere: quod eſt contra rectam rationem: Ita Leſſius: *l. c. dub. 3.* ex Navarro, & Cajetano ibi. Falſum enim eſt illud dictum: *Rem valere quanti vendi poteſt.*

Quæro V. *Pretia rerum naturalia, & vulgaria poſſuntne quandoque juſtis de cauſis variari, augeri, minui?*

22 ℞. Affirmativè; & ſpecialiter ex quatuor capitibus: I. Ex parte mercis & pretii. II. Ex parte ementium. III. Ex parte Vendentium. IV. Ex parte modi vendendi, & emendi. Explico ſingula capita.

23 *Ex I. Capite.* Abundantia, & penuria mercium ſicut è contra, abundantia, & inopia pecuniæ, minuit, & auget rerum valorem, & pretium. Abundantia mercium, minuit valorem, penuria mercium, auget pretium. Abundantia pecuniæ auget: inopia pecuniæ minuit pretium. Hinc patet quotidiana experientia, quòd quando multi ſunt venditores; & pauci emptores, merces viliori pretio venduntur; tunc enim merx abundat, & vileſcit. Contrà, quando multi ſunt emptores, & pauci venditores, rerum pretia augentur; quia tunc inducitur penuria mercium. — Quando, & ubi abundant nummi, res etiam majori pretio venduntur. Contrà, ubi, & quando inopia nummorum eſt, res quoque minori pretio dantur. Ergo &c.

24 *Ex II. Capite.* Quando emptores ſunt frequentes cariùs merces vendi poſſunt, quàm ubi, & quando ſunt rari, vel pauci emptores; & juſtè quidem: accedentibus enim multis emptoribus, inducitur rerum penuria: comparentibus autem paucis, perſiſtit abundantia. Ergo &c. Unde videmus, quòd in tranſitu Principis cum magno comitatu, vel exercitu, rerum pretia accreſcunt. E contra, in fine Nundinarum, delapſis jam emptoribus, & proſtantibus mercibus, ipſæ merces viliùs emuntur.

25 *Ex III. Capite.* Univerſaliter loquendo, qui ex officio, vel negotio vendunt, ut Mercatores, cariùs vendere poſſunt: ut lucrentur ad ſui ſuſtentationem, & lucrum moderatum; cùm maximè æſtimabile ſit, ac utile Reipublicæ, dari, & conſervari hujuſmodi Mercatores, qui rebus conquirendis, conſervandis, & diſtrahendis attendant; ergo digni ſunt, & meritò excuſandi, ſi cariùs quàm alii, qui ex accidenti, vel raro vendunt res ſuas. Etenim Reipublicæ multum intereſt, habere Mercatores omnis generis apud quos in promptu habeantur merces quælibet ad communem uſum, & commodum; ergo congruum eſt, ut eis hæc licentia lucrandi moderatè concedatur quoad pretia naturalia, & vulgaria. — Dixi, *quoad pretia vulgaria*; nam ſi adſit alicujus mercis pretium legitimum, vel taxatum, non poterunt Mercatores ultra illud vendere; quia taxatione legitimè facta de pretio talis mercis, jam habita eſt ratio officii Mercatoris ut ſupponitur.

Ex IV. Capite. Cariùs res vendi poſſunt, quando minutim venduntur, quàm ſi magna in quantitate ſimul. Quia prior modus plures labores, & expenſas venditoribus affert. E contra quando ſimul magnam quantitatem emis, minoris emere potes: quia exoneras venditorem multis curis, & periculis &c. 26

Item. Res à venditore ſponte oblatæ ad emendum, viliùs emuntur, quàm res in propria mercatoris officina; quia *Merces ultroneæ vileſcunt pro tertia parte pretii.*

Item. Qui emit in gratiam venditoris, utpotè rogatus ab ipſomet venditore, poteſt emere minoris. Qui autem vendit in gratiam emptoris, ſimiliter rogatus, poteſt è contra vendere pluris; ſi per hoc aliqua ſua commoditate ſe privet in gratiam emptoris; dumodò de hoc emptorem moneat, & hujus ſui commodi, quo ſe privat, compenſationem in pactum deducat, ne alter decipiatur.

Item. Res, quæ ſubhaſta, ſeu Foro ſcrutatorio venduntur, vilioris emi poſſunt; quia ex praxi omnium, etiam timoratorum in eo modo vendendi, juſtum pretium cenſetur, quod inveniri poteſt.

Quæro VI. *Licetne cariùs vendere res exteris, quàm vicinis, & incolis?*

℞. Intra latitudinem juſti pretii naturalis nihil prohibet, exteris vendere pretio rigoroſo res ſuas, civibus autem ex benevolentia pretio mediocri, vel infimo; aliquid 27

aliquid enim concedendum eſt incolis, qui oneribus propriæ Civitatis, vel locis perpetuò ſubſunt, ac Communitati inſerviunt, quàm extraneis, & advenis.

Quæro VII. *Poteſtne Mercator vendere majori pretio, quia credito vendit?*

28 ℞. Supra legitimum, aut etiam vulgare juſtum pretium non licet cariùs vendere ex eo ſolo prætextu, quòd credito vendas. Communiſſima ſententia apud omnes DD. Ratio manifeſta eſt: quia juſtum pretium rei eſt illud, quo valet res nunc, quando traditur, & non quo valebit poſtea. Tum quia ſub hoc pallio *credito* adeſt mutuum implicitum, & vera uſura palliata, nam ſi mercem tuam pretio juſto etiam *Summo* valentem V.G. Centum aureos tantùm, ob ſolam dilationem vendas Centumquinque, reipſa nil aliud agis, quàm quòd Emptori illos Centum aureos tamquam juſtum pretium ſtatim ſolvendos mutues in longius tempus, ut poſtea reſtituat Centum & quinque: quod eſt Uſura palliata.

29 Secùs autem dicendum erit, ſi in tali venditione *credito* facta accedat juſtus titulus accipiendi aliquid ultra ſortem creditam, vel ultra pretium juſtum. Et tunc in hoc caſu quatuor requiruntur conditiones. I. Ut verè tu Mercator aliis eſſes venditurus rem, vel mercem illam numerata pecunia, niſi huic uni venderes credito. II. Ut, dato hoc primo caſu vero, & reali tu ſtatim negotiaturus fuiſſes cum illa pecunia numerata, III. Ut, his duabus conditionibus poſitis, de lucro exigendo minuatur, ſeu detrahatur, quod ratione expenſarum, & periculorum arbitrio boni viri in ea negotiatione expenſurus fuiſſes. IV. ut id omninò ſignificetur emptori; alioquin enim forſan nollet à te emere hanc mercem cum hoc honere compenſandi tibi lucrum ceſſans, vel damnum emergens ex dilata ſolutione: ſi non præmoneas de hoc, ignarum gravas, & onus reſtitutionis contrahis.— Ubi vides, paſſim delinquere plures Mercatores, qui indifferenter quibuſvis vendunt cariùs credito; etiam cùm pauci, vel nulli ſint emptores, qui vel numerata pecunia emiſſent eamdem mercem *ſummo* (quamvis juſto) pretio. Heu quòt Mercatores damnantur ſic malè negotiando pro anima ſua! Acquirunt pecuniam alienam, qua emunt ſibi gehennam. Væ mercatoribus! Væ etiam Confeſſariis hoc eis permittentibus! Vide doctum, ac pium Leſſium, *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 6. Sporerium noſtrum, *tom.* 2. *tr.* 6. *cap.* 5. *ſect.* 1. §. 4. *n.* 31.

Quæro VIII. *Mercator, qui ſuas merces credito vendit, ut plures attrahat adventores, peccatne?*

℞. Si non excedat in pretio juſto, non 30
peccat. Ratio eſt, quia utitur Jure ſuo, cùm poſſit res ſuas vendere non ſolùm numerata, verùm etiam credita pecunia; tum quia, licèt vendens credito dicatur virtualiter mutuare uſque ad tempus præfixum ſolutioni; nihilominùs in hoc caſu non committit uſuram, cùm nihil accipiat ſupra ſortem creditam. Ita Bonacina, *de Contract. diſp.* 3. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 18.

Quæro IX. *Neceſſitas, vel magna utilitas mercis eſtne cauſa ſufficiens augendi pretium ejus?*

℞. *I.* Si talis neceſſitas, & utilitas mer- 31
cium ſit communis; tunc quidem eſt cauſa ſufficiens augendi pretium; quia tunc erunt plurimi emptores, ex quorum multitudine inducitur rerum penuria, & conſequenter augeri poſſunt pretia naturalia. ℞. *II.* Si neceſſitas eſt ex parte ſolius venditoris, cui ſcilicet res vendenda neceſſaria eſt valdè, vel utilis; & tamen eam vendit in gratiam emptoris; tunc pariter poteſt venditor augere pretium; quia privatio illius commoditatis, imò & juſtæ oblectationis pretio æſtimabilis eſt; & ſe habet per modum lucri ceſſantis, aut damni emergentis, quòd ab emptore jure compenſandum eſt.— ℞. *III.* Si tandem neceſſitas, aut utilitas illius mercis eſt ex parte ſolius emptoris: tunc nullo modo augeri poteſt pretium ultra juſtum, & ordinarium; alioquin ſequeretur, poſſe eſurienti, & quaſi fame pereunti panem valoris unius bajochi vendi Centum aureis, quo nihil abſurdius, & inhumanius. Ratio autem eſt: quia nullus poteſt vendere, quod ſuum non eſt: at neceſſitas, aut utilitas ementis nullo modo eſt vendentis. Tum quia *res vendi debet, quanti valet*; nam pretia rerum debent commenſurari valori rationabili ipſarum, non autem neceſſitati, aut utilitati ementium: (ut multi inhumani, & avari abſque ulla conſcientia faciunt) ergo &c. Audi argumentum Doctoris Angelici, 2.2. *q.* 77. *art.* 1. *in corpore quæſtionis*. Matth. 7. dicitur *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines: & vos facite illis*; ſed nullus vult ſibi rem vendi

vendi cariùs, quàm valet; ergo nullus debet alteri vendere rem cariùs, quàm valeat; tum quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non ſe tenet ex parte venditionis, ſed ex conditione emptionis. Vide Leſſium, *cit. dub.* 4.

Quæro X. *Emptio-venditio, in qua latitudo juſti pretii exceditur, eſtne ſemper iniqua, & injuſta?*

32 ℞. I. Exceptis caſibus prædictis, quibus probavimus quandoque licere pretia augeri, dico, quòd ſic; niſi læſio ſit valdè modica aut liberalis datio, vel remiſſio ejus, qui deceptus eſt, ſaltem præſumpta acceſſerit. Ita D. Auguſtinus, *lib.* 13. *de Trin. cap.* 3. eſtque communis DD. Idem enim exigit Juſtitia commutativa, quæ in contractibus exigit ſervari æqualitatem dati, & accepti. Et quidem in Foro conſcientiæ lædens tenetur ad reſtitutionem.

33 ℞. II. In Foro autem externo, ob multitudinem litium evitandam non ſuccurritur alicui in hac materia, niſi ſupra dimidium, *Juſti pretii* deceptus fuerit; ut habetur, *L. Rem majoris. C. De reſcinden vendit.* Et *cap. Cum dilecti*. Et *cap. Cum cauſa. De Empt.*

34 Dixi: *Niſi læſio ſit valdè modica*, &c. quia tunc, ob levitatem materiæ, non tenetur quis ad reſtitutionem. Quinimò, quia durum eſt inter homines, in contractibus quotidianis ſemper obſervare exactiſſimam Juſtitiam: & modus contrahendi humanus quaſi fundatur ſupra illud Legis Naturæ: *Quod tibi vis fieri, hoc alteri facias*: hinc noſter Scotus, *in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. *art.* 2. optimè notat, ferè omnem contractum concomitari aliquam donationem, & mox ſubjungit rationem, dicens: Satis probabile eſt; quòd quando contrahentes ſunt mutuò contenti, mutuò etiam volunt ſibi remittere; ſi ſecundùm aliquid deficiunt ab illa Juſtitia requiſita. — Et hanc Doctrinam Scoticam communiter accipiunt DD. & ex ea Laymannus, *lib.* 3. *tract.* 4. *part.* 3. *cap* 17. §. 1. *nu.* 6. format hanc regulam practicam, dicens: In dubio potiùs eſſe exiſtimandum, quòd contrahentes velint, invicem remittere, & condonare, ſi in contractu inæqualitas modica, & non admodùm notabilis accidat. Sin verò notabilis inæqualitas, præſumendam non eſſe donationem; niſi ex circumſtantiis de liberali donatione conjectura ſumi poſſit; ut ſi emptor cognatus ſit venditoris, & aliàs benefacere ſolitus.

Quæro XI. *Cuinam reſtituendus eſt exceſſus injuſtus pretii?*

Ad intelligentiam hujus Quæſiti, quod variis modis poteſt fieri, pono hunc Caſum. Vendidiſti frumentum Titio piſtori exceſſivo pretio. Idem piſtor ad ſe ſervandum indemnem vendidit poſtea panem diminutum populo. Quæro, cuinam exceſſum pretii reſtituere debebis, piſtori, an populo?

35 ℞. Populo. Quia piſtor non ſenſit damnum, ſed ſe indemnem ſervavit, etſi injuſtè; ergo ſolus populus, qui damnum paſſus eſt, debet reintegrari ex tuo exceſſu injuſto in pretio tritici venditi piſtori. Et quomodo? Si illi ſecundi emptores panis diminuti ſint plerique incerti, vel incogniti, tunc juxta communes regulas reſtitutionis pro debitis incertis ex delicto, reſtituendum erit pretium iniquè retentum pauperibus illius loci. Ita ex Sanchez, Lugo, & Tamburino reſolvit P. Sporer, *tom.* 2. *Tract.* 6. *capit.* 5. *num.* 29.

Sed quid, ſi tu jam rediddiſti exceſſum pretii injuſtum ipſi piſtori? Dico quòd meliùs feciſti (meo judicio) reſtituendo primo emptori, quem immediatè, & directè læſiſti. Et tunc ad nihil ampliùs teneris; nam æquitas poſtulat, ut quia jam purgaſti tuum delictum reddendo exceſſum prædictum primo emptori, nec aliquid alienum inveneris habere, non debeas ampliùs moleſtiam pati. Reſtituat ergo nunc populo ipſe piſtor, quod tu ipſi reddidiſti: quemadmodum etiam ipſe deberet reſtituere caſu, quo tu nolles, vel non poſſes reſtituere; non enim ex hoc ipſe liber erat ab obligatione reſtitutionis contracta ex ſuo delicto contra populum commiſſo.

Ex his patet reſponſio brevis ad Quæſitum: & dico, quòd exceſſus injuſtus pretii reſtituendus eſt immediato, vel quandoque mediato damnificato; melius autem, & expeditius erit, ſi reſtituatur immediato damnificato; quem nempè directè læſiſti; nam iſte prior paſſus eſt damnum.

Hinc collige, *Confeſſor*, quomodo reſolvantur caſus ex doctrina communi; & quomodo facili negotio poſſit formari caſus ex fundamentis moralibus. Omnes enim caſus particulares non inveniuntur ad litteram in libris; benè quidem ad

ſua principia omnes reducuntur, & ex materia communi exhauriuntur, ac reſolvuntur.

Quæro XII. *Vendens, vel emens pretio præſenti, & currenti quamlibet mercem, certò ſciens, pretium de proximo augendum, vel minuendum fore, peccatne?*

36 ℞. Non peccat contra Juſtitiam, neque contra charitatem. Ratio eſt, quia tanti res juſtè emitur, & venditur, quanti nunc publicè valet. Neque ſcientia tua privata de variando mox pretio tibi debet obeſſe; quia uteris Jure tuo. Neque pretia rerum venalium ex privato unius, vel alterius judicio, ſed ex communi hominum ſenſu, & æſtimatione, accipienda, & judicanda ſunt; ergo talis non peccat contra Juſtitiam, quia nulli facit injuriam; imò neque contra Charitatem ordinariam, & ordinatam; quia quilibet poteſt rebus ſuis proſpicere in communi periculo, neglecto alterius negotio; etiamſi inde ſequatur per accidens aliquod damnum proximo, quod tibi accidere poterat, niſi tuis rebus priùs proſpexiſſes; nam Charitas incipit à me ipſo in pari cauſa.

37 Excipe: *dummodò aliàs fraus abſit*; nam ſi ſcias pretia rerum mox augenda, & tu mentiendo ſpargas, eſſe minuenda potiùs quàm augenda, ſicque emas res illas pretio currenti minori; utique peccas & contra veritatem, & contra charitatem, & contra juſtitiam; quia quilibet habet Jus, ne per fraudem decipiatur.

38 At quid, ſi de hoc futuro pretio augendo, aut minuendo interrogatus, nihil dicas, aut excuſas te, dicendo: Interrogate alios de hoc negotio?

℞. Quòd non peccas; quia non teneris tunc veritatem aperire cum tuo incommodo, vel damno.

39 Excipe etiam: *Niſi tu ſis de numero eorum Officialium, qui ex officio tenentur pretia rerum mutare*; nam tunc teneris veritatem aperire; quia ut Perſona publica debes curare bonum publicum, & impedire, ne unus Civium plus altero gravetur.

Ita ex communi docent Lugo, Laymann, Leſſius, Tambur. apud Sporer, *l. c. n* 33 & 34.

Quæro XIII. *Vendens, aut emens alieno nomine, poteſtne ſua induſtria ſibi aliquid de pretio lucrari?*

40 Explico. Titius rem ſuam vendendam tibi tradit, aut abſolutè, ut ejus nomine vendas juſto pretio; aut aſſignato certo pretio, ut V. G. Vendas pro decem aureis. Tu autem induſtriis rem illam vendis duodecim aureis, aut pretio ſummo, & rigoroſo. Quæro, an poſſis in bona conſcientia tibi retinere illum exceſſum, vel lucrum?

℞. Si tu, Commiſſarius Venditor es, aut famulus illius domini Titii, aut mercede conductus in hoc negotio, aut tamquam Amicus gratis hoc Officium præſtandum ſuſcepiſti: dico, quòd non potes tibi retinere illum exceſſum pretii in toto, vel in parte, ſed totum pretium juſtum, quod inveniſti, debes reddere domino, qui rem vendendam tradidit. Ratio eſt manifeſta; quia tota res vendenda, quantùm juſtè valet, ſuo domino valet, & velut fructificat; cùm ergo non tuo, ſed Titii nomine rem vendideris, totum pretium Titio, & nihil tibi acquiſiviſti; & conſequenter nihil juſto titulo retinere poteris.

Dices. Titius mihi pretium aſſignavit, ac determinavit pro decem aureis; ego autem mea induſtria lucratus ſum duos aureos; ergo juſto titulo retinere potero illos duos aureos.

℞. Si Titius dediſſet tibi hanc licentiam, concederem hoc tuum argumentum; ſed ex ſuppoſitione facta in hoc caſu non dedit tibi hanc licentiam: Et licèt determinaverit pretium, cenſetur determinaſſe, ne minori pretio vendas; neque præſumitur, tibi voluiſſe cedere reliquum: quia nemo præſumitur, velle prodigere quod ſuum eſt. Quòd ſi indeterminatè Titius dixiſſet, ut juſto pretio venderes; adhuc tibi moralis diligentia, vel induſtria adhibenda fuiſſet (qualem ſcilicet venditores rerum ſuarum adhibere ſolent) ad inveniendum pretium majus, quantum potes; talem enim diligentiam tacitè promiſiſti, ſive ex officio, ſive ex mercede, ſive gratuitò officium Vendentis ſuſceperis; ergo non valet tua excuſatio.

Idem omninò dicendum de Emptione. 41
V. G. Si Titius tibi commiſit, vel rogavit te, ut ſuo nomine emas equum, triticum, aut aliam rem in nundinis, aut abſolutè juſto pretio, aut determinato pretio: ut puta *pro decem*; tu autem induſtrius emiſti pretio infimo, aut *pro octo*. Ratio eſt: quia eo ipſo, quòd annuiſti emere alteri, vel ejus nomine, & commodo, tacitè etiam promiſiſti, per moralem diligentiam utiliter rem alterius

rius gerere; ſicque emere quanti minoris potes.

42 Ex hac Doctrina communi facilè reſolves plures caſus ſimiles: & preſertim iſtum de Sartore, & Mercatore: videlicet.

Sartor habet commiſſionem à domino Cajo, ut ejus nomine emat pannum pro veſtimento ſuo, & familiæ ſuæ. Sartor autem induſtrius pergit ad officinam Mercatoris amici, qui vendere ſibi ſolet merces medio, vel infimo pretio. *Quæro, an Sartor tuta conſcientia poſſit ſibi retinere exceſſum iſtum de pretio, computando ad pretium rigoroſum valorem panni ſibi venditi medio, vel infimo pretio?*

℞. Quòd non. Ratio patet ex dictis ſuperiùs, *num.* 40. *&* 41. nempè, quia, quandocumque annuiſti emere alteri, ejus nomine, & commodo rem aliquam, tacitè promiſiſti, utiliter, & fideliter per moralem diligentiam rem, vel negotium illius gerere: ſicque emere quanto minori pretio poteris; perinde ac famulus illius eſſes, vel mercede conductus, vel gratuitò obligatus; ergo tunc nihil tibi acquirere potes juſto titulo: & tota res emenda, quantum juſtè valet, ſuo domino valet, & fructificat; ergo, &c.

Dices. Mercator ille vendit pannum minori pretio in gratiam Sartoris, non Caji; ergo cenſetur partem illam pretii rigoroſi remiſiſſe, & veluti donaſſe Sartori.

℞. Jura mihi, quòd res ita ſe habeat: & concedo gratiam, & donum Sartori. Verumtamen, dato etiam hoc, dico, quòd Sartor non fideliter, nec utiliter geſſit negotium Caji; quia illi emit pretio rigoroſo pannum, retinendo ſibi donum Mercatoris; unde lucrum Sartoris redundat in damnum Caji emptoris. Enimverò Doctores, qui concedunt Sartoribus hanc licentiam, ſub hac limitatione concedunt: primò, quòd Sartores priùs adhibeant diligentiam moralem ad emendum ab hoc, & illo Mercatore, quantò poſſunt minori pretio; alioquin dolum contra dominum principalem Emptorem ſine dubio committerent; & conſequenter reſtituere tenerentur: *II.* Ut Mercator verè, & ſine fallacia (auſer fallaciam à Mercatore, ſi potes) remillam (pannum, mercem) juſto illo pretio vendere conſueſcat; adeòque exceſſus ille Sartoribus donatus reverà ſi tamquam remiſſus, aut detractus de pretio juſto illius mercis; nam alioquin Mercator non de ſuo Sartoribus dabit, ſed de alieno, cum damno domini emptoris principalis: & ambo ſimul (Sartor, & Mercator) furtum ſuum palliabunt, cum onere reſtitutionis; ut ex ſe clarum eſt. Vide Sporerium, *tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 37. Bonacinam *de Reſt. in genere, diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 14. *&* 15. ubi dicit:

Secundò patet, Sartores non excuſari à reſtitutione, quando non gerunt fideliter officium ſibi commiſſum in emendis mercibus pro veſtibus conficiendis, ſperantes aliquod lucrum à Mercatoribus, quorum officinas frequentant, &c. nam infideliter agunt negotium, inſciis, & invitis dominis, quorum negotium ſuſceperunt; cùm mandatum eis commiſſum intelligatur, ut minoris emant, quantum poſſunt.

Et ſuperiori num. 14. *dicit*: Hinc patet primò: eum, qui juſſus eſt, aut rogatus ab alio, ut ei rem aliquam emeret, quam cùm poſſet ab uno mercatore emere *pro triginta*, quæſivit alium, à quo eam accepit *pro viginti*: non poſſe ſibi *decem*; quibus minoris emit, retinere. Ita Azorius, 3. *par. lib.* 8. *cap.* 23. *quæſt.* 8. -- Reginaldus, *lib.* 25. *nu.* 317. -- Molina *de contract. diſp.* 363. *num.* 2. & alii. -- Et hoc verum eſt, etiamſi venditor dixerit illi, ſe gratia illius viliori pretio vendere, quàm ſoleat aliis. Ratio eſt, quia Mandatarius debet utiliter gerere negotium Mandatoris; tum quia mandatum intelligitur, ut mandatarius minoris emat, quantum licitè poteſt. Hæc Bonacina. -- Vide etiam Caſtropalaum, *Tract.* 33. *diſp.* 5. *punct.* 16.

Quid ad hæc reſpondebunt Sartores noſtri temporis? Si dixerint, ſe fideliter egiſſe negotium dominorum ſuorum adventorum, credentes, ſe ab aliis Mercatoribus non poſſe eamdem mercem viliùs emere. -- Excuſari poterunt; & conſequenter in hujuſmodi eventu non tenentur ad reſtitutionem, etiamſi aliquid ab illis Mercatoribus gratis acceperint bona fide; quatenus eo dono Sartores alliciuntur ad frequentandam officinam talium Mercatorum. Ita Molina, *loco citato num.* 3. Filliucius *tractat.* 35. *numer.* 149. & alii DD. cum eodem Bonacina, *loc. c. n.*15. *in fine*. Diana Coordinatus, *Tom. ſexto Tractatus* 3. *reſolut.* 138. Homobonus, in

in exam. Eccleſiaſt. p. 2. Tract. 9 cap. 4. quæſt. 6.

Quæro XIV. *Quid, ſi vendens, aut emens alieno nomine, mandato, commiſſione præter, ultra intentionem Domini principalis adhibuerit extraordinariam diligentiam, induſtriam, ac laborem in vendendo rem majori pretio, aut emendo viliori?*

43 Explico quæſitum. Titius juſſus, vel rogatus à Cajo, ut vendat, vel emat hic Bononiæ aliquam mercem, cupidus hac in occaſione aliquid ſibi ex induſtria lucrandi, ad alium locum diſtantem pergit, ubi in emendo eamdem mercem minùs expendit, vel in vendendo majus invenit pretium. Quæro, an Titius licitè poſſit in hoc caſu exceſſum pretii juſti intenti, vel ſperati à Domino Cajo, ſibimet retinere titulo induſtriæ?

℞. Affirmativè. Ratio eſt; quia nemo in hoc negotio tenetur niſi ordinariam, & moralem adhibere diligentiam, ut vidimus ſuperiùs n. 40. Titius autem extraordinariam adhibuit; qui verò utitur induſtriis extraordinariis, non intendit Domino, ſed ſibi negotiari; ergo talis induſtria eſt ſufficiens titulus lucrandi juſtè illum exceſſum. Tum quia: quamvis ex una parte res pro Domino ſuo vendatur, aut ematur, ac ſuo Domino valeat, & velut fructificet; attamen ex altera parte Dominus rem ſuam tibi tradens vendendam, cenſetur ſolùm à te velle pretium vulgare in hoc loco per ordinariam diligentiam conquiſitum exigere; cætera verò tibi remittere, vel non curare; dummodò ipſe ſuum habeat intentum circa lucrum ordinarium. Idem à ſimili, vel pari ratione dices de emptione. Ita Molina, Salas, Lugo, Tamburinus apud Sporerium; *loc. cit. tr. 6. c. 5. n. 38.*

Quæro XV. *Quid dicendum, quando Dominus rei vendendæ pretium tibi determinavit?*

44 ℞. Si vis juſtè lucrari hac arte uti poteris. Si adhibita diligentia hic, & nunc non inveniſti, niſi pretium à Domino taxatum, vel determinatum, ſperes autem invenire majus impoſterum, aut alibi; tunc eo pretio taxato ſtatim rem pro te emere poteris vero, & ſincero animo emendi pro te: & ſoluto tali pretio Domino rei, poteris deindè rem illam licitè vendere pluris vel hic, vel alibi cum tua commoditate.

45 Verumtamen hac arte uti non poteris emendo aliquid alieno nomine, ob difficultatem ſpecialem, quæ oriri poteſt, & ſolet prima emptione. V.G. Titius famulus juſſus ab Hero, ut emat equum, aut aliam rem taxato pretio, puta *quadraginta aureis*, & non ultrà; fortuitò invenit equum, eumque ſibi emit minori pretio, retinendo lucrum; & poſtea invenit, & emit equum ſimilem valore, vel pretio taxato quadraginta aureorum, & Hero ſuo revendit hoc eodem pretio. Non poteſt hoc licitè operari. Ratio eſt, quia Titius erat obligatus illam primam emptionem pro Hero ſuo facere; hoc enim requirit ipſa diligentia moralis, ut non prætermittatur occaſio emendi minori pretio pro Domino, præſertim volenti ex induſtria lucrari pro ſe, ut caſus noſter ſupponit. Patet enim, quòd Titius hanc requiſitam induſtriam extraordinariam non adhibuit.

Quæro XVI. *Alieno nomine gratuito, aut nullo aſſignato, vel promiſſo ſtipendio vendens, vel emens rem aliquam, poteritne licitè aliquid labori ſuo proportionatum retinere ſibi de pretio?*

℞. Multi DD. negat. Quia domino pu- 46
tante, te gratis ſuſcepiſſe vendendi, vel emendi laborem, remanet ipſi erga te gratitudinis aliqua obligatio, quam ipſe ad ſuum beneplacitum poterit alia via implere. Alii affirmant (apud Tamburinum, *in Decal. l. 8. tr. 3. c. 7. §. 9. n. 6.*) Quia nemo tenetur gratis ſervire: & omnis labor optat præmium. Obligatio autem illa gratitudinis eſt incerta, & ſæpè fallax; ideoque non prohibet, quò minus ſerviens certum ſuum laborem compenſet. Hæc opinio placet noſtro P. Sporerio, *l. c. n. 42.* dummodò excipias caſum valdè communem: nimirùm ſi Dominus ſciviſſet te non velle gratis ſervire in hoc negotio, elegiſſet famulum ordinarium, vel amicum, qui ſine pretio talem ſuſcepiſſet laborem.

Quæro XVII. *Proxenetæ, quibus committitur paſſim res multa vendenda taxato pretio, & ſtipendio, poſſuntne licitè ſibi aliquid ſupra juſtum pretium appropriare?*

℞. Negativè. Ratio patet ex dictis; 47
nam qui ex officio, & ſalario vendunt (tale eſt officium Proxenetarum) res alienas contenti debent eſſe ſtatuto ſtipendio; ergo plus retinendo peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem.

Digitized by Google

nem. Et ut meliùs intelligas, pono Caſum, quem reperi in Examine Eccleſiaſtico Homoboni de Bonis, *part. 2. tract. 5. quaeſt. 6.*

Caſus.

Martha nobilis indigens nummis tradit Euphemiæ proxenetæ veſtem ſericam pretio decem aureorum vendendam; vendidit autem pro duodecim, & illud pretii incrementum ſibi retinuit Euphemia. Item dum vendit, ut emptorem ad rigoroſum pretium pertrahat, mendacio affirmat, rem tanti valere, vel tantum pretium ab aliis habere potuiſſe.

Quaeritur, an peccaverit: & ad aliquam reſtitutionem dictæ Marthæ teneatur?

Reſolutio.

Caſus iſte in Confeſſionibus frequenter accidit. Qua in re reſolutivè mihi dicendum videtur, pretii determinationem regulariter fieri ſolere, ut proxenetæ minori pretio rem non vendant: & propterea totum pretium (ultra à domino taxatum) eſſe reſtituendum eidem domino. Quod procedit, etiamſi hæc mulier proxenetæ officio fungens ſua induſtria veſtem pluris vendiderit, rem ipſam laudando; nam ratione muneris tenetur rem vendendam commendare, modò non mentiatur, nec defectum aliquem tegat.

Excipitur I. Si iſta mulier ſua induſtria rem meliorem, & pretioſiorem expoliendo, purgando, vel alia quacumque ratione, reddidiſſet; hoc enim caſu augmentum illud pro ſui laboris extraordinarii mercede, ſibi adſcribere poſſet, &c. -- *Excipitur II.* Quando Matrona illa conveniſſet, ut gratis, & ſine præmio illa mulier propola, ſeu proxeneta vendere teneretur; tacitè enim conventum videtur, ut augmentum illud lucretur, &c. -- *Excipitur III.* Quando tacitè, vel expreſsè aliqua ratione actum eſt, ut ſi plurimi vendiderit, lucro ſuo cedat; tacita autem conventio ſacta intelligitur, ſi Domina pacta fuerit, ut ad ipſam, vel veſtem, vel decem aureos referat; nam hoc caſu rei periculum ad proxenetam ſpectat, cùm eidem æſtimata ſit res tradita. -- Poteſt tamen accidere, ut Domina rei vendendæ pretium juſtum neſciat; imò quòd callida illa revenditrix veſtem parvipendat, & doloſè eam viliorem ſaciat, ut magis lucretur; & tunc exceſſum illum reſtituere in conſcientia debet.

Ad ſecundum quaeſitum dico, Euphemiam venditrix ut plurimùm venialiter mendacii culpa peccaſſe, nec per hoc ad reſtitutionem teneri; nam communiter homines ſciunt, hoc eſſe ſolere vendentium commentum & vaſram conditionem, quibus emptores fidem non præſtant. -- Secùs autem dicendum foret, ſi mulier hæc mendaciis, & perjuriis emptores ad dandum aliquid ultra juſtum pretium allexiſſet; tunc enim lethalis culpæ, & etiam reſtitutionis rea fieret.

Hæc tamen mulier in rigore, & per ſe loquendo, à *Confeſſario* abſolvi poterit, ſi ab hujuſmodi mendaciis, ac perjuriis in futurum abſtinendi propoſitum habeat; at differri poterit abſolutio, ſi nulla de hoc vitio facta fuerit emendatio; & quoties Confeſſarius ipſe ſaluti pœnitentis expedire judicaverit. -- Hæc multis citatis DD. habet Homobonus; quibus confirmantur multa ex noſtris aſſerta.

Quæro XVIII. *Quaenam res vendi poſſunt?*

R. Vendi licitè, & juſtè poſſunt omnia noſtra in re, in ſpe, in jure, & in credito: ſeu quæcumque ſunt noſtri Juris, & Commercii, quæ ſunt pretio æſtimabilia; quia eorum omnium homo eſt Dominus, & de iis pro libitu diſponere poteſt. Omne autem quod vendi poteſt, emi etiam poterit. Vendi autem non poſſunt, quæ noſtri Juris non ſunt. Ut ſunt omnes res ſacræ, ut ſacræ; non tantùm Spirituales, ſicuti Sacramenta, Sacrificia, Orationes: ſed etiam corporales Deo ſolemniter conſecratæ. Item vendi non poſſunt, quæ ſunt Juris communis. Item quæ ſpeciali Lege vendi prohibentur. Ut V. G. Jure Civili bona pupillorum &c. Jure Canonico Bona Eccleſiaſtica immobilia, vel mobilia, pretioſa permanentia, niſi ob juſtam cauſam neceſſitatis, vel utilitatis majoris; & adhibita debita ſolemnitate. Et tandem *vendi non poſſunt res alienæ, furtiva, neque merces vitiatæ pro bonis.* De his ſolis in præſenti. 48

Quæro XIX. *Quid eſt Evictio, ſeu Obligatio de Evictione rei?*

49 Quoniam hic agendum eſt de venditione, & emptione rei alienæ, ejuſque Evictione, ſcire priùs oportet, quòd ex natura contractus venditionis, & alterius oneroſi, venditor tenetur emptori de Evictione mercis, ſeu rei: è contra Emptor tenetur venditori de evictione pretii: ut habetur *tot. tit. ff. & C de Evict.* – *Evictio* igitur cognoſcenda eſt.

℟. *Evictio*, vel evincere eſt auferre rem emptam, vel alio contractu oneroſo debitam, ab emptore, vel poſſeſſore per ſententiam Judicis, ex eo, quòd alius probet, rem iſtam eſſe ſuam, vel ad ſe pertinere, & non fuiſſe venditoris, vel ejus, qui eam alienavit: adeòque teneri, vel obligari *de Evictione*: & venditorem teneri ſervare indemnem ipſum emptorem, ideòque reſtituere ei pretium, & omne damnum conſequens, ſi ab eo res empta tamquàm alterius in Judicio evincatur: (idemque eſt dicendum de pretio) dummodò is, lite ſibi mota, quamprimùm venditori denuntiaverit, ut litem proſequatur, ſeque defendat; ut habetur *in ff. & C. cit.*

Quæro XX. *Venditio rei alienæ ſcienter facta, eſtne valida?*

50 ℟ *I.* Quando ſolus venditor ſcivit, rem hanc eſſe alienam, vel furtivam, emptore ignaro, & bona fide emente, contractus validus eſt, non quidem ſimpliciter, (quia rei venditæ dominium non transfertur in emptorem, cùm de facto, ut aliena, exiſtat ſub dominium alterius) ſed ſecundùm quid Juris, ſeu quod aliquod Jus collatum emptori: quia ſcilicet venditor emptori de *Evictione* teneatur; omnis enim præbens alteri injuſtam cauſam damni, tenetur ei compenſare omni Jure.

Quamvis autem in hoc caſu rei alienæ venditæ dominium non transferatur in emptorem; ipſe tamen venditor acquirit dominium pretii; nam Nummus, qui redactus eſt re aliena, vel furtiva, non eſt furtivus: ut conſtat, *ex L. ſi vas*, 48. §. *ult. ff. de furtis*. Adeòque ſi fur pecunia illa ex re furtiva vendita redacta emat V. G. panem; tam piſtor acquirit dominium pretii, quàm fur dominium panis. Sicut etiam qui nummis alienis aliquid emit, vel mercatur, mercis dominium acquirit; ut habetur expreſsè, *L. 1. & penult. C. ſi quis alteri*. Nummi tamen traditi venditori non acquiruntur ipſi; ſed emptor de eorum evictione tenebitur. Ratio horum eſt: quia alienæ mercis, vel pecuniæ, invito, vel ignaro Domino, dominium transferri non poteſt; poteſt tamen quis transferre dominium mercis, vel pecuniæ propriæ. In propoſito autem, etſi merx ſit aliena, pretium tamen eſt proprium emptoris: vel è contra, licèt pretium emptoris ſit alienum, merx tamen eſt propria venditoris.

Ex hac fundata doctrina multi poterunt deduci, & reſolvi caſus. V. G.

Si fur alienis pecuniis negotietur, & 51
lucretur, acquirit dominium totius lucri: quia ſunt fructus induſtriæ ſuæ, &c. ipſe tamen perſonaliter obligatur tam Domino pecuniæ de omni damno inde ſecuto, quàm negotiatoribus de evictione pecuniæ alienæ. -- Idem dices de fœnerariis, injuſtis poſſeſſoribus, Officialibus negotiantibus pecuniam Dominorum ſuorum.

Titius bona fide emit equum furatum, 52
quem poſtea intelligit eſſe Domini Caji. Cujus eſt ille equus? *Domini Caji*; nam res furtiva etiam vendita non tranſit ſub dominium emptoris. Cujus autem eſt pretium, vel pecunia? *Furis*; nam venditor rei alienæ (emptore ignorante quòd ſit aliena) acquirit dominium pretii, vel pecuniæ. Contractus iſte eſt validus? *Secundùm quid, non autem ſimpliciter*. Poteſtne reſcindi iſte contractus? *Utique*; nam, ut vidimus *Tract. 33. n.* 14. quando adeſt dolus dans cauſam contractui, & provenit ex parte contrahentis, qui alium decipit; tunc talis contractus, licèt jure naturæ non ſit omninò irritus; pro parte tamen decepta irritari, ſeu reſcindi poteſt. Quomodo reſcindendus? *Repetendo pretium, & reddendo equum*: ſic enim res collocantur in eodem ſtatu, in quo erant priùs ante contractum iſtum emptionis & venditionis.

Dices. Res furata reddi debet vero Domino. Sed fur non eſt verus Dominus illius equi; ergo non furi, ſed Domino Cajo reſtituendus eſt equus,

℟. Hæc ratio ſe tenet potiùs ex parte furis, quàm ex parte Titii, qui bona fide emit equum, & fuit deceptus à fure. Tum quia in pari neceſſitate proprium damnum præferendum eſt alieno; quare igitur obligandus eſt Titius ad hoc perferendum damnum ſine culpa ſua? Si Titius reſtituit equum furi venditori, nullam facit injuriam Domino Cajo; quia ipſe bona

fide

fide emit, &, cognita fraude, ſtatim rem alienam dimittit, ac relinquit in priſtino ſtatu, in quo eam invenit, reſcindendo contractum. Furi igitur incumbit onus reſtituendi rem vero Domino: quia ipſe peccavit contra Juſtitiam.

53 Titius equum à fure emptum bona fide, vendidit Sempronio: nunc autem Cajus verus Dominus equi comparet, demonſtrans, ac probans, ſe eſſe verum illius equi Dominum. Ad quid tenebitur Titius?

℟. Titius debet reſcindere contractum initum cum Sempronio, poſtea inſtituere debet actionem contra furem *de evictione* pretii. Quòd ſi fur arripuerit fugam, ſuo infortunio, vel incuriæ adſcribat caſum, ſi Cajus ab eo equum evincat.

Quæro XXI. *Quando uterque contrahens (Venditor, & Emptor) ſcit, rem eſſe alienam, eſtne validus contractus?*

54 ℟. Contractus ſimpliciter eſt invalidus, ac nullus: nullaque ad invicem oritur obligatio; ſed uterque in ſolidum obligatur, rem, vel ejus valorem reſtituere vero Domino. Ratio clara eſt; quia venditor malæ fidei (qualis eſt, qui ſcienter vendit rem alienam) dat novam cauſam injuſtam damni vero Domino illius rei; ideòque tenetur reſtituere ratione injuſtæ damnificationis. – Emptor autem ſcienter emens rem alienam eſt pariter poſſeſſor malæ fidei; ideòque tenetur reſtituere ratione injuſtæ acceptionis, ſeu detentionis. Quod etiam verum eſt, etiamſi eam rem multo pretio emiſſet: & etiam, ſi hoc pretium jam ſolutum numquam à venditore ſit recuperaturus; Quia qui ſic dolosè agit, dignus eſt, ut amittat & rem, & pretium.

55 *Hinc fit*. *I.* Si talis venditor malæ fidei, facti pœnitens, velit reſcindere contractum, non debet pretium reſtituere Emptori malæ fidei, ſed Domino rei; quia culpa ſua ſe ſubjecit periculo amittendi pretium, & rem.

II. Si Emptor ipſe reſtituat rem Domino ſuo, aut quoquo modo Dominus recuperavit rem ſuam ab ipſo emptore, Venditor ille tenebitur ei pretium reddere, & nullo modo ſibi retinere poterit; quia æquitas non patitur, ut fur ditefcat aliena pecunia ex re furtiva, vel mala fide habita.

III. Si Dominus jam recuperavit pretium rei ſuæ ab ipſo fure, non erit juſtum, ut ſimul etiam rem ſuam recuperet ab emptore; & ita ex aliena materia diteſcat in duplo. Quare vel reddere debet pretium emptori, re ſua recuperata; vel ei relinquere rem, ſi pretium retinere velit.

IV. Quando dixi, utrumque, nempè emptorem, & venditorem malæ fidei debere reſtituere *in ſolidum*; intelligitur unus in defectum alterius. Quiſnam autem debeat eſſe primus: Dico. Si res empta adhuc exiſtat apud emptorem; ipſe emptor primo loco debet reſtituere; quia res, ubicumque ſit, ſui Domini eſt, & clamat ad Dominum ſuum. Si autem res jam abſumpta ſit, vel ſine ſpe recuperandi alienata ſit gravis eſt dubitatio; cùm uterque obligetur perſonaliter, nec videatur major ratio de uno, quàm de alio, nihilominùs dicendum erit cum Sporerio, & Tamburino, quòd adhuc emptor primo loco teneatur: quia qui rem deſtruit, vel abſumit, omnium maximè nocet vero Domino.

Quæro XXII. *Emens ſcienter rem alienam quomodo poteſt excuſari à reſtitutione?*

℟. *I.* Quando talis Emptor certò præſumere poſſit, rem à Domino jam pro derelicta haberi; tunc poterit excuſari à reſtitutione. Ratio eſt, quia ſi rem pro derelicta habitam caſu inventam gratis occupare potes; quantò magis poteris titulo occupationis eamdem retinere, quam pretio emiſti? Attamen Domino poſtea comparente ante tempus præſcriptionis legitimæ, teneberis reſtituere, ſi adhuc res exiſtat; niſi certò tibi conſtet rem illam à Domino antea pro derelicta habitam fuiſſe, aut Juri ſuo ceſſiſſe, &c. 56

℟. *II.* Emens ſcienter rem alienam incerti Domini à fure V. G. vel milite vili pretio, non animo ſibi retinendi, ſed, ut, detracto ſibi modico illo pretio, rem ipſam aut Domino comparenti reſtituat, aut pro ejus ſalute ad pias cauſas applicet: ſine dubio rectè, & piè facit. Quia utiliter agit negotium Domini illius. 57

℟. *III.* Licitum erit ſic emere res furtivas incerti Domini eo animo, ut ſi compareat Dominus, res ipſi tradatur, recuperato pretio illo modico; ſi verò non com- 58

Digitized by Google

compareat, retineatur ab Emptore; dummodò iſte adhibeat moralem diligentiam ad inveniendum verum Dominum. Quia in hoc caſu nulla fit injuria Domino, imò ejus negotium utiliter geritur; & ideò cenſetur is conſentire in illam emptionem & voluiſſe, ut res potiùs fieret tua, quàm furis. Verumtamen mihi videtur negotium hoc plenum eſſe periculis, ac difficile, ut fiat ſine ſcandalo.

Quæro XXIII. *Quanto pretio poteſt quis emere rem alienam bono animo eam reſtituendi Domino, ad hoc, ut iſte poſtea illi reſtituat pretium ſolutum?*

59 ℞. Quando pretium eſt evidenter modicum, omnes Doctor. concedunt, Dominum rei teneri ad tibi illud reſtituendum. Nec in hoc caſu melior Regula ſtatui poteſt, quàm hæc: Toties poteſt quis rem, ſive certo, ſive dubiè furtivam emere a fure, quocumque pretio, ut reddat eam Domino, & Dominus teneatur ad compenſandum expenſum; quoties ſic emendo utiliter negotium Domini gerit judicio boni viri. Quia ex una parte omni Jure licet cuique benefacere proximo: & ex alia parte non eſt defraudandus ſuo intereſſe is, qui negotium alterius utiliter geſſit.

60 At, quid ſi talis Dominus nolit tibi compenſare modicam expenſam jam factam in ejus gratiam?

℞. Tu poteris rem illam tibi retinere, donec reddat tuum pretium. Quid, ſi jam eam rem tradidiſti illi? ℞. Poteris illum compellere in Foro externo ad illud pretium tibi reddendum. — Quid, ſi hoc ſine diſpendio agere non poſſis? ℞. Licebit tibi juſtam, & occultam compenſationem facere.

Quæro XXIV. *Venditor teneturne ſemper manifeſtare Emptori quodcumque vitium notabile, quantumvis latens, ſuæ mercis?*

61 ℞. I. Venditor interrogatus de mercis bonitate, vel vitio, in genere, vel in ſpecie, aut in particulari, tenetur in conſcientia ſemper manifeſtare Emptori vitium notabi'e, quantumvis latens. Ita omnes DD. Ratio manifeſta eſt; quia ſi tunc interrogatus diſſimulet, & (quod pejus eſt) mentiatur, committet dolum dantem cauſam contractui; & conſequenter invalida erit venditio, & emptio: nam hoc ipſo, quo Emptor interrogat, ſignificat, ſe non velle emere, niſi mercem bonam, & nullo modo vitiatam: ergo ſic vendens obligabitur ex dolo, & ex damno; ut ex ſe patet.

Dixi: *vitium notabile*: nam quando vitium mercis eſt parvi momenti, quo etiam cognito adhuc emptor eam rem empturus fuiſſet (quod ex circumſtantiis judicari poteſt,) tunc non eſt dolus dans cauſam contractui, &c. Solùm tunc reſtituendus erit exceſſus pretii; ſi cariùs, quàm valeret, res vendita fuiſſet. 62

Dato autem caſu, quòd vitium in ſe parvi ſit momenti; ſi tamen ex circumſtantiis cognoſcatur, quòd eo cognito vitio, emptor certò empturus non fuiſſet eam rem ſic vitiatam, adhuc invalida erit venditio: quia tunc æquivalet venditioni conditionatæ ſic: *Nolo emere, ſi adſit hoc vitium quantumvis leve*; V. G. Si equus iſte jam currum traxit, quo ego equitare volo. Cùm ergo adſit hoc vitium, deeſt conditio ſuppoſita, & ſic deerit conſenſus requiſitus ad valorem contractus; adeòque obligabitur venditor pretium totum reddere, & rem ſuam reſumere, niſi aliter emptor voluerit. 63

℞. II. Venditor etiam non interrogatus obligatur in conſcientia, & in Foro etiam externo manifeſtare Emptori vitium occultum mercis, quando tale vitium reddit illam notabiliter damnoſam, vel inutilem Emptori ad uſum intentum, & explicatum; alioquin venditor tali vitiis conſcius cenſebitur dolo egiſſe, ac in utroque Foro tenebitur ad compenſationem omnis damni inde provenientis Emptori. Ita omnes, cum Div. Thoma, 2. 2. *qu.* 77. *art.* 3. ex Div. Ambroſio, *lib.* 1. *de Officiis*: ubi inter alia dicit, *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur; ac niſi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris tranſierint, doli actione vacuantur*. Ratio eſt: quia venditor in vendendo, ſicut bonam monetam accipere debet, ita debet tradere bonam mercem, & utilem: alioquin rem vitiatam tradens, injuſtum damnum infert emptori. 64

Ex hac doctrina multi poterunt deduci, & reſolvi Caſus. V. G. Si Mercator vendat pannum aduſtum. Si quis vendat ſemina corrupta, vel vetera pro recentibus, & bonis. Si alius vendat herbas, & medicinas ineptas pro efficacibus. Si alter vendat litigioſam rem, aut periculo amiſſionis ſubjectam pro ſecura. Si equum umbroſum, vel ferocem pro manſueto, &c. & ſic de innumeris ſimilibus. Omnes. 65

iſti

iſti peccant contra juſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem tum exceſſus pretii, tum damni inde ſecuti.

66 ℞. *III.* Non tamen tenetur venditor monere emptorem de vitio per ſe manifeſto, & patenti ſuæ mercis publicè expoſitæ: dummodò res juſto pretio vendatur idque non tantùm in Foro externo, ſed etiam in Foro interno locum habet. -- Quoad Forum externum habetur in *L. Ea quæ*, 43. *ff. de Contrah. Empt.* Quo verò ad Forum internum, omnes DD. communiter tenent cum S. Thoma, *loc. cit. art.* 3. Verbi gratia, ſi equus patenter ſit cæcus, luſcus, claudus, &c. domus ſit ruinoſa &c. pannum corroſum, &c. Ratio autem eſt: quia tunc ſibi ipſi emptor imputare debet, ſi rem patenter vitioſam emerit; neque enim venditor tenetur facere partes Emptoris.

67 In Foro tamen conſcientiæ, ſi venditor advertat invincibilem ementis ignorantiam, vel ſimplicitatem, vel inculpabilem inadvertentiam de tali manifeſto vitio rei: tunc obligabitur ei inſinuare talem defectum; quia tunc venditor non habet excuſationem coram Deo de errore illius emptoris; vel propter hujuſmodi vitium ſubtrahere quantum oportet de pretio. Tum quia in hoc eventu contractus cenſetur invalidus, tamquam ſi defectus ille notabilis eſſet occultus, vel ab ipſo venditore occultatus: ut docet Bonacina, *de Contr. diſp. 3. q. 2. punct. 6. num.* 13.

68 ℞. *IV.* Si merx non nimis vitioſa, vel defectuoſa, adhuc ſit apta ad uſum, cujus gratia emitur, nullumque aliud damnum emptori cauſet; tunc non eſt neceſſe, vitium ejus occultum, aut non obſervatum manifeſtare emptori. Communis eſt DD. cum Div. Thoma cit. Ratio eſt, quia in hoc caſu Mercator offerendo, aut vendendo rem aliqualiter vitioſam non dat emptori occaſionem damni, vel periculi. *Non dat occaſionem damni*; quia ſupponitur, quòd minori pretio vendat talem mercem propter hujuſmodi vitium; prout debet. Res enim defectuoſa minoris valet, ut omnibus notum eſt. *Neque dat occaſionem periculi*: quia (ut ſupponitur) per hoc vitium uſus rei non impeditur. -- Tum quia, alioquin magnum fortunæ diſcrimen Mercatores ſubire deberent, ſi nonniſi meliores merces diſtrahere poſſent.

℞. *V.* Mercator, ſicut & quilibet Venditor in foro conſcientiæ debet rem vitioſam minoris vendere ſecundùm proportionem vitii, vel defectus, propter quem minùs utilis evadit; alioquin injuſtitiam manifeſtam committit cum onere reſtitutionis ob inæqualitatem rei datæ, & acceptæ. Quòd ſi pretium illius rei non diminuerit; reſtituere debet exceſſum: & inſuper monendus eſt emptor, fortè iterùm rem venditurus, de eo vitio, ne cum eodem damno, & periculo rem vitiatam alteri emptori majori vendat pretio. Ut V. G. Si equus venditus ſit calcitroſus, &c. -- Et quis eſt, qui tales adhibeat cautelas Juſtitiæ lumine rationis de ſe notas? 69

Quæro XXV. *Emptor conſcius majoris perfectionis, & pretii mercis, poteſtne licitè minoris, ſeu minori pretio eam emere?*

℞. *I.* Venditori ſimplici, & ignaro Emptor *omni Jure* obligatur manifeſtare ſingularem bonitatem, perfectionem, ac pretium mercis: ut V. G. Si Ruſticus tibi vendat gemmam pretioſam, putans eſſe falſam, aut vilem: aut vas argenteum, putans eſſe ſtamneum. 70

Item ſi tibi quis vendat rem intra, vel infra dimidium juſti pretii, V. G. homo ſimplex, vel ignarus vendat rem *pro decem aureis*, cùm tamen ſcias, pretium juſtum, vel commune eſſe *viginti*, & *ampliùs*. Alioquin contractus eſſet invalidus & injuſtus. *Invalidus* ex errore venditoris. *Injuſtus* ex inæqualitate pretii. Neque juvare tibi poteſt ignorantia venditoris: quia etiamſi venditor actu ignoret perfectionem, & valorem rei, aut pretium juſtum illius rei, tamen, niſi aliter exprimat, ſemper cenſetur intendere, ac velle vendere rem ſecundùm ſuam perfectionem intrinſecam, & valorem juſtum communem; ergo injuſtitiam committis, ſi eam rem viliſſimo emas pretio.

Idque maximè verificatur, ſi venditor ipſe ignarus inquirat ab Emptore valorem rei; quo caſu graviſſimè ſolent peccare Aurifices interrogati de valore gemmarum, aliarumque rerum pretioſarum; & tamen vili, viliſſimo faciunt, aut æſtimant &c. 71

Sed numquid Emptor aſtutus tutus in conſcientia erit, ſi ſciens juſtum rei valorem, venditori ignaro dicat, *volo rem iſtam tanti emere, V. G. pro viginti, ſi tu* 72

vis

Digitized by Google

vis eam vendere, & inſuper condonare, ſi quid ampliùs valeat? Affirmant Cajetanus in *Summa V. Emptio*: & pariter P. Bartholomæus Fumus in ſua Summa *Aurea Armilla* nuncupata, *V. Emptio, numero 6.* Ubi dicit: ſi emptor cognoſcit gemmam valentem decem aureos, & dicit venditori: *dabo tibi tantùm unum aureum, etiamſi valeret mille aureos*; non videtur injuſtè emere; quia dominus rei monitus cum ea proteſtatione emptoris, neglexit quærere verum valorem rei: & emptor non tenetur explicare valorem illius rei, cùm poſſit venditor ab aliis inquirere.

Sed meritò cum aliis pluribus DD. negant Molina, Lugo, & alii apud Sporerium noſtrum, *Tractat. 6. in Decalogum, capitulo 5. numero 69.* Ratio eſt; quia reverà tunc venditor non donat liberè, ſed ex pacto, & contractu oneroſo, dat. Tum quia tali modo poſſet excuſari omnis emptio infra juſtum pretium, interrogando venditorem: *an velit contentus eſſe tali pretio, condonando ſi quid ampliùs valeat*; ſicque palliari poſſent omnes fraudes in contractibus oneroſis. Tum quia ubi eſt notabilis inæqualitas pretii, & mercis præſumenda non eſt donatio.

73 Sed quid, ſi tam emptor, quàm venditor ignoraret juſtum rei pretium.

℟. Tunc ſi conveniunt communi conſenſu de certo aliquo pretio, expreſsè condonando ſibi invicem defectum, vel exceſſum; ſi res poſtea reverà pretioſior, aut vilior comperiatur, neuter tenebitur alteri aliquid reſtituere; quia tunc uterque fortunæ, & periculo æqualiter ſe voluntariè ſubjecit.

74 ℟. *II.* Si ſoli emptori cognita eſt illa bonitas, vel utilitas rei, quæ non solùm ignoratur à venditore, verùm etiam à communi hominum æſtimatione eſt aliena; tunc emptor non tenebitur venditori manifeſtare pretium; ſed juſtè emere eam poteſt pretio communi. Ratio eſt: quia res tanti valet, non quanti eſt in ſe, ſed quanti æſtimatur in communi æſtimatione hominum; ergo illa major bonitas, vel utilitas illius rei ſoli emptori cognita, non auget communem rei valorem.

75 ℟. *III.* Quando res communi æſtimatione vilis habita, poſt peractam venditionem, & emptionem cognoſcitur ut pretioſa ſive à primo immediato emptore, ſive ab alio mediato, is tutò rem poteſt retinere, neque de ejus pretioſitate venditorem admonere, aut aliquid reſtituere tenebitur. Ratio patet ex ſupradictis, *n. 74.*

Idem dicendum quando res vendita, 76 & empta continet in ſe aliquid pretioſum incognitum, & alienum à communi æſtimatione hominum. V. G. Si emiſti piſcem marinum vulgari pretio, & poſtea in ventre illius invenias lapidem pretioſum iſta gemma tua eſt; nec teneris manifeſtare venditori.

Quæro XXVI. *Mercator, aut quilibet venditor poſitivè decipiens in merce emptore, ad quid tenetur?*

℟. Sine dubio ſic delinquens peccat 77 contra juſtitiam commutativam, & ex dolo malo tenetur pro ratione materiæ ad reſtitutionem totius damni uſque ad æqualitatem. Unde & in Foro externo tenetur *de dolo, & damno*. Ut conſtat ex dictis, *Tractat. 33. numero 14. & 15.* & fuſiùs patebit, *Tractat. 35. numero....*

Si autem à me peteres, quot ſint mo- 78 di poſitivè decipiendi emptores in mercibus? Dicerem, eſſe innumeros, & ſemper novos inveniri ab aſtutia, & fraude vendentium. V. G. *In verbis*, fingendo, ſimulando, mentiendo, pejerando, &c. *In rebus*, vitiando merces, adulterando, mutando, minuendo, miſcendo materiam viliorem, malam, corruptam cum bonis. *In factis*, injuſtè contrahendo, decipiendo, colorando, occultando Uſuras, & alias fraudes, de nocte in tenebris vendendo, &c. *In menſuris, & ponderibus*, falſificando, minorando, detrahendo, &c.

Et cùm virtus Juſtitiæ debeat eſſe *Cardo*, quo totius ferè Mercaturæ negotium vertitur, & dirigitur, nulla virtus à quibuſdam magis vilipenditur, aut contemnitur, quàm Juſtitia, cujus violatorum vindex eſt DEUS; non enim impunitos eos relinquit, qui in negotio proximum ſuum circumveniunt, ac decipiunt, teſte Apoſtolo Paulo 1. *ad Theſſalonicenſes, capit. 4.*

Quæro XXVII. *Poſitivè decipiens, falſi pœnitens, obligaturne etiam admonere emptorem de dolo, ut, iſte ſi velit, poſſit reſcindere contractum?*

℟. *I.* Quando res ampliùs non eſt in- 79 tegra: ut ſi emptor mercem emptam jam ab-

abſumpſit: tunc non tenetur venditor monere; quia ſuperfluum eſſet, ut patet; ergo ſolùm tunc debet ſupplere pretii exceſſum, (ſi quis fuit) ipſi emptori reſtituendo. ℞. II. Si res adhuc ſit integra, & exiſtat apud emptorem, oportet conſiderare, an talis res doloſè vendita ſit æquè emptori utilis, vel non æquè utilis. *Si eſt adhuc utilis*; non obligabitur venditor admonere emptorem; quia licèt iſte involuntariè emerit propter dolum venditoris; nunc tamen habendo rem æquè utilem, præſumitur eſſe contentus, aut ſaltem non valdè invitus in retinendo eam, eaque utendo, cùm nullum inde patiatur notabile damnum; ſed tantùm in pretio debet venditor ſemper facere æqualitatem, ſupplendo exceſſum pretii. -- *Si non eſt adhuc æquè utilis*, ſed potiùs eſt vel inutilis, vel damnoſa ipſi emptori; tunc aderit certè obligatio monendi ipſum, & reſcindendi contractum; nam ſi eſt in re gravi, graviter etiam venditor continuat deceptionem in damnum emptoris: ergo remanet in malo ſtatu.

Quæro XXVIII. *Eſtne licitum vendere quid pro quo?*

80 Pro intelligentia hujus Quæſiti, oportet ſcire praxim Pharmacopolarum. Quando iſti non habent in promptu certas ſpecies ſimplices medicamentorum, herbarum, Syruporum, aquarum &c. quæ præſcribuntur à Medicis, alia non abſimilia medicinalia adhibent, vel tradunt emptoribus, ne illa præſcripta deeſſe in ſuis officinis adventores agnoſcant, ideoque minùs illas frequentent; igitur quoties iſti Pharmacopolæ tradunt unum pro alio, dicuntur vendere *Quid pro quo*.

℞. Certè conſtat, ex ſe injuſtum eſſe, vendere quid pro quo; nam tu decipis emptorem, dando aliam ſubſtantiam à præſcripta, & petita; accipis certum pretium pro incerto, vel ſaltem minùs certo medicamento, non conſulis ſaluti infirmi, & utinam ſæpè non noceas.

Nihilominus, ſi certum, & evidens eſſet, illas ſuppoſititias ſpecies iiſdem pollere virtutibus, aut fore æquè utiles, excuſaberis à peccato ſaltem gravi. Vel, ſi certò prævideas, damnum in pretio fore admodum leve: peccabis venialiter ratione parvitatis materiæ. Idem dicendum de ſimilibus.

Quæro XXIX. *Eſtne licitum venditoribus miſcere aquam cum vino?*

81 ℞. Abſolutè loquendo, non eſt licitum, nec juſtum: quia verè tu decipis emptores, omnes enim qui vinum petunt, Vinum, purum, & naturale volunt emere, & bibere, non aquam, aut vinum lymphatum, dilutum, mixtum aqua; quòd ſi ſcirent, hoc eſſe tale, aut omninò non emerent, aut certò non tanti emerent, quanti venditur vinum purum, vel merum. Adde periculum damni inde ſequentis: ut ſi vinum diu ſervandum ſit, certè longè faciliùs aceſcet, aut corrumpetur; ergo tu es cauſa talis damni: veram injuriam infers emptori, & obligaris ad reſtitutionem.

Dices. Meum vinum eſt generoſum, & ſi miſceo modicam aquam, iſta convertitur in vinum, quod evadit moderatum, & uſuale.

℞. I. Si hoc facias quando muſtum decoquitur in laco, (ut ſolent facere Bononienſes) ubi paulatim aqua alteratur, & tandem tranſit in vinum temperatum, tunc concedo. Si autem jam vino facto miſceas aquam, hoc tibi non concedo; quia in tali caſu facillimè aqua vinum corrumpit: & ipſa aqua tamquam vinum venditur, quod apparet injuſtum.

82 ℞. II. Si vinum aqua mixtum non fiat deterius alio, quod paſſim venditur ab aliis, & ſtatim, vel brevi tempore bibatur ab emptoribus: aliqui D. D. concedunt, eſſe licitum, quia nullum detrimentum tunc infertur emptoribus, nec in re, nec in pretio. -- Vide Bonacinam *de Contractibus, diſput. 3. quæſt. 2. punct. 6. numero 17.* Sporerium, *tractat. 6. in Decalog. capitulo 5. numero 80. & 81.* -- Laymannum, *libro 3. de Juſtitia, tractat. 4. part. 3. capitulo 17. §. 2. numero 15.* -- Leſſium, *libro ſecundo, capite vigeſimo primo, dubitatione undecima, numero* 83. ubi dicit: Si tamen res ex illa admixtione non eſſet minùs bona, quàm ea, quæ ab aliis venditur, non eſſet condemnandus injuſtitiæ, qui eodem pretio venderet: quia illa fraude vendens nullum damnum infert emptori. Cur enim quis rem ſuam non poteſt ad eum ſtatum reducere, in quo ſunt res aliorum, & tunc eam vendere eodem pretio, quo aliis? Fit hoc interdum in vino, tritico, & ſimilibus ſpeciebus, dum vino valdè præſtanti miſcetur aliud vinum tenue, vel aqua, aut tritico valdè puro miſcetur ſecalæ &c. ea tamen moderatione, ut non ſine dete-

Digitized by Google

deteriora, quàm quæ ab aliis paſſim venduntur. Docet hoc apertè Lopez, *part.* 2. *cap.* 42. etiam in eo caſu, quo pretium à Republica eſt taxatum. Crediderim tamen talem Venditorem poſſe puniri, tamquam ſpecierum adulteratorem, & deceptorem emptorum; tales enim mixtiones ſunt in Republica valdè odioſæ, & Auctores infames. Hæc Leſſius.

83 Arcendi, & reprehendendi ſunt venditores, qui hujuſmodi mixtionibus, & fallaciis alterant ſpecies rerum, ad quas lucri cupiditas, & auri, ac argenti fames execeranda inducit, & trahit: ut dicit Bonacina, *loc. cit.* Quapropter hanc inſinuavi opinionem non ad praxim ratificandam, ſed ad Confeſſarii directionem in actu Confeſſionis: ut ſciat ferre ſententiam de reſtitutione non imponenda his falſificatoribus, quando afferunt pro ſe rationes prædictas: quas tamen ego refellerem ſic; videlicet:

Dicunt: Sic alii faciunt; ergo & mihi licitum erit. ℞. Sic faciunt homines fraudulenti; non autem ſinceri.

Dicunt: Res notabiliter non vitiatur: modiciſſimum adeſt damnum. ℞. Plura pauca faciunt unum magnum, & notabile damnum Communitati, & Commercio.

Dicunt: Ego gravamine gabellarum preſſus non poſſum aliter me defendere, & ſubſtentare. ℞. Si injuſtè gravaris, poteris compenſationem tibi facere alio modo; non hoc cum gravamine innocentium, & pauperum adventorum.

Dicunt: Nolunt emere, nec bibere vinum purum, ac generoſum. ℞. Inſinua eis, ut aqua ipſimet temperent, ſicut tu facis.

Dicunt: Mea merx, (triticum, & ſimilia) ſuperat in bonitate merces aliorum. ℞. Et tu vende majori pretio juſto; annon tu vis eſſe nequam, quia res tua bona eſt? Ubi eſt Charitas? Ubi miſericordia? Ubi fidelitas, ac ſinceritas? Noli anxius eſſe in divitiis injuſtis; non enim proderunt tibi. Scio per ſcientiam, & experientiam, quòd Venditores, & Mercatores juſti, fideles, veraces magis lucrantur propter has virtutes, quibus trahunt corda hominum ad officinas ſuas, quàm miſeri doloſi, & fraudulenti negotiatores.

Quæro XXX. *An ſit licitum diminuere, vel deteriorare mercem prætextu minoris pretii, quo venditur?*

Explico. Titius poſſet ſuam mercem vendere pretio ſummo, vel mediocri; verumtamen ut Emptores frequentiores alliciat, vendit infimo pretio cum hac fraude, quòd *vel* diminuit pondus, aut menſuram, *vel* miſcet materiam viliorem. *Quæro, an in rigore hoc ſit licitum?*

℞. Nequaquam: ſed potiùs hæc praxis 84 eſt omninò injuſta, & reſtitutioni obnoxia, ſeu ſubjecta: & quidem ex duplici capite: primò reſpectu ementium; ſecundò reſpectu aliorum Mercatorum. *Primum probatur*; quia ſic agendo Mercator non ſtat contractui, & pacto inito cum emptore de vendendo illam integram menſuram, vel pondus integrum: V. G. ulnam panni, vel libram carnis, vel modium tritici, vel lagenam vini, & ſimilia; nam venditor diminuit (ut caſus ſupponit) pondus, vel menſuram; ſicque Emptores decipit in ſubſtantia partiali illius mercis, nec totum dat, quod alter totum emit; ergo peccat contra Juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem ad æqualitatem, nec non ad alia damna, quæ ex tali diminutione ſequi poſſunt emptori. — Quod dixi de diminutione ponderis, vel menſuræ, dicendum eſt de deterioratione mercis, quando nempe emptor expreſsè petit mercem puram, & naturalem, & tu venditor promittis: poſteà verò miſces vel aliam rem, vel deteriorem cum bona; decipis enim emptorem in ſubſtantia mercis: ut patet, &c.

Secundum probatur: quia quilibet Mercator habet Jus, ne vi, vel fraude à ſuo lucro deturbetur; atqui in hoc caſu per tuam fraudem abſtrahis Emptores ab ipſorum Mercatorum officinis, & conſequenter à lucro juſtè ſperato, & parato; ergo peccas contra juſtitiam, & reſtitutioni aſtrictus manes, & ad reſarciendum damnum, (quantùm morali judicio nocuiſti hoc tuo ſtratagemate) ipſis Mercatoribus obligaris in conſcientia; Tum quia lex, & dictamen rectum naturæ docet: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Velleſne tu ita decipi, & damnificari ab aliorum fraudibus? Nequaquam ergo.

Ex hac doctrina collige, quantam rem 85 alienam furantur uno tantùm anno quidam mercatores hujus furfuris? Hoc adverto hic, quod nullibi legi, ſed tantùm ex hac Reſolutione deduxi. Peto à Mer-

Digitized by Google

Mercatore, (qui vendit minutim ceram, aromata, piperum, cinamomum, ſaccharum, crocum, & ſimilia) vendiſne eodem pondere, & pretio chartam emporeticam, vel papyrum? Ferè omnia prædicta, & ſimilia involvuntur charta, & cum ea ponderantur, ac eodem pretio cum papyro venduntur; ergo in fine anni quot libras chartæ vendidiſti pretio rigoroſo aromatum? Ubi eſt juſtitia pretii, & mercis?

Dicens. Ego non teneor donare emptoribus tot riſmas chartarum. *Concedo*. Ergo potes vendere hanc vilem materiam pretio mercium nobiliorum? *Nequaquam*. Et tamen ita vendis. Reſolve caſum, ut ſuprà.

Quæro XXXI. *Poteſtne quis aliquando juſtè cogi ad vendendam rem ſuam?*

86 ℞. Quòd ſic: duobus ſpecialiter caſibus. I. Quando publica adeſt neceſſitas, vel inopia, V. G. frumenti, & aliorum victualium ad quotidianum uſum neceſſariorum: tunc poſſunt cogi Cives ad vendendum juſto pretio à Magiſtratu taxato, juxta communem ſententiam, & praxim: & etiam ſimili ratione poſſunt cogi Divites à Principe, ut coemant neceſſaria ad communem inopiam evitandam. Huſmodi juſtiſſimis Legibus in commodum Reipublicæ latis etiam Eccleſiaſtici ſe conformare debent, & ad id compelli poſſunt ab eorum Superioribus Eccleſiaſticis; ut probat Layman, *loco citato capitolo* 17. §. 1. *numero* 34. — Ratio eſt: quia tempore neceſſitatis communis omnia victualia debent eſſe communia, & venalia; aliàs contra Charitatem graviſſimè peccarent Divites inhumani, juxta illud Apoſtoli Joannis in Epiſtol. 1. capitulo 3. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo*? Quaſi dicat: nullo modo manet in eo Charitas. Et Proverb. capitulo 11. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium*. Quin imò S. Ambroſius docet, illos peccare contra Juſtitiam legalem, dicens, *Non minoris eſt criminis habenti tollere, quàm, cùm poſſis, & habens, indigenti denegare*.

Secundus caſus eſt, ob publicum favorem, vel beneficium: V. G ſi ædes, vel fundus privatæ perſonæ neceſſarius ſit ad ampliandam Civitatem, viam publicam, fortalitium, Palatium Principis, Monaſterium, Collegium, Hoſpitale illa privata perſona cogi poteſt à Magiſtratu, ut vendat; nam bonum publicum prævalere debet privato, & *ex L. ſi locus*, §. *ult*.

Quæro XXXII. *Quando res venditur duobus Emptoribus, cujuſnam prius ſit illa res?*

℞. I. Si res neutri adhuc tradita eſt, 87
prior emptor præfertur poſteriori; juxta Regulam 54 *Juris Can. in 6 Qui prior eſt tempore, potior eſt in Jure*. Quòd ſi alteri per traditionem, pretiique ſolutionem dominium illius rei acquiſitum fuit, præfertur alteri emptori, licèt tempore priori: *ex L. Quoties, de rei vindic.* Et ratio eſt: quia fortius eſt *Jus in re*; quàm *Jus ad rem*, ſed qui jam dominium acquiſivit, habet jus in re, alter verò ſolùm jus ad rem; ergo &c. In utroque autem caſu Venditor tenetur alteri emptori fruſtrato *ad intereſſe*, ſeu ad omne damnum compenſandum: & hic habet actionem perſonalem contra illum venditorem: ut habetur *ex L. ſi ancillam*. 11. *C. de action. empt.* — Habet hæc Regula locum etiam in aliis contractibus de Donatione, Locatione, &c. Si eadem res pluribus perſonis ſit donata, vel locata.

℞. II. Quando unus Emptor jam ſolvit pretium pro tali re nondum ſibi tradita: alter verò rem habens non ſolvit pretium: tunc res ſit iſtius; quia, ut dicit Gloſſa, *in Inſtit. de rerum diviſ.* §. *venditæ*: in dubio cenſetur Venditor, tradendo rem venditam iſti, fidem habere de pretii ſolutione, adeòque in iſtum dominium transferre; ergo &c. Si autem cum primo Emptore initum, vel adjunctum fuiſſet pactum non vendendi rem iſtam alteri; tunc eſſet illius; ut patet; quia venditor aſſecuraſſet emptorem, & rem.

℞. III. Quando res primò vendita, ſed nondum tradita eſt Eccleſiæ, vel Civitati: præferenda eſt Eccleſia, vel Civitas; quia Privilegium habent, ut eis per Venditionem, Donationem, Legatum, abſque rei traditione, ſed tantùm mutuo conſenſu, dominium acquiratur: ut habetur *L. ult. C. SS. de Eccleſiis*.

Quæro XXXIII. *Damnum, vel periculum rei venditæ, & nondum traditæ cujuſnam eſt; Emptoris, an Venditoris?*

℞. I. Si res empta eſt determinata in 88
ſpe-

Digitized by Google

cie, & in individuo, aut ad corpus: V. G. *veſtis, hic integer grex caprarum, hoc vini dolium, lignorum maſſa, vel plauſtrum* abſque ordine ad pondus, menſuram, numerum; tunc talis rei emptæ periculum, & damnum ſtatim ad Emptorem pertinet; adeòut, ſi ante traditionem, & ſine culpa, vel culpabili mora venditoris, pereat, pereat utique Emptori; idque ex variis Juris diſpoſitionibus, præſertim *Inſtitut. de Empt. & Vendit.* Ratio autem eſt: quia contractus Venditionis rei determinatæ, abſolutè celebratus, ſufficiens eſt Jure Gentium ad transferendum dominium: quòd autem reipſa dominium non transferatur ante traditionem, eſt ex diſpoſitione Juris Civilis; noluit tamen hoc Jus Civile impedire, quin ante traditionem omnia rei commoda, & incommoda ad Emptorem pertinerent, perinde ac ſi dominium translatum eſſet; itaque etſi impediat dominium, non tamen impedit effectum, qui ex dominio ſequi ſolet. Idque meritò, quia mens contrahentium eſt, ut ſtatim res cum ſequentibus ejus eventis ad Emptorem pertineat; niſi aliter expreſsè ſit conventum.

89 *Dixi: ſine culpa, vel culpabili mora venditoris*; quia ſi culpa venditoris (qui ex officio tenetur rem cuſtodire, donec eam tradat emptori) deterior fiat, vel pereat res, ipſemet tenebitur ſuſcipere damnum. Similiter ſi ſit in mora tradendi, & interim pereat, vel deterior fiat; niſi tamen ſimiliter deterior futura fuiſſet apud emptorem; ut cum aliis docet Leſſius, *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 12.

90 ℞. *II.* Si res empta indeterminata ſit: (V. G. *ſi emiſti decem modios tritici ex meſſe, vel granario Venditoris, aut decem oves eligendas ex grege*) vel ſi res empta ſit quidem determinata, ſed ad menſuram: (V. G. *ſi emiſti totum acervum tritici in meſſe, vel maſſam uno aureo in ſingulas menſuras faciendas*) tunc, ante rei traditionem, vel menſurationem, periculum, vel damnum, interitus rei pertinet ad Venditorem; ut habetur expreſsè, *in L. Quod ſæpè* §. *in his, ff. de contrahen. empt.* Ratio autem eſt: quia, quando ſit emptio rei indeterminatæ, vel menſurandæ, intelligitur tacita conditio, *ſi res tradatur*; unde niſi ſequatur traditio, vel menſuratio, in qua menſuratione continetur etiam quædam traditio, emptor non tenetur; quia non cenſetur perfecta venditio, cùm conditio nondum ſit impleta. Quòd autem talis conditio ſemper tacite intelligatur, habetur expreſsè *in d. L. quod ſæpè.*

Si autem interim res fiat melior, vel 91
deterior, commodum, vel incommodum pertinebit ad Emptorem. Ratio eſt, quia ipſe emit rem prout erit tempore traditionis, exponens ſe fortuitis eventibus. Ita Silveſter, Covarruvias, & alii apud Leſſium cit. Quod à fortiori verum eſt, ſi certus terminus menſurationi, vel traditioni præfixus fuerit: aut Venditor coram Teſtibus Emptorem monuerit, ut intra certum temporis ſpatium veniat ad menſurandum, eligendum, &c. ut habetur *ex L. cit. & L.* 1. *in princip. Et ſi quis vina.* 4. §. 1. *ff. de peric. & commod. rei vend.*

Quæro XXXIV. *Fructus rei venditæ, & nondum traditæ ad quemnam pertinent ad Emptorem, ân ad Venditorem?*

℞. Peracto contractu venditionis & 92
emptionis conſenſu mutuo partium, ſi nil aliud conventum fuerit, omnes fructus rei pendentes, tam maturi, quàm immaturi ad Emptorem ſpectant: prout decernitur variis *L. L. ff. & C. C. de action. emption.* Et etiam in Foro conſcientiæ docet comm. DD. Molina, Lugo, Layman apud Sporer. *tract.* 6. *in Decal. cap.* 5. *n.* 93.

Quod etiam verum eſt in caſu, quo pretium nondum ſolutum fuerit, ut ibi probat Sporer cum multis, *n.* 94. dummodò pro ſoluto habitum ſit per aſſecurationem, vel fidehabitionem.

Additiones.

Poſtquam ſervato ordine egimus de emptione venditione, nonnullos invenimus caſus miſcellaneos ad hunc Tractatum pertinentes, quos addidimus in gratiam Confeſſarii novelli pro praxi quotidiana.

Quæro XXXV. *Si triticum vendendum in loco humido apponas, ut ex minori quantitate menſuram compleas, peccaſne mortaliter cum obligatione reſtituendi?*

℞. Affirmativè; quia minorem quanti- 93
tatem dolosè Emptoribus præſtas ea, quam præſtare juſtè tenebaris; quinimò, etiamſi id non feciſti ex induſtria: & tunc detrahere debes de pretio, quod determina-

Digitized by Google

minatum eſt, ac monere debebis Emptorem, ne ſervare volenti corrumpatur. Ita cum aliis DD. Caſtropalao, *tr. 33. diſput. 5. punct. 6. n. 7.* – Idem dicendum de aliis mercibus.

Quæro XXXVI. *Qui ſeparant fructus meliores à deterioribus, & poſtea vendunt deteriores pretio taxato, meliores vero pretio majori, peccatne?*

94 ℞. Affirmativè. Quia taxatum pretium reſpicit fructus tam meliores, quàm deteriores permixtim: hoc enim ipſo, quòd eſt taxatum pretium rebus unius ſpeciei, intelligitur communiter comprehendere omnes res ejuſdem ſpeciei, etiamſi (ut ſolet) ſit modicus exceſſus in bonitate; ergo ſeparando meliores, non acquiris novum Jus vendendi eos fructus ultra taxam; ſicque majori pretio vendendo, peccas contra Juſtitiam, & obligaris ad reſtitutionem. Ita Filliucius *Tract. 35. nu. 88.* Idem dicendum erit de carnibus, piſcibus, & aliis hujuſmodi rebus, quæ habent pretium Legale.

Quæro XXXVII. *Qui vendit res indifferentes, ſciens tamen emptorem abuſurum eis in damnum alicujus tertii innocentis, peccatne?*

95 ℞. Peccat contra Charitatem. V. G. Vendis ornamentum, fucos, monilia, &c. meretrici, ſciens, vel probabiliter credens talem fœminam abuſuram eſſe tali re ad ſcandalizandum aliquem innocentem, ac ſimplicem juvenem: peccas, non quaſi cooperans peccato meretricis, quæ ſua tantùm malitia peccat, ſed tamquam cooperans ad proximi ruinam, quam facilè poteras impedire; quod eſt peccatum contra Charitatem. Ita Reginaldus, *tom. 2. lib. 25. capitulo 15. numero 265.* Idem dicendum erit de eo, qui vendit taxillos, vel aleas Titio, quem ſcit velle decipere colluſores: vel de eo, qui vendit gladium, aut ſcloppum alteri, quem ſcit velle occidere inimicum; & ſic de ſimilibus; quia eſt cooperatio proxima ad malum, vel ad damnum Tertii. Vide quæ diximus *Tract. 21. n. 23 de Scandalo.*

96 *Ex hac occaſione petes, An ſit licitum locare domum meretrici.*

℞. Doctor Navarrus *in Mannuale, capitulo 17. numero 195.* Dicit, Peccat, qui ſuam domum, aut aliam rem locat ei, quem putat ea ad peccatum mortale abuſurum: quia auxilium ad peccandum præbet: *Argum. capitulo fin. de injuria, & capitulo 1. de offic. deleg.* – Et quamvis liceat poteſtati publicæ permittere, ut in aliqua Civitatis parte ſint meretrices, ut majora mala vitentur; non licet tamen permittere lupanaria eo modo, quo alicubi permittuntur, videlicet, conſtituendo eis patronos, & locando domos cariùs, quam locarentur honeſtis mulieribus, eò quòd magis lucrantur, quàm alii locatores; recipiendo nempè aliquam turpis lucri partem; quia iſte modus continet participationem lucri obvenientis ex peccato; nulla autem permiſſio peccati eſt licita cum participatione lucri præcedentis.

Neque licet locare meretricibus domum in ea parte Civitatis, in qua non permittitur habitatio; quia tunc legem, & conſuetudinem juſtam locans tranſgreditur: contra, *cap. Quæ contra mores, 18. diſt.*

Unde difficilè defendi poteſt, quòd non peccet mortaliter, qui facit, vel locat domum meretrici ad meretricandum, etiam in ea parte Civitatis, in qua permittitur habitare; quia non licet locare domum Uſurario, ad exercendum fœnus, *ex capitulo 1. de Uſur. lib. 6.* Tum quia nullatenus licet dare occaſionem peccandi. Tum quia, quamvis Poteſtas publica poſſit permittere meretrices; non tamen poteſt efficere, quòd ille, & iſte non peccent adjuvando; negari enim non poteſt, eum, qui facit, vel locat domum meretrici ad meretricandum, juvare ipſam meretricem ad peccandum. Hæc, & alia Navarrus. Vide etiam Leſſium, *lib. 2. cap. 24 dub. 7. nu. 39.* – Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 7. num. 20.*

Dices. Ubi ergo debent iſtæ infelices mulieres habitare?

℞. Lege citatos DD. Ego enim dicerem ad Poteſtatem publicam, cui licet tantùm permittere lupanaria, pertinere etiam locationem domorum infamium. 97

Quæro XXXVIII. *Vendens res indifferentes, & dubitans de malo uſu ementis, poteritne licitè vendere?*

℞. Si dubium ſit merè negativum: quia ſcilicet non poteſt quis prudenter, ac probabiliter ſuſpicari, an emptor malè, vel benè prædictis rebus indifferentibus ſit uſurus: tunc certum eſt, ei licere iſtas res vendere, vel miniſtrare abſ-

Digitized by Google

que alia cauſa concurrente; quia in hoc dubio nemo præſumitur, vel præſumi debet ſe abuſurum, aut delictum commiſſurum. Si autem dubium ſit poſitivum; quia nimirum meritò, & prudenter dubitari poteſt de abuſu; tunc ad hoc, ut ſit licitum vendere, requiritur aliqua cauſa juſta, & rationabilis, licèt minor cauſa ſufficiat, ubi eſt minor ratio dubitandi. Ratio eſt, quia non teneris peccatum alterius impedire, ubi commodè non pôtes; at in caſu iſto tu vel ex neceſſitate, vel utilitate artis tuæ cogeris res indifferentes vendere, ſine animo cooperandi pravæ intentioni alterius, de qua dubitas; nec teneris peccata alterius impedire cum tali tuo incommodo. Unde excuſantur à peccato Venditores alearum, armorum, &c. quia iſtæ ſunt res indifferentes; licèt iis multi abutantur. Ita ex Sanchez, *in Summa*, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 17. cum alii DD. reſolvo,

Quæro XXXIX. *An quis licitè poſſit emere à Sartoribus fragmenta, quæ ſuperſunt ex veſtibus adventorum?*

98 ℞. Thomas Sanchez *in Opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 4. apud Dianam Coordinatum, *tom.* 6. *tractat.* 3. *Reſol.* 177. dicit: Si fragmenta, quæ ſuperſunt, eſſent etiam magna, licitum eſt ea emere à Sartoribus Magiſtris, non verò ab officialibus, aut famulis ipſorum. Quia illis communiter minus ſolvitur pro mercede, quàm merentur facturæ; atque ita mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conſcientiæ, cum quibus hoc dubium contuli: & ſic ſibi compenſant, & ſatisfaciunt. Quæ ratio non procedit cum famulis; hi enim pactum injerunt cum Magiſtro laborandi ſub certa quantitate ſtipendii: & ſive Magiſtro ſolvatur in integrum pretium operis, ſive non, ipſi integram recipiunt mercedem ſuam, — Nihilominus Dianæ magis placet opinio *Villalobos*; quoniam verò ibi ponit verba idiomate Hiſpano hujus *Villalobos*, qui cum Soto, Navarro, & Rebellio oppoſitum ſentit, ego non poſſum intelligere mentem illius. Dico tamen facilè reſponderi poſſe ſic: Si Sartores ſint timoratæ conſcientiæ, poteris ab eis emere illa fragmenta; quia tunc prudenter judicare poteris vel eſſe partem ſui laboris, vel donum gratuitum ſibi factum ab Adventoribus, vel aliquo juſto titulo hujuſmodi res eſſe ipſorum Sartorum. Si autem tibi non conſtiterit, eſſe tales, vel ſi prudenter poteris dubitare, res eſſe furatas; tibi non licebit eas emere; ratio eſt, quia quando quis prudenter dubitat, an res ſit aliena, non poteſt licitè eam emere; quia mala fide emeret, & teneretur eam Domino reſtituere; ex Leſſio cum aliis, *lib.* 2. *capit.* 14. *dub.* 3. *num.* 19.

Quæro XL. *Quot modis venditio redditur illicita fallaciis, & mendaciis?*

℞. *I.* Certum eſt, illicitam reddi venditionem cum obligatione reſtituendi exceſſum, ſi fraude, & dolo inducas emptorem ut mercem ultra pretium juſtum emat. Ita ex omnium DD. ſententia teſtatur Caſtropalaus, *Tr.* 23. *diſp.* 5. *punct.* 35. cum Molina, *diſp.* 346. 99

℞. *II.* Si ſparſo falſo rumore, aut litteris falsò confictis de navium naufragio, vel de obſidione ſuperventura, aliiſque ſimilibus fictionibus, quibus occaſio es augendi pretium rerum ultra id, quo communiter venderentur: ſcias te obligatum eſſe reſtituere omne illud augmentum Emptoribus, utpotè fallaciis tuis injuſtè inductum. Ita Rebellus, *lib.* 9. *q.* 7. *n.* 4. apud Caſtropalaum, *cit.*

℞. *III.* Si fictum emptorem inducas, qui pretium magnum mercibus tuis offerat, ut tali ſimulata oblatione veri emptores ad augendum pretium inducantur: injuſtus es, & ad reſtitutionem teneris emptoribus quanto minus, ſecluſa illa fraude, res emerentur. Ita Rebell. *cit. nu.* 4. & 8.

℞. *IV.* Si litteras ab amico miſſas finxiſti, quibus monebaris, merces cariùs eſſe in proximo vendendas; ſi vi iſtius fraudis cariùs vendas, quàm aliàs eſſes venditurus, vel alii cariùs emerent alias non empturi: teneris omne illud intereſſe reſarcire, Ita ex Rebell. *cit. numer.* 8.

Sunt & alii modi à malitia inventi, quos etſi Doctores ignorent, fraudulenti tamen Venditores optimè noſcunt, & uſurpant. Uſus autem, & praxis te plura docebunt.

De Monopoliis.

Quæro XLI. *Quid eſt Monopolium?*

℞. Eſt vox Græca, quæ latinè ſonat 100

Ven-

Digitized by Google

Venditio unius. Sic autem definitur propriè: Eſt machinatio, & induſtria Mercatorum, qua efficiunt, ut ipſi ſoli aliquid vendant, vel certo pretio vendant. Vel Monopolium dicitur, quando unus, vel pauci efficiunt, ut ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipſis libuerit.

Hoc autem fieri poteſt variis modis. I. Quando Mercatores conſpirant inter ſe de pretio, ut nemo vendat minori. II. Quando agunt, ut ipſi ſoli certas quaſdam merces vendant: Et hoc, vel privilegio Principis; vel induſtria, coemendo nempè omnes illas merces, eaſque ſupprimendo, donec creverit pretium vel impediendo, ne aliunde importentur ab aliis. *Explico*.

Quando Venditores conſpirant in pretium, modò id non ſit ſupra, vel ultra legitimum, vel vulgare ſummum, non peccant contra Juſtitiam; peccant tamen contra Charitatem.

Si autem Mercatores fraude, vel minis impedirent alios, ne minoris venderent, peccarent utique etiam contra Juſtitiam, & tenerentur ad reſtitutionem, & ad damnum reſarciendum tam emptoribus, quàm Venditoribus.

Quando pretium, in quod Venditores conſpirant, eſt ſupra legitimum, vel ſupra ſummum vulgare, peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem illius auctarii, vel exceſſus in pretio, quod emptores ſolvere coacti ſunt; atque adeò totius damni inde ſecuti.

101 Si privilegio Principis fiat Monopolium; tunc diſtinguendum eſt. *Vel* enim illud Privilegium juſta aliqua ratione conceſſum eſt; V. G. quia nemo Mercatorum vult tales merces invehere ſufficienti copia: vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico: vel quia talis Mercator propriis ſumptibus, & induſtriis talem mercem invexit, vel fabricavit, puta libros novos imprimendo &c. & tunc tale Monopolium eſt licitum, dummodò juſtum pretium à Principe, aut prudentum judicio taxatum, vel taxandum, non excedat; alias daretur occaſio vendendi iniquo pretio cum notabili damno Reipublicæ. -- *Vel* illud Privilegium ſine juſta ratione conceſſum eſt, & tunc eſt iniquum; ſicque injuria & ſubditis Mercatoribus talem mercem vendere volentibus, qui injuſtè impediuntur, & Emptoribus, qui eam mercem minori pretio emerent; unde utriſque, nempe tam Venditoribus, quam Emptoribus debetur reſtitutio, facienda à *Monopola*, ideſt ab eo, qui fecit hoc Monopolium, & impetravit Privilegium injuſtum, & à Principe, qui hoc conceſſit. -- Hoc tamen intellige, quando iniquitas Privilegii eſt manifeſta, vel certa; alioquin in dubio præſumendum eſt de juſtitia in favorem Principis, & Privilegiati.

Quando unus, vel pauci coemunt omnes merces certi generis, (V. G. frumentum tempore meſſis, vel abundantiæ) ut ipſi ſoli poſtea pro ſuo arbitrio vendant: Doctores paſſim tenent, hos peccare contra juſtitiam, & obligari ad reſtitutionem & ad damna. Ita cum aliis DD. docet, & probat Leſſius, *libr. 2. capit. 21. dub. 21. num. 150.* -- Alii tamen DD. (quorum opinio non improbabilis videtur ipſimet Leſſio) tenent, eos peccare tantùm contra charitatem; quòd ſi contra Juſtitiam; non tamen contra Juſtitiam particularem, ſed tantùm Legalem, quæ reſpicit publicam utilitatem; ſicque non ex rigore Juſtitiæ teneri ad reſtitutionem; dummodò vendant poſtea juſto pretio. -- Poſſunt tamen cogi à Magiſtratu, aut Principe, ut tales proferant merces, ac opportunè vendant; quinimò poſſunt graviter puniri ob talem compreſſionem. 102

Et tandem, ſi quis vi, vel fraude impediat, ne major copia mercium aliunde importetur, aut introducatur, ut maneat charitas (ideſt cariſtia) in Republica; peccat certò contra Juſtitiam, tenetur ad reſtitutionem, tum Reipublicæ, quatenus injuſtè ei cauſa fuit ementi majoris pretii, vel damni, privationis, &c. tum Mercatoribus aliis, quos impedivit; quatenus eos injuſto modo privavit probabili lucro. Ita Leſſius, *l. c. num. 153.* 103

Monopolia Jure Gentium illicita ſunt, 104 tamquam quid adverſum Juri naturæ, quo omnia in principio Mundi communiter hominibus à Deo creata, & donata ſunt: & ſeveriſſimè prohibentur Jure Cæſareo. *De Monopoliis.*

Quæro XLII. *Quid eſt Negotiatio?*

R. Eſt emptio, vel coemptio mercium 105 eo animo facta, ut poſtea cariùs diſtrahantur: ut ſolent Mercatores paſſim face-

re. Negotiatio, ſeu Mercatura per ſe loquendo, ſervata latitudine juſti pretii omni Jure licita eſt, imò neceſſaria Reipublicæ, ut nimirum habeantur in promptu omnes merces apud Mercatores, quas ſinguli Cives ſibi comparare poſſint ſine incommodo itineris, ac laboris in perquirendo extra Civitatem.

Qui autem huic negotio ad bonum commune tendenti, neglectis aliis modis ac mediis lucrandi, ſe deſtinarunt, jure optimo ex hoc negotio ad ſui, ſuorumque ſuſtentationem aliquid lucrari debent intra Juſtitiæ limites, minoris emendo, & pluris vendendo.

106 Attamen Clericis graviſſimè interdicta eſt negotiatio, ut habetur, *diſt.* 88. *capitulo ultim. de vita, & honeſt. Cleric.* Et *Clementin.* 1. *eodem Titul.* Ratio etiam eſt; quia licèt negotiatio per ſe non ſit opus illicitum; per accidens tamen ſæpè Salutis periculum affert ob cupiditatem, & malitiam humanam: nam, ut patet ex dictis hoc negotium ſæculare mendaciis, fraudibus, aliiſque injuſtitiis occaſionem præbet: & animum temporalibus curis implicatum a rebus Cœleſtibus, & Æternis avocat, & alienat. Unde Apoſtolus epiſt. 2. ad Timotheum cap. 2. dicit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit.*

107 Peccant ergo graviter Clerici, & Religioſi, ſi exerceant negotiationem propriè dictam, & ut ſuprà definitam; niſi eos excuſet gravis neceſſitas, quando nempe vitam commodè aliter ſuſtentare non poſſent; ut notat Gloſſa, *in cap. negotiatio, diſt.* 88. Et Navarrus, *lib.* 3. *Conſ.* 3 *numero* 3. *de vita, & honeſtate Cler.* Sed hæc neceſſitas rarò evenire poteſt, ut patet conſideranti.

Sed quid, ſi per alios tantùm negotientur, & non per ſe immediatè? Non peccare mortaliter, docent Medina, Molina, Lugo, Layman apud Sporer, *Tractat.* 6. *in Decalog. capitulo* 6. *numero* 102. Sed me terret Canon, *capitulo Secundum* — 6. *Ne Clerici, vel Monachi*: ubi Pontifex ait: *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici, vel Monachi cauſa lucri negotientur.* Quod intellige de Clericis Sacris initiatis; De Monachis autem generaliter, ut notat Medina, *Cod. de Reſtitut. quæſt.* 30. Item, ſi multum negotiationi dent operam: ut explicat Leſſius, *libr.* 2. *capitulo* 21. *dub.* 1. *numero* 4. Tum quia, Regula 72. Juris Canonici in Sexto Decretalium dicit: *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.* Tum quia mens Papæ Gelaſii, *capitulo Conſequentis diſt.* 88. eſt iſta: *Clericis ab indignis quæſtibus abſtinendum: & ab omni cujuſlibet negotiationis ingenio ceſſandum.* Conſidera textum, & reſolve. 108

TRACTATUS XXXV.

DE RESTITUTIONE.

QUæro Primò. *Quid eſt Reſtitutio?*

1 *Reſpondeo.* Eſt redditio rei acceptæ: vel damni illati compenſatio. *Vel* eſt actus juſtitiæ, quo fit rei alienæ redditio, aut damni injuſtè illati reſtauratio; *Reſtitutio* enim ſic dicitur, quaſi ſit *rei in ſtatum priſtinum Statutio.* — Loquimur autem hic de Reſtitutione circa bona Fortunæ; nam de aliis jam egimus ſuis in locis propriis; de Reſtitutione autem Famæ videbimus in Octavo Præcepto Decalogi.

Reſtitutio ſuperiùs deſcripta oritur ex triplici radice, vel cauſa I. *Ex contractu*, quo quis ſponte ſe obligavit ad aliquid dandum, vel reddendum alteri. II. *Ex delicto materiali*: ſeu ex re aliena accepta tantùm. III. *Ex delicto formali*: ſeu ex injuſta acceptione rei alienæ, vel ex damnificatione injuſta rei alienæ. 2

Delictum materiale tantùm eſt: cùm quis rem alienam accipit, detinet, vel etiam deſtruit inculpabiliter: ignorans nempe eſſe alienam, vel rationabiliter credens eſſe ſuam, vel putat ſe jus habe- 3

Digitized by Google

habere in illam; adeòque *bona fide* agit. — *Delictum verò formale* formalis injuria dicitur, & eſt, cùm quis rem alienam accipit, detinet, deſtruit probè ſciens, vel ſcire potens, vel dubitans eſſe alienam; adeòque *mala fide* agit.

4 *Damnificatio* pariter poteſt eſſe vel materialis, vel formalis. Et utraque poteſt eſſe vel lucroſa, vel non lucroſa. *Damnificatio lucroſa* eſt, qua quis aliquid ſibi acquirit cum damno alterius. *Damnificatio non lucroſa* eſt pura damnificatio, qua quis ſibi nihil acquirit, ſed ſolùm aliquid alterius deſtruit, vel deteriorat cum damno illius.

5 Ad majorem notitiam originis Reſtitutionis, dico, quòd quatuor ſunt radices immediatæ, ex quibus oritur Reſtitutionis obligatio. I. Ex delicto formali, ratione injuſtæ acceptionis, & à poſſeſſore malæ fidei. II. Ex delicto pariter formali, ratione ſolius damnificationis formalis non lucrativæ. III. Ex delicto materiali, ratione rei acceptæ, & à poſſeſſore bonæ fidei. IV. Ex Contractu.

6 *Pone hic duas regulas generales ſemper præ oculis habendas in hac materia. PRIMA.* Menſura Reſtitutionis ex delicto materiali ratione rei acceptæ à poſſeſſore bonæ fidei, eſt quantitas poſſeſſionis: ideſt, tantum reſtituendum eſt, quantum de re aliena adhuc poſſides: vel quantum inde ditior factus es. *SECUNDA*. Menſura Reſtitutionis ex delicto formali quocumque, nempe tam ratione injuſtæ acceptionis à poſſeſſore malæ fidei, quàm ratione injuſtæ damnificationis formalis non lucroſæ, eſt quantitas damni illati, ideſt, tantum reſtituendum eſt, quantum damnum intuliſti; ſive inde aliquid habeas de re aliena, ſive nihil.

7 Pro reſtitutione autem proveniente ex Contractu, obſervanda ſunt duo Axiomata. I. *Omnis res, quæ caſu perit, ſuo Domino perit.* II. *Omnis res quæ culpa perit, culpabili perit*: ideſt, perit illi, qui culpam commiſit, juxta tamen rationem culpæ, & pacti initi in tali Contractu. Ita P. Sporer noſter *Tom. 2. Tract. 4. Prælim. c. 2. ſect. 1. ex communi.*

Quæro II. *Quænam eſt differentia inter Reſtitutionem, & Satisfactionem?*

8 ℞. *Reſtitutio* propriè eſt redditio debiti: vel compenſatio damni illati proximo in bonis ſuis, facta per aliquid neceſſariò ipſimet damnificato conferendum; cujus proinde *objectum* eſt damnum alteri compenſandum; *finis* verò eſt æqualitas rei reſtituendæ ad rem ablatam, vel ipſum damnum datum; ideòque eſt actus Juſtitiæ Commutativæ: & in conſcientia ſemper debetur ante omnem litem, vel ſententiam Judicis. — *Satisfactio* autem eſt compenſatio injuriæ tantùm, vel offenſæ alterius, vel alteri factæ: in hoc conſiſtens, quòd ſicut alterum offendiſti, vel injuriaſti contra ejus voluntatem, & Jus ſuum, moleſtando ipſum; ita tu viciſſim in gratiam ipſius aliquid moleſtum contra tuam propriam voluntatem agendo, vel patiendo, eum tibi reconcilies. Cujus proinde *objectum* eſt injuria, vel offenſa compenſanda: *finis* verò eſt reconciliatio. — *Breviùs dicam*: Reſtitutio differt à Satisfactione per hoc, quòd *Reſtitutio* eſt actus Juſtitiæ commutativæ; *Satisfactio* verò eſt actus Juſtitiæ vindicativæ, cujus exercitium ad publicam tantùm poteſtatem pertinet: & proinde ante Judicis ſententiam nulla per ſe eſt obligatio ſatisfaciendi pro injuria præciſa à damno.

Quæro III. *Reſtitutio oriturne ex alia virtute?*

9 ℞. Reſtitutio propriè oritur ex violatione ſolius Juſtitiæ commutativæ, non autem ex violatione aliarum virtutum: neque Juſtitiæ legalis, neque Juſtitiæ vindicativæ, neque Juſtitiæ diſtributivæ, *niſi per accidens*, quatenùs ſimul violaretur ipſa commutativa Juſtitia. Ratio eſt, quia *Reſtitutio propriè eſt damni dati reſtauratio*, qua ſcilicet redditur alteri, quod ſuum eſt: ſeu redditur id, ad quod alter Jus habet in re, vel ad rem: & quidem ad æqualitatem arithmeticam. Atqui hoc eſt proprium ſolius Juſtitiæ commutativæ; ergo &c. *Unde deduces à fortiori*, non oriri obligationem Reſtitutionis ex violatione aliarum virtutum, quæ non reſpiciunt Juſtitiam: V. G. Charitatis, Pietatis, Miſericordiæ &c.

Quæro IV. *Reſtitutio eſtne neceſſaria ad ſalutem æternam?*

10 ℞. Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti Naturalis Divini; hoc autem præceptum deducitur ex *Septimo Decalogi. Non furtum facies.* Item habetur expreſsè multis in locis Sacræ Scripturæ: Matth. capit. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ubi noſter Lyranus gloſſat: quia reddere debitum omnibus, eſt bonum, & juſtum.

Ad Roman. 14. dicit Apoſtolus: *Reddite omnibus debita*. Item ex Sacris Canonibus, cap. Si res aliena, 14. q. 6. habetur: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, Pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi reſtitui poteſt, ut dictum eſt*. -- Et cap. Sæpè, De reſtit. ſpoliat. habetur: *Quòd non multùm interſit, quoad periculum Animæ, injuſtè detinere, ac invadere alienum*. Ratio autem eſt; quia ejuſdem malitiæ eſt, furari rem alienam ac detinere rem invito rationabiliter domino, dum reddi ei poteſt. Tum quia ſicut ad ſalutem æternam neceſſaria eſt obſervantia aliorum mandatorum Dei, ita & Reſtitutio, quæ continetur in ſeptimo mandato.

11 In præcepto autem Reſtitutionis rei alienæ duo includuntur: Unum negativum, quod exprimitur ſic: *Noli retinere alienum*; Alterum affirmativum: *Redde quod debes*. Propter autem negativum præceptum habetur affirmativum; nam, ut dixi, Reſtitutio deducitur ex illo Præcepto Decalogi. *Non furaberis*. Igitur retinere injuſtè alienum nihil aliud eſt (moraliter loquendo,) quàm continua ablatio rei alienæ, nempe furtum. Ita Scotus, *in 4. diſt. 15. qu. 2.* -- Lugo, *diſp. 8. ſect. 2.* & alii DD.

Quæro V. *Quando, & quoties peccat, qui cùm poſſit, non reſtituit?*

12 ℞. I. Cùm præceptum reſtituendi ex natura ſua, & principaliter, ſeu radicaliter ſit negativum, ſcilicet *Non detinere alienum*: & natura præcepti negativi ſit, obligare *ſemper, & pro ſemper*; ſequitur, quòd nullo umquam tempore liceat, detinere rem alienam invito domino; ergo potens reſtituere, & non reſtituens, ſemper etiam peccat contra Juſtitiam, & eò magis, quo diutiùs detinet alienum, privando dominum, vel poſſeſſorem legitimum uſu, fructu, & diſpoſitione rei ſuæ, vel ſibi debitæ. -- Unde patet, quòd Reſtitutio ſtatim facienda eſt poſt delictum, vel contractum terminatum. Hoc tamen intellige ordinariè, & generaliter, ſecluſa legitima cauſa excuſante à Reſtitutione externa, ut infrà videbis.

13 ℞. II. Reſtitutio interna, nempe quoad propoſitum reſtituendi, eſt facienda ſtatim mathematicè: ideſt, in puncto, quo quis recordatur, & practicè cognoſcit, ſe eſſe rei alienæ debitorem, vel detentorem injuſtum, tenetur ſtatim concipere propoſitum reſtituendi. Ratio patet ex dictis. Tum quia, omni momento temporis tenetur unuſquiſque ceſſare à peccato: ſed voluntariè detinens alienum invito domino, eſt in ſtatu peccati mortalis ex genere ſuo; ergo omni momento temporis, & conſequenter ſtatim mathematicè tenetur quis nolle detinere alienum, concipiendo propoſitum internum reſtituendi.

14 ℞. III. Ad diſcernendum autem hoc peccatum, maximè in ordine ad Confeſſionem, & praxim pro Confeſſario, dico, quòd voluntariè detinens rem alienam invito domino, continuò, ac perpetuò peccat, non ſolùm quando habet actuale propoſitum non reſtituendi, verùm etiam quando advertens ſe debere, ac poſſe reſtituere, omittit velle reſtituere. Et conſequenter quò diutiùs quis ſeu poſitivè; ſeu negativè non vult reſtituere, eò magis aggravat peccatum ſuum pro ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis illati domino.

15 ℞. IV. Voluntaria detentio rei alienæ, etiam longiſſimo tempore, ſemper manet idem numero peccatum moraliter, quamdiù manet idem habitualiter propoſitum non reſtituendi. Tot verò erunt peccata numero diſtincta, quoties voluntas, ſeu propoſitum non reſtituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur. Tunc autem formaliter interrumpitur, quando homo per pœnitentiam, vel per propoſitum formale intendit, & vult reſtituere. Vide *Tr. 39. n. 107.* De interruptione virtuali peccatorum.

16 ℞. V. In diuturna detentione rei alienæ, præter interrupta propoſita non reſtituendi, dantur alii caſus, quibus committuntur nova diſtincta numero peccata. I. Quoties injuſtè detinens alienum videt dominum eſſe in neceſſitate habendi ſuum, & tamen ei non reſtituit. II. Quoties domino, vel creditori repetenti ſuum, non reddit, cùm tamen reddere poſſit. III. Quoties bona, & commoda occaſio reſtituendi ſe offert, & tamen retinens negligit, & hoc eſt valdè notandum; quia Reſtitutio, prout eſt præceptum affirmativum, tunc maximè obligat, quando quis habet opportunitatem reſtituendi; ut videbimus. IV. Quoties uti-

tur

Digitized by Google

tur re aliena, cum nova domini injuria, vel damno. V. Quoties proponit non reſtituere: aut confirmat pravam voluntatem retinendi.

17 *R. VI. Pro praxi Confeſſarii*: meritò D. D. monent Confeſſarium, non debere eſſe nimis anxium, & moleſtum pœnitentibus in inquirendo numerum hunc peccatorum moraliter tantùm interruptorum in diutiùs retinendo rem alienam. Sufficit enim inquirere, quanto tempore res aliena voluntariè, & culpabiliter detenta ſit: vel quoties potuit reſtituere talem rem, & noluit; Ratio eſt: quia explicare numerum certum, aut veriſimile actuum internorum plerumque moraliter eſt impoſſibile, ideò ordinariè ſufficit tunc exprimere moram temporis.

18 *R. VII.* Reſtitutio externa, quoad executionem, facienda eſt ſtatim moraliter: hoc eſt, quamprimùm moraliter, & commodè fieri poteſt, abſque aliquo notabili, vel graviori incommodo proprio ipſius Reſtituentis, quàm ſit incommodum proveniens Creditori, vel Domino ex dilatione reſtitutionis ſibi faciendæ. Ratio eſt; quia præceptum Reſtitutionis, quatenus eſt affirmativum, & præcipit actum realem reſtitutionis, obligat pro tempore opportuno, quo moraliter fieri poteſt Reſtitutio; iſte autem actus neceſſariò requirit aliquam moram temporis ad ſui executionem, quippe qui variis obſtaculis, vel incommodis impediri poteſt; adeò ut etiam Dominus rei non debeat, vel poſſit rationabiliter eſſe invitus in aliqua temporis mora, quòuſque moraliter, & humano modo reſtitutio fieri poſſit ſine alio graviori, vel notabili incommodo debitoris; dummodò creditor non ſit in æquali neceſſitate; quia tunc melior eſt conditio innocentis.

19 *R. VIII.* Secluſa omni fraude, vel dolo ceſſante omni impedimento, & habita omni opportunitate reſtituendi, differre modico tempore reſtitutionem non erit peccatum mortale, dummodo aliud non obſtet, nempe nullum ex tali dilatione grave damnum Domino emergat, vel ſequatur. Ratio eſt: quia licèt talis dilatio, & detentio ex ſe injuſta ſit, non cenſetur tamen gravis ex parvitate, vel modicitate temporis; maximè quando obligatio reſtituendi provenit ex contractu, vel ex re accepta. — Quantum autem temporis cenſeatur *modicum*, variant Doctores; nam noſter Philippus F. ber Faventinus *modicum* cenſet unam, vel alteram horam: (*In 4. ſent. diſp. 15. quæſt. 2. capitulo 5.*) Soto unum, vel alterum diem reputat quid modicum: (*lib. 4. quæſt. 7. art. 4.*) Dicaſtillus tres dies: apud Tamb. *lib. 8. Decal. tractat. 4. cap. 1. §. 6. numero 1.* Aliquanto tempore non admodum longo, ait Molina apud Laymannum, *lib. 3. de Juſtitia tractat. 2. cap. 10. num. 2.* & apud Sporerium noſtrum, *loc. cit. ſect. 3. nu. 124.* Ego autem cenſeo, hoc prudenti judicio, conſideratis circumſtantiis, relinquendum eſſe.

R. IX. Obligatus ex delicto formali, ſcilicet ratione injuſtæ acceptionis, vel damnificationis, habita opportunitate reſtituendi, secluſa omni legitima excuſatione, ſi non reſtituat; non ſolùm peccat mortaliter, ſed etiam tenetur in conſcientia ſolvere Domino, vel Creditori omne intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ex illa mora, quæ in debitore ex delicto ſemper, regulariter loquendo, culpabilis eſt. Ratio eſt, quia cùm Dominus ex tua culpa non ſolùm privatus ſit ipſa re ſua principali, ſed etiam paſſus ſit illud intereſſe, niſi ei utrumque reſtituas, non fiet æqualitas Juſtitiæ cum proximo; hæc autem æqualitas ſemper facienda eſt, quoties poſſibilis eſt; ergo &c. Unde deducitur manifeſtè, quòd omnia damna, quæ immediatè, vel mediatè ex delicto præterito procedunt, obnoxia, ſeu ſubjecta ſint Reſtitutioni ob injuſtitiam primò factam proximo: ut cum aliis DD. docet Tamburinus, *lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 11. §. 5. n. 5.* 20

R. X. Reſtitutio debitorum ex re accepta tantùm à poſſeſſore bonæ fidei facienda eſt ſtatim moraliter poſtquam iſte cognovit, rem eſſe alienam, tradendo nempe ſine mora culpabili rem extantem ejus Domino, vel id, quo ex illa re alienа factus eſt ditior; nam ulteriùs voluntariè, ac malitioſè detinens, ex tunc fit poſſeſſor malæ fidei; & tamquam talis deinceps ratione injuſtæ detentionis, & moræ culpabilis, tenebitur ad Reſtitutionem tamquam *ex delicto formali*, ut ſuprà dictum eſt. Dixi, *rem extantem*; nam ſi res apud poſſeſſorem bonæ fidei ampliùs non extet, quia V. G. jam vel conſumpta, vel alienata, vel deperdita eſt: ceſſat obligatio reſtitutionis. — Dixi, *vel* 21

id, quo factus eſt ditior: quia tunc res extat in æquivalenti; nam illud lucrum ſuccedit in locum rei acceptæ.

22 *Petes*. Quid ſignificet, *fieri ditiorem*, vel locupletiorem in re aliena, bona fide poſſeſſa?

℞. Illum cenſeri factum ditiorem, vel locupletiorem, qui, ceſſante bona fide, evidenter cognoſcit, ſe occaſione rei alienæ aliquid habere, quod alioquin non habuiſſet: ſicque evaſiſſe ditiorem. V. G. Bona fide apud amicos rem furtivam comediſti: poſt prandium, vel cœnam dicunt tibi, *pullum, vel agnum fuiſſe Titii, cui furati ſunt*. Tu teneris ad reſtitutionem valoris non pulli gallinacei, vel agni, ſed tantùm rei tuæ, cui pepercisti in domo tua; nam hæc res extat apud te, & hanc habes, quam non haberes, ſi domi ſtetiſſes tua bona comedendo. (Vide Bonacinam, *de Reſtit. in genere, diſp. 1. qu. 2. punct. 1. à num. 6. & ſeqq.* -- Leſſium, *lib. 2. c. 14. dub. 1. & 2.*) Idem dicendum de ſimilibus.

23 ℞. *XI.* Reſtitutio debitorum ex contractu facienda eſt ſtatim moraliter poſtquam completus eſt terminus in contractu præfixus; idque intelligendum eſt etiamſi debitor non admoneatur, vel debitum exigatur à creditore; quia *Dies interpellat pro homine*: ut habetur *L. Magna, ff. de contrahen. ſtipulat.* Hoc eſt, ipſa dies, qua ſolutio facienda eſt, interpellat, ſeu poſtulat debitum pro creditore. -- Quòd ſi nullus terminus ſit præfixus ſolutioni; facienda tamen erit ſolutio congruo tempore, ut puta quando debitor habet omnimodam commoditatem ſolvendi: vel quando creditor habet neceſſitatem pecuniæ, vel rei ſuæ: vel quando ſeriò debitum exigit: vel quando mora, vel dilatio creditori fiat damnoſa notabiliter: vel tandem quando creditor rationabiliter invitus apparet, ne diutiùs differatur ſolutio &c. Ratio eſt: ne ex nimia dilatione damnum emergat, vel lucrum ceſſat creditori: & ne debitor incurrat periculum oblivionis, vel impoten-
24 tiæ ad ſolvendum.

Quòd ſi debitor prædictus tranſacto termino legitimæ ſolutionis fuerit in mora mortaliter culpabili reſtituendi, ſeu ſolvendi, tunc obligabitur in conſcientia ſub mortali ad compenſandum omne *intereſſe*: ſeu lucrum ceſſans, & damnum emergens Domino creditori. Ratio eſt: quia tunc incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, & ſua culpabili mora injuſtum damnum infert proximo.

Quare in foro conſcientiæ non poſſunt 25
excuſari à peccato, & ab obligatione ſolvendi illud *intereſſe* Nobiles, ac Domini illuſtres, & illuſtriſſimi, qui cùm facilè poſſint, nolunt ſolvere Mercatoribus merces emptas, & Opificibus, ſeu Artificibus operas factas, quibus propterea ceſſat lucrum, & damnum notabile emergit: quique amittunt tempus, & operam itando ad palatia, & domos, expectando mercedem. Quibus Nobilibus benè quadrat illud Jacobi, cap. 5. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris quæ advenient vobis... Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus. Ecce merces operariorum, quæ fraudata eſt à vobis, clamat*. Et quid clamat? Vindictam à Domino Deo juſto Judice, qui dicit Levitici, cap. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque manè*: & Deuteronomii, cap. 24. *Eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum: quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat vitam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

Quæro VI. *Qui poteſt ſimul totum reſtituere, poteritne licitè per partes ſucceſſivè reſtituere?*

℞. I. Quando quis commodè poteſt 26
ſimul ſolvere totum debitum, non licebit ei reſtituere ſucceſſivè per partes. V. G. Titius vel ex contractu, vel ex delicto debet Cajo centum aureos, non poteſt propria auctoritate reddere paulatim hanc ſummam. Ratio eſt; quia in eo caſu debitor detinet alienum invito Domino rationabiliter; cùm tamen Jure naturæ teneatur totum debitum ſolvere, cùm commodè poteſt, ſtatim, & unica vice; ergo volens ſolvere paulatim per partes abſque conſenſu Domini Creditoris, peccabit contra Juſtitiam pro ratione materiæ, & moræ. Et conſequenter cum tali propoſito non poteſt abſolvi à Confeſſario, juxta communem DD. ſententiam. Ratio hujus conſequentiæ eſt, quia talis pœnitens non vult ceſſare à toto peccato injuſtitiæ, ſeu injuſtæ detentionis rei alienæ; ergo non eſt verè pœnitens, nec diſpoſitus.

℞. II. De conſenſu autem expreſſo, 27
vel ſaltem tacito Creditoris: aut juſta alia de cauſa ex parte Debitoris, licitum erit

reſti-

reſtituere per partes, ſeu paulatim. Ratio eſt: quia tunc nulla fit injuria, nec injuſtitia Creditori. Quare ſi Confeſſarius cognoſcat ſummam difficultatem pœnitentis in reſtituendo totum ſimul, poterit permittere pœnitenti, ut ſucceſſivè reſtituat: quia tunc utiliter gerit negotium & Animæ pœnitentis, & corporis Creditoris, qui in tali caſu cenſetur contentus; melius enim eſt ei acquirere ſuum cum dilatione, quàm amittere. Idem dices, quando pœnitens bona fide putaret, id ſibi licere, & Confeſſarius adverteret, ſe nihil profuturum admonendo pœnitentem de majori obligatione ſolvendi totum ſimul. Ita Sylveſter, Armilla, Navarrus, Dicaſtillus, & Tamburinus, apud Sporerium, *Tract. 4. c. 3. n. 147.*

28 ℞. *III.* Confeſſarius non poteſt abſolvere confitentem non habentem propoſitum verùm reſtituendi quamprimùm commodè poterit, ſecluſa juſta cauſa excuſante ipſum ab obligatione reſtituendi. Hoc eſt certum apud omnes. Ratio manifeſta eſt: quia hoc propoſitum eſſentialiter debet includi in ipſa attritione, vel contritione efficaci.

29 ℞. *IV* Qui bis, ter, aut ſæpiùs in aliis Confeſſionibus juſſus, & pollicitus reſtituere, cum poſſet, & poſſit tamen numquam reſtituit; regulariter non eſt abſolvendus, niſi priùs reipſa reſtituat; ideòque remittendus cum promiſſione abſolutionis. (Eſt communiſſima DD. ſententia apud citatos, quibus addo Card. Cajetanum *in Summa*, *V. Reſtitutio*; *capit. 6.* P. Navarrum, *lib. 4. capit. 4. num. 79.* Reginaldum, *libr. 10. Tractat. 2. num. 226.* Filliucium, *Tractat. 32. numer. 217.* & alios apud Azorium, *3. part. libr. 4 cap. 34. quæſt. 4.* Et alios apud Bonacinam, *de Reſtitut. in gen. diſput. 1. quæſt. 6. punct. unic. numer. 18.* Et alios apud P. Segnerum *in Confeſſ. Inſtructo*, *cap. 10. per totum*.) Ratio patet: quia non eſt abſolvendus confitens quamdiu exiſtit in proxima peccandi occaſione ſibi voluntaria; qui autem potuit, & poteſt commodè reſtituere, cenſetur exiſtere in proxima peccandi occaſione quandiu non reſtituit; cùm detentio rei alienæ ſit illi cauſa, & occaſio peccandi; ut patet à ſimili de illo, qui domi retinet concubinam. Tum quia Confeſſarius tenetur aſſumere media neceſſaria ad ſalutem pœnitentis; aſſumit autem medium tale in propoſito, non impendendo abſolutionem antequam ille realiter reſtituat, ergo &c. Tum quia Confeſſarius poteſt ex præteritis omiſſionibus prudenter præſumere, confitentem, obtenta, vel potiùs extorta abſolutione, non reſtituturum, vel non habere debitum dolorem, & firmum propoſitum vitandi peccata.

℞. *V.* Item Confeſſarius non poteſt abſolvere confitentem volentem differre Reſtitutionem uſque ad mortem per Teſtamentum. Quia talis non videtur habere verum, & firmum propoſitum implendi mandata Dei, & hoc maximè de reſtitutione facienda quamprimùm; & eo ipſo conſentire videtur in detentionem injuſtam rei alienæ, de qua ſibi complacet, & vult complacere dum vivit. Neque abſolvere poteſt moribundum, vel in articulo mortis conſtitutum, qui non vult per ſe reſtituere, ſed onus reſtituendi intendit relinquere hæredibus; Ratio eſt eadem. Tum quia culpa gravis eſt, obligationem propriam, & perſonalem velle transferre in alios, qui ordinariè erunt ipſomet Teſtatore negligentiores, & injuſtiores. Tum quia talis diſpoſitio reſtitutionis nimis injurioſa, ac damnoſa eſſet Creditoribus. 30

Quæro VII. *Confeſſarius, qui pœnitentem, vel* (ut meliùs dicam) *confitentem in prædictis caſibus abſolvit ante realem Reſtitutionem, tenebiturne reſtituere in defectum pœnitentis, ſeu confitentis?*

℞. *I.* Non deſunt DD. tenente partem affirmativam: ut ſunt Bartholomæus Medina, *lib. 1. Inſtruct. Confeſſ. c. 14 §. 23.* -- Clavis Regia Sayri, *lib. 10. tract. 5. c. 4. n. 27.* Alii autem DD. dicunt, quòd non Ratio eſt: quia Confeſſarius per abſolutionem prædictam non cenſetur cauſa efficax damni; & quamvis peccaverit contra prudentiam, religionem, charitatem, non peccavit tamen contra Juſtitiam. 31

℞. *II.* Si autem conſuluiſſet, vel approbaſſet pravam opinionem confitentis; tunc teneretur; quia tunc concurriſſet ad rei alienæ detentionem injuſtam, ut docet Bonacina, *cit. n. 19.*

Quæro VIII. *Confeſſarius, qui ſua culpa, vel malitia non admonuit pœnitentem de reſtitutione facienda, quam pœnitens feciſſet, ſi Confeſſarius injunxiſſet, vel abſolutionem ei denegaſſet; tenebiturne ipſe ad reſtitutionem loco pœnitentis?*

℞. *I.* Qui-

℞. *I.* Quidam DD. dicunt, quòd ſic. Ratio eorum eſt; quia Confeſſario incumbit ex officio onus docendi neceſſaria pœnitentem; cùm ergo non admoneat pœnitentem de hac re neceſſaria, facit contra ſuum officium, & conſequenter ipſimet Confeſſario tamquam veræ, & efficaci cauſæ videtur hoc damnum imputandum. Hæc ratio, licèt principaliter militet contra Confeſſarios, quibus ex officio incumbit cura Animarum, tangit tamen etiam alios; nam quilibet Confeſſarius, aut eſt Parochus, aut vices gerit Parochi.

33 *Leſſius* tamen magnum agnoſcit diſcrimen inter hos Confeſſarios; nam loquendo de Parochis dicit: cùm iſti ſint Superiores, ex officio etiam tenetur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant: ac proinde tenetur curare, ſi commodè poſſint, ut reſtitutionem faciant. Ejuſdem enim rationis eſt damnum inferre, ac illatum non reſarcire, vel nolle reſarciri; ergo ſi negligant admonere pœnitentes ſubditos, tenentur ipſimet de damno ex omiſſione ſecuto.

Si verò loquamur de aliis, qui ex officio ad curam Animarum non tenentur; verius eſt, hos non teneri de damno ſecuto; etiamſi ex ignorantia, vel negligentia pœnitentem non monuerint. Ratio eſt: quia adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ præcisè non obligat Confeſſarium ad impediendum damnum Tertii, ſed ſolùm ad curandum bonum pœnitentis, & quamvis ex præſenti officio teneatur pœnitentem hunc admonere, & inſtruere de obligatione reſtitutionis; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga Tertium; (ſicut Superior, vel Parochus tenetur) ſed ſolùm ex obligatione erga ipſum pœnitentem; &c. Unde ſi, omittat, peccat contra debitum, quo obſtrictus eſt pœnitenti, non quo obſtrictus eſt Tertio. Et hanc ſententiam puto valdè probabilem, quam tenent Roſella *V. Reſtitutio* 2. *n.* 5. Angelus *V. Reſtitutio, Ultimo, n.* 5. Navarrus, *cap.* 17. *n.* 22. Petrus Navarra, *libr.* 3. *cap.* 4. *numer.* 125. Hæc Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 77. & 78.

34 ℞. *II.* Hæc autem ſententia non placet Bonacinæ *de Reſt. in gen. diſp.* 1. *q.*2. *pun.* 11. *n.* 15. quia (inquit) in praxi difficilis eſt. Tum quia vel militat in omnibus Confeſſariis ſive Parochis, ſive non Parochis, vel in nullis. Quod pro nullis probo –: quia etiam ipſe citatus Leſſius *in fine, nu.* 78. addit: Idem probabiliter dici poſſe de Parochis: quia eorum obligatio, qua lege Juſtitiæ obſtricti ſunt populo, ſolùm videtur eſſe in ordine ad ſpiritualia: ergo &c. Tum quia quilibet Confeſſarius, ut Confeſſarius, non tenetur ex officio, & ex juſtitia proſpicere bonis temporalibus aliorum, ſed bono ſpirituali pœnitentium, quorum cauſam agit. Quare, quamvis Confeſſarius, non admonendo pœnitentem, ut ſuprà, peccet contra proprium officium, nihilominùs non peccat per ordinem ad alios, quibus facienda eſt reſtitutio, ſed per ordinem ad bonum ſpirituale pœnitentis.

Hæc tamen doctrina (inquit Bonacina) 35
limitanda eſt: modò Confeſſarii omiſſio, & negligentia non habeat rationem conſilii: conſtat enim, ſecundùm omnes DD. Confeſſarium teneri ad reſtitutionem, quando pœnitenti obligatio ad reſtitutionem dicit: ipſum non teneri; aut quando ex malitia, vel ignorantia craſſa, ſeu culpa lata dicit: pœnitentem teneri ad reſtitutionem Tertio faciendam, cùm teneatur Quarto; in his enim caſibus ipſe Confeſſarius tenetur ad reſtitutionem; eò quòd per ſuum conſilium cenſeatur cauſa efficax damni; ut benè tradit Suarez, *de pœnit. diſp.* 42. *ſect.* 9. *n.* 9. *verſ. Ego verò.* Reginald. *lib.* 10. *tract.* 2. *n.* 42. Emanuel Sà, *V. Reſtitutio, n.* 21. Azorius, 3. *par. lib.* 4. *cap.*16. *q.*4. Sanchez, *in Sum. l.*1. *cap.* 6. *n.* 5. Valentia, *tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 3. Hæc Bonacina.

Sed audiamus opinionem Doctoris Mar- 36
tini Navarri in Manuale Confeſſariorum, *cap.* 17. *nu.* 18. ubi dicit: Alii verò tres (nempe cooperantes negativè ad damnum proximi) ſcilicet *tacens, non obſtans, & non manifeſtans* ſolùm tenetur, quando ad id ex officio obligantur, &c. Poſtea *n.* 21. dicit: Decimò infertur, quòd Confeſſarius, qui per ignorantiam craſſam, aut affectatam abſolvit pœnitentem antequàm præcipiat reſtitutionem confitenti ad id parato, remanet obligatus ad reſtituendum: quia fuit in cauſa, ne damnificatus, quod ſuum erat, vel ei debebatur, reciperet. Quod procedit in Confeſſario vidente, aut credente, quòd niſi reſtitutionem præcipiat Confeſſio, non reſtituet; nam tunc eſt cauſa non reſtituendi.

Nec

Nec valet dicere, *Confeſſarium non teneri ex officio procurare utilitatem Creditoris, ſed ſolùm conſulere pœnitenti, & juvare animam ejus*; quia hæc ratio frivola eſt; nam præcipere pœnitenti reſtitutionem, ad quam tenetur, eſt conſulere illi, & juvare animam ejus. Reſtringendo igitur doctrinam ad caſum, in quo negligentia præcepti de reſtitutione eſt cauſa, cur Confeſſus non reſtituat; in hoc caſu palàm eſt, Confeſſarium peccare cum obligatione reſtituendi: quia *Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur*: ut habetur *cap. fin. de injur.*

37 ℞. *III.* Mihi videtur ſententia hæc Navarri probabilior, & verior; Ratio eſt: quia culpa, vel malitia illius Confeſſarii fui vera cauſa moralis damni Tertii. Tum quia ex officio tenetur Confeſſarius admonere pœnitentem ignarum de ſua obligatione, maximè quando probabiliter, & quaſi certò moraliter ſperat, eum eſſe reſtituturum: ut in caſu ſupponitur. Tum quia non adeſt hìc ignorantia invincibilis, nec oblivio, aut inadvertentia ex parte Confeſſarii, ſed mera malitia, & culpa, quæ reſpicit damnum notabile proximi; ergo Confeſſarius non ſolùm peccat contra pœnitentem, verùm etiam contra Creditorem; & conſequenter tenetur, vel *admonere pœnitentem de errore commiſſo*; vel reſtituere loco pœnitentis.

Quæro IX. *Quanam culpa requiritur ad contrahendam obligationem reſtitutionis ex delicto?*

38 ℞. In Foro conſcientiæ omninò requiritur culpa Theologica gravis: ideſt, ut quis obligetur in conſcientia ad faciendam aliquam reſtitutionem, debet priùs examinari, an peccaverit mortaliter in accipiendo rem alienam, vel in detinendo, vel in damnificando; & ſi reperiatur culpa gravis, tunc obligandus omninò eſt ad reſtitutionem: ut alibi diximus, *Tract.* 31. *n.* 64.

39 Monent tamen DD. quòd in gravi, & notabili damificatione, niſi certò conſtet, culpam fuiſſe venialem ex imperfectione actus, Confeſſarius debet judicare, & præſumere gravem interfuiſſe culpam; & conſequenter inducere pœnitentem ad aliquam amicam compoſitionem cum parte læſa quoad commodè fieri poterit. Tum quia in dubio facti melior eſt conditio innocentis, qui paſſus eſt damnum; ergo damnificans tenetur, ſtante dubio de gravi culpa in damnificatione jam facta, ad aliquid reſtituendum, vel compenſandum. *Vide infrà, n.* 109.

Quæro X. *Quid, & quantum reſtituendum eſt?*

℞. *I.* Regula generalis eſt. Ex juſtitia commutativa id, & tantum reſtituendum eſt, quod, & quantum ablatum, vel damnificatum eſt; quia hæc Juſtitia intendit, & vult æqualitatem inter datum, & acceptum, atque jubet, id ſolum, & tantum reſtitui, ad quod, & quantum alter Jus habet. 40

℞. *II.* Poſſeſſor bonæ fidei, poſtquam certò intellexit, rem eſſe alienam, tenetur ſtatim reſtituere aut ipſam rem adhuc extantem in toto, vel in parte, aut (ſi bona fide aſſumpta eſt res) quantum ex ea ditior factus eſt: Item fructus rei extantes naturales, ac mixtos, detractis tamen expenſis, ac æſtimatione laboris, & induſtriæ. Ut habetur expreſsè *L. item veniunt*, §. *Præter hæc*, *ff. de petitione hæreditatis*: ubi Gloſſa ait: Hæc eſt optima Regula, qua nulla verior in Jure: Ut bonæ fidei poſſeſſor ad id tantùm, quod ad ſe pervenerit, teneatur. Ratio eſt: quia non eſt æquum, quempiam divitem fieri ex alieno. 41

Cognoſcitur autem aliquis ex re aliena ditior factus, ſi ab inſtanti, quo cognoſcens rem à ſe poſſeſſam eſſe alienam, inveniat inter bona ſua aliquid plus, quàm habiturus eſſet, ſi illa re aliena caruiſſet. Ut ſi ex domo aliena aliis locata pretium accepit; aut ſi ipſemet habitans in ea, pepercit pretio conductionis alterius domus, tunc enim illo exceſſu cenſetur ex alieno ditior factus, illudque pretium unà cum re aliena reſtituere tenebitur. — Similiter ex re aliena abſumpta bona fide dicetur quis fieri locupletior, ſi occaſione illius rei abſumptæ ſuum patrimonium in aliquo eſt auctum, vel aliquid lucratus, eſt, quod alioquin non haberet; illud autem (quantùm fuerit) aut ejus valorem tenebitur loco rei alienæ jam conſumptæ Domino comparenti reſtituere: Hæc volui repetere, & vel addere pro majori intelligentia dictorum ſuprà, *n.* 21. & 22. Vide etiam Sporer. *Tract.* 4. *c.* 2. *n.* 100. 42

℞. *III.* Poſſeſſor bonæ fidei, poſtquam intellexit, rem eſſe alienam, Dominumque ejus reſcivit, tenetur eam reſtituere ipſi ſive repetenti, ſive non repetenti, 43

Ratio

Ratio eſt, quia in conſcientia debetur res Domino ſuo; ſed modò tu ſcis rem eſſe alienam, & Dominum ejus; ergo te urget præceptum reſtitutionis; nec potes expectare, ut ipſe à te petat rem ſuam; quia forſan ipſe neſcit rem ſuam eſſe apud te.

44 ℞. *IV.* Poſſeſſor malæ fidei, qui nimirum ſciens, vel rationabiliter dubitans rem eſſe alienam, eam tamen accepit, & retinet, tenetur reſtituere in primis ipſam rem extantem: aut, ſi abſumpta, alienata, deperdita ſit, tenetur reſtituere ejus valorem, vel æſtimationem ſecundùm ſe, & omne incrementum intrinſecum, & extrinſecum: item omnes ejus fructus naturales, ac mixtos (detractis tamen in foro conſcientiæ expenſis, induſtria, & labore:) Item omne intereſſe, ſeu omne inde emergens damnum, & lucrum ceſſans ex iniqua detentione, vel carentia rei Domino ſuo. Ratio patet ex dictis ſuprà, *n.* 20.

45 Solùm hic remanet explicare quoſdam terminos legales. Res igitur poteſt creſcere, & decreſcere dupliciter, nempè vel intrinſecè, vel extrinſecè. *Intrinſecè*, ut V.G. pullus equinus, qui paulatim creſcit, adoleſcit, & fit equus aptus ad equitandum. Hoc eſt *Incrementum intrinſecum*. *Extrinſecè* autem res poteſt creſcere quoad valorem, ut V.G. ſi modius tritici hodie valet *ſex*, alio die, vel menſe poteſt valere *octo*, vel decem; & hoc eſt *Incrementum extrinſecum*.

46 Fructus autem rei ſunt vel naturales, vel mixti. *Naturales* ſunt illi, quos res naturaliter gignit, nullo, vel exiguo labore humano, vel induſtria cooperante: Ut V. G. animalium fœtus, herbæ, poma, &c. Fructus autem *mixti*, ſeu naturales, ac induſtriales ſimul, dicuntur illi, ad quos producendos natura ſimul, & induſtria humana cooperantur; ut V.G. ſegetes, vinum, oleum. Omnes alii fructus, qui percipiuntur ex re adhibita per artem, vel induſtriam hominis, dicuntur *Induſtriales*: Ut V.G. lucrùm perceptum ex negotiatione pecuniæ, frumenti, vini, & aliarum mercium. Dantur etiam alii fructus, qui dicuntur *Civiles*: ut ſunt pretia locationum domus, jumenti, & aliarum rerum elocatarum, &c. Omnes fructus (excipe induſtriales) prædicti ex re aliena percepti cadunt ſub onere reſtitutionis.

℞. *V.* Poſſeſſor malæ fidei (ſicut etiam damnificator injuſtus) tenetur reſtituere non ſolùm fructus extantes, ſed etiam conſumptos ex re aliena: & non tantùm quos ipſe percepit, ſed etiam quos Dominus percepiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet, ut habetur ex *L. Fructus*, *ff. de rei vendicatione*. 47

Quæro XI. *Quinam teneantur ad reſtitutionem?*

℞. *I.* Omnes, qui voluntate deliberata, & efficaciter cooperantur poſitivè ad injuſtum damnum proximi reipſa ſecutum: & exprimuntur his verbis: *Juſſo*, *Conſilium*, *Conſenſus*, *Palpo*, *Recurſus*, *Participans*. Ut jam diximus *in Tract.* 31. *nu.* 65. 66. *&* 67. 48

℞. *II.* Item omnes, qui negativè tantùm ſunt cauſa moralis damni illati: *ut Mutus*, *Non obſtans*, *non manifeſtans*: nempè non impedientes, quando ex juſtitia, vel officio tenebantur impedire tale damnum, & commodè impedire poterant.

℞. *III.* Multò magis omnes, qui per ſe, & immediatè cauſa fuerunt damni injuſti: ut patet ex ſupradictis in hoc Tractatu.

℞. *IV.* Omnes illi tenentur ad reſtitutionem *in ſolidum*, qui fuerunt cauſa immediata, vel mediata efficax damni injuſtè illati. Patet ex illo D. Pauli ad Romanos cap. 1. *Non ſolùm qui talia agunt*, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, *digni ſunt morte*. Tum ex cap. Notum ſit, 2. q. 1. ubi dicitur: *Faventem*, *& conſentientem par pœna conſtringit*. Unde meritò damnata eſt propoſitio hæc, la 39. ab Innoc. XI. quæ dicebat. *Qui alium movet*, *aut inducit ad inferendum grave damnum tertio*, *non tenetur ad reſtitutionem*. 49

Obligatio autem reſtituendi *in ſolidum* eſt, quâ quis obligatur ad ſolvendum totum, ſi alii ſive principales, ſive cooperantes non ſolverint partem ſuam. 50

Quæro XII. *Quo ordine tenentur prædicti ad reſtitutionem faciendam?*

℞. *I.* Si *per ordinem* intelligatur *prioritas temporis*, non datur ordo; omnes enim ſuo modo, (niſi aliundè excuſentur) obligantur *ſtatim* facere Reſtitutionem, vel damnum compenſare. Si verò *per ordinem* intelligatur *prioritas* quoad gravitatem criminis, & conſequenter obligationis, tunc dico, quòd *primo loco*, & ante omnes, tenetur ille, qui per ſe immediatè exequendo damnum intulit, furando, 51

Digitized by Google

rando, damnificando, conſummendo rem alienam. *Secundo loco* tenetur, qui mediatè cooperando, nempè mediante alio, damnificavit.

52 ℞. *II.* Si plures abſque conſenſu mutuo damnificarunt: tunc unuſquiſque per ſe ſeorſim tenetur ſtatim tantum reſtituere, quantum damni per ſe intulit. Si autem plures cum conſenſu mutuo, & ſe invicem juvantes id fecerunt; ſinguli ſeorſim in ſolidum tenentur reſtituere totum damnum; quia ſinguli fuerunt cauſa totius damni.

53 ℞. *III.* Loquendo autem de cooperantibus ad damnum inferendum cum lucro: nempe quando actio damnificans fuit lucrativa, vel res aliena injuſtè fuit ablata, ante omnes tenetur ille reſtituere, ad quem res furtiva pervenit; quia talis obligatur ratione rei alienæ apud ipſum extantis: quæ obligatio eſt ſumma; nam qualibet res tranſit cum ſuo onere, & ſemper clamat ad Dominum ſuum; & quamdiù extat in ſua ſpecie per ſe debetur, reddendaque eſt Domino ſtatim.

54 ℞. *IV.* Si autem res illa ampliùs non extet in ſua ſpecie; quia fuit mala fide conſumpta ab eo, apud quem extabat; tunc iſte tenetur adhuc primo loco reſtituere æquivalens; & ſi iſte non faciat reſtitutionem in æquivalenti, reliqui tenentur ſecundùm ordinem influxus, vel cooperationis ſuæ; ſinguli tamen in ſolidum, ſi omnes ſimul, ut ſuprà cooperati ſunt; nempè quilibet in defectu alterius tenetur reſtituere, vel damnum reſarcire.

55 ℞. *V.* Si verò actio damnificans non fuit lucrativa, ideſt, ſi nihil ablatum eſt, ſed tantummodò damnum proximo illatum eſt: ut fit in combuſtione, diſperſione, occiſione &c. tunc primo loco tenetur is damnum reſarcire, qui coegit, vel fraude induxit, vel mandavit, aut imperavit, vel quovis alio modo cauſa primaria fuit talis damnificationis; ut patet: nam talis cauſa, ut primaria in damno debet etiam eſſe primaria in ipſius damni compenſatione; ergo ante alios cooperantes tenetur reſarcire illatum damnum ille, qui fuit cauſa prima movens alios ad injuſtam illam damnificationem.

Ob hanc rationem notant DD. quòd ſi talis reſtituat, alii cooperatores ſecundari non tenentur eidem quidpiam refundere; ergo multò minùs Tertio damnum paſſo, ſed reintegrato jam ab illo principali. Vide plura apud Anacletum *Moral. tr. 9. diſt. 5. q. 4.* Buſembaum, *lib. 3. tr. 5. c. 2. dub. 3.* Sporerium, *tr. 4. cap. 3. ſect. 1.* per totam diffuſè.

℞. *VI.* Quòd ſi res ablata, vel furata diviſa eſt inter cooperatores, vel fures; tunc ſinguli ſuas partes habitas contribuere tenentur aut ipſi Domino, aut alteri ſocio totum reſtituenti; & hoc verum eſt in foro conſcientiæ; nam in foro externo ei actio non conceditur, *ex L. 1. & 2. ff. de Conditionibus ob turpem cauſam.* 56

℞. *VII.* Si comparentur cauſæ poſitivæ cum cauſis negativis, ideſt, ſi conſiderentur cooperantes poſitivè cum negativè tantùm cooperantibus; tunc certum eſt primo loco teneri cooperatores priores qui poſitivè damnificarunt, nam plus influit in damnum poſitivè cooperans, quàm non impediens tantùm illud damnum. 57

Quæro XIII. *Cuinam reſtituendum eſt?*

℞. *I.* Debita certa ex quocumque delicto, vel contractu ordinariè reſtituenda ſunt immediatè Domino, vel juſto poſſeſſori, cui res ablata, vel debita eſt; niſi rationabilis cauſa aliter fieri permiſerit, vel poſtulaverit. Hæc cauſa poteſt eſſe. I. Si aut ipſe Dominus, vel creditor nolit ſibi reſtitui. II. Si impoſſibile ſit, debitum reddi ipſimet Domino, vel creditori. III. Si valdè difficile, aut diſpendioſum ſit, eidem reddere tale debitum. IV. Si reſtitutio, vel ſolutio ceſſura ſit in illius Domini detrimentum; tunc enim differenda erit. V. Si quis ſolviſſet creditori ſui creditoris ex rationabili cauſa. Et aliis de cauſis, quibus licitum eſt differre ſolutionem, & Reſtitutionem, ut infrà videbimus. 58

℞. *II.* Si prædicto Domino, vel creditori ampliùs reddi non poſſit debitum, quia jam defunctus eſt; tunc hæredibus quibuſcumque proximè conjunctis Defuncto reſtituendum erit; nam hæres legitimus velut repræſentat perſonam Defuncti, ſucceditque in omnia jura realia ipſius. 59

℞. *III.* Debita autem incerta, ſeu incerti Domini ſimpliciter ex delicto formali provenientia, eroganda erunt in pauperes, vel pias cauſas; ut habetur expreſsè, *cap. Cùm tu, de Uſuris.* Et *cap. Nemo, 14. q. 5* Atque ex communi DD. Ratio eſt: quia res illa incerta, ſeu cujus Dominus ignoratur, vel ita abſens eſt, 60

ut

ut ei reddi nequeat, adhuc manet ſub dominio prioris Domini, vel ejus hæredis; ſi enim excidiſſet omne dominium, non eſſet ampliùs res incerta, ſed derelicta, ſicque fieret primò occupantis; atqui ratio naturalis poſtulat, ut res aliena, ut aliena, ſi Domino reddi nequeat, diſponatur ſecundùm præſumptam voluntatem Domini meliori modo, quo fieri poteſt: nimirùm in pauperes, vel alios pios uſus, ut ſic aliqua utilitas redundet in verum Dominum: & ne quis locupletetur ex delicto ſuo; ergo ſi talis res non poſſit reddi temporaliter ſuo Domino, reddi debet ſpiritualiter expendendo rem ipſam, vel æquivalens in pias cauſas. -- Quòd ſi debitor ipſe ſit pauper verè, ut alii, quibus eroganda res erat; poterit licitè ſibimetipſi applicare, & orare pro Domino. Ut ex communi docent Molina, *diſp.* 747. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. -- Sporer *cit. n.* 106. Facta autem ſemel hujuſmodi juſta applicatione bonorum incertorum, ſi poſtea vel Dominus compareret, vel ipſe debitor ad pinguiorem perveniret fortunam, ad nil amplius teneretur; quia jam in tali caſu rei dominium ſibi juſtè acquiſiviſſet.

Quæro XIV. *In quonam loco reſtituendum eſt?*

61 ℞. I. Reſtitutio debitorum ex delicto formali, ſeu ratione injuſtæ acceptionis, detentionis, vel damnificationis, facienda eſt in loco, ubi habitat Dominus, vel creditor; &c. hoc reſtitutionis genus fieri debet expenſis ipſius debitoris; proportionatis tamen, & ipſum debitum non nimium excedentibus: In illo nempe loco, ubi Dominus paſſus eſt damnum, vel ubi rem ſuam habiturus fuiſſet, ſi ei injuſtè ablata, detenta, vel deſtructa non fuiſſet. Ita omnes DD. Ratio autem eſt: quia per reſtitutionem creditor debet ad æqualitatem reduci, ita ut nullum (ex injuſta tua acceptione, vel detentione rei) patiatur damnum, vel gravamen; ergo taliter res eſt ei reddenda, ut non poſſit manere rationabiliter invitus; ſi autem in recuperanda re ſua creditor deberet adhibere novum laborem, vel expenſas; patet, quòd novum damnum pateretur; ergo &c. Ex hac ratione fundata in æquitate multi poſſunt reſolvi caſus; at quia hæc materia valdè prolixa, & ampliſſima eſt, non poſſum omnia tibi exemplificare &c. Tum quia, qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad medium neceſſarium ad illum finem obtinendum; ſed debitor ex delicto tenetur ad reſtitutionem in integrum cum toto intereſſe; ita ut Dominus ſervetur indemnis, ac ſi debitum tuum numquam fuiſſet factum; ergo &c.

℞. II. Expenſæ autem faciendæ à debitore iniquo pro reſtitutione rei debent eſſe moderatæ ratio eſt: quia virtus Juſtitiæ non poteſt, nec debet adverſari Charitati, quæ eſt Regina omnium virtutum, & finis omnium præceptorum: neque debet Juſtitiæ rigor eſſe contrarius rectæ rationi, quæ omnem dirigit virtutem; ergo expenſæ illæ debent eſſe proportionatæ delicto, & damno, atque ipſum debitum non nimis excedentes. 62

Unde deduces, non teneri debitorem ad reſtitutionem, hic, & nunc, quando expenſæ majores eſſent, quàm res debita. V.G. Tu debes reſtituere Titio equum valentem *quinquaginta*; & conducendo illum ad locum Titii expendere *ſexaginta*: tunc expenſæ majores eſſent, quàm res ablata, ac debita; ergo non teneris. Ratio patet ex dictis. Tum quia, nemo ex obligatione finis tenetur ad medium adeò improportionatum, incommodum, & damnoſum ſibi.

Quid ergo agendum in hoc caſu? ℞. Expectare debes quouſque ſpes ſuperſit commodioris occaſionis, & medii; nam cenſetur pro hîc, & nunc ſuſpendi obligatio finis, donec ſuperveniat medium magis, proportionatum, & commodum.

Ablata autem omni ſpe commodæ occaſionis; tunc ex rationabili, & præſumpta voluntate Domini, vel creditoris, *res vel* commutanda erit in pecuniam, & hæc tranſmittenda per fidelem perſonam ipſi Domino, *vel* reſtituenda ejus proximis conſanguineis, aut hæredibus, *vel* tandem expendenda erit in pias cauſas pro anima illius domini. Ita cum D. Thoma, 2.2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3. -- Molina, *diſp.* 752. -- Leſſio, *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 8. - Bonacina, *diſp.* 2. *q.* 5 -- Laymanno, *libr.* 3. *tract.* 2. *cap.* 10. & cum communi Sporer, *loc. cit. num.* 159. *cap.* 3. *tractat.* 4.

℞. III. Reſtitutio ex re accepta bona fide in loco debitoris facienda eſt: & ſi aliò transferenda, fieri debet expenſis creditoris, vel domini. Ratio eſt: quia poſſeſſor bonæ fidei ſolùm tantum debet reſtituere, quantum ex re aliena poſſidet: 63

nec

Digitized by Google

nec inde tenetur pati aliquod damnum, nulla ſua culpa interveniente, in acceptione, & retentione rei quam bona fide poſſidebat; ergo ſufficit reſtituere rem, quando cognoſcit eſſe alienam, in loco poſſeſſionis: & ſi res transferenda eſt ad locum Domini, illi debet ſuis ſumptibus rem ſuam revocare; quia jus habet in rem ſuam; nullum autem jus habet in debitorem bonæ fidei.

Modus autem reſtituendi in hoc caſu erit iſte. Poſtquam poſſeſſor bonæ fidei certò intellexit rem eſſe Titii abſentis, & diſtantis, debet per nuncium, vel epiſtolam inſinuare Titio, quòd apud ſe res illa exiſtat, quæ ad ipſum pertinet; & explorare, quid de re tali fieri velit. Si Titius poſtulet, rem tranſmitti ad ſe; debet poſſeſſor bonæ fidei inſtare de expenſis faciendis. Quòd ſi cogatur ille expenſas facere; tenebitur Dominus Titius rei retribuere, & ſolvere tales expenſas. Quòd ſi non ſolverit; poterit alter de jure exigere quod expendit: vel alio modo ſibi compenſare, &c.

Præterea, ſi debitor ex re bona fide accepta, poſtquam intellexit rem eſſe alienam, negligat inquirere dominum, aut eo cognito, incipiat eſſe in mora culpabili reſtituendi; tunc eo ipſo fit poſſeſſor malæ fidei, & debitor ex delicto: adeòque deinceps tamquam talis reſtituere debebit rem ſuis expenſis; ut ſuprà dictum eſt.

64 ℟. *IV.* Reſtitutio debita ex contractu fieri debet in loco, de quo expreſsè, vel tacitè inter partes, ſeu contrahentes conventum, & pactum eſt. Quòd ſi de loco reſtitutionis, vel traditionis rei nihil ſit expreſſum; tunc ſtandum erit naturæ contractus, & conſuetudini illius loci.

Quando autem contractus totus eſt in gratiam unius, vel utilitatem alterius contrahentis (ut accidit in contractibus gratuitis;) tunc traditio, vel ſolutio pecuniæ, vel rei, ſi transferenda ſit, fieri debet translatio ſumptibus, expenſis, & periculo illius, in cujus gratiam, vel utilitatem tranſire debet.

Si tandem contractus initus eſt in utilitatem utriuſque contrahentis; niſi aliter pactum ſit: debet fieri translatio expenſis utriuſque: dividendæ ergo erunt expenſæ æqualiter, ſicut æquale eſt commodum; nam qui ſentit commodum, ſentire debet & incommodum.

Quæro XV. *Quomodo fieri debet, ac poteſt Reſtitutio?*

65 ℟. *I.* In debitis ex contractu, vel re accepta bona fide parum refert, num debitor palàm, aut clàm, ſive per ſe, ſive per alium reſtituat, dummodò reſtituat; quocumque enim modo res in poteſtatem ſui Domini perveniat, jam attingitur finis præcepti reſtitutionis, & juſtitiæ commutativæ, ſcilicet æqualitas: ut nimirùm Dominus, aut creditor habeat tantum, quantum habere debet.

66 ℟. *II.* In debitis autem ex delicto multùm refert, ut debita ex delicto occulto, occulte etiam reſtituantur ad evitandam infamiam, vel aliud periculum ductoris. Et hoc ratio ipſa ſuadet.

67 ℟. *III.* Debita verò ex delicto publico, interdum etiam publicè reſtituenda ſunt; & hoc ad emendandum ſcandalum, & offenſam aliorum; ut contingit in publicis, & notoriis Uſurariis, & aliis divitibus injuſtis, qui à Confeſſario urgendi ſunt etiam reſtitutionem publicè facere ad tollendum ſcandalum jam datum, vel impoſterum cavendum. Quòd ſi talis notorius Uſurarius, aut dives injuſtus, manifeſtus occultè jam reſtituiſſet; utique non teneretur iterùm reſtituere publicè; ſed ſufficeret alia ratione occurrere ſcandalo; V.G. manifeſtando ſe jam reſtituiſſe coram teſtibus fide dignis. Nam quòd publicè quis debeat reſtituere, non oritur ex obligatione juſtitiæ, ſed Charitatis.

68 ℟. *IV.* Quando quis ex delicto occulto tenetur reſtituere, & non poteſt per ſe ipſum niſi cum periculo infamiæ, vel alterius gravis incommodi; tenebitur inquirere occaſionem, & modum reſtituendi per alium, nimirùm hominem fidelem, probum, ac ſecretum qui loco, & vice illius (innominata perſona debitrice) Domino, creditori, vel damnificato reſtituat, quod ei debetur. – Et hæc idonea perſona plerumque cenſetur eſſe Parochus, vel Confeſſarius, qui ex Charitate, & ſub ſigillo ſaltem naturali obligabitur ad hanc reſtitutionem ſecretò faciendam.

Hoc unum advertendum in hoc caſu. Si vis ſuſcipere hoc opus charitatis, Confeſſor, memento tuæ bonæ famæ; ſcio enim quid evenit cuidam ſimplici Confeſſori. *Ecce caſum*. Quidam nobilis in actu Confeſſionis conſignavit D. Titio Confeſſario capſulam obſignatam ſecretò reſti-

Digitized by Google

reſtituendam alteri nobili equiti conjugato, in qua aſſeruit incluſas eſſe res pretioſas à ſe furatas eidem Equiti. Confeſſarius imprudens detulit capſam nobili conjugi, qui coram ipſo aperiens arcam, quid invenit? Par cornuum. Et ſic Confeſſarius ultra confuſionem magnam) fuit in gravi periculo infamiæ, & necis. Collige ergo, & facto alieno diſce modum prudentis reſtitutionis. Fac, ut pœnitens extra Confeſſionem oſtendat tibi rem reſtituendam, numeret pecuniam aperiat arculam, ut optimè ſcias quid tibi traditum ſit ad reſtituendum.

Quæro XVI. *Ex occulto furto, vel fraude in contractu Titius debet centum aureos reſtituere Sempronio; ſed quia bonus amicus habetur, timet, ne alio quocumque modo reſtituens, velut fur, aut fraudolentus deprehendatur, & ſic famam ſimul, & amicitiam apud Sempronium perdat. Quid faciet? Tempore opportuno nuptiarum donat Sempronio vas argenteum valoris centum aureorum, ut ſic, eo meliori modo, quo poteſt hìc, & nunc, debitum reſtituat.*

Quæritur, an Titius ſit liber ab onere reſtitutionis?

69 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia cùm periculum famæ amittendæ ſit cauſa proportionata, ac juſta non ſolùm differendi, verùm etiam omittendi reſtitutionem (ut videbimus inferiùs, *numer.* 69.) poteſt etiam eſſe cauſa proportionata, ac juſta ſic reſtituendi, modo prædicto, aliàs inepto, & illicito; multa enim fiunt licita ex neceſſitate, quæ aliàs ſunt illicita. Tum quia hic, & nunc non ſuppetit conſilium melius, nec venit in mentem Titii alius aptior modus reſtituendi; ergo Sempronius cenſeri debet contentus de reſtitutione taliter ſibi facta à Titio bona fide.

Dices. Titius eſt moraliter certus, quod Sempronius ejus amicus in alia ſimili occaſione aliud tantumdem ſibi redonaturus erit, quod donaturus non eſſet; ergo ex ficto dono capiet lucrum.

℞. Hæc redonatio eſt incerta; & ſi fiat, ex mera liberalitate fiet, ad quam Titius amicum ſuum Sempronium nec induxit, nec obligavit, nec animum obligandi habuit; ergo non fuit cauſa talis redonationis nec directa, nec indirecta, ſed tantùm occaſio, ideò nego aſſumptum, & antecedens. Quòd ſi poſtea aliquod lucrum capiet, hoc erit præter ejus intentionem.

Jam vides, minimè licere ſic reſtituere, quando nulla juſta, & proportionata ſubſit cauſa; quia donare non eſt reſtituere. Sic enim reſtituens, certòque prævidens Dominum, vel Creditorem tantumdem redonaturum, ipſi potius illuderes, quam ſatisfaceres. Multi certè ſic reſtituerent donando; ſed quid reſtituerent donando; ſed quid reſtituerent? Nihil. Ita P. Spoter, *Tom.* 2. *Tractat.* 4. *capit.* 4. *num* 5.

Quæro XVII. *Adſuntne alii modi occultè reſtituendi debita ex delicto?*

℞. Quoniam Reſtitutio in praxi valdè difficilis eſt quibuſdam vel ignaris, vel tenacibus perſonis, operæ pretium erit, ſcire alios modos occultè, & prudenter reſtituendi. Duos accipe modos. I. Cautè miſcere poteris tantumdem pecuniæ, vel rei propriæ cum pecunia, vel re Creditoris tui quantum ſufficiat ad æqualitatem debiti. II. Paulatim, & quaſi inſenſibiliter augere, ac bonificare poteris redditus, proventus, & cætera bona Creditoris tui quòuſque pervenias ad debitam ſolutionem. Et iſti modi optimi erunt pro ruſticis, agricolis, & ſimilibus perſonis, quæ non valent ſimul totum reſtituere debitum Dominis ſuis. Mercatores verò, & alii Venditores, qui menſurando, vel ponderando furati ſunt multa pauca Emptoribus (*ut dictum eſt, Tract.* 31. *à num.* 24. *& ſeqq.*) poſſunt, ac debent reſtituere paulatim augendo menſuram, vel pondus eiſdem. Quòd ſi iſti adventores ampliùs non compareant? Reſtituendum erit pauperibus illius loci. 70

Quæro XVIII. *Si debitor ex delicto debitum ſuum mittat Creditori per tertiam perſonam*, ut V.G. per famulum, amicum, Confeſſarium, nuncium) *& talis res conſignata non perveniat ad Creditorem, vel Dominum, cui reſtituenda erat, quid Juris?*

℞. Multi DD. Mox citandi tenent, quòd, ſi res tranſmiſſa per interpoſitam perſonam quantumvis fidelem habitam, ſive malitia iſtius internuncii, ſive quocumque caſu etiam fortuito, pereat debitori, iſque denuò reſtituere teneatur. Ità docent, & probant, Navarrus, P. Navarra, Toletus, Leſſius, & alii apud Sporerium, *tom.* 2. *tr.*4. *n.* 15. Et Bordon. *diſc.* Miſcel *dec.* 12. 71

Alii autem DD. tenent, debitorem tunc liberari à reſtitutione denuò facienda. Ratio

eſt

eſt; quia tu debitor feciſti, quantum humano modo potuiſti ad realem reſtitutionem faciendam: & creditor tuus tunc cenſetur conſenſiſſe huic tranſmiſſioni per hominem adeò fidelem putatum, perinde, ſi ipſe hunc deſignaſſet; & ideò præſumitur velle cedere Juri ſuo, ſi præter omnem opinionem res ad eum non perveniat, nec ei tradatur; ſiquidem tu prudenter te geſſiſti in hoc negotio. Ita Tamburinus, *lib. 8. tr. 4. §. 5. n. 7. in fine*. P. Navarra *mutata priori ſententia*. Rodericus, Reginaldus, Filliucius, & alii apud *cit.* Sporer. Leſſius, *ipſe c. 16. dub. 6.* non improbabilem cenſet hanc ſecundam opinionem. Et alii apud Dianam, *part. 2. tract. 3. ſect. 17. Miſcell. Reſol. 2.* -- Confirmatur hæc benigna ſententia ſic: Internuncius ille fidelis exiſtimatus ſaltem tacitè ſe obligavit ad faciendam hanc reſtitutionem, & conſequenter, onus ſuſcipiendo in ſe, exoneravit debitorem, qui ei conſignavit talem rem reſtituendam. Præterea; ſi prima opinio eſſet vera, ſequeretur manifeſtè, quòd duæ reſtitutiones hic eſſent faciendæ eidem Creditori: una ex parte internuncii, cujus culpa res illa periit, vel eam ſibi applicavit: altera ex parte debitoris, qui rem reſtituendam tradidit; ergo Dominus, vel Creditor redderetur melioris conditionis, quàm alii Creditores: nam duplicem poſſet exigere ſatisfactionem, & reſtitutionem de re ſibi debita, quod videtur injuſtum; ergo dicendum debitorem ad nil aliud ampliùs teneri; quia jam ex parte ſua ſatisfecit obligationi ſuæ: Internuncium verò obligatum remanere ad reſtitutionem, ſi res ſibi commiſſa periit ex culpa ipſius; & multò magis ſi eam ſibi appropriavit, vel conſumpſit. Si verò caſu fortuito periit, Domino periit, nempè Creditori, cui mittebatur; ad ipſum enim pertinebat tamquam res ſua. Hæc dixerim ex aliorum ſententia, non ex mea, quam oppoſitam lege, *2. part. Tract. 68. n. 57.*

Quæro XIX. *Quando debitum ex contractu mittitur per internuncium Creditori, ſi pereat, cuinam perit?*

72 ℟. *I.* Si res tranſmittatur per perſonam deputatam ab ipſo debitore contrahente ratione depoſiti, commodati, aut alterius contractus, in quo non transfertur dominium rei; tunc certum eſt, quòd res illa, ſi pereat, perit Domino ſuo. Ratio eſt manifeſta; quia talis res ita in ſpecie, & individuo determinata ſpectat ad actuale dominium Domini ſui; atqui omnis res, quæ perit, Domino ſuo perit.

℟. *II.* Si verò res, quæ traſmittitur à debitore per interpoſitam perſonam debeatur Crediroti ratione mutui, aut alterius contractus, in quo transfertur dominium; tunc ſi pereat, perit ipſimet debitori; quia donec res illa non eſt tradita Creditori, remanet ſub dominio debitoris; ergo ipſi perit. 73

℟. *III.* Si verò perſona illa interpoſita fuerit delegata, vel deputata àb ipſomet Domino Creditore, tunc ipſimet Creditori perit; quia facta conſignatione rei delegato, vel deputato internuncio, res intelligitur conſignata ipſimet Creditori, & in ipſum transfertur Dominium, & plenum Jus. 74

Quæro XX. *Titius vovit Deo calicem, vel aliam rem portandam ad donum, vel Eccleſiam Lauretanam: mittit rem hanc per virum fidelem reputatum: iſte rem perdidit, vel ſibi retinuit; ad quid tenetur Titius?*

℟. Ad nil amplius tenetur; quia ex parte ſua jam votum ſolvit: & Benignitas Dei illam rem acceptavit. Interim ille vir obligabitur muneri ſuo ſatisfacere ex juſtitia, & etiam ex Religione, ſi rem illam ſibi appropriaverit. Ita cum Diana, Tamburino, Bonacina, & aliis, reſolvit P. Sporer, *Tom. 2. Tractat. 4. capit. 4. numer.* 13. Si autem res illa ſine culpa mediatoris, vel nuncii deperdita eſt; neque iſte ad aliquid ampliùs tenebitur; quia res caſu fortuito periit, ad quem nemo iſtorum ſe obligavit, ut ſuppono. 75

Quæro XXI. *Confeſſarius bona fide, vel errore inculpabili mandavit pœnitenti, ut rem, vel pecuniam inventam, vel furatam diſtribuat loco pio, cùm tamen res illa habeat Dominum certum, cui de Jure debebatur: Pœnitens realiter diſtribuit. Poſtea idem Confeſſarius, vel alius doctior cognovit conſilium fuiſſe incautum, & ineptum. Quid Juris.*

℟. Caſum iſtum eſſe ſine remedio; nam nec Confeſſarius, nec Pœnitens peccavir (ut ſupponitur;) ergo nemo obligatur ad novam reſtitutionem; ubi enim non eſt culpa, ibi non eſt Pœna. Tum quia, Dominus non debet eſſe invitus rationabiliter in tali opere miſericordiæ innocenter facto, quod in ejus ſpirituale 76

commodum utique à Deo, niſi etiam à Pœnitente, vel Confeſſario, applicatum eſt.

De Cauſis excuſantibus à Reſtitutione, ut vel differri vel omitti poſſit ſine peccato.

Advertentia. Inter omnes notitias utiles, & neceſſarias Confeſſario pro praxi præſens maximè neceſſaria videtur; quia experientia docet, quòd multi pœnitentes ſe excuſant à Reſtitutione facienda in bonis fortunæ acceptis, retentis, damnificatis: & quandoque non habent cauſam ſufficientem bonæ excuſationis; quare, niſi Confeſſarius optimè ſciat veras cauſas differendi, vel omittendi Reſtitutionem, multos committet errores in damnum proximi. Et quamvis in Superioribus Tractatibus ſparſim indicatæ ſint cauſe excuſantes, &c. operæ tamen pretium erit, ex profeſſo omnes ſimul, & ordinatim ad ſua capita reducere, & explicare pro faciliori memoria, & inventione omnium, & ſingularum cauſarum. Igitur.

Quæro XXII. *An poſſit aſſignari una Regula univerſaliſſima per ſe nota, quæ nulla indigeat probatione, utpotè quæ communiſſimè recepta ab omnibus Moraliſtis, ex qua colligamus, quandonam ſit licitum aut differre, aut omittere Reſtitutionem?*

77 ℞. Quòd ſic; & eſt illa, quæ traditur à Doctore noſtro Scoto, *in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. art. 4. De quinto*: ubi dicit: Illi caſus, ſcilicet excuſantes à reſtitutione aliàs ſtatim facienda, continentur ſub hac Maxima: *Licitum eſt detinere rem alienam, quando ille, cujus eſt, debet rationabiliter velle, eam detineri*; ſed in quibuſdam caſibus hoc debet velle aliquis, etiam rationabiliter, rem ſuam ſcilicet detineri ab alio, poſita jam reſtituendi voluntate, cum circumſtantiis opportunis: ergo, &c. – Debet enim velle quilibet ſibi reſtitutionem non fieri tunc, quando eſt in præjudicium Communitatis, vel ipſius recipientis: quia debet velle bonum ſuum, & bonum commune, & ita dilationem aliquam illius reſtitutionis boni utilis, ut ſervetur majus bonum. Debet etiam velle non fieri reſtitutionem tunc, quando eſſet in diffamationem reſtituentis: quia debet magis velle famam proximi, quàm illud modicum commodum ſuum ſtatim. – Conſimiliter debet magis velle, quòd vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quàm modicum incommodum ſuum, vel nullum in illa dilatione reſtitutionis. Ex his ſequitur, quòd quando eſſet reſtitutio damnoſa Reipublicæ, vel ei, cui fit, vel diffamativa reſtituentis, vel nimis notabiliter damnoſa: non tenetur quis ad ſtatim reſtituendum; ſed ſufficit, quòd ſtatim ex affectu reſtituat, ceſſantibus poſtea inconvenientibus hinc inde, actu, & affectu reſtituat. Hæc Scotus. Ut autem diſtinctiùs procedamus in hac materia, oportet videre cauſas omnes juſtæ dilationis, & omiſſionis Reſtitutionis; ideòque.

Quæro XXIII. *Quænam ſunt cauſæ, propter quas durantes licitè differri poteſt Reſtitutio?*

78 ℞. Generaliter loquendo ſunt iſtæ quatuor. I. Ignorantia inculpabilis. II. Impotentia ſive phyſica, ſive moralis. III. Neceſſitas propria. IV. Damnum ex Reſtitutione proveniens. Explico ſingulas.

Ignorantia. Cùm quis bona fide ignorat, quòd res ſit aliena; & hæc vocatur *Ignorantia Facti*: vel ignorat, ſe obligari ad reſtitutionem, & vocatur *Ignorantia Juris*: durante tali ignorantia non tenetur reſtituere; ſicque excuſatur in conſcientia.

79 *Impotentia*. Quando quis pro tunc non habet omninò, unde ſolvat, vel reſtituat debitum quodcumque vel ex delicto, vel ex contractu; tunc adeſt *Impotentia phyſica*, ideſt, naturalis. Si autem habet aliquid, unde ſolvat; attamen ſi nunc reſtituat, reducitur ipſe ad quaſi extremam, vel ſaltem nimis gravem miſeriam, aut neceſſitatem, & vocatur *Impotentia moralis*. Utroque modo excuſatur.

80 *Neceſſitas propria*. Cùm quis ſcilicet, etſi habeat, unde reſtituat, non poteſt tamen reſtituere nunc temporis, niſi cum Animæ, vel corporis, vel famæ, vel ſtatus juſtè acquiſiti periculo, aut damno notabili; excuſatur.

81 *Damnum ex Reſtitutione proveniens*, ut puta aut ipſi Creditori, aut Tertio, aut Reipublicæ, ſeu toti Communitati; damnum, inquam, grave, ac notabile excuſat à Reſtitutione.

Vide,

82 Vide, & conſidera jam omnium harum cauſarum excuſantium unam eſſe Cauſam, nempè Regulam, vel Maximam illam Scoti; quia ſcilicet in his caſibus Creditor non poteſt, vel non debet eſſe rationabiliter invitus, rem ſuam ab alio retineri, vel ſibi non reſtitui quamdiù nimirùm illæ cauſæ ſubſiſtunt: aut, (ut eiſdem ſuis repetat verbis) quòd *licitè detinere rem alienam, quando ille, cujus eſt, debet rationabiliter velle, eam detineri*. — Excuſant ergo hæ cauſæ, & quælibet ex his, ad differendam Reſtitutionem, quamdiu ſubſiſtit: & interim, quaſi ſopita, vel dormiente obligatione reſtituendi, debitor non tenetur. At verò poſtquam ceſſat juſta cauſa, denuò evigilat, & reviviſcit obligatio, ac præceptum reſtituendi. Si autem in aliquo caſu non ceſſaret aliqua ex dictis cauſis; tunc debitor omninò excuſabitur, tamquam detentus ab impedimento perpetuo; & ſic Reſtitutio omittenda erit: quia ceſſavit jam obligatio; nam *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*.

Ex his penè innumeri caſus poſſunt deduci, & reſolvi. Notabo aliquos.

83 *Ex prima cauſa*. Ignorantia probabilis, aut invincibilis *Facti* eſt illa, qua quis probabiliter, vel errore invincibili hic, & nunc exiſtimat, rem eſſe ſuam, quæ revera non eſt ſua: V. G. Si quis bona fide rem alienam per hæreditatem acquiſivit, credens rem eſſe ſui Teſtatoris. *Vel*, quis emit rem furtivam, putans eſſe domini venditoris: & ſic de ſimilibus. — Ignorantia *Juris* eſt, quando ignoratur Jus, vel Lex: vel quando Jus eſt obſcurum, & controverſum: V. G. De aliquo contractu ignoratur, vel controvertitur, an ſit licitus, nec ne? Vel quando quis conſuluit viros doctos ſuper obligatione Reſtitutionis rei, & ipſi reſponderunt, nullam adeſſe obligationem reſtituendi; cùm tamen revera adſit; tunc ſequens eorum reſponſum ignorantia *Juris* laborat: & excuſatur à peccato. Ratio horum eſt; quia talis ignorantia *Facti*, vel *Juris* excuſat à peccato; ergo etiam à Reſtitutione.

84 *Ex ſecunda Cauſa*. Impotentia ſive phyſica, ſive moralis excuſat. Caſus mihi accidit. Quidam filiusfamilias diuturno morbo afflictus, ac deſperatus jam in recuperanda ſalute corporis, quàm animæ: caſu, imò potiùs Divina Providentia, confeſſus eſt apud me, ſe per multos annos non frequentaſſe Sacramenta, quia audivit à Concionatore hanc ſententiam: *Non remittitur peccatum, niſi priùs reſtituatur ablatum*: Ego autem (inquit ipſe infirmus) multis abhinc annis furatus ſui materiam gravem, quam numquam potui reſtituere; & ſi revelaſſem hoc furtum Parentibus meis, timebam vel infamiam, vel repulſam; ergo, Pater Confeſſor, ſum deſperatus. Quomodo potero ſalvare Animam meam? Reſpondi. Non intellexiſti ſententiam Concionatoris; quoniam verum quidem eſt, quòd *non remittitur peccatum, niſi priùs reſtituatur ablatum*; ſed non attendiſti totam ſententiam Canonis; additur enim hoc: *Cùm reſtitui poteſt*. Ut habetur *cap. Si res aliena*. 14. *quæſt*. 1. Si enim aliquis non habet, unde reſtituat, huic certè non poſſum dicere: *Redde, quòd abſtuliſti*; ut dicit etiam S. Auguſtinus, & omnes Doctores; nam *ad impoſſibile nemo tenetur*. Et Nemo dat, quod non habet. Ad hæc, & alia mea verba reſpiravit infirmus; & dixit, ergo ſi verum eſt quod dixit Paternitas tua, libenter nunc confeſſionem inſtituam. Et ſic confeſſus eſt multis lacrymis, & paulò pòſt mortuus eſt.

Heu quot Confeſſarii nimis vel rigidi, vel inſipientes volunt adſtringere pœnitentes ad reſtitutiones faciendas, etiam impoſſibiles! Et quid agunt? Ducunt Animas in perditionem. Attendenda ergo eſt cauſa iſta excuſans (ſecundùm Omnes.) *Impotentia*.

Ex tertia Cauſa. Hæc aliquo modo coincidit cum ſecunda, in hoc videlicet, 85
quòd importat impoſſibilitatem moralem ex parte Reſtituentis; nam valdè gravis *Neceſſitas* debitoris idem eſt, ac *Impoſſibilitas moralis*. Pro qua duæ dantur Regulæ generales. I. Nemo tenetur reſtituere cum ſuo notabiliter majori detrimento, quàm ſit creditoris commodum. II. Quotieſcumque Dominus, ſive creditor rationabiliter contentus eſſe debet, ut Reſtitutio differatur; poteſt differri, quamvis ille invitus ſit.

Excipe tamen: niſi creditor ſit in pari 86
neceſſitate, & cauſa; quia tunc debitor tenebitur ei reſtituere; nam in pari neceſſitate, & cauſa, potior eſt conditio creditoris: multò magis melior eſt, & eſſe debet conditio innocentis, quàm nocentis; ſi debitum ex delicto ſit contractum; ut cum communiori docet P.

Digitized by Google

Anacletus noſter, *Tract. 9. diſt. 5. qu. 6.*

87 Sed quid, ſi tamen debitor, quàm creditor eſſent in pari neceſſitate extrema?

℞. Nonnulli DD. dicunt, quòd, cùm melior ſit conditio poſſidentis, & cùm in extrema neceſſitate omnia ſint communia, poterit debitor tunc ſibi retinere, quod alioquin teneretur reſtituere; Alii tamen DD. hoc negant; quia tunc duplici Jure res illa debetur creditori, nempe jure naturali divino, & humano civili, ergo, &c.

88 Nota hic obiter; quòd illud dictum, *In extrema neceſſitate omnia ſunt communia*: non eſt ita intelligendum, ut quaſi per illam extremam neceſſitatem ſtatim transferatur dominium omnium rerum in habentem, vel patientem talem indigentiam; ſed quia, quoad Jus utendi, res temporales evadant communes in ordine ad vitam conſervandam, ſi hujuſmodi res ad hoc idoneæ, ac neceſſariæ ſint.

89 Item *ex tertia cauſa* prout manifeſtè diſtinguitur à ſecunda, deduces varios caſus. I. Nullus ſanæ mentis poteſt rationabiliter velle ſibi reſtitui bona ſua temporalia cum detrimento bonorum ſuperioris, & altioris ordinis: (ut ſunt bona Animæ, & famæ, imò & corporis, ſeu vitæ:) ratio eſt evidens; quia hoc repugnaret Charitati; ergo non adeſt obligatio ſtatim reſtituendi rem temporalem, ſi debitor ex privatione illius rei eſſet lapſurus vel in deſperationem, vel in infamiam, vel in mortem, & alia mala.

90 II Neque obligandus eſt debitor ad reſtitutionem, ſi ex tali reſtitutione ipſe *deberet totaliter mutare ſtatum ſuum juſtè, & honeſtè acquiſitum*; quia tunc incideret in gravem, & moleſtam neceſſitatem; ac verecundiam; & talis mutatio vix poſſet fieri ſine infamia, vel dedecore ſui ipſius, filiorum, ac familiæ.

Dixi, *totaliter*: ut V.G. ſi homo nobilis reſtituendo, vel ſolvendo debita omnia ſtatim, cogeretur poſtea vel ſervire, vel arte mechanicam exercere, vel mendicare; idem dic de ſimilibus.

91 III. Tenetur tamen ille vir Nobilis (omnium DD. conſenſu) diminuere ſtatum ſuum pro reſtitutione facienda: nempè debet minuere pompam, ſplendorem, ſumptus, famulos, equos menſam, & cætera, quæ non pertinent ad neceſſitatem omnimodam ſui ſtatus; nam multi etiam Nobiles, ſed boni Chriſtifideles ob modeſtiam, ac temperantiam, & ob alias Virtutes ſolent ſic diminuere; ergo multò magis hoc fieri debet ab eo, qui ex virtute Juſtitiæ tenetur.

Quare in peſſimo ſtatu verſantur illi Nobiles, qui multis obſtricti debitis, nil tamen de ſtatus ſui ſplendore, luxu, & pompa volunt remittere; &, quod pejus eſt, vix aliquando de hoc graviſſimo omiſſionis delicto, in maximum creditorum ſuorum incommodum, ac damnum redundante, ſe ſe in Confeſſione accuſant. Revera enim in tali ſtatu perſeverare volentes abſolvi non poſſunt; ut communiſſimè docent DD. quia alienum injuſtè retinent, quod reſtituere non curant; & inſuper obligationem contrahant ſemper majorem de intereſſe creditoribus ſolvendo; ut patet. Vide Sporer. *tom. 2. tract. 4. c. 4. n. 65.* 92

Dixi, *ſtatum ſuum juſtè acquiſitum*: quia, ſi quis, etiam nobiliſſimus uſuris, rapinis, fraudibus, & quibusvis aliis modis, ac mediis illicitis, & injuſtis ad talem honorabilem (apud homines) ſtatum perveniſſet, utique teneretur (etiam cum amiſſione ejus) ſtatim reſtituere. Ratio eſt; quia *fraus, & dolus alicui patrocinare non debent*; ut habetur cap. Sedes, & cap. Ex tenore. De reſcriptis. Tum quia, hoc non eſſet illi Nobiliſſimo injuſto ſtatum ſuum amittere, nec minuere, ſed alienum dimittere, & ad ſuum reverti, quem habebat antequam injuſtus dives evaderet. — Verumtamen hoc ipſum intelligendum eſt etiam ſano, ac diſcreto modo, & ſic limitandum: niſi debitor ille paſſim habeatur vir probus, & honeſtus; ita, ut non poſſit ſubitò ſtatum illum mutare, niſi de ſuis occultis fraudibus ſe infamet; tunc enim ſenſim poſſet licitè reſtituere; quia periculum infamiæ excuſaret ipſum, ne ſtatim teneretur ad totam ſimul faciendam reſtitutionem. Ut docent P. Anacletus, *cit. q. 6.* — & P. Sporer, *cit. n. 66.* 93

IV. Deducitur, quòd neceſſitas propria, & quidem gravis excuſat ad differendam Reſtitutionem; nempe quoties, & quando debitor in propriis bonis temporalibus deberet pati aliquod notabile damnum, & majus, quàm ſit damnum creditoris expectantis. V. G. Titius debet Cajo mille aureos, nec poteſt ſolvere hoc debitum, niſi vendendo ſuam domum multò minoris, quàm valeat, V.G. quingentis aureis, 94

cùm

cùm tamen valeat mille aureis, & ſic de prædio, & aliis; dico, quòd non tenetur ſic vendere domum, nec prædium, ad faciendam hic, & nunc reſtitutionem: quia pateretur notabile damnum in bonis ſuis; & nunc Cujus Creditor, etſi non ex Juſtitia, tamen ex Charitate, & æquitate naturali, conſentire tenetur in dilationem.

95 *Neque dicas*, praxim hodiernam Tribunalium eſſe in contrarium; cogunt enim debitores ad reſtituendum ſine reſpectu ad damnum debitorum; quia reſpondebo Magiſtratum, vel Judicem principaliter reſpicere bonum commune obligationum Juſtitiæ extrinſecæ; nos autem Confeſſarios conſiderare ordinem Charitatis, & Juſtitiæ internæ; ergo in foro conſcientiæ dicimus, quid ſecundùm Deum agendum eſt.

96 Quòd ſi doctrina hæc eſt vera, & veriſſima (ut patet in omnibus libris Catholicorum DD.) quomodò in conſcientia poſſunt cogi pauperes ad vendendi ferè omnia ſibi neceſſaria ad vitam ſuſtentandam pro ſolutione debitorum? Hoc certè non capio, quòd tamen ſæpiùs video.

Lege Sporer *cit. n* 69. -- Anacletum, *cit. q.* 6. *nu.* 103. -- Scotum, *cit. in* 4. *ſentent. diſt.* 15. *quæſt.* 2 §. *de quinto ſcilicet*. -- D. Thomam 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. -- Summam Sylveſtrinam, *V. Reſtitut.* 5. §. 4.-- Summam Cad. Toler. *lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 4. Navarrum *in Manuale*, *cap.* 17. *n.* 87. Leſſium, *lib.* 2. *de Juſtit. cap.* 16. *dub.* 1. Bonacinam, *de Reſtit. in genere, diſp.* 1. *quæſt. ult. punct.* 1. *nu.* 11. Laymanum, *lib.* 3. *de Juſtit. tract.* 2. *c.* 12. Caſtropalaum, *tr.* 32. *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 2. -- Omnes libri, quos legere potui, (qui tunc temporis apud me non ſunt, ſed alibi lecti à me fuerunt; non enim hæc ſcripta compoſui in uno, eodemque Monaſterio, ſed in diverſis) omnes, inquam, dicunt, *in hoc convenire Auctores, hoc eſſe certum apud omnes*; ergo valdè miror quod video, & non capio.

97 Deducitur, quòd neceſſitas propria, dummodò ſit gravis, & notabilis reſpectu debitoris excuſat ad differendam Reſtitutionem quorumcumque debitorum, ſive ex contractu, ſive ex delicto. Grandis tamen differentia eſt in *Debitorem ex contractu, & debitorem ex delicto*, etiam in hac excuſatione differendi Reſtitutionem, ſecundùm opinionem nonnullorum apud Sporer. *cit. n.* 74. at ego nolo confundere mentem Confeſſarii; ideòque teneo cum Caſtropalao, *loc. cit.* §. 10. nullam eſſe differentiam in hac excuſatione; quia tam debitor ex delicto, quàm debitor ex contractu in hoc caſu pares ſunt; nam uterque quando hic, & nunc legitimè excuſatur; omiſſio, vel dilatio Reſtitutionis revera eſt inculpabilis coram Deo; ergo neuter tenetur ad compenſandum lucrum ceſſans, aut damnum emergens creditori ex tali dilatione, cui conſentire debet rationabiliter ipſemet creditor.

98 Hoc unum adverto, quòd prætextu lucri acquirendi excuſari non poteſt debitor à Reſtitutione ſtatim præſtanda creditori. Ratio eſt, quia tunc creditor non tenentur conſentire in hac debitorum retentione; tum quia tunc ſumus extra caſum *meræ, & gravis neceſſitatis ipſius debitoris*; aliàs ſi ob hanc ſpem, & poteſtatem lucrandi poſſet licitè debitum retineri, ferè nullus eſſet, qui ab obligatione reſtituendi non excuſaretur; ut optimè dicit Caſtropalaus, *l. c.* § 4.

99 *Ex IV. Tandem cauſa differendi Reſtitutionem*, deduces I. Si damnum, quod times ex ſolutione, vel Reſtitutione præſenti eventurum creditori, vel Tertiæ perſonæ, aut Communitati, ſit damnum contra Juſtitiam: V.G. times creditorem abſurdum eſſe debito (re, vel pecunia) ſibi reſtituto, ut inimicum occidat, ut bellum, vel litem injuſtam gerat, ut Uſuras exerceat, ut iniquum contractum celebret, & ſimilia, &c. tunc potes, & teneris debiti ſolutionem differre, ſi abſque gravi detrimento tuo proprio præſtare hoc potes, nempè differre, &c. ſicut dicunt DD. citati communiter, at breviùs, ac clariùs Caſtropalaus, *tract.* 32. *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 6. Ratio autem eſt, quia Lex Charitatis te obligat, innocentem defendere etiam cum aliqua nocentis jactura; at in hoc caſu nulla alia via tibi ſuppetit defendendi innocentem, cui à tuo creditore paratur malum, quàm negando hic, & nunc debitum; ergo poteris, ac debebis hoc ei negare; maximè cùm in hac denegatione nullum malum creditori inferas, ſed potiùs bonum ſpirituale, nempè removendo ab eo occaſionem ſceleris patrandi. Præterea Lex juſtitiæ te obligat, ne cooperator ſis, & occaſio alicujus injuſtitiæ committendæ; at ſi abſque juſta cauſa (qualis eſſet grave tuum detrimentum) ſolve-

Digitized by Google

ſolveres nunc debitum creditori parato ad injuſtitiam patrandam, moraliter cenſereris illius injuſtitiæ cauſa; quia non impedires tale malum, cùm facilè impedire poſſes, & quod nullatenùs fieret, niſi tu materiam ſubminiſtraſſes.

100 Si autem malum, aut damnum, quod ex ſolutione, vel Reſtitutione times, vel prævides, non eſt contra Juſtitiam, ſed contra aliam virtutem, ut puta contra temperantiam, caſtitatem, liberalitatem, &c. potes etiam, & teneris, (ſi commodè poſſis) ſolutionem differre; niſi Creditor tunc ægrè ferat. Ratio eſt; quia ex lege Charitatis obligatus es, peccatum proximi impedire, quando commodè potes.

Dixi, *niſi creditor tunc ægrè ferat*; quia, hoc poſito, nec teneris, nec potes ſolutionem differre; Ratio eſt, quia non eſt tibi licitum vi illata avertere proximum à peccato committendo; at retines tu debitum contra voluntatem tui creditoris ei, ac violentiam infers; ſicque volens avertere proximum ab uno peccato, tu ipſe peccas; vel es cauſa, ut ille in aliud incidat peccatum, ut puta, indignationem, iracundiam, odium, vindictam erga te.

101 *Dices*. Etiam in primo caſu ſuperiùs dicto creditor ægrè fert dilationem ſolutionis.

℞. Magnum eſt diſcrimen inter læſionem Juſtitiæ, & aliarum virtutum; nam in læſione Juſtitiæ proximus patitur damnum invitus, ſecùs in læſione aliarum virtutum; ideòque cùm Juſtitiæ læſio timeatur in primo caſu, licita eſt denegatio debiti, & vim creditori juſtè ea denegatione inferre, ut innocens, quem lædere intendit, defendatur; quia tunc eſt ſpecies juſtæ defenſionis, in qua *licet vim vi repellere*. At in leſione aliarum virtutum, cùm nemini damnum, aut injuria inferatur, non datur locus defenſioni, quæ ſolùm ad propellendam vim aſſumi poteſt; ergo in ſecundo caſu non potes denegare debitum creditori, ipſo invito, aut ægrè ferente, ſicut potes in primo caſu.

102 *Deduces II.* Non teneri quempiam ſtatim reſtituere, quando reſtitutio certò vergit, ſeu tendit in damnum proximi, ut patet ex dictis. At nota ly *certò*; non ergo ſufficit dubium, vel ſuſpicio; cùm nemo in dubio præſumendus ſit malus, aut malè acturus, aut abuſurus re, vel pecunia ſua. Imò neque ſufficit probabilitas tantùm; nam oppoſitum pariter erit probabile; & in pari probabilitate melior debet eſſe conditio Domini, vel creditoris rem ſuam petentis.

Ad prædictas quatuor Cauſas, ideſt, *Ignorantiam*, *Impotentiam*, *Neceſſitatem*, & *Damnum*, reduci debent, & facilè reducuntur, omnes aliæ, quas apud Doctores majori numero, ſed vario, invenies; Ego enim facilitati memoriæ conſului, & numero parvo contentus, & ſatisfactus omnes comprehendi in illis quatuor.

Quæro XXIV. *Quænam ſunt cauſæ excuſantes à Reſtitutione omnimodà, ita nempe, ut omitti licitè poſſit?*

103 ℞. Sunt iſtæ quatuor, videlicet. I. Interitus rei ſine culpa debitoris. II. Remiſſio creditoris. III. Compenſatio jam facta. IV. Auctoritas Superioris. Explico ſingulas.

Interitus rei ſine culpa debitoris: ideſt, ſi res in ſpecie, & individuo pereat, ſine culpa theologica debitoris, qui bona fide talem rem poſſidebat. *Vide quæ diximus de Poſſeſſore bonæ fidei in hoc Tract. n. 21. & n. 41. & ſeqq.* Ratio eſt; quia, cùm ſine culpa contra Juſtitiam fuerit abſumpta talis res, non eſt caput, vel radix, unde oriatur Reſtitutio; Etenim nulla culpa etiam gravis obligat ad Reſtitutionem, niſi fuerit contra Juſtitiam. Iſta autem cauſa eſt potiùs negativa, quam poſitiva; nam qui rem alienam bona fide conſumpſit, putans eſſe ſuam, nullam contraxit obligationem reſtitutionis.

Remiſſio Creditoris; ideſt, ſi Dominus, 104 vel creditor tibi tacitè, vel expreſsè remiſit, & condonavit debitum. *Tacitè* autem quis remittere cenſetur, ſi inſtrumentum debiti laceraverit, aut reddiderit ſpontè debitori chartam obligationis. *Expreſsè* autem remittitur debitum, quando creditor vel ſpontè, vel rogatus condonat debitum.

Compenſatio facta: quæ triplici modo 105 fieri poteſt. I. Si tu debitor in una re valente centum, es creditor in alia ejuſdem valoris reſpectu ejuſdem perſonæ, &c. juſtiſſimè enim debitum alteri negas, qui viciſſim tibi debens non ſolvit &c. nam ut inquit Lex, ſi debitor, ff. Qui potior. ibi. *Nihil intereſt, ſolveritne aliquis, vel compenſaverit*. II. Si rationabili cauſa ſolviſti tuum debitum creditori tui credito-

ris;

Digitized by Google

ris; tunc enim in foro conſcientiæ liberaris ab obligatione reſtituendi ipſi Domino creditori tuo. III. Si juſta, ac rationabili cauſa æquivalens tribuiſti creditori tuo, quodammodò occultè, reſtituendi gratis.

Sed circa hunc tertium modum compenſandi duæ conditiones requiruntur, ut fiat juſta compenſatio. I. Ut creditor conſentiat ſaltem tacitè, aut rationabiliter conſentire debeat, vel præſumi poſſit, ut conſentiat, (maximè in debitis ex delicto) ad talem modum compenſandi æquivalenter, ac latenter. II. Ut debitor habeat intentionem ita compenſandi, ſeu ſatisfaciendi debito ſuo. Et iſte modus poteſt adhiberi quando aliter fieri non poteſt Reſtitutio; *prout diximus ſuprà, n. 69. & 70.*

106 *Authoritas Superioris*; nempè vel per juſtam ſententiam Judicis, vel per compoſitionem, vel Legis præſcriptione, uſucapione, &c. quia in hujuſmodi caſibus publica authoritate, aut Lege declaratur hujus ſit res, ideòque qui pro ſe habet vel ſententiam, vel Legem, poteſt rem ſibi retinere, neque ampliùs tenetur alteri reſtituere. *Unde reſolves*, quando per ſententiam juſtam quis adſtringitur ad ſolvendum, vel compenſandum damnum datum ex culpa civili, eum, in cujus favorem lata eſt ſententia, poſſe recipere talem pecuniam, aut rem (etſi alioquin in conſcientiæ foro talis re vel pecunia ei non debebatur;) quia per ſententiam Judicis tunc res illa, vel pecunia facta eſt ſua ex Authoritate Superioris. Ita Sporer cum aliis DD. *loc. c. tract. 4. c. 4. n. 89.* Leſſius, *lib. 2. cap. 16. dub. 7.* & alii DD. citati.

Ad ſupplementum hujus neceſſariiſſimi Tractatus addo ſequentia quæſita miſcellanea in gratiam Confeſſarii.

Quæro XXV. *Qui dubitat, an ſua actione, aut omiſſione fuerit cauſa damni alterius, tenebiturne ad reſtitutionem?*

107 Rꝶ. Minimè. Ratio eſt, quia reus in pari cauſa abſolvitur: ut habetur, *l. 2. Cod. de conditione ob turpem cauſam*. Tum quia in dubiis, maximè in materia Juſtitiæ; melior eſt conditio poſſidentis; ut habetur, *l. Si ob turp. cauſ. ff. de tit. eodem.* Unde ex his rationibus, & Legibus plures poteris reſolvere caſus. Vide Bonacinam *de Reſtit. in genere diſp. 1. quæſt. 2. punct. 4.*

Quæro XXVI. *Transferentes triticum extra territorium contra Principis, vel Magiſtratus edictum, teneanturne ad reſtitutionem?*

Rꝶ. Per ſe loquendo, & in rigore theologico, non tenentur. Ratio eſt, quia non violarunt Juſtitiam commutativam, ſed tantùm Legalem. Si autem ex tali tranſlatione Communitas patiatur grave damnum; peccarent quidem mortaliter prævidentes tale damnum; at neque in hoc caſu tenerentur ad reſtitutionem ob rationem ſupradictam; peccarent enim tunc contra Charitatem. Si verò temerè ſe exponerent periculo vitæ corporalis, aut confiſcationis bonorum, vel alterius magni damni, ſic transferendo triticum extra territorium, (ut plurimùm accidit) etiam ex hoc capite peccarent mortaliter contra Charitatem erga ſe, & familiam ſuam. Si tandem haberent animum inferendi necem miniſtris publicis Juſtitiæ, eos, eorumque triticum capere volentibus; tunc ex hoc motivo peccarent mortaliter contra Juſtitiam, & præceptum Divinum *de non occidendo*; quia non eſt omninò licitum offendere hujuſmodi miniſtros, qui non ſunt in tali caſu injuſti aggreſſores, ſed merè executores Juſtitiæ publicæ. 108

Quòd ſi hujuſmodi fraudatores veniant ad tuos pedes, Confeſſor novelle, debes eis abſolutionem denegare, vel ſuſpendere, niſi firmiter proponerent in futurum abſtinere; ſaltem quando ex magna tritici aſportatione ſequitur grave detrimentum Communitati, aut ipſiſmet aſportantibus immineat vitæ periculum, aut aliud notabile damnum familiæ; & multò magis quando habent propoſitum injuſtum reſiſtendi, & nocendi miniſtris Principis. Vide Bonacinam, *de Reſtitut. diſput. 1. punct. 1.*

Quæro XXVII. *Qui ſua actione, vel omiſſione, culpabili tantùm venialiter, fuit alteri cauſa magni damni, teneturne ad reſtitutionem totius damni?*

Rꝶ. In foro conſcientiæ non tenetur: ut patet ex dictis ſuperiùs, *n. 38.* Tum quia obligatio reſtituendi, vel reſarciendi damnum illatum proximo ex actione, vel omiſſione injuſta, eſt pœna debita Jure Naturæ, pœna autem debet proportionari culpæ; ergo ex culpa veniali, ac levi nequit oriri obligatio pœnæ gravis, qualis eſt reſtitutio totius damni. Si autem quis dubitaret, utrùm culpa ſua in tali 109

damno illato fuerit mortalis, aut venialis; tunc poterit damnificator obligari ad dimidium reſtituendum; ſic enim recta ratio dictare videtur; prout dicit Bonacina, *loc. nuper cit. pun. 1. n. 9.*

Quæro XXVIII. *Qui venialiter tantùm peccavit in damno gravi inferendo, tenebiturne ſub culpa veniali ad reſarciendum tale damnum?*

110 ℞. Negativè. Ratio eſt, quia obligatio in materia gravi, non poteſt procedere niſi ex culpa gravi: quia, (ut ſuprà diximus) pœna reſtitutionis debet eſſe proportionata culpæ; pendet enim obligatio gravis ex materiæ, vel damni gravitate; atqui mirum, & ſtupendum eſſet, hominem ſub veniali tantùm culpa obligari ad reſarciendum damnum mille aureorum, nec poſſe hoc peccato liberari, niſi proponat reſtituere; ergo ex peccato veniali nequit inſurgere obligatio reſtituendi rem magnam; ergo nulla erit tunc obligatio; & conſequenter illatio talis damni quaſi fortuita videri, & æſtimari debet. Probo hanc conſequentiam ultimam; cùm ſolùm venialis culpa in damno gravi inferendo interceſſit: (ut puta ex quadam inconſideratione, inadvertentia) cenſetur tale damnum quaſi fortuitò adveniſſe, vel accidiſſe; quis enim in hujuſmodi rebus periculoſis non aliquando aliquam ad mittit negligentiam? Ergo levis negligentia videtur cauſa damni quaſi fortuita. Ita Leſſius cum aliis, *l. 2. c. 7. dub. 6. n. 28.* contra Bonacinam, *loc. cit. punct. 1. num. 10.*

111 Unde rectè ex dictis infertur. Si ex facto tuo, vel omiſſione ſecutum eſt alteri damnum, etiam grave, graviſſimum, & tu nihil, aut leviter in hoc peccaveris, ob naturalem inconſiderationem, vel oblivionem, aut ob levem negligentiam, non teneris ad reſtitutionem; & hoc in foro interno; quamvis in foro externo hoc lata culpa commiſſum diceretur, ac puniretur. V.G. Egrediens cubiculo, & alia cogitatione abreptus non clauſiſti oſtium Domini tui; huc ingreſſi fures multa pretioſa abſtulerunt. *Vel* habes lucernam juxta locum periculoſum, & quamvis ſollicitè propoſueris amovere vel extinguere; tamen abſque culpa oblivi ſceris, vel in ſomnum incidiſti, & ſic lucerna magnum excitavit incendium domui, vel ſtabulo Domini tui. *Vel* aperuiſti puteum planum, & caſu, aut levi negligentia non operuiſti ſtatim, venit puer, aut jumentum, & cadit in puteum. Tu in his, ac ſimilibus caſibus non peccaſti ullo modo; & ſi peccaſti, leviter tantùm delinquiſti; ergo in conſcientia ad nihil obligaris; cenſentur enim hujuſmodi caſus fortuiti, & conſequenter inevitabiles: & damnum hinc ortum, non fuit propriè à te illatum, ſed caſu aventum; tales, aut ſimiles caſus ſolent ſæpiùs contingere inter homines etiam aliàs prudentes, ſine ullo eorum peccato; ſic Deo permittente, vel diſponente ſecundùm altiſſimam ejus Providentiam, & conſilium voluntatis ſuæ rectiſſimæ, quæ omnia, & ſingula diſponit; nec fallere, nec falli poteſt; nam, ut inquit Propheta Realis Pſalm. 65. verſ. 5. *Venite, & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*. Vide alios ſimiles caſus. *Tract. 31. numer. 61. & ſequent. in hoc lib. & alibi.*

Quæro XXIX. *Quænam eſt differentia inter culpam latam, levem, & leviſſimam?*

112 ℞. *I.* Culpa hæc apud Juriſperitos eſt idem, ac omiſſio alicujus diligentiæ, unde poſtea ſequatur aliquod damnum, vel incommodum tertio. Igitur *Culpa lata* eſt omiſſio ejus diligentiæ, & circumſpectionis, quam paſſim homines talis conditionis adhibere ſolent. *Culpa levis* eſt omiſſio illius diligentiæ, quam ſolent diligentiores adhibere. *Culpa leviſſima* eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam diligentiſſimi, & prudentiſſimi ſolent adhibere in tali arte, negotio; ut etiam alibi dixi, *Tract. 33. n. 73. & ſeqq.*

℞. *II.* Ad hoc autem, ut quis obligetur in foro interno ad reſtitutionem, non ſufficit quælibet ex dictis culpis, ſed ultrà requiritur culpa Theologica, nempe peccatum, & hoc debet eſſe mortale; ut alibi dixi: ſuprà, *nu. 38. & 39.* Ut cum multis DD. & rationibus probat Leſſius, *loc. cit. dub. 6.* cui addo P. Navarram, *libr. 2. cap. 1. numer. 47.* -- Sotum, *lib. 5. de Juſtit. quaſt. 7. art. 2.* -- Laymannum, *lib. 3. de Juſtit. tractat. 3. part. 2. cap. 6. n. 4. V. Interim*: ubi dicit, Interim fateor, probabilem, & tutam eſſe ſententiam P. Navarræ, Soti, Leſſii *l. c.* Igitur, (dico ego) licet alii DD. teneant contrarium, ſecurè tamen in rebus moralibus, ſpecialiter in hac materia, ubi de Reſtitutione agitur, (quæ aliquando difficilè fit) poteſt tantorum virorum

opinio

Digitized by Google

opinio benigna amplecti à Confeſſario, ut ſe, ac pœnitentem liberet à multis tricis.

℞. *III.* Quando autem interceſſit *culpa lata*, regulariter loquendo interceſſit etiam culpa theologica: vel ſaltem præſumi poteſt; quia unuſquiſque in actionibus periculoſis tenetur præſtare diligentiam, quam homines ejuſdem conditionis communiter adhibere ſolent; ergo ſi hanc non adhibuiſti, cenſeris damnum ſecutum voluiſſe; quia non feciſti quod potuiſti, ac debuiſti; ergo peccaſti.

Quæro XXX. *Dans operam rei illicitæ, vel injuſta fuit cauſa damni notabilis non præviſi, nec intenti, teneturne ad reſarciendum tale damnum?*

113 ℞. Negativè; quia damnum, quod per accidens ſequitur, non imputatur ad culpam, cùm non ſit præviſum, nec conſequenter volitum; ergo neque imputari debet ad pœnam reſtitutionis. Sicque excuſabitur fur nocte domum ingrediens ad furandum, ſi præter intentionem favilla lucernæ incendat domum, vel ſtabulum; hoc enim damnum combuſtionis eſt ei omnino involuntarium; poterit tamen puniri à Judice in foro externo, & obligari ad reſarciendum. Ita cum aliis DD. docet Bonacina, *diſp. 1. q. 1. pun. 1. nu. 11. de Reſtitutione.*

Quæro XXXI. *Qui conculcavit ſegetes antequàm ad maturitatem pervenirent, aut incidit, vel eradicavit arbores adhuc parvas ad quid tenetur?*

114 ℞. Tenetur tantùm ſolvere Domino, quantùm vir prudens, ac peritus judicaverit fuiſſe damnum illatum; nam ut vidimus, *ſuprà num.* 40. tantùm reſtituendum eſt, quantùm damnificatum eſt; hoc enim exigit Juſtitia commutativa, & ipſamet Reſtitutio, *quæ eſt rei in ſtatum priſtinum ſtatutio*, ac damni illati juſta reſtauratio ad æqualitatem ſervandam. *Quomodo autem* poterit *Confeſſarius* pœnitenti imponere juſtam compenſationem in hoc caſu damni illati, ſi non eſt verſatus in rebus ruralibus de pretio, ſeu valore ſegetum, & arborum diſſipatarum?

℞. Sufficit, ut dicat pœnitenti: tu es obligatus ad reſtituendum non ſolùm valorem ſegetum conculcatarum, aut arborum inciſarum, verùm etiam damnum emergens, & lucrum ceſſans Domino illarum rerum, arbitrio boni, ac periti viri, quem conſules de hac re, narrando caſum in tertia perſona, V. G. ipſum interrogando de hoc facto, tamquam ſi caſus pertineret non ad ſe, ſe ad Tertium; non enim tenetur Confeſſarius ſcire valorem rerum omnium damnificatarum: ſed ſufficit, quòd ſciat hanc doctrinam communem, nempe: *Qui deſtruit rem frugiferam non ſolùm tenetur reſtituere valorem ipſius rei per ſe conſiderata, ſed etiam valorem fructuum, quos Dominus ſuo tempore percepturus erat, detractis detrahendis, expenſis, laboribus, &c.*

Idem dicendum de ſimilibus V. G. de eo, qui occidit pullum equinum, ovem, gallinas, columbas & ſimilia frugifera animalia. Vide Bonacinam, *de reſtitutione, diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. numero 9. & 10.* Item vide quæ ſuprà diximus *hic numero 44. ad 47.*

Quæro XXXII. *Dominus tenebiturne ad reſtitutionem damni illati per ſervos vel animalia ſua abſque culpa ſua propria?*

℞. *I.* Dominus non tenetur ante ſententiam Judicis ſolvere damna, quæ per ſuos ſervos, vel animalia illata ſunt Tertio; ſi abſque ſua culpa theologica hoc damnum evenit. Ratio eſt eadem, quæ toties dicta eſt; quia *ubi non eſt culpa, neque pœna ibi eſſe debet*; reſtitutio autem eſt pœna. Tum quia Leges Civiles, quæ obligant ad reſtitutionem, aut reintegrationem damni illati per ſervos, & animalia alterius, ſunt leges pœnales. Sed ſic eſt, quòd Leges hujuſmodi non obligant ad pœnam, niſi poſt Judicis ſententiam. Vide Bonacinam, *diſp. 1. q. 3. pun. 8. num. 2. de Reſtit.* 115

℞. *II.* Dominus tenetur etiam ante Judicis ſententiam ad reſarciendum damnum, quod ſua culpa theologica (ideſt cum ſuo peccato gravi) intulerunt ipſius ſervi, vel animalia. Ratio eſt, quia *Qui per alium facit, cenſetur facere per ſe ipſum*, ex Regula 72. Juris in 6. Tum quia, quæ fiunt ab aliis noſtræ cuſtodiæ commiſſis, nobis ſcientibus, & non impedientibus, cùm facilè impedire poſſimus, reverà cenſentur per noſmetipſos fieri, vel facta eſſe; nam inter cauſas cooperantes ad damnum, & conſequenter obligantes ad realem reſtitutionem ex Juſtitia, & in conſcientia, adſunt tres negativæ, nempe *mutus, non obſtans, non manifeſtans*.

℞. *III.* Dominus non tenetur ad reſtitutionem damni per ſuos ſervos, aut animalia

lia illati ex ſuâ culpa tantùm civili, aut juridica; ut patet ex dictis, *ſuprà numero* 112.

Et quod diximus de damno illato per tuos ſervos, vel animalia, intelligendum eſt etiam de damno illato per tuos filios, vel conſanguineos; & hoc etiam habetur *ex Inſtit. de moral. act.* §. *ult.*

Ex dictis collige, ſervos illos, (quorum culpa theologica grave damnum illud ſecutum eſt, vel per ſe, vel per animalia) teneri ad reſtitutionem, ſi habeant poſſibilitatem.

Quæro XXXIII. *An qui impedivit alium à conſecutione alicuius boni notabilis, teneatur ad reſtitutionem?*

116 ℞. I. Si quis directè, ſeu animo, vel intentione damnificandi, impedivit fraude, vel dolo aliquem à conſecutione alicujus boni notabilis, V. G. Officii, Beneficii, &c. ſibi ex juſtitia nondum debiti, ſed ſolùm ex liberalitate conferendi: tenetur quidem ad aliquam reſtitutionem eidem impedito faciendam; non tamen obligatur ipſi reſtituere totum illud bonum neque valorem eidem æquivalentem: nempe tenetur ſolùm ad aliquam portionem pro ratione rei ſperatæ. Ita Scotus Doctor noſter ſubtilis, *in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. §. *ad ultimum principale*. Anacletus noſter *moral. Theol. tr.* 9. *diſt.* 5. *q.* 5. *nu.* 82. Ratio prioris partis Reſolutionis eſt; quia licèt alter necdum habuerit jus ad rem, quam alius ex mera liberalitate collaturus fuiſſet; habebat tamen jus, ne fraude, vel dolo impediretur ab ejuſdem rei conſecutione; ergo injuſtè impeditus fuit; ergo impediens contra juſtitiam peccavit, & tenetur ad recompenſandam damnificationem pro ratione valoris ſpei, qua ſperabatur illius boni conſecutio. -- Ratio verò ſecundæ partis, nempe, *quòd non teneatur reſtituere totum bonum, nec æquivalens*, eſt: quia multum intereſt inter habere, & propè eſſe.

Qualis autem, & quanta ſit, vel eſſe debeat reſtitutio, non poteſt determinari ſic abſolutè; relinquitur ergo arbitrio boni, & periti viri, qui, conſiderando caſum in particulari, determinabit quid ſit reſtituendum.

℞. II. Si autem quis, ſine dolo, fraude, vi, metu impediat alterum à conſecutione alicujus boni; & hoc faciat non ex animo nocendi proximo, qui impeditur, ſed tantùm ex intentione proprii commodi, vel alterius amici, aut conſanguinei; tunc ad nullam tenetur reſtitutionem. Ita pariter Scotus, *loc. cit.* Et Maſtrius Moral. *diſp.* 9. *n.* 35. cum aliis DD. Ratio patet; quia non peccat contra Juſtitiam commutativam. 117

Hinc deduces. Si quis ſciat, Teſtatorem velle Legatum aliis relinquere, & ipſe precibus ab eo obtineat, ut voluntatem ſuam mutet, & potiùs ſibi, aut conſanguineo ſuo relinquat. Nulla hinc conſurgit obligatio reſtituendi; quia hoc fit ſine ulla fraude, dolo, metu, aut alia injuſta actione, vel coactione; ſimulque unuſquiſque habet jus procurandi ſibi bonum, ſine injuria, aut injuſtitia tertii.

TRACTATUS XXXVI.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

QUæro I. *Quid prohibetur in hoc Divino præcepto?*

1 *Reſpondeo*. Prohibetur omnis Injuria, & & injuſtitia, quæ proximo noſtro verbis inferri poteſt: ut ſunt Teſtimonium falſum, Detractio, Contumelia, Convitium Irriſio, Suſurratio, mendacium, & cætera hujuſmodi; quæ his verbis comprehenduntur, *Non loqueris contra proximum tuum falſum Teſtimonium?*

De Detractione.

Quæro II. *Quid eſt detractio?*

2 ℞. Eſt alienæ famæ occulta, & injuſta læſio, ſeu denigratio. -- Duo autem requiruntur ad veram Detractionem. I. Ut aliquid dicatur, quod alterius famam, & æſtimationem, quam poſſidet in animo audientium, extinguere, aut minuere valeat. II. fiat occultè, ſalcem.

ſaltem juxta intentionem malè dicentis.

Quæro III. *Quid eſt bona fama?*

3 ℞. Eſt communis opinio virtutis, ſapientiæ, & rerum præclarè geſtarum alicujus perſonæ notæ. Bona enim fama conſiſtit in interiore opinione bona, quam alii de aliquo habent; quod etiam vocatur *bonum nomen*: de quo in Proverb. 22. habetur, *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Item in Eccleſiaſt. 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in ævum*.

Quæro IV. *Quid eſt Honor?*

4 ℞. Eſt teſtimonium excellentiæ alterius in ſignis externis demonſtratum; unde Honor ſupponit opinionem bonæ famæ, & excellentiæ proximi, ac intentionem teſtificandi eam exteriùs per aliquod ſignum reverentiæ.

Quæro V. *Quænam eſt differentia inter Detractionem, & Murmurationem?*

5 ℞. Ex definitione Murmurationis, & Detractionis colligitur differentia iſtorum vitiorum linguæ. Detractio jam fuit definita ſuprà, num. 2. *Murmuratio autem eſt Querela injuſta, vel impatiens*. Unde murmur, ſeu murmuratio dicitur omnis locutio ſecretè, ſubmiſsè, & clanculò facta; unde & metaphoricè rivus aquæ dicitur murmurare. Sed quia talis locutio murmurativa frequenter fit injuſtè, ideò dicitur *querela injuſta*; poteſt autem eſſe injuſta dupliciter: *vel ratione objecti*, quando ſcilicet quis murmurat de re in ſe bona, ac juſta: ut Phariſæi murmurantes de quibuſdam actionibus Chriſti Domini: ut patet in Euangelio *Lucæ, capit. 5. 15. & 19. & Joannis, capit. 6. & alibi*. Vel *ratione modi*: quando nempe quis queritur, ſeu lamentatur de re quidem injuſta, ac mala, ſed non debito modo; id eſt, non ubi, quando, & quomodo oportet: Et iſto modo murmuratio eſt valdè communis: ſicut V. G. Si Religioſus murmuret, quando aliquid injuſtum patitur, & tamen non exponit Prælato rationem ſuam, ſed aliis Religioſi, quorum non intereſt ei providere: vel quando obloquitur de rebus, quæ ſunt ſine remedio. -- Aliquando autem locutio murmurativa fit ex impatientia, & ideò dicitur *querela injuſta, vel impatiens*; & tunc poteſt ſic deſcribi; Murmuratio eſt querela impatientis in his, quæ homo debet patienter ferre.

Quando autem murmuratio fit de re in ſe juſta, & laudabili; tunc ex ſuo genere erit peccatum mortale; quia eſt ſpecies quædam vituperationis, & detractionis. -- Quando fit de re in ſe mala, & injuſta, & conſequenter vituperio digna; tunc poteſt eſſe abſque peccato, vel cum peccato veniali, vel mortali ratione finis; vel exceſſus in modo loquendi ſecundùm conditionem perſonarum de quibus murmuratur: quòd generali regula difficilè eſt diffinire. Quando fit ex impatientia, ex ſuo genere eſt veniale peccatum impatientiæ, niſi alia circumſtantia mortifera addatur. Murmurare tandem de rebus malis, quæ hic, & nunc remedio carent, erit exaggeratio quædam bona, vel mala juxta intentionem loquentis: vel ad ſummum verba otioſa, ac inutilia proferre, ac tempus amittere.

Quæro VI. *Quot modis fieri poteſt peccatum detractionis?*

℞. I. Detractionis peccatum fieri poteſt dupliciter, directè videlicet, & indirectè; 6
Modus directus eſt, quando quis cum directa, & poſitiva intentione loquitur perversè, alienam famam lædendo, vel denigrando. Et iſte modus eſt quadruplex, ut indicat iſte verſus:

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

I. *Imponens*: ideſt, imponendo alicui crimen falſum. II. *Augens*: ideſt, exaggerando, & augendo verum, vel falſum crimen, aut defectum alterius. III. *Manifeſtans*: ideſt, manifeſtando, & publicando crimen, vel defectum occultum verum. IV. *In mala vertens*: ideſt, interpretando ſiniſtrè, ſeu temerè judicando, & poſtea exteriùs patefaciendo illam ſiniſtram interpretationem, aut temerarium judicium de opere aliàs rectè facto; ſeu in malam partem vertendo opus alterius, quod poterat verti in bonam partem.

Modus autem indirectus eſt, quando ſolùm indirectè, & quaſi negativè læditur, vel denigratur fama proximi, & eſt pariter quadruplex, ut verſus hic indicat:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remiſſè.

I. *Qui negat*: ideſt, negando alterius virtutes, ac dotes. II. *Minuit*, ideſt, exte-

tenuando, aut diminuendo dotes, & virtutes alterius. III. *Tacite*, nempè malitioſè reticendo, vel ſilendo bonum, vel dotes alterius, tunc, quando quis manifeſtare deberet ex juſtitia. Vel etiam quando quis tacet in præſentia aliorum detrahentium ac vituperantium, nullum dando ſignum diſplicentiæ; nam tunc tacens conſentire videtur. IV. *Remiſsè laudat*; ideſt, frigidè laudando opus egregium, aut virtutes alterius ubi, & quando ex juſtitia tenebaris juſtè, multùmque laudare; aut cùm ita inſipidè laudas, ut laus tua potiùs cedat in diminutionem famæ alterius, ejuſque vituperium, quàm in veram laudem.

7 ℞. *II.* Item duplex eſt detractio, formalis ſcilicet, & materialis. *Detractio formalis* eſt, quæ fit cum directa intentione alteri nocendi, ſeu alienam famam denigrandi. *Materialis autem Detractio* eſt, quæ fit quidem abſque illa directa intentione nocendi, ſed tamen cum præviſo periculo nocendi, adeoque non ſine voluntate ſaltem indirecta nocendi. Unde patet, quòd formalis detractio coincidit cum *modo directo* detrahendi; materialis autem detractio coincidit cum *modo indirecto* detrahendi, ut ſuprà dictum eſt.

Quæro VII. *Quale peccatum eſt detractio?*

8 ℞. *I.* Eſt peccatum mortale ex genere ſuo contra Juſtitiam commutativam. Quòd ſit mortale ex genere ſuo, patet ex Sacra Scriptura ad Romanos, capit. 1. *Detractores Deo odibiles.* — Proverb. cap. 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum.* Eccleſiaſt. cap. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio; nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* — Patet etiam ex Canon. diſt. 1. de pœnit. capit. homicid. *Qui occidit fratrem ſuum, & qui detrahit ei, pariter homicida eſſe monſtrantur.* Ratio autem eſt: quia qui injuſtè lædit famam proximi, privat illum vita Civili, qui eſt bona fama, & bonum nomen; ergo &c. Quòd autem ſit peccatum contra juſtitiam commutativam, patet eo, quia unuſquiſque habet jus ad propriam famam, quam poſſidet; omnis autem actio injuſtè privans alterum bono ſibi debito de jure, eſt actus injuſtitiæ, ergo detractio eſt peccatum contra juſtitiam.

9 ℞. *II.* Detractio gravius eſt peccatum, quàm furtum; quia bonum famæ multò magis eſt appretiabile, quàm bona omnia externa fortunæ; ut patet ex Sacra Scriptura locis citatis *ſuprà, numero 3.* Tum quia ex detractione ſolent oriri plurima mala, ut pùta ſcandala directa, & indirecta; lites; jurgia, percuſſiones, odia, homicidia, &c. optimo igitur jure dixit S. Jacobus Apoſtolus minor in ſua Epiſt. c. 3. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.*

10 Unde manifeſtè deducitur, detractorem injuſtum in foro conſcientiæ obligatum eſſe ad reſtitutionem famæ ablatæ, ſicut fur omni fure pejor, & abominandior; & conſequenter omnia, quæ diximus de Reſtitutione bonorum temporalium, à fortiori dicenda eſſe hic de Reſtitutione famæ, & honoris.

Omnia autem peccata detractionis ſunt ejuſdem ſpeciei moralis; quia reſpiciunt unam, eamdemque rationem formalem læſæ famæ proximi; quamvis differant materialiter; Unde ſequitur non eſſe neceſſarium exprimere in Confeſſione perſonas, nec vitia de quibus oblocutum eſt. Filliucius, *tr. 40. n. 9. & alibi.*

Quæro VIII. *Eſtne licitum aliquando manifeſtare occultum crimen proximi?*

11 ℞. Dantur aliqui caſus, in quibus id fieri poteſt abſque vitio, vel peccato, præſertim in his. I. Si quis, ſervato ordine correctionis fraternæ, patefacit crimen alterius Superiori, ut ille emendetur, corrigatur, aut etiam puniatur. II. Ad impediendum notabile damnum proximo impendens, ſive ſpirituale, ſive temporale; quando manifeſtatio illius criminis ad hoc neceſſaria eſt. III. Quando agitur de Officio, vel Beneficio conferendo, aut de Matrimonio contrahendo, vel Religione ſuſcipienda, poſſunt, & debent juſta impedimenta (aliàs occulta) manifeſtari, denunciando ea Superiori, Parocho, ad evitanda multa mala. IV. Ubi agitur de hæreſi, vel ejus ſuſpicione, poſſunt, & debent denunciari Inquiſitoribus S. Officii delinquentes, etiam occulti. V. Quando tale delictum occultum vergit paulatim in damnum ſpirituale, vel corporale Reipublicæ. Ut, ſi quis fictis virtutibus famam ſibi comparavit in aliquo loco, V. G. ſimulando ſe peritum Directorem conſcientiarum, vel Advocatum, vel Medicum, vel Pharmacopolam, vel Confeſſarium, & mihi certò conſtet, non eſſe talem.

Ratio

Ratio horum, & ſimilium caſuum eſt; quia nemo habet jus tuendæ famæ ſuæ cum tanto damno proximis injuſtè obventuro: & bonum publicum prævalet bono privatæ perſonæ; ergo in prædictis caſibus non committitur *Detractio*, quæ eſt alienæ famæ injuſta læſio, qualis ibi non intervenit; nam ſi quis ex prædictis teneatur ut læſus, irrationabiliter hoc judicat ex amore inordinato ſui ipſius, non autem ex juſtitia, & æquitate.

Hic adnotanda, & cavenda eſt propoſitio damnata ab Alexandro Papa VII. la 5. quæ dicebat: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis*.

Quæro IX. *Perſona ſecretò graviter injuriata, nec valens ſe à dolore cohibere, aperit Amico ſuo caſum injuriæ ſibi factæ, peccatne?*

12 ℞. Minimè; Ratio eſt, quia Doctores communiter docent, licitum eſſe, peccatum proximi, vel injuriam ſibi factam aperire viro prudenti, Amico, conſilii, vel auxilii, imò etiam in ſua afflictione ſolatii, & levaminis capiendi cauſa: quia valdè difficilè eſt, & maximum gravamen eſſet, ſi in mea injuſta afflictione non poſſem auxilium, vel conſilium quærere, ſed ſine ulla querimonia ſilentio concoquere talem amaritudinem; atqui nemo cum tanto proprio incommodo tenetur ſtudere, vel cavere famæ alterius injuſtè lædentis; præſertim cùm vix ullus vir prudens talem audiens caſum attendat ad infamationem alterius, ſed potiùs ad conſilium bonum, vel ad ſolatium verum exhibendum perſonæ ſuas miſerias quiritanti &c.

Rectè tamen monent, & limitant D. D. ut (quoad poſſibile eſt) hoc fiat cum minimo alterius damno: adeòut, ſi ſufficiat unus ad conſilium, vel ſolatium, non manifeſtetur pluribus; & ſi ſufficienter capi poſſit vel conſilium, vel ſolamen, non nominando perſonam injuriantem, de facto non nominetur: Quod maximè à mulieribus obſervandum eſt; quia ſunt naturaliter nimis loquaces; & de conſilio in conſilium tranſeundo, non fiat caſus manifeſtus.

Quæro X. *Quid, ſi perſona illa occultè injuriata, vel provocata ad malum, ſtatim prorumperet in publicas voces querimonioſas, ac manifeſtativas delicti alterius?*

13 ℞. Eam excuſarem à mortali culpa in genere detractionis; tum ob imperfectionem actus, ex primis, vel ſecundis motibus iracundiæ procedentis; tum ex nimia afflictione animi non valentis ſe ſtatim cohibere.

Quæro XI. *Eſtne licitum ad juſtam ſui defenſionem manifeſtare crimen occultum alterius?*

℞. Servato ordine, vel moderamine inculpatæ tutelæ, dico, quòd ſic. Ratio eſt quia, ſi pro noſtra juſta defenſione licitum eſt alteri injuſto aggreſſori eripere vitam, cur non etiam famam? 14

Quæro XII. *Eritne pariter licitum in caſu prædicto crimen falſum ei imponere?*

℞. Nequaquam omninò. Quia in nullo umquam caſu licet falſitatem proponere; nam mendacium eſt intrinſecè malum; ergo multò minùs licitum erit falſum crimen alteri impingere: quod eſt mendacium perniciofum cum injuria formali contra juſtitiam, & conſequenter peccatum mortale detractionis directæ. Quare meritò damnatur ab Innocentio Papa Undecimo hæc propoſitio, la 43. 15

Quidni nonniſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere? Item iſta, la 44.

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alteri, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. -- Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.

Dices. Æquè prohibitum eſt, detrahere proximo, manifeſtando V. G. crimen occultum, ac imponendo crimen falſum; ſed hoc numquam eſt licitum; ergo nec illud.

℞. Nego paritatem; nam manifeſtare crimen verum, ſed occultum, ex juſta cauſa poteſt fieri licitum; & tunc non eſt detrahere formaliter, ut vidimus *ſuprà, numer.* 11. At imponere crimen falſum, eſt ſemper mentiri, & quidem in damnum tertii; & conſequenter numquam poteſt fieri licitum quacumque de cauſa; ergo manet ſemper detractio formalis.

Quæro XIII. *Eritne licitum ſibimetipſi imponere crimen falſum ad evitandum graviſſimum tormentum?*

℞. I. Si per *licitum*, intelligatur excuſatio ab omni peccato, tam mortali, quàm veniali; tunc dico, quòd non erit licitum; Ratio patet ex dictis *ſuprà*, *n.* 15. quia numquam poteſt eſſe licitum mendacium, aut falſitas. 16

℞. II. Si verò per *licitum* intelligatur excu-

excuſatio à mortali; tunc dico, quòd multi DD. docent, eſſe licitum. Ratio eſt, quia non tenetur homo cum ſuo tanto incommodo, dolore & cruciatu vitam vel famam ſuam tueri. Ita Angelus, Sylveſter, Toletus, Valentia, Sotus, & Leſſius, *lib.* 2. *capitulo* 11. *dub.* 7. *numero* 41. ubi dicit. Hæc ſententia eſt tenenda in praxi; favet enim multis miſeris qui alioquin non ſolùm corpore, ſed etiam Animâ perirent.

Quæro XIV. *Eſtne aliquando licitum, ſe ipſum infamare, manifeſtando occulta crimina ſua?*

17 Rc. I. Per ſe loquendo veniale peccatum prodigalitatis eſt, ſe ipſum infamare propalando occultum, & verum crimen proprium. Ratio eſt: quia omnis homo eſt dominus ſuæ famæ, ſicut eſt dominus ſuæ pecuniæ; ergo ſicut prodigere pecuniam ſuam non eſt contra juſtitiam, nec contra Charitatem per ſe loquendo, ſed eſt ſolùm peccatum prodigalitatis, quod ex ſuo genere veniale eſt: ita etiam veniale erit prodigere famam ſuam.

18 Rc. II. Per accidens autem multipliciter poteſt eſſe peccatum mortale. I. Si referendo tuum crimen te jactes, quaſi illud approbando, in eo delectando, ac complacendo: tunc peccabis utique mortaliter eadem ſpecie peccati, de quo gloriaris, V. G. adulterii, ſtupri, homicidii, &c. II. Si crimen tuum manifeſtando te exponas (ſine juſta cauſa) periculo vitæ, aut alterius gravis mali: peccabis tunc contra Charitatem tui ipſius, utique mortaliter, quinimò injuriam facies Domino Deo, qui eſt ſupremus, & immediatus Dominus vitæ, & mortis; vitæ enim, & membrorum noſtrorum non ſumus abſoluti domini, ſicut ſumus domini pecuniæ, famæ, &c. III. Si tua infamatio conjuncta ſit cum aliorum ſcandalo; maxime ſi es Superior, Paterfamilias, Sacerdos, Religioſus; tunc peccabis mortaliter peccato ſcandali contra Charitatem erga proximum. IV. Si tua infamia neceſſariò, ac conſequenter cedat in grave damnum, vel infamiam aliorum: & tunc peccas etiam contra juſtitiam; ut patet.

19 Rc. III. Sæpè poteſt eſſe licitum, & opus virtutis, verum crimen proprium, & occultum fateri, & manifeſtare; nimirum ſi hoc fiat ex juſta cauſa, debito fine, & aliis bonis circumſtantiis. V. G. I. *Ob humilitatem*: ſicut fecerunt S. Auguſtinus, qui ſcripſit omnia ſua peccata in libris Confeſſionum. S. Joannes à Capiſtrano, qui magnis litteris ſcripſit in chartello ad modum mitræ compacto ſua errata; ut taceam de Sancto Apoſtolo Paulo, qui ſuis in Epiſtolis fatetur, ſe priùs fuiſſe *blaſphemum, perſecutorem, contumelioſum*, (1. ad Timoth. cap. 1.) *primùm, & maximum peccatorem &c.* & ſic de multis aliis viris, ac mulieribus Sanctis.

II. *Ob Charitatem*; quando ſcilicet ex 20
tali infamatione tui ipſius, aut confeſſione publica occulti tui criminis: ſequitur notabile bonum proximo. V. G. pœnitens ob lapſum in grave peccatum tendit in deſperationem, & tu Charitate motus fateris ipſi tua graviora crimina ad conſolandum ipſum, & erigendum in ſpe remiſſionis. Vel ſi ad tollendas ſuſpiciones, diſſenſiones, odia aliorum, &c. utile, vel neceſſarium judicas, proprium delictum prodere. Vel ad gravia tormenta evitanda in te, aut in proximo innocente, prodis te eſſe nocentem, & auctorem delicti occulti; & ſic de ſimilibus.

III. *Ob motivum Juſtitiæ publicæ*; quando 21
nempè malefactor es occultus, & te ſiſtis Judici, delictum tuum occultum fatendo, ut Juſtitiæ ſatisfacias, & ne aliquis innocens deprehendatur velut auctor criminis à te patrati, ſicque injuſtè vice tua pœnam luat.

Quæro XV. *Titius commiſit delictum occultum, quod Sempronio ex quibuſdam levibus indiciis fuit imputatum; capitur Sempronius à miniſtris Juſtitiæ, & vi tormentorum, falſa confeſſione expreſſa coram Judice, damnatur ad ultimum ſupplicium.* Quæro, an Titius teneatur ſe prodere, ut innocens Sempronius liberetur?

Rc. Tenetur ex juſtitia Titius ſe pro- 22
dere, etiam cum æquali ſuo periculo vitæ, vel famæ; dummodò Titius cauſa voluntaria injuſta fuerit, ut tale delictum imputetur Sempronio innocenti. Quia tunc fuit cauſa injuſta damni famæ, & vitæ innocentis; ergo, &c. Si autem Titius non fuit cauſa talis imputationis injuſtæ: ſed caſu, aut malitia alterius crimen Sempronio imputatum fuit; tunc non tenebitur Titius ex Juſtitia, neque ex Charitate ſe prodere, ſi æquale periculum vitæ, vel famæ ipſi Titio immineat; quia cùm non fuerit ipſe cauſa efficax

talis

talis damni, non eſt cur ipſe teneatur in conſcientia manifeſtare occultum ſuum delictum. Quòd ſi Sempronius injuſtè patitur; hoc evenit vel caſu fortuito, vel ex malitia alterius, cui adſcribetur talis injuſtitia.

Licebit tamen ex Charitate Titio ſe prodere, ut innocens Sempronius liberetur; exemplo planè heroico Sancti Conradi Placentini Tertii Ordinis S. P. Franciſci, ut legitur in Breviario noſtro *die 19. Februarii*; quod factum cauſa, & initium fuit Sanctitatis Nobilis viri.

Quæro XVI. *Ad hoc ut detractio formalis, occultum, & verum crimen alterius revelans, ſit peccatum mortale, quot conditiones requirit?*

23 ℟. Quatuor: nempè voluntarium perfectum: materia gravis: res omninò occulta: & injuſtitia revelandi. *Explico*.

I. Voluntarium perfectum eſt

24 Quando homo pleno uſu rationis mens directè, vel indirectè intendit, vel advertit, ſuam locutionem nocere, vel denigrare famam proximi.

Excuſabit ergo à mortali, & veniale reddet imperfectio actus, vel ob ignorantiam, aut inadvertentiam nocumenti proximi: vel ob vehementem paſſionem, aut præcipitationem mentis, & linguæ. Niſi enim ob hujuſmodi cauſas homo excuſaretur (prout de facto excuſatur) à mortali, totum penè genus humanum periclitaretur ex hoc crimine linguæ.

II. Materia gravis erit

25 Quæ, ſpectata non tantùm in ſe abſolutè, ſed etiam ratione circumſtantiæ perſonæ, quæ infamatur, gravis regulariter æſtimatur à Sapientibus; nam materia in ſe abſolutè gravis, qualis eſt omne peccatum mortale) ſi conſideretur una cum circumſtantia perſonæ, cui detrahitur, poteſt evadere materia levis. E contra materia in ſe levis (qualis eſt omne peccatum veniale) ſi conſideretur unà cum circumſtantia perſonæ, cui detrahitur, poteſt evadere gravis; ut infra videbimus.

III. Res omninò occulta

Cenſetur illud crimen, aut aliud malum, 26
quod nullo modo eſt adhuc notorium uno ex his tribus modis, *Jure*, ſcilicet, *Facto*, *Fama*. — *Notorium Jure* dicitur illud, de quo conſtat per Juridicam ſententiam: vel per confeſſionem Rei in Judicio: vel per legitimam Teſtium depoſitionem. *Notorium Facto* dicitur, quod in præſentia multorum eſt perpetratum. *Notorium Fama*, ſeu famoſum dicitur illud, cujus fama ex ſufficientibus indiciis orta ad aures multorum pervenit; ita ut major pars vel Civitatis, vel Pagi, vel Parœciæ, vel viciniæ illud noverit.

IV. Injuſtitia Revelandi

Quæ tunc eſt, quando delictum aliàs 27
occultum manifeſtatur abſque ulla juſta cauſa neceſſitatis, vel utilitatis gravis præponderantis damno infamiæ alterius. Quæ autem ſint juſtæ cauſæ, ultra jam dictas, *num. 11.* ſuperiùs, apparebunt in ſequentibus.

Quæro XVII. *Poteſtne aſſignari aliqua bona Regula generalis, ex qua Confeſſarius prudenter poſſit judicare materiam detractionis fuiſſe gravem, & conſequenter obligantem ad reſtitutionem famæ?*

℟. Maximè: & eſt iſta, quæ traditur 28
à P. noſtro Sporerio, *tom. 2. Theol. Moral. Tract. 5. capitulo 4. numero 59.* Videlicet.

Quoties notabiliter fama alterius læditur, ſive defectus narratus ſit mortalis, ſive venialis, ſive naturalis tantùm, toties peccatur mortaliter. E contrà verò.

Quoties leviter ſolùm læditur fama alterius, peccatur venialiter tantùm. Exempla aliqua ſunt ſequentia.

I. Si de viro probo, vel Religioſo, vel Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono dicas V. G. *illum amare perditè puellam*, vel quid ſimile; graviter lædis famam illius.

II. Si de juvene nobili mundano, vel milite dicas idem delictum, vel verbum (aliàs verum, ut hic ſupponimus;) leviter lædis famam illius.

III. Si de viro gravi, & Religioſo optimæ

Digitized by Google

timæ famæ dicas; *eum eſſe ſtultum*, *vel levem*, *vel crebrò mentiri*, & hujuſmodi, erit culpa gravis.

IV. Si hoc dicas de alio non tantæ bonæ opinionis: erit levis culpa.

29 Hic oritur mihi dubium. *An dicere de aliquo: eum eſſe fatuum*, ſit *materia in ſe gravis*? Ratio dubitandi eſt: quia Chriſtus Dominus dicit in Evangelio Matthæi, c. 5. v. 22. *Qui dixerit fratri ſuo*, fatue: *reus erit gehennæ ignis*; ergo magna videtur hæc infamia, aut calumnia.

Mirantur, inquit S. Joan. Chryſoſtomus (apud Maldonatum in hunc textum) multi hominum, eum, qui fratrem ſuum *levem*, aut *fatuum* appellaverit, ſempiternæ mortis condemnari, cùm tertio quoque verbo alii aliis id dicere ſoleamus. -- Qui fratri credenti in Deum (inquit S. Hilarius) dixerit, *fatue*, ſeu *vacue*, impius eſt in Religione. Qui ergo quem Dominus ſaltem nuncupat, vitio infatuati ſenſus laceſſerit, pabulum eſt ignis æterni; niſi pœnitentiam egerit. -- Dicere alicui, *fatuus*, vel *vacuus* es: (inquit Ugo Card.) idem eſt, ac dicere, tu es ſine cerebro, quod eſt magna contumelia.

Si ergo ex Chriſti, & iſtorum Sanctorum DD. ſententia magnum quid infamiæ, aut contumeliæ eſt, hoc dicere; quomodo excuſabimus à mortali hoc ſæpiùs dicentes? Maximè de viro prudenti, & Religioſo?

Proſequamur exempla.

V. Si dicas, *illum eſſe ſuperbum*, *avarum*, *iracundum*, & ſimilia. Hoc ſi intelligatur de naturali propenſione tantùm ad hujuſmodi vitia: peccatum veniale non excedet. Si autem tales ſint circumſtantiæ, ut non de ſola inclinatione, ſed etiam de actuali vitio judicari poſſit, & tale vitium ſit occultum: mortale erit.

VI. Si referas defectus naturales, vel morbos, qui poſſunt æquè procedere à natura, & à vitio; niſi addas ſtatim cauſam naturalem; graviter delinques. V. G. dicendo: *ille laborat gallico morbo*, niſi addas *ex infectione*, vel *ex loco frigido*, vel *ex cohabitatione contagioſa*.

VII. Quid ſi diceres: *illum eſſe ſpurium*? Naturalis omninò eſt iſte defectus, & ſine culpa filii.

℞. Regulariter loquendo non erit mortale peccatum. Si tamen manifeſtatio hujus defectus natalium impediret illum ſpurium occultum à conſecutione magni boni, aut aliud notabile damnum ei afferret; tunc eſſet culpa mortalis contra juſtitiam.

VIII. Si propales defectus animi, vel corporis, dicendo, *illum eſſe ignarum*, *parvi judicii*, *imprudentem*, *vel luſcum*, *claudum*, *gibboſum &c.* Et hoc videtur non graviter lædere famam proximi. Intellige ſemper, ſecluſo alio damno, ut ſuprà.

Si vis plura videre, conſule Bonacinam, *de Reſtitut. in particulari*, *diſput.* 2. *qu.* 4. *punct.* 2. *per totum*: & DD. ab eo citatos ibi.

Noto hic differentiam inter *detractionem*, *& contumeliam*. Nam ſi quis diceret Titio nobili Spurio in ejus præſentia: *tu es Spurius*: utique peccaret mortaliter contra honorem Titii nobilis æſtimati; ſi autem hoc diceret in ejus abſentia, abſque alio damno coram aliis; non peccaret mortaliter ſecundùm opinionem Reginaldi, P Navarræ, Leſſii, *lib.* 2. *capitulo* 11. *dub.* 3. *numer.* 15. quia ille defectus natalium non importat infamiam. *Sed de hoc inferiùs num.* 69. Volui tamen hoc adnotare hic, ut cognoſcas, quomodo circumſtantia perſonæ, vel finis, vel modi &c. alteret, ac mutet caſum; & de veniale facit mortale; ut addiſcas, prædicta exempla, & alia plurima, quæ apud DD. ſparſim inveniuntur, non eſſe ſufficientia *per ſe* ad aſſecurandum judicium Confeſſarii; nam *variata circumſtantia*, *variatur caſus*: ſed recurrendum eſt ad illam Regulam generalem poſitam, *ſuprà numero* 28. in principio, & ſecundùm eam menſurare omnes caſus particulares. Quod ut magis pateat, repetamus, & variemus caſum prædictum de Spurio. Si quis diceret pauperi orphano Spurio: *Tu es de hoſpitali*, parvam injuriam utique ei faceret, imò forſan ipſe de ſe fateretur hunc defectum natalium eſſe verum; ergo variata hac circumſtantia *Perſona nobilis*, & *perſona vilis*, variatur caſus. 30

Quæro XVIII. *Si quis referat crimen occultum non nominata perſona in particulari*, *peccetne graviter peccato detractionis*?

℞. I. Dummodò abſit periculum, quòd audientes occaſione illius narrationis deveniant in notitiam perſonæ criminoſæ, ordinariè non eſt peccatum mortale.

le. At verò ſi perſona illa ita deſcribatur, ut facilè cognoſci poſſit, vel al quando agnoſcenda ſit ab auditoribus; tunc erit mortale.

32 ℟. *II.* Si autem manifeſtetur, vel indicetur familia, Ordo, Monaſterium: dicendo V. G. Homo de tali familia, vel Religioſus talis Ordinis, vel Monaſterii commiſit hoc delictum grave (explicando illud) tunc mortale crimen erit, cum onere reſtituendi. Imò tantò graviùs, qui bono nomini Communitatis detrahit, quantò majus, & communius bonum famæ violat. Tametſi enim Congregatio V. G. Regularium reipſa non maculatur ex unius Religioſi malitia, aut perfidia: ſicut nec Apoſtolorum Collegium ex proditione Judæ: maculatur tamen apud homines ſimplices, & imperfectos, quibus id narratum crimen multiplici ſcandalo eſſe ſolet; ſolent enim ſæpè ſæpiùs ſæculares particulare unius Religioſi crimen refundere in totam Religionem, aut Monaſterium, & obloqui in communi, omneſque deſpicere. Quod item de Sacerdotum, ſeu Clericorum ſæcularium Ordine, ac ſtatu dici poteſt: ut cum Molina, & P. Navarra docet prudentiſſimè Layman, *libro 3. de Inſtitut. tractat. 3. part. 2. capitulo 3. de Detract. numero* 12. Sporer *tom.* 2. *tractat.* 5. *capitulo* 4. *numero* 61. Buſembaus, *lib. 3. tract. 6. dub. 3. n. 16.* -- Et Leſſius dicit: Infamare aliquem Ordinem, Religioſum, vel Prælatum Eccleſiaſticum, pejus eſt peccato adulterii, *lib. 2. c. 11. dub. 3. n. 11.*

Quæ reſolutio quemvis Religioſum admonere debet (ut inquit Layman) ut ita ſe gerat, ac ſi totius Religionis honor, populique ædificatio ex ipſo ſolo pendeat.

℟. *III.* Graviſſimè item peccant, qui
33 Ordini, ſeu ſtatui alicui Religioſorum in communi, vel alicui Monaſterio detrahunt dicendo V. G. *quòd in eo malè vivatur, quòd non ſervetur obſervantia Regularis.* Niſi id ſit planè notorium. Ratio eſt: quia graviſſimè nocent toti Communitati ſimul. Tenenturque ſub mortali ad reſtitutionem à qua Superioris remiſſio, vel condonatio eos non excuſat. Ut cum Soto, Navarro, & Trullencho docet Buſembaus, *loc. cit. n. 15.*

Quæro XIX. *Eſtne peccatum detractionis gravis referre crimen ab aliis auditum, & publicatum?*

34 ℟. *I.* Qui crimen alterius occultum ſimpliciter refert, vel narrat, ut auditum ab aliis, ſine addita propria aſſeveratione, approbatione, vel confirmatione, aut nocendi propoſito: ſed tantùm dicat: *Relatum refero*: ſi tales circumſtantiæ concurrant, ut ſi credibile ſit, neminem audientium id crediturum eſſe,) quod in praxi difficile eſt) non peccat ſaltem graviter; quia tunc non adeſt periculum notabilis damni inferendi.

℟. *II.* Si verò à tali perſona referente, & iis circumſtantiis crimen auditum 35
narretur, ut vi ipſius narrationis audientes moveantur ad credendum, vel ſaltem ſiniſtrè ſuſpicandum: peccabitur utique graviter contra juſtitiam cum onere reſtitutionis; quia tunc adeſt periculum damni notabilis. Iſte enim eſt uſitatus modus manifeſtandi paulatim quodcumque crimen occultum magno cum damno proximi; nam ab ore duorum, vel trium tranſit detractio in omnium linguas detrahentium. Adeſt enim tale periculum à principio, ut audientes aliquam fidem adhibeant narranti, & narrato cum læſione famæ proximi: aut ſaltem fama ejus (aliàs bona, & certa) ponitur ſub dubio apud audientes: quod gravis eſt læſio.

Quis enim umquam hominum narrat 36
aliquid turpe (ut auditum) ſine animo, ut hoc credatur? vel ne credatur omninò? Si hoc tu non crederes ut verum, vel ſaltem probabile, vel ad minus poſſibile, certè numquam narrares; ergo &c. Unde meritò admonet nos Spiritus Sanctus, Eccli. 19. *Audiſti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te.* Sed homines non intelligunt hunc Divinum Sermonem; ideoque ſtatim ac audierunt verbum malum, & conceperunt crimen alterius, illud tamquam maturum fœtum parturiunt: ut dicit idem Textus: *A facie verbi parturit fatuus: tamquam gemitus partus infantis.*

Quæro XX. *Eſtne mortalis detractio, occultum crimen alterius, ſine juſta cauſa, manifeſtare confidenter uni ſoli viro prudenti, taciturno?*

℟. Affirmativè, ex genere ſuo. Ratio 37
eſt: quia, ſi abſque juſta cauſa aliquod crimen grave reveles etiam uni, utique committis detractionem vel formalem, vel materialem in damnum notabile proximi. Tum quia plerique homines prudentes mallent ſua delicta occulta multis extra-

extraneis, vel plebeiis eſſe nota, quàm uni tantùm viro gravi, cum quo aſſiduè verſantur, quemque valdè verentur; ergo major injuria fit proximo, gravior offenſa. (Ita cum Soto, Molina, & Leſſio, docet Layman, *citato capitulo 3. numero 6.*) Quod ſi hoc eſt verum, ut patet, ſequitur manifeſtè eam excuſationem mulierum fore valdè frivolam, quando dicunt, ſe manifeſtaſſe in confidentia uni tantùm viro, aut mulieri grave aliquod occultum delictum. Ergo obligandæ erunt ad reſtitutionem famæ. Et niſi ſtatim præcludas ora fœminarum, videbis ubinam ſerpet illa parva, & unica (ut ajunt) diffamatio. Lingua ignis eſt; ergo, &c.

Quæro XXI. *An ſit peccatum detrahere Defuncto?*

38 ℞. Utique, ſine dubio. Ratio eſt, quia Defunctus corpore, Anima tamen vivit, & ita in ejus fama manet quodammodò vivus in hominum memoria, & æſtimatione; adeòque poſſeſſionem bonæ famæ ſuæ & gloriæ retinet, quaſi illum injuſtè ſpoliaſti, damnum intuliſti, & compenſare obligaberis. Homo enim per bonam famam vivit in æternum. Et in memoria æterna erit Juſtus.

Quæro XXII. *Ad hoc, ut crimen poſſit dici notorium* de facto, *quot numero hominibus debet eſſe cognitum?*

39 ℞. Rem difficilem poſtulaſti. Variant enim Doctores: & res admodùm perplexa eſt. Unde in hac difficultate melius erit aſſignare Regulam moralem, quàm numerum. *Ecce regulam.*

Quando delictum aliquod limites ſecreti, & occulti ita egreditur, ut attenta quantitate Communitatis, qualitate hominum, prudentis arbitrio cenſeatur impoſſibile cohibere malam famam, vel rumorem; tunc cenſebitur reſpectu illius Communitatis, vel vicinia res notoria, & publica de facto. Et tunc crimen jam ſic notorium referre aliis ſcientibus, aut brevi tempore ſcituris (ſecluſo maligno affectu, vel effectu) non erit mortale peccatum detractionis, ſed veniale contra Charitatem. Ita ex Molina, Laymanno, Lugo, & aliis, P. Sporer. *citato numero 67. 68. & 70.*

40 *Unde deduces*, Crimen notorium notorietate facti tantùm in aliqua Communitate, vel vicinia manifeſtare aliis ejuſdem loci adhuc ignaris, non eſſe peccatum ſaltem grave: Ratio eſt: quia talis criminoſus cenſetur tunc ſpoliatus, & jure, & poſſeſſione famæ ſuæ, eo ipſo, quo ejus crimen adeò manifeſtum evaſit, ut moraliter reputetur impoſſibile, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat; qui enim publicè peccat, cedit ipſo facto juri, & poſſeſſioni ſuæ bonæ famæ; ergo nulla gravis fit ei injuria, narrando.

Idem à paritate rationis dicendum de 41 crimine facto notorio ex publica præſumptione, ſuſpicione vehementi, infamia, ſeu relatione aliorum. Ut V. G. de Titio nutriente perſonam ſuſpectam. De Cajo ſæpius, & occultè ingrediente domum mali nominis.

Quæro XXIII. *Delictum proximi notorium notorietate facti in uno tantùm loco, poteritne referri, vel promulgari in aliis locis?*

℞. Quòd non. Ratio eſt, quia quan- 42 tumvis infamatus ex ſuo delicto in uno loco amiſerit hic ſuam famam, in alio tamen loco, quo notitia ſui delicti vel non debet, vel non poteſt moraliter pervenire, adhuc juſtè poſſidet famam ſuam ſaltem negativè apud neſcientes, & longinquos, quibus adhuc nullum dedit ſcandalum, nec malè audiebat: ergo referens, vel promulgans malitioſè alibi, in regione longinqua, tale delictum cum circumſtantiis delinquentem conſcribentibus, injuriam ei infert contra juſtitiam; quò enim debet fugere iſte homo, ut à tua mala lingua, vel peſſimo calamo abſcondatur? Ubi ei refugium erit?

Tum quia: delictum notorium notorietate facti in privata Communitate, Schola, Collegio, Monaſterio, Familia, Vicinia, &c. non dicitur, nec eſt abſolutè, & ſimpliciter notum, ſed tantùm ſecundùm quid, ſeu cum reſtrictione, & limitatione intra illum locum, ergo non eſt ita publicum, aut notorium, ut ſine injuria delinquentis poſſit referri, & promulgari omnibus, ſicut delictum in publica platea Civitatis, &c. perpetratum. Quare optimè conſentiunt ferè omnes D. D. injuriam mortalem inferre proximo ſuo eum, qui crimen, vel delictum tale aliis extra totalem locum (ubi commiſſum eſt) degentibus manifeſtat; non enim crimen illud notorium eſt abſolutè, ſed reſpectivè, & limitatè ad hunc locum; ideòque crimino-

minoſus retinet jus ſaltem negativum (ut retinent omnes perſonæ incognitæ, & advenæ apud me, & te) ad famam ſuam alibi.

Adde: tunc injuriam inferri non tam privatæ perſonæ criminoſæ, quàm ipſi Communitati, Collegio, Monaſterio, Familiæ; cùm enim Monaſterium, vel Collegium moraliter reputetur quaſi una Perſona politica, ideò malum unius inhabitantis redundat in malum, & in infamiam alterius: qualis conjunctio non eſt in Communitate ſæculari, Civitate, Vicinia &c. Quare à mortali culpa, excuſari non poſſunt illi Tabellarii, otioſique Referendarii, qui crimen ſui fratris, etſi in hac familia notorium, ad alios Conventus ſine ulla cauſa per modum Novellarum preſcribunt, vel itinerando referunt ubique & quandoque exornant exaggerando Ita ex Soto, Molina, Petro Navarra. Tannerio, Laymanno, & aliis DD. reſolvit P. Sporer, *tom. 2. tr. 5. c. 4. num. 71.*

Quæro XXIII. *Crimen notorium notorietate Juris, poteritne per univerſum mundum divulgari?*

43 ℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia ſicut Magiſtratus in criminis vindictam Reum publicè condemnat, ſpoliando ipſum bonis corporis, famæ, & fortunarum per publicam ſententiam ita videtur dare omnibus licentiam, ut ejus Acta publicentur in aliorum terrorem; ergo tale crimen divulgantes ubique nullam faciunt injuriam Reo, & conſequenter non peccant contra Juſtitiam. Sed neque contra Charitatem, per ſe loquendo, & ſecluſo omni alio malo affectu, & effectu; quia utuntur jure ſuo, ac licentia ſibi juſtè conceſſa à Magiſtratu, vel Principe; ut ſic tale delictum punitum ſit aliis pro exemplo; unde Hiſtorici tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares ſolent ſcriptis, & typis mandare hujuſmodi facinora.

Quæro XXIV. *Crimen notorium notorietate famæ, poteritne licitè ubique divulgari?*

44 ℞. Minimè. Ratio eſt eadem, quæ adducta fuit pro notorio *notorietate facti*, ſuprà, n. 42. nam hæc duo notoria conveniunt inter ſe.

Sed quid, ſi per injuriam aliorum delictum evaſerit jam publicum, & famoſum ferè ubique?

45 ℞. Aliqui DD. dicunt, fore tunc peccatum mortale contra Juſtitiam, ulteriùs, & alibi divulgare. Alii dicunt, eſſe mortale contra Charitatem. Et alii dicunt, eſſe peccatum tantùm veniale contra ipſammet Charitatem. Vide Leſſium, *lib. 2. cap. 11. dub. 13.* Ego adhæreo primæ opinioni; quia per injuriam nemo amittit Jus ſuum.

De Calumnia.

Quæro XXV. *Quid eſt Calumnia?*

℞. Eſt ſpecies detractionis, qua crimen falſum alteri affingitur, ſeu imponitur. 46
Eſtque peccatum graviſſimum, & plus duplo gravius detractione pura, ſeu revelante tantùm delictum verum, ſed occultum; nam qui mendacio ſuo pernicioſo falſum crimen imponit, & prodit, ſpoliat proximum tam dominio, quam poſſeſſione ſuæ famæ; omnis enim innocens, & juſtus verum dominium, & juſtam poſſeſſionem ſuæ famæ habet. Qui autem crimen verum, & occultum alterius manifeſtat, privat hominem non dominio, ſed tantùm poſſeſſione famæ; criminoſo enim reſpectu talis criminis commiſſi, *per ſe loquendo*, fama ampliùs debita non eſt; quia peccando infamis ex ſe ſe evaſit; ſed ſolùm ei convenit fama *per accidens* propter publicam ignorantiam illius criminis; ſicque manet in ſola poſſeſſione extrinſeca ſuæ famæ.

Deinde: crimen falſum alicui imponere, ſemper illicitum eſt; nam eſt mendacium pernicioſum intrinſecè malum, & repugnans præcepto negativo: *Non dices falſum Teſtimonium*; ergo ſicut numquam licet mentiri, ita, (& à fortiori) non licebit umquam falſum crimen alicui imputare. At verò crimen verum occultum alterius manifeſtare, non eſt ſemper illicitum; ſed ob certas, & graves cauſas licitum evadit. 47

Præterea multùm augetur malitia calumniæ, quando fit publicè, vel in Judicio, V. G. de falſo crimine accuſando aliquem vel Teſtimonium falſum ſcienter perhibendo, vel per Libellos famoſos aliquem vituperando. Unde morte punitur, & qui Libellum famoſum ſparſerit, & qui inventum vulgaverit; ut patet *L. Unica, C. de Libellis famoſis.* 48

De Falſo Teſtimonio.

Quæro XXVI. *Quid eſt falſum Teſtimonium?*

49 ℞. *I.* Eſt quando quis in Judicio Teſtis adhibetur, & mentitur. Mentiri enim in Judicio eſt falſum Teſtimonium dicere. Quod poteſt eſſe vel cum damno, vel ſine damno Tertii. Octavo enim Præcepto Decalogi formaliter prohibetur falſum Teſtimonium: *Non loqueris contra proximum tuum falſum Teſtimonium*. Hoc præceptum, ut negativum eſt, formaliter prohibet omne mendacium in teſtificando; ſed conſequenter præcipit etiam, ut, cùm quis teſtis vocatur, & adhibetur, dicat veritatem, ſeu verum faciat Teſtimonium.

50 ℞. *II.* Omne falſum Teſtimonium fit, vel falſum affirmando, vel verum negando, vel amphibologia aliqua, ſeu Reſtrictione mentali eludendo Judicem legitimè interrogantem: ſemperque eſt illicitum, & peccatum mortale ex genere ſuo. Et quando intercedit damnum Tertii adeſt obligatio revocationis, & reſtitutionis omnis damni inde ſecuti &c. Ratio patet: quia omne mendacium pernicioſum Tertio eſt contra Juſtitiam commutativam injuſtè lædens proximum in bonis famæ, vitæ, & fortunæ.

Quæro XXVII. *Quid, ſi Teſtis per errorem, oblivionem, aliamve cauſam excuſantem, falſum depoſueris?*

51 ℞. Cognito errore, adhuc tenetur ſuum dictum revocare ante latam ſententiam, imò & poſt latam ſententiam; ſi ſperat ei poſſe prodeſſe; ſaltem ad hunc finem, ut non habeatur teſtis integer, vel teſtis omni exceptione major: ut habetur *c. 6. Præterea, de Teſtibus.*

Quæro XXVIII. *Eſtne peccatum, nolle Teſtimonium dicere, ſubterfugere, diſſimulare?*

52 ℞. *I.* Tunc ſolùm peccatum eſt, quando quis ex Charitate obligatur teſtari; Ratio eſt: quia teſtis poſitivè teſtimonium dicere non obligatur ex Juſtitia commutativa reſpectu hominis judicandi; hic enim nullum habet Jus in alterum, ita ut alter pro eo teſtari teneatur ex Juſtitia. Ideòque non teſtando non infert ei damnum contra Juſtitiam &c. Solùm ergo obligatur ex Charitate; & conſequenter ſine proprio damno, vel gravi incommodo tenetur teſtari. Item ex Juſtitia Legali reſpectu Judicis juſtè præcipientis, ut talis teſtetur hic, & nunc ad bonum Reipublicæ, & partis. Ergo licèt talis graviter peccet contra Charitatem, & Obedientiam, ſeu Juſtitiam Legalem, non teſtando; nullam tamen inde contrahit obligationem Reſtitutionis.

℞. *II.* Obligatur autem omnis homo idoneus ſub mortali in re gravi Teſtimonium facere; quando nempe proximus eſt in gravi neceſſitate, vel periculo vitæ, famæ, & bonorum fortunæ: & tu potes eum liberare teſtando veritatem; quod ſi non facis, peccas graviter contra Charitatem erga proximum. – Ex Juſtitia verò Legali, ſeu Obedientia tenetur ſolùm teſtis ad teſtandum, quando à Judice competente legitimè citatur, legitimèque interrogatur; quia juſto præcepto legitimi Superioris in re gravi parendum eſt ſub mortali. 53

Quæro XXIX. *Quænam ſunt cauſæ excuſantes à Teſtimonio ferendo?*

℞. Sequentes. I. Si quis crimen, vel id, de quo teſtandum eſt, noverit ex ſola Confeſſione Sacramentali, vel ejus ſigillo in tota ſua latitudine. 54

II. Si crimen occultum eſt; ita ut nulla indicia publica de eo adſint.

III. Si talis criminis notitiam accepiſti ſub ſecreto naturali ad honeſtum finem.

IV. Si talem notitiam accepiſti per injuriam, vel dolum, V. G. litteras aperiendo, hominem per vim cogendo, vel ipſum inebriando.

V. Si ſcias hominem delictum commiſiſſe vel ex ignorantia, vel ex graviſſima neceſſitate, vel ex juſta alia cauſa excuſante à delicto formali, & culpa.

VI. Si ex teſtificatione hac tibi, vel tuis notabile damnum immineat.

VII. Parentes contra liberos, ſeu filios, Filii contra Parentes nec cogi, nec admitti poſſunt in Teſtimonium; exceptis criminibus atrociſſimis V. G. Hæreſis, Proditionis, Veneficii, Læſæ Majeſtatis.

VIII. Et quotieſcumque Judex non legitimè, nec juridicè te interrogat.

Circa Juramentum, & modum jurandi in Judicio vide quæ diximus de Juramento, *Tr. 15. n. 20. 53. ad 57.*

De

De Mendacio, & Veritate.

Quoniam Veritas opponitur Mendacio operæ pretium erit videre primò aliquid de Veritate, ut ſaltem quid ſit Veritas; ejuſque utilitatem, ac neceſſitatem ſciamus. Deus enim eſt Veritas per Eſſentiam, & Prima Veritas, juxta illud Joannis cap. 14. *Ego ſum Veritas*: & 1. epiſt. Joan. c. 5. *Quoniam Chriſtus eſt Veritas*. Sed de hac Veritate increata hic non eſt ſermo. Igitur.

Quæro XXX. *Quid eſt Veritas humana?*

55 ℟. *Veritas ſpeculativa*; eſt conformitas judicii ad rem judicatam, vel ſigni ad rem ſignatam. *Veritas* autem *practica*, ſeu ſecundùm conſcientiam eſt conformitas linguæ, & mentis: ſeu conſenſio ſignorum externorum cum conſcientia interna. Unde Virtus Veritatis conſiſtit in hoc, ut affectemus, & procuremus rectè uti ſignis externis, quæ nobis à Deo data ſunt ad mentem noſtram alteri manifeſtandam. Hæc autem ſigna ſunt Verba, Scriptura, Nutus, &c.

56 *Veritas* eſt Virtus ſpecialis diſtincta à cæteris moralibus virtutibus, & reducitur ad Virtutem Juſtitiæ; juſtum enim eſt, ut rectè utamur ſignis externis ad noſtram mentem pateſaciendam: qui rectus uſus in eo conſiſtit, ut ſigna ſint menti conformia: Quoniam verò hoc eſt ſpeciale bonum rationis, videlicet conſervare hanc rectitudinem in dictis, & factis, & ex hac oritur ſpecialis laus veracitatis: ideò ſpecialis eſt virtus.

57 Hæc Virtus Veritatis, ſeu Veracitatis habet pro objecto ſuo Verum, quod eſt optimum objectum. quid enim fortiùs deſiderat Anima noſtra, quàm verum, ac veritatem?

58 Utilitas hujus virtutis poteſt colligi ex dicto Eſdræ, libr. 3. capit. 3. *Super omnia vincit Veritas*. Et capitulo 4. *Omnis terra Veritatem invocat, Cœlum etiam ipſam Benedicit*. Deinde ſine Veritate vita humana ſocialis non benè, & commodè conſtare poteſt; & ubi non eſt veracitas in dictis, & factis, ibi eſt confuſio magna. Et tandem, ut inquit Div. Ambroſius, lib. de Abraham: *Veraces ſunt filii Dei: mendaces verò filii ſunt diaboli*. Et Div. Auguſtinus, tractat. 42. in Joannem. *Quomodo Deus Pater genuit Filium, Veritatem, ſic diabolus lapſus genuit quaſi filium, mendacium*.

59 Neceſſitas autem hujus virtutis colligitur ex oppoſito ejus vitio. Ariſtoteles, Ethic. libro 4. capit. 7. ait: Mendacium per ſe quidem malum eſt, & vituperabile: verum autem & honeſtum, & laudabile: bonum. — Et ex Sacra Scriptura Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit Animam*. — Proverb. *6. Sex ſunt, quæ odit Deus: Oculos ſublimes, linguam mendacem, &c.* & Pſalm. *6. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*.

60 *Virtus Veracitatis* non obligat pro quovis tempore; nam ſæpè expedit, & quandoque neceſſe eſt, mentem noſtram non aperire, ſed tegere; ſed tantùm quando tenemur pateſacere mentem poſitis debitis circumſtantiis. Vide plura apud Leſſium, *lib. 2. c. 45. dub. 5.* — P. Segnerum *in Chriſtiano inſtructo p. 1. diſc. 30.*

Quæro XXXI. *Quid eſt Mendacium?*

61 ℟. *I.* Mendacium propriè eſt locutio contra mentem: cùm videlicet aliud loquimur exteriùs, & aliud interiùs ſentimus. Nomine *locutionis* accipi poteſt omnis ſignificatio, ſive verbis fiat, ſive ſcriptis, ſive nutibus, ſive geſtibus; his enim vice verborum utimur quandoque.

62 ℟. *II.* Mendacium formaliter, & directè opponitur Veritati, ſeu Veracitati, ſeu actui veritatis; quia ſicut hæc procedit ex affectu *veri*; ita illud ex affectu *falſi*. — Mendacium eſt expreſſio falſi opinione noſtra.

Dico *opinione noſtra*; quia ſi dicas aliquod verum putans eſſe falſum, mentiris: nam *Mentiri* eſt contra mentem, & opinionem propriam loqui. Sicut è contra, ſi dicas falſum, cum putes verum, ex virtute veritatis, & formaliter verum dicis; quamvis materialiter erras, & præter intentionem.

63 ℟. *III.* Malitia mendacii intrinſeca conſiſtit in abuſu ſignorum; quia illis utimur, vel abutimur contra naturalem inſtitutionem, & finem eorum; cùm enim ſigna non ſint data à natura niſi ad exprimendum verbum mentis, judicium mentis, conceptum mentis noſtræ, mentiendo utimur illis è contrario: ita ut fiat contradictio inter mentem, & linguam, ſeu aliud ſignum loco linguæ: quod enim lingua affirmat, mens negat: & quod mens negat, lingua affirmat: hoc eſt mentiri.

℟. *IV.* Omne mendacium prohibetur

Digitized by Google

à Deo in Scripturis. Eccleſiaſtici, capit. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Proverb. capit. 13. *Verbum mendax Juſtus deteſtabitur*. Ad Coloſſ. capit. 3. *Nolite mentiri invicem*, & aliis in locis. -- Eſtque intrinſecè malum, adeò, ut ob nullam cauſam fiat licitum: neque ad ſalvandam vitam vel propriam, vel alienam ut docet Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *artic.* 3. *ad* 4. *argum.* Ubi dicit. Mendacium non ſolùm habet rationem peccati ex damno quòd infertur proximo; ſed ex ſua inordinatione, ut dictum eſt. Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta, ex defectu aliorum; & ideò non eſt licitum mendacium dicere ad hoc, quòd aliquis liberet alium a quocumque periculo. Licitum eſt tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, ut S. Auguſtinus dicit, *libr. contra mendacium. cap.* 10.

Dices: D. Thomas dicit illicitum eſſe mendacium ad ſalvandam vitam alterì; ſed non dicit eſſe pariter illicitum mendacium ad ſalvandam vitam propriam.

℟. Manifeſtè deducitur. Si non licet mentiri ad liberandum hominem à morte ergo neque licebit ad ſe liberandum; quia ſemper eſt inordinatio illicita mendacium formaliter captum: & remanet ſemper actus inordinatus, innaturalis, indebitus, quocumque ex motivo, fine, aut ex quavis cauſa proferatur.

Tum quia: quod eſt intrinſecè malum, nullo caſu, ob nullam neceſſitatem cohoneſtari poteſt, ſeu licitum fieri; Mendacium autem formaliter captum, eſt intrinſecè malum: quia à veritate, & à ratione recta alienum eſt, imò contrarium eſt veritati, & rectæ rationi, taliter, ut nec Deus (Veritatis Auctor, ac Vindex falſitatis) poteſt diſpenſare in mendacio etiam levi, nec dare nobis facultatem mentiendi; ergo neque licebit mentiri ad ſalvandam vitam propriam. Vide Laymannum, *lib.* 4. *tractat.* 3. *capitulo* 13. *num.* 8.

65 ℟. *V.* Omne mendacium ratione finis, vel effectus, dividitur in mendacium Jocoſum, Officioſum, & Pernicioſum. *Jocoſum* eſt, quod cauſa voluptatis vel propriæ, vel alienæ dicitur. *Officioſum*, quod cauſa utilitatis dicitur. *Pernicioſum*, quod alicui injuſtè nocet, ſive poſteà alteri proſit, ſive non.

Primum, & ſecundum genus mendacii regulariter ſunt veniale peccatum: Dixi *regulariter*; quia ſi addatur aliqua circumſtantia mala mortaliter, V. G. ſi ordinetur mendacium vel jocoſum, vel officioſum ad aliquem malum finem, aut ad injuriam, vel damnum notabile ſpirituale, aut temporale proximi, evadet utique mortale. Tertium genus regulariter eſt mortale; & tale eſt omne mendacium in materia Religionis, in Sacramento Confeſſionis, in Juramentis, in Detractione, in falſo Teſtimonio, in Contractibus iniquis, &c. Et quandoque eſt contra Juſtitiam, quandoque contra Charitatem, quandoque contra Religionem.

Ratione tamen materiæ, ut ſi nocumentum ſit parvum, poteſt fieri veniale: ut V. G. in parva detractione, vel deceptione proximi, ideòque dixi: *regulariter*.

℟. *VI.* Ratione ſigni dividitur menda- 66
cium in illud, quòd ſit *verbis*, & in aliud, quod, quod ſit *factis*. Mendacium *in verbis* retinet proprium nomen *Mendacii*: de quo jam ſatis dictum eſt. Mendacium in *factis* mutat nomen, & appellatur *Simulatio* propriè. *Simulatio* igitur eſt mendacium operis: quando nempe quis externo opere aliud exhibet, quàm in corde ſentit, ſallendi cauſa alterum. Et hujuſmodi ſimulatio intrinſecè mala eſt, numquam licita, ſemper, & omni caſu peccatum adversùm naturæ legem, ut probat Layman, *loco cit. numero* 8. *verſ. Porrò*.

Simulationis ſpecies eſt *Hypocriſis*: qua 67
quis ſe ſimulat eſſe bonum, juſtum, & ſanctum, cùm non ſit. *Hypocriſis* poteſt eſſe peccatum mortale *ratione finis pravi*; ut ſi quis ſimulet ſe juſtum, Sanctum, Prophetam, Doctorem veritatis, ut falſam Doctrinam ſeminet; ſicut faciunt Hæretici. Item *ratione contemptus Sanctitatis, vel Religionis internæ*, qui contemptus ſæpè cum Hypocriſi eſt conjunctus. Hoc modo peccant multi *Politici*, qui ſolùm curant, ut exteriùs videantur juſti, vel Religioſi, cùm internam Religionem, aut Juſtitiam nihili faciant. Utraque Hypocriſis eſt peccatum mortale contra veritatem, & Religionem erga Deum; nam *Hypocryſis* eſt ſimulationis ſpecies; ſimulatio autem eſt mendacium in facto, ſeu in opere: ergo &c. Quòd autem etiam ſit peccatum contra Religionem

erga

erga Deum, patet; quia eſt ſimulatio
Sanctitatis; ergo eſt impietas. Quis ma-
gis impius (inquit S. Bernardus in Gloſ.
Ord. Matth. 6.) an profitens impieta-
tem, an mentiens Sanctitatem? Nonne
iſte, qui etiam mendacium addit, & ge-
minat impietatem?

68 *Hypocriſis*, quocumque fine, etiam bono
fiat, ſemper eſt peccatum. Unde ſi quis
velit fingere virtutem, ne alios ſcandali-
zet, peccat ſaltem venialiter: ratio eſt;
quia eſt mendacium quoddam; at menda-
cium, quocumque fine fiat, ſemper eſt
peccatum. Vide Toletum, *lib.* 8. *c.* 9. Leſ-
ſium, *lib.* 2. *c.* 47. *dub.* 6.

De Contumelia.

Quæro XXXII. *Quid eſt Contumelia?*

69 ℞. Eſt injuria irrogata alicui in faciem
& palàm, qua honor, & bona æſtimatio
illius violatur. Et tripliciter fieri poteſt,
Verbo, *Scripto*, *&* *Facto*. — Sub Contu-
melia, quæ fit *Verbo* comprehenduntur
Convicium, Improperium, & Maledi-
ctum. — Contumelia quæ fit *Scripto* ani-
mo infamandi, Libellus famoſus in Jure
appellatur. — Ad Contumeliam tandem,
quæ fit *Facto* pertinent Irriſio, & Sub-
ſannatio.

70 *Contumelia* ex genere ſuo eſt peccatum
mortale. Probatur ex illo Salvatoris di-
cto Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue
reus erit gehennæ ignis*. Nam ut explicat
hic Cornelius à Lapide, ſub ly *fatue* in-
telliguntur reliqua genera Conviciorum,
Calumniarum, Probrorum, & Impreca-
tionum, quæ, ſi valdè Proximum deho-
norent, aut ex animo graviter nocendi
proferantur, ſunt peccata mortalia.

71 *Contumelia* eſt injuſta ablatio, vel di-
minutio honoris: & conſequenter eſt
peccatum contra Juſtitiam commutati-
vam, majus Detractione; quia, veluti
rapina honoris, fit palàm in præſentia,
vel quaſi præſentia patientis illam. Et
aliquando conjuncta eſt cum Detractio-
ne. Ut V. G. Si alicui honorato coram
aliis occultum vitium objicias vel in ſpe-
cie, vocando eum *adulterum*, *ſodomitam*,
vel in genere dicendo, *te ſcire aliquid de
illo, quod ſi diceres, ipſe erubeſceres*; detra-
ctio iſta induit rationem, ſeu malitiam
contumeliæ.

72 Dixi, ex genere ſuo contumeliam eſſe
peccatum mortale; ſiquidem per acci-
dens poteſt fieri veniale: tum ob defe-
ctum actus plenæ voluntatis, ac delibe-
rationis, ut ſi in primo motu iracundiæ
proferas verbum contumelioſum; tum
ob levitatem materiæ, ut ſi contumelia
vel in ſe ipſa levis ſit: vel ratione per-
ſonæ, cui infertur, aut à qua infertur,
levis evadat. Nam eadem omninò con-
tumelia, quæ erga Dominum, Patrem,
Virum gravem, Religioſum prolata fo-
ret peccatum grave, ſi proferatur erga
ſubditum, plebejum, puerum, veniale
eſſe poteſt V. G. Viro gravi, & honora-
to dicis: *tu es fatuus*: *ſine cerebro*: gra-
vis contumeliæ erit; quæ verba prolata
in puerum, vilem, ſtupidum, erit levis
contumelia; & ſic de ſimilibus. — Eva-
dit etiam levis contumelia, quando ver-
ba contumelioſa (etſi in ſe gravia) non
æſtimantur talia, ut graviter lædant per-
ſonas illius conditionis, vel regionis;
nam in uno loco verba habent unam ſi-
gnificationem, in æſtimatione hominum,
diverſam ab alia alterius loci, ut patet
experientia.

Item attendenda eſt circumſtantia mo- 73
di dicendi; nam ſi verba contumelioſa
materialiter tantùm dicantur, vel joci
cauſa; non erit peccatum grave; dum-
modò abſit periculum graviter contriſtan-
di proximum, vel ad iram commovendi,
vel ſuſcitandi rixas; quia tunc ſtante tali
periculo, & prævıſo, dicere proximo
convicium, aut contumelioſum verbum
materialiter tantùm, erit peccatum con-
tra Charitatem.

Præterea attendendus eſt finis. Enim- 74
verò, ſi juſtæ objurgationis, correctio-
nis, ac diſciplinæ cauſa dicantur verba
contumelioſa, non erit peccatum, ſaltem
grave; Unde Magiſtri diſcipulos, Domi-
ni ſervos, Patres filios duriùs per ver-
ba convicii, ſeu contumeliæ pungentes,
caſtigantes, & increpantes, non pec-
cant: dummodò moderatè ad juſtam cor-
rectionem id agant. Ut cum D. Thoma
docet P. Anacletus noſter, *Tract.* 9. *diſt.*
6. *q.* 2. *&c.*

Quæro XXXIII. *Quid eſt Convitium?*

℞. Convitium ſæpè confunditur cum 75
Contumelia; differt tamen per hoc, quòd
per verba contumelioſa cuipiam objicia-
tur, atque exprobretur *defectus culpæ*; V.
G. dicendo, quòd ſit *fur*, *adulter*, *infa-
mis*, per convicium verò exprobretur *de-*

ſectus pœnæ, vel naturæ; V. G. objiciendo, quòd ſit *luſcus, gibboſus, deformis*.

Quæro XXXIV. *Quid eſt Improperium?*

℞. Eſt exprobrare proximo defectum in-
76 digentiæ. V. G. Quando quis alteri injurioſè reducit in memoriam ſtatum præteritum ſuæ miſeriæ, & auxilium ei præſtitum in tali neceſſitate.

Quæro XXXV. *Quid eſt Maledictum, ſeu Maledictio, aut Imprecatio?*

77 ℞. Eſt imprecari aliquod malum pœnæ proximis noſtris. Ut ſi quis imprecetur cuipiam diabolum, fulgura, necem. Cujus quidem peccati uſurpatiſſimi malitia potiſſimùm dimentienda eſt ex advertentia, deliberatione, animoque proferentis maledicta: nam, ut inquit D. Thomas, 2. 2. *qu.* 73. *art.* 2. *in cap.* Peccata verborum maximè ſunt dijudicanda in intentione dicentis. Vide quæ diximus, *Tract* 14. *n.* 20. *uſque in finem*. Et *Tr.* 22. *à n.* 1. *ad* 5.

Quæro XXXVI. *Quid eſt Irriſio, vel Deriſio?*

78 ℞. Eſt contumelia luſu facta, animo tamen lædendi honorem, & pudorem alterius. *Irriſio* dicitur, quia fieri ſolet hæc contumelia ridendo, & plaudendo. Quæ contumelia, ſi fiat mediante aliqua deceptione, *Illuſio* nominatur. Si verò fiat motibus inordinatis corporis, vel membrorum, *ſubſannatio* appellatur. Omnia, & ſingula hæc ludibria, ſi deliberatè, & ſeriò fiant in contemptum, vel animo inhonorandi, irritandi, mortalia ſunt ex genere ſuo; quia reducuntur ad veram contumeliam; niſi levitas materiæ, vel imperfectio actus, vel jocus excuſet. Majus erit peccatum, ſi fiant Parentibus; vel viris Sanctis, *v. numero* 80.

Quæro XXXVII. *Quid eſt Libellus famoſus?*

79 ℞. Eſt contumelia famoſa ſcripto facta; quando nempe quis animo infamandi quempiam, crimen, vel defectum ejus, ſcripto domui appenſo, vel injecto, aut publico loco affixo, vel in vulgum ſparſo, manifeſtat. Huc ſpectat etiam pictura famoſa, & opprobrioſa, V. G. pingendo cornua patibulum, & ſimilia ſigna. — Eſt peccatum mortale graviſſimum contra Juſtitiam. Et non tantùm peccat, qui compoſuit, edidit, verùm etiam qui inventum libellum non laceravit, ſed manifeſtavit aliis. Et hoc delictum in Jure Civili capitali pœna plectitur: *L.* 5. *ff. de injuriis*. Et *L.* 1. *Cod. de famoſ. libell* — Jure autem Canonico perpetuæ infamiæ pœna punitur à Gregorio Papa Tertiodecimo in quadam Conſtitutione .... Ad hoc crimen reducuntur compoſitiones calumnioſæ, & irriſoriæ, quæ vulgo dicuntur *Paſquinate*: maximè quæ ſunt contra honorem Superiorum, & Prælatorum.

Magnum eſt peccatum, ſi hominem derideas ob virtutis exercitium: tum quia objectum grave eſt, ludibrio exponere opus bonum: tum quia ea ratione homo à ſtudio virtutum ad vitia perducitur ex metu, &c. Quantoperè autem Deus deteſtetur tales deriſores colligi poteſt ex Sacra Scriptura. 1. Regum, c. 2. *Erat ergo peccatum puerorum* (Heli Sacerdotis) *grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à Sacrificio Domini*. 80

Item, *Irriſio*, & *ſubſannatio*, quæ fit Parentibus, grande etiam peccatum eſt, ſpeciali virtuti Pietatis, vel Obſervantiæ oppoſitum. Quare Proverb. capit. 30. dicitur: *Oculum, qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ, ſuffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*. Vult dicere, talem eſſe dignum, qui patibulo ſuſpendatur, & devoretur à corvis, & aliis animalibus, ut explicat Layman, *libro* 3 *tractat.* 3. *part.* 2. *capitulo* 6. *numero* 4. Et de Cham filio Noe legitur Geneſ. cap. 9. quòd eò quia irriſiſſet Patrem ſuum, maledictionem obtinuit filio ſuo Chanaan. Sed cur non ſibi ipſi? Quia (inquit Lyranus noſter) Noe maledixit Patri in ejus Filio: quia filius iſtud flagitium incœperat: vel, ut per hoc oſtendatur quòd ipſe Cham non ſolùm eſſet maledictus in perſona ſua, ſed quòd etiam iſta maledictio ad ſuos poſteros derivaretur.

Omnes præfatæ, & aliæ ſimiles Contumeliæ, ſeu injuriæ contra honorem proximi, quantùm eſt ex hoc capite, ſeu vitio, per ſe, ſunt ejuſdem ſpeciei peccata; cùm objectum formale (ſcilicèt injuſta læſio, vel diminutio honoris proximi) in omnibus idem ſit; adeò ut in Confeſſione non ſit opus explicare illos varios modos inhonorationis; ſed ſufficiat dicere: *Contumeliam gravem intuli proximo*. 81

Dixi: *quantùm eſt ex hoc capite, ſeu vitio,*

vitio, per ſe: quia per accidens ſæpiſſimè accedit alia ſpecies, vel malitia peccati ex circumſtantiis, neceſſariò explicanda in Confeſſione. Et ut habeas diſtinctam aliquam cognitionem de hac materia, explicabo aliquas circumſtantias ſpeciem mutantes.

I. Si contumeliam inferas ſimul lædendo famam: duplex erit malitia; una contumeliæ, altera detractionis.

II. Si ex odio, vindicta, &c. Ecce malitia nova odii, vindictæ, &c.

III. Si prævideas, proximum commotum in blaſphemiam, indignationem, maledictionem lapſurum. Ecce peccatum ſpeciale ſcandali contra Charitatem.

IV. Si irrideas aliquem exercentem actum virtutis, vel Pietatis Chriſtianæ. Adeſt ſpeciale peccatum contra virtutem Religionis, quod reducitur ad peccatum in Spiritum Sanctum.

V. Si Parenti, Superiori, Magiſtro illudas. Addis novum peccatum contra Pietatem, vel Obſervantiam. Et ſic de ſimilibus.

De Suſurratione.

Quæro XXXVIII. *Quid eſt Suſurratio?*

82 R. Eſt peccatum linguæ diſcordias ſeminantis; dum quis occultè de proximo malè loquitur, moliendo odium ejus, ac diſſenſionem inter ipſum, & audientes. Finis ſuſurrationis eſt, diſſeminare diſcordias inter conjunctos, & amicos. Gravitas hujus peccati patet experientia: quia eſſe ſolet ruina familiarum: tuum quia, quantò amicitia præſtat famæ, tantò ſuſurratio, per quam amicitia tollitur, fit gravius peccatum Detractione: cùm peccatum in proximum eò gravius ſit, quò per ipſum majus nocumentum proximo infertur; ſed ſuſurrationis vitium deſtruit Amicitiam, unionem, pacem, concordiam Amicorum, Parentum, Conſanguineorum, ac multorum eſt cauſa malorum; ergo, &c. Hinc Spiritus Sanctus in Eccleſiaſtico cap. 28. dicit: *Suſurro, & bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes... Et diſperſit illos de gente in gentem.* Et enarratis aliis graviſſimis malis cauſatis à lingua ſuſurratrice, ſubdit: *Qui reſpicit illam, non habebit requiem, neque habebit amicum, in quo requieſcat.* Et libr. Proverbiorum, cap. 6. *Sex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur Anima ejus*: hoc ſeptimum eſſe, *Eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

De modis reſarciendi famam, & honorem.

Quæro XXXIX. *Quomodo Fama, vel Honor injuſtè ablatus reſarciri poteſt, ac debet?*

R. I. Qui falſum crimen ſcienter Proximo ſuo impoſuit, debet retrahere verba ſua apud eos, quibus dixerat: ideſt apertè retractare quod falsò dixit eis. Ratio eſt: quia hoc exigit Juſtitia: reddere Proximo, quod ſuum eſt; aliàs non ſervaretur Juſtitia commutativa, quę dicit, *Redde quod debes*. Vide quæ diximus de Reſtitutione in communi, *tr. 35. à n. 1. & ſeqq.* nam hìc non expedit omnia repetere, ſed applicare. Quæ ergo diximus de Reſtitutione bonorum fortunæ, dicendum erit de Reſtitutione famæ: Exceptis quibuſdam particularitatibus, ut infrà. Lege igitur ibi dicta, & applica hic à fortiori; quia bonum famæ, & honoris majus bonum eſt, quàm bona fortunæ, ut diximus in hoc *Tractat. 36. num. 3.* Ita communiſſimè omnes DD. cum D. Thoma, *2. 2. quæſt. 62. art. 2.* & Scoto Doctore noſtro, *in 4. diſt. 15. q. 4.* Nulla enim alia videtur differentia inter Reſtitutionem bonorum fortunæ, & famæ, niſi hæc; quòd in Reſtitutione bonorum fortunæ redduntur res pro rebus: in Reſtitutione autem famæ redduntur verba pro verbis. 83

Qui ergo per detractionem calumnioſam, ſeu per falſi criminis impoſitionem proximi famam læſit, vel abſtulit, tenetur poſtea apertè retractare quod falsò dixit apud eos, quibus dixit. Ratio ipſa hoc dictat. Tum quia omnis, qui alterum injuſtè læſit in bonis alicujus momenti, obligatur ex Juſtitia compenſare damnum illatum; Sed lædens alterum in bonis famæ per detractionem calumnioſam, utique lædit in bonis magni momenti, & majoris ex genere ſuo, quàm ſit bonum fortunæ.

R. II. Qui ſcienter impoſuit falſum crimen alteri communiter tenetur etiam fateri, ſe mentitum eſſe: ac ſibi imputare debet dedecus; quia in culpa fuit. Tum quia homines propenſiores ſunt ad credenda mala, 84

mala, quàm bona de proximo: Quòd ſi audientes non acceptaverint retractationem tuam ſimpliciter factam, teneberis etiam adhibere Juramentum. Si autem tibi etiam Juranti nollent credere, debes dicere, te partem debitam impleſſe, & ipſis imputabitur injuria falſæ æſtimationis.

85 ℞. *III.* Retractatio falſi criminis omninò fieri debet, non obſtante infamia æquali, & periculo damni incurrendi. Ut ſi quis alterum per calumniam accuſavit, aut contra alium ſcienter falſum Teſtimonium dixit, ex quo illi innocenti mors immineat: manet obligatus calumniator ad retractandum ſuum dictum, etiam cum æquali infamiæ, ac mortis periculo; quia in pari cauſa ſemper melior eſt conditio innocentis, quàm nocentis; neque Charitas erga ſe ipſum poteſt eripere Jus alterius integrum.

86 ℞. *IV.* Talis calumniator tenetur etiam admonere alios, quos ad falſum illud Teſtimonium ferendum induxit, ut & ipſi ſe ſe retractent. Et ipſis recuſantibus, tenebitur calumniator Judici fraudem aperire; quamvis ſibi periculum vitæ immineret.

87 ℞. *V.* Obligatio reſtituendi famam perſonalis eſt, tam reſpectu lædentis, quàm ex parte læſi. Quia ſicut ipſum Jus famæ perſonale eſt, & proprium perſonæ habentis talem famam: ita & læſio famæ eſt propria lædentis. Unde ſequitur, quòd Reſtitutio famæ non tranſit ad hæredes; niſi in caſu ſpecialis pacti: ut V.G. ſi Pater moribundus filio, vel amico committeret onus reſtituendi; quo caſu filius, vel amicus non ſuo, ſed Defuncti nomine famam deberet reſtituere.

88 ℞. *VI.* Ignotus tamen infamator, vel auctor calumniæ reſtituere poteſt famam per interpoſitam perſonam; quia ordinariè non tenetur ſe prodere. Obligabitur tamen quandoque ſe prodere, caſu nempè quo aliter reſarciri non poſſet fama injuſtè ablata, maximè in Judicio. Item quando alius pro auctore calumniæ, & damni habitus eſſet; & de ejus vita, & fama periclitaretur ob rationem allatam *ſuprà numer.* 85.

89 ℞. *VII.* Infamans alterum, ſive crimen falſum imponendo, ſive etiam verum crimen occultum manifeſtando ſine juſta cauſa, non ſolùm tenetur ex Juſtitia reſtituere ipſi famam, verùm etiam quodvis aliud damnum reale ex tali diffamatione ſecutum infamato, ſi illud intendit, vel prævidit. Unde ſi infamatus Officio, Dignitate, bonis ſuis privatus, vel punitus fuit, debet infamator injuſtus facere integram compenſationem arbitrio viri prudentis, & probi infamato damnum paſſo. Ratio patet ex dictis de Reſtitutione ex delicto formali, & injuſta damnificatione, *Tract.* 35. *n.* 2. 5. 20. 44. *& alibi*. Tum quia omnis, qui ſcienter dedit cauſam injuſto damno alterius, tenetur ex Juſtitia illud damnum compenſare, eo modo, quo poteſt.

90 *Dices*. Quòd quis ad hanc compenſationem damni teneatur in conſcientia, quoties crimen falſum impoſuit, mihi videtur certum, & juſtum. At quando ſolùm manifeſtavit crimen certum, aliàs occultum; hoc mihi videtur nimis durum. Quia illud damnum inde ſecutum potiùs crimini vero adſcribi debet, tamquam veræ cauſæ, non autem evulgatori illius criminis, qui cenſetur potiùs occaſio, vel conditio *ſine qua non* illius damni; ideòque manifeſtans illud crimen tenebitur ſolùm aliqualem compenſationem arbitrio boni viri, non autem ad totalem.

℞. Hæc quidem eſt opinio Soti, *l.* 4. *de Juſt. q.* 6. *art.* 3. Sed noſtra Reſolutio vera eſt in Juris rigore, ut, cum Leſſio, Laymanno, Navarro, Navarra, Molina, & aliis DD. communiter, docent noſter P. Sporer, *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 85. Tum quia crimen occultum, ut tale, per ſe non habet ullam vim inferendi damnum illud, ſed accipit vim ſuam per evulgationem: ergo evulgator eſt tota cauſa moralis, & efficax damni ſecuti; ſicut ſi quis ignem latentem ſub cinere erueret, & fœno applicaret, is utique eruendo, & patefaciendo ignem, atque applicando fœno, tota cauſa orti incendii meritò diceretur.

91 ℞. *VIII.* Hæc actio damnificativa, ſeu obligatio reſtituendi, vel compenſandi damna ex injuſta diffamatione, cùm ſit obligatio realis, tranſit ad hæredes diffamantis. Hoc quid durius tibi videbitur; & tamen eſt certum apud Doctores citatos.

Dices. Nonne dixiſti *ſuprà*, *num.* 87. obligationem reſtituendi famam eſſe perſonalem.

℞. Utique, ut patet. Quid inde? Annon vides duplicem hic inveniri obligationem, unam perſonalem, (de qua ſuprà) alteram realem, de qua modò lo-

quimur

quimur? Ergo ſi moribundus per ſe non valet ampliùs famam reſtituere; utique non tenebitur. At verò reſarcire damna realia à ſe cauſata, ſi non poteſt per ſe, tenetur per alios, nempe hæredes ſuos; quia hæres repræſentat perſonam Defuncti quoad omnes actiones reales concernentes bona temporalia ipſiuſmet Defuncti, in quibus bonis hæres ſuccedit loco Defuncti.

92 ℞. IX. Qui alium infamavit, evulgando verum illius occultum crimen, certum eſt, quòd tenetur adhibere omnia media, quæ neceſſaria, ac utilia putantur ad conceptam criminis opinionem abolendam, & famam, ſeu bonam æſtimationem de proximo læſo apud audientes reintegrandam. *At ſine mendacio, & ſine majori damno proprio*. Et certè ſine periculo mortis propriæ; eſtò infamatus à ſe de vero occulto crimine condemnandus eſſet, etiam ad ultimum ſupplicium. Ratio eſt; quia in hoc ultimo caſu ſententia eſſet juſta pro vero crimine; ergo tu licèt peccaveris contra Juſtitiam crimen illud occultum manifeſtando, non tamen fuiſti cauſa mortis illius criminoſi; ergo non eſt ratio, cur ad liberandum reum, vitam tuam exponere periculo, obligeris. Etſi alia damna (vitæ inferiora) ſecuta compenſare obligatus maneas.

93 Unde deduces, quòd Detractor in caſu prædicto nec debet, nec poteſt dicere abſolutè, ſe mentitum fuiſſe, vel falſum dixiſſe ſimpliciter, ſine aliqua vera æquivocatione. Poterit ergo dicere, *ſe malè, & injuſtè locutum: injuriam tali perſonæ honoratæ feciſſe: non rectè advertiſſe veritatem: ſe erraſſe: deceptum fuiſſe: & ſimilia*.

Quid ſi hæc media non ſufficiant?

℞. Qui fecit quod potuit, legem adimplevit. Scio difficilimum eſſe, integrè reſtituere famam ablatam; nihilominus reſtituenda eſt modo poſſibili; ſufficit ergo recompenſatio prædictis modis facta abſque mendacio, aut reſtrictione mentali, quæ prohibita eſt ex propoſitione *vigeſima ſexta* damnata ab Innocentio Papa XI. Audi D. Thomam, *in 2. 2. qu. 62. art. 2. ad arg. 2.* Cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: tenetur ad reſtitutionem famæ quantùm poteſt; ſine mendacio tamen: utpotè, quòd dicat, *ſe malum dixiſſe, vel quòd injuſtè eum diffamaverit*.

Auſculta Doctorem noſtrum Scotum, *in lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 4. §. de ſecundo*. Dico; quòd non tenetur retractare verbum ſuum, quod propoſuit in publico: quia hoc faciendo, mentiretur, cum ſciat illud, quod propoſuit, eſſe verum: & non tenetur mentiri propter quodcumque bonum reddendum alteri; ſed tenetur alio modo licito reddere illi famam: utpotè, per hujuſmodi verba, *Non credatis eum eſſe talem; malè enim dixi, & fatuè dixi*. -- Quia non ſervato ordine Juris, propoſuit in publico, quod non eſt verùm publicum.

Quòd ſi tali loquendi formula, ac proprii dicti retractationem non ſperes, te conceptam infamiam ab auditoribus, ſeu opinionem narrati criminis tollere poſſe; teneberis (inquit Laymann, *l. 3. de Juſt. tract. 3. p. 2. c. 7. n. 2.*) infamato aliam æquivalentem famæ compenſationem facere: puta, eum laudando coram illis, honorem ejus defendendo, quotieſcumque ſe occaſio præbet ob alias ejus dotes: quoad tantum honoris, ac famæ illi per te accedat, quantum detraxeras. 94

Idque multò magis faciendum eſt, quando falsò aliquem infamaſti, & famam ipſi ablatam *directè* reſtituere non potes. Dixi, *quando non potes*; quia quamdiu potes, crimen (de quo alium injuſtè infamaſti) in ſpecie retractare, non ſatisfacis, ſi, omiſſa hac reſtitutione, hominem illum in aliis virtutum generibus commendes; quia dum aliquis uno genere vitii (V. G. adversùs juſtitiam, vel caſtitatem) infamatus manet, non poteſt vir bonus, juſtus, ac probus dici, vel prædicari; ergo infamia hæc contra juſtitiam, vel caſtitatem debet tolli per retractationem. 95

℞. X. Si quis famam injuſtè ablatam non poſſit directè per retractationem, nec indirectè per laudem aliarum dotum reſtituere infamato, probabile eſt, eum tunc omninò excuſari, neque pecunia compenſandum, vel ſatisfaciendum eſſe ante Judicis ſententiam. Ratio eſt; quia commutativa Juſtitia ſuaptè natura non aliud exigit, quàm reſtituatur res ablata, vel aliud, quod ei ſecundùm hominum æſtimationem æquivaleat; pecunia autem non æquivalet famæ ablatæ; nam inter res venales, ſive pecunia æſtimabiles, fama numerari non poteſt; ergo pro fama ablata non debet reſtitui pecunia, etiam 96

quan-

Digitized by Google

quando ipſa fama alio modo reſtitui non poteſt. -- Confirmatur: Qui impotens eſt reſtituendi pecuniam debitam, non obligatur ad reddendam famam; ergo è contrario &c. Verùm quidem eſt, Judicem poſſe reum condemnare ad ſatisfaciendum Actori in pecunia pro fama; at non ex Juſtitia commutativa, ſed vindicativa. Ita cum multis aliis DD. Laymann *cit. n.* 3.

Contraria tamen ſententia etiam probabilis eſt, & favet pauperibus infamatis, quam docent D. Thom. Scotus noſter, Adrianus, Soto, Sà, Molina, apud Laymann l. c. & alii, ut Cajetanus, Ricardus, Valentia, Tannerus, apud Sporer. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 126.

Videamus rationes hujus opinionis. D. Thomas, 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. *argum.* dicit: In quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit, quòd recompenſetur quod poſſibile eſt, ſicut pater de honoribus, qui ſunt ad DEUM, & ad Parentes. Et ideò quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta, cùm aliquis alicui abſtulir membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundùm arbitrium boni viri. -- Et *ad* 2. *arg.* ubi ſpecialiter loquitur de reſtitutione famæ, dicit: Tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt . . . Vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut & in aliis dictum eſt: *in ſolutione ad* 1. *ut ſuprà*. -- Fundamentum autem hujus ſententiæ eſt illud Axioma Legale: *Qui reſtituere non poteſt quantùm debet, reſtituere debet quantùm poteſt.*

97 Joannes Azorius, *Inſtit. Moral. p.* 3. *l.* 5. *c.* 9. *q.* 13. citans Navarrum pluribus in locis, ait, eſſe communem opinionem, quæ tenet, & docet, adeſſe obligationem compenſandi famam ablatam pecuniis, quando aliter fama reſtitui non poteſt. Ratio hujus eſt; quia etiam vita, vel membrum alteri abſciſſum, cùm reſtitui non poſſit, ſolet pecuniis compenſari: ergo ſimiliter & fama . . . Non tamen debetur, nec datur pecunia, tamquam pretium famæ, ſed ad reſarciendum damnum, quod ex fama ablata conſecutum eſt. -- *Adderem ego*, quòd datur pecunia in hoc caſu ad ſatisfaciendum (eo meliori modo, quo poteſt) nocumento illato Proximo, non ſolùm in fama, ſed etiam in animo ex triſtitia, & in corpore ex paſſione, & afflictione cordis; magnum enim eſt damnum pati injuſte calumniam, detractionem, improperium. Volui hanc opinionem adducere, & probare in favorem pauperum, ne poſt amiſſam injuſtè famam, fame pereant.

Philippus Faber Faventinus, *tom. de Reſtitutione, diſp.* 53. *n.* 122. cum Navarro pariter dicit: Pro fama ſola nullam poſſe fieri compenſationem per pecuniam: quia ſunt bona diverſorum ordinum: & proinde unum non poteſt compenſare aliud; nam certum eſt, neminem cogi poſſe ad recipiendam pecuniam loco reſtitutionis famæ; quia fama eſt pretioſior toto mundi auro. Et quando pro fama fit aliqua compenſatio per pecuniam, non datur nec debetur pecunia pro compenſatione famæ, ſed pro compenſatione damnorum ex infamatione ſecutorum. Sic etiam cùm pro damno corporali datur pecunia, non compenſatur damnum corporale &c. ſed compenſantur damna, quæ ex læſione corporis ſecuta ſunt; quod etiam ſentit Navarrus, *capit.* 17. *numer.* 90., & alii DD. 98

Sed ego hìc quæro, quid intelligant iſti Doctores *per damna ſecuta ex læſione corporis, & famæ?* Si intelligunt damna merè temporalia; De hoc puncto nulla eſt difficultas, ut patet ex dictis *ſuprà n.* 89. Et tunc ſumus extra quæſtionem propoſitam, *n.* 96. Si autem intelligant damna alterius ordinis, V.G. de paſſione corporis, afflictione cordis, triſtitia animi, dedecore, verecundia, ignominia, opprobrio &c. toleratis à patiente infamiam; tunc ſumus in caſu, & iſti DD. videntur favere opinioni D. Thomæ loc. cit. Et opinioni Scoti Doctoris noſtri, qui, *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. §. *De primo*; docent, damnificantem alium in bonis Animæ teneri modo ſibi poſſibili reſtituere ei damnum. Ratio hujus ſatis patet; quia cùm virtutum bona ſint maxima, (ſecundùm Auguſtinum, *lib.* 1. *Retract. cap.* 9.) plus damnificat, quàm qui in quibuſcumque aliis: & per conſequens plùs *ſecundùm juſtitiam* tenetur ad reſtituendum proximo tale bonum, *quantùm ſibi poſſibile eſt*. Loquens verò de damnificante alium in bonis corporis, §. *De ſecundo*: dicit Scotus, quòd homicida injuſtus *tenetur ad aliquam reſtitutionem* 99

pro

pro damno primo, & maximo, ſcilicet vitæ ablatione: Et ponit ibi modum congruum; poſtea dicit. Quòd ſi nec tantam reſtitutionem velit facere, non poteſt omninò eſſe immunis à reſtitutione, ſicut quidam fatui faciunt, qui abſolvunt homicidas, non eis oſtendentes reſtitutionem neceſſariò incumbentem: quaſi faciliùs (Nota benè) poſſet tranſire homicida, quàm, ut ità dicam, canicida, vel bovicida; quia ſi quis occidiſſet bovem, vel canem proximi ſui, non abſolveretur ſine reſtitutione; tenetur ergo (homicida) ad reſtitutionem ſpiritualem æquivalentem vitæ, quam abſtulit, *ſicut poteſt eſſe æquivalentia in talibus*. Hæc Scotus.

100 Mens ergo, & opinio Scoti, & D. Thomæ eſt una, & eadem; quia conveniunt in hoc puncto, quod ubi non poteſt fieri reſtitutio ad unguem in eiſdem bonis, debet fieri in æquivalenti quantum (ideſt, eo meliori modo, quo) fieri poteſt. Ergo qui non poteſt reſtituere famam ablatam, debet facere aliquam recompenſationem in aliis bonis. Vide quæ diximus, *Tract. 25. n. 55. & ſeqq.*

Quæro XL. *An infamatus, cui nulla facta eſt reſtitutio, poſſit licitè uti occulta aliqua compenſatione in bonis, aut pecuniis infamantis?*

101 ℞. Quòd non; nam hac conceſſa licentia, heu! quæ confuſio? Quanti etiam tunc unuſquiſque æſtimaret ſuam famam ablatam? Ergo per ſe, ſeu propria auctoritate non licebit uti compenſatione pro fama, ſicut licet in debitis pecuniariis ejuſdem valoris; poterit tamen recurrere ad Superiorem ut ſibi juſtitiam vindicativam faciat in tali caſu. Et tunc ſi Judex in pœnam criminis infamatori imponat pecuniariam ſatisfactionem ex æquitate infamato applicatam, iſte tuta conſcientia poterit, eam recipere. Ita Navarra, Navarrus, Valentia, & alii DD. apud Sporerium, *tom. 2. tract. 5. cap. 4. n. 128. & 129.*

Quæro XLI. *Qualis erit modus reſtituendi honorem?*

102 Prænotandum eſt diſcrimen inter læſionem famæ, & honoris quoad punctum Reſtitutionis; fama enim, ſeu bona æſtimatio de aliquo eſt aliquid jam exiſtens in bonis illius, cui detrahitur: Unde per injuſtam detractionem ſemper aufertur alicui id, quod jam poſſidebat pleno jure, & ſic ei ſemper damnum infertur in bonis famæ: & conſequenter detrahens ad reſarciendum tale damnum ſemper obligatur. Honor autem non eſt aliquid priùs exiſtens in bonis ejus, cui aufertur; ideòque qui alterum poſitivè, vel negativè inhonorat, non aufert ei aliquid, quod ille jam poſſederat, ſed ſolùm negat ei id, ad quod accipiendum ille jus habeat, nempe extrinſecam reverentiam ſibi debitam &c. unde, per ſe loquendo, ſolùm infertur ei injuria, non autem damnum; niſi in tali inhonoratione eſſet, & detractio injuſta, ſicut in contumelia calumnioſa. Hoc notato.

℞. *I.* Si læſio honoris ſolùm inferat injuriam, & nullum aliud damnum: ut ſi Titio, (ſecluſo omni damno, vel contemptu ab aliis inferendo, vel inde ſecuturo) neges ſigna honoris ei debita: vel ſi, nemine audiente, *appelles Titium ſtultum, adulterum, ſpurium*; nulla tibi erit obligatio reſtitutionis propriè captæ, ſed ſolùm ſatisfactionis pro injuria ei irrogata: V.G. veniam petendo ab eo. Ratio eſt: quia, juxta alibi dicta, (*Tract. 35. n 8.*) pro ſola injuria non debetur aliqua reſtitutio ante Judicis ſententiam, ſed ſolùm debetur aliqua ſatisfactio ex Charitate, ſeu reconciliatio fraterna; ut nimirùm erratum tuum agnoſcas, veniam petas, aliove competenti modo proximi animus exacerbatum, & offenſum tibi reconcilies, juxta Chriſti Domini præceptum Matth. 5. *Vade priùs reconciliari fratri tuo.* 103

℞. *II.* Si autem coram aliis inhonoraſti, aut contumelia affeciſti Titium, dicendo prædicta verba, ſive ſint vera, ſive falſa; teneberis utique ex juſtitia coram eiſdem honorem debitum ei reſtituere, ſeu reintegrare, conando, quantum in te eſt, ut ii permoveantur, ut de Titio, ſicut priùs benè, & honorificè ſentiant, & ei conſuetum honorem exhibeant. Ratio eſt, quia tunc talis læſio eſt damnoſa ad inſtar detractionis. 104

℞. *III.* Quotieſcumque læſio honoris eſt damnoſa inhonorato inſtar detractionis; tunc ſecundùm gravitatem injuriæ offenſæ, damni, & qualitatem perſonarum, conſuetudinem locorum, aliaſque circumſtantias prudentis judicio, reparandus erit honor ſimul cum fama, juxta dicta *ſuperiùs à n. 83. & ſeqq.* 105

℞. *IV.* Efficaciſſimus modus reſtituendi 106 hono-

honorem injuſtè ablatum eſt quòd delinquens coram aliis petat veniam ab offenſo cum ſigno doloris, & retractationis. Et hic modus maximè convenit inferioribus erga majores, & etiam æqualibus erga æquales.

107 Rz. V. Superiores autem, non tenentur veniam petere à ſubditis, & inferioribus offenſis; ne dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: ut ait, S. Auguſt. *in ſua Regula*. Sufficiet ergo alia ſigna ſingularis honoris, vel benevolentiæ ei exhibere.

Quæro XLII. *An obligatus ad reſtitutionem famæ, & honoris alicujus, debeat reſtituere apud audientes non ſolùm immediatos verùm, & mediatos?*

108 Senſus Quæſiti eſt. An V. G. Titius, qui coram tribus detraxit Cajo (iſti tres vocantur Audientes *immediati*, apud quos infamans immediata cauſa fuit infamiæ Caji,) & iſti aliis retulerunt illam infamiam (iſti alii nominantur Audientes *mediati*, apud quos mediantibus illis mala fama Caji pervenit) teneatur reſtitutionem facere apud omnes tam primos, quàm ſecundos?

Rz. I. In rei veritate Caſus iſte, ſicut eſt valdè practicus & uſualis, ita eſt valdè etiam difficilis; nam ſi ſpectemus rigorem Juris, oportebit dicere, Titium primum detractorem, & authorem infamiæ teneri ad reſtitutionem apud omnes; quia, quoad audientes immediatos, ipſe fuit cauſa efficax, principalis, & immediata damni illati Cajo; ergo certum eſt, ipſum obligari reſarcire famam Caji apud illos. Item apud ſecundos, & mediatos; quia & ipſe Titius cauſa fuit mediata illius damni ſecundi, nempe dilationis illius detractionis; nam dedit cauſam ſaltem indirectam, & tacitam iſtius alterius damni; *qui enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe cenſetur;* Sed Titius fuit cauſa cauſæ, & cauſa damni.

Et hoc magis verificabitur, ſi Titius detegens, & manifeſtans crimen Caji apud primos audientes, habuerit intentionem hanc peſſimam, ut & iſti aliis publicent; quia tunc directè intendit ruinam hanc magnam, fuitque cauſa univerſalis, & principalis omnium detractionum: ſicut qui non ſolùm furatur, ſed etiam animat, vel inducit alios ad ſimul furandum, & deprædandum &c. tenetur ad reſtitutionem omnis damni ſecuti in re aliena, ut vidimus, *tract.* 35. *n.* 48. *& ſeqq.* Ergo à ſimili de detrahente.

Rz. II. Si Titus detractor primarius non intendit ullo modo, ut primi audientes crimen auditum aliis evulgent; utpotè, quia dixit uni, vel alteri ſub ſecreto, ſeu prævia admonitione ſilentii, vel quia dixit perſonis gravibus, & bonis communiter reputatis, quas prudenter reputabat, crimen revelatum non ulteriùs evulgaturas; & tamen contra ejus opinionem, ac voluntatem aliis evulgaverunt; tunc non tenebitur reſtituere famam coram illis mediatis audientibus, ſed ſufficiet, apud ipſos tantùm immediatos audientes retractare ſuum dictum, vel ſe excuſare. Quia reſpectu Titii primi detractoris per accidens eſt aliorum revelatio apud mediatos, & ipſimet tenebuntur ad tuam jam factam retractationem, ſe ſe retractare; quia infamia Caji ulteriùs perlata, & divulgata ipſorum malitiæ, vel imprudentiæ imputanda eſt. 109

Rz. III. Si Titius ſine ſecreti ſtipulatione aperuit crimen occultum Caji coram hominibus levibus, garrulis, vel mulieribus, quos, vel quas prævidit aliis, & aliis facilè evulgaturas; tunc tenebitur Titius etiam coram illis, & iſtis mediatis famam Caji reſarcire; in defectum tamen immediatorum, ſeu primorum auditorum. Ita communis, & veriſſima ſententia DD. Ratio ut urgentiſſima eſt, quia tunc Titius futurum damnum prævidit; ideòque indirectè ſaltem voluit; ergo totum illud damnum ulterioris infamiæ Caji eſt, vel procedit ex formali injuria Titii primi detractoris; ergo tenebitur reſarcire apud omnes totum damnum, cujus totius injuſta cauſa ipſe fuit. 110

Rz. IV. Quòd ſi impoſſibile ſit reſarcire apud omnes; nam verba quaſi in infinitum promulgari ſolent à plebeiis, ac otioſis perſonis, aliis referentibus aliis; tunc *per accidens erit*: & eatenus Titius excuſabitur, quatenus remedium evaſit impoſſibile; ut videbimus in cauſis excuſantibus; interim tamen *per ſe* obligatus manet; & non excuſabitur reſarcire apud eos, quos invenire poteſt. Sicut qui debet mille aureos reſtituere mille perſonis, non excuſabitur, ſi non ſolverit centum aureos centum ex illis, quibus ſolvere poteſt illos centum. Ita Lugo Card. Leſſius, P. Navarra, & alii DD. apud Sporerium. 111

rerium, *tom. 2. tract. 5. cap. 4. à n. 99. & ſeqq.*

112 *R. V. Pro praxi Confeſſarii tyronis.* Si pœnitentes bona fide, aut ignorantia credant, ſe abundè ſatisfeciſſe, vel ſatisfacere, quando crimen falſum, vel verum occultum à ſe evulgatum retractando corrigunt, vel correxerunt coram immediatis ſuis auditoribus, non debet Confeſſarius eis inſinuare ulteriorem obligationem, niſi expreſsè petatur. Tum quia difficillimum eſt in praxi adæquatè, & totaliter ſatisfacere obligationi Reſtitutionis famæ ablatæ; unde ſine fructu, imò cum damno conſcientiarum infirmarum fieret hæc inſinuatio. Tum quia non deſunt Doctores, qui tenent, eo ipſo, quo detractor apud audientes immediatos retractat ſuam detractionem, vel calumniam, cenſeri implicitè iis committere; eoſque in ſe ſuſcipere onus retractandi propriam detractionem apud illos, quibus ipſimet evulgaverunt; nam ad hoc & ipſi tenentur, quia peccaverunt evulgando; ut optimè declarat Card. de Lugo, *diſp. 15. ſect. 2. n. 16.* apud Sporer, *cit. n. 102.* Et Philippus Faber Faventinus, vir doctiſſimus, *tom. de Reſtit. diſp. 53. nu. 37.* cum Alexandro de Ales famoſiſſimo Theologo, dicit, ſufficere, ut detractor retractet coram iis, apud quos ipſe detraxit.

Et hæc ſententia maximè habet locum ubi detractor non advertit periculum ulterioris detractionis faciendæ ab auditoribus ſuis; neque hoc periculum eſt præſumendum, niſi quando detractio fiat coram levibus, garrulis, & fœminis; quia nemo eſt præſumendus malus, vel malè locuturus, niſi cum fundamento rationis. Quòd ſi Titius detractor primus præſcindat, vel abſtrahat ab hac malitia audientium, non cenſebitur cooperari peccato iſtorum caſu, quo iſti malitioſè audiant, ut evulgent.

De Audientibus Detractores, & Detractiones.

Quæro XLIII. *Quomodo peccant, qui audiunt Detractorem, & detractionem?*

113 *R. I.* Certum eſt apud omnes, quod qui voluntariè, & ſine juſta cauſa audiunt detrahentem, & detractionem, peccant ex genere ſuo mortaliter, aliquando contra Juſtitiam, aliquando contra Charitatem; nam habetur ex Sacra Scriptura, Prov. 4. *Remove à te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Eccl. 28. *Sepi aures tuas ſpinis: linguam nequam noli audire.* Ratio autem eſt: Quia Agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur. Atqui omnis voluntariè, & ſine cauſa juſta auſcultans detrahentem, cenſetur conſentire detractioni; ergo ſimilis peccati reus eſt. Unde nervosè D. Bernardus, *lib. 2. de Conſideratione* ait: Detrahere, vel detrahentem audire, utrùm horum deteſtabilius ſit, non facilè dixerim.

R. II. Non peccat, qui contra voluntatem ſuam coactus debet intereſſe detrahentibus, nec impedire poteſt: Ut V.G. famuli, famulæ, filii inſervientes menſæ, attendentes negotio, officinæ, &c. Neque peccat, qui ob cauſam rationabilem, vel bonum finem audit detrahentem. 114

R. III. Audiens detrahentem coram aliis, ita ut poſitivè cooperetur ad detractionem faciendam, aut complendam, his modis, inducendo, provocando, interrogando, adjuvando, annuendo, laudando, adulando, approbando, plaudendo, vel quovis alio modo cooperando: peccat mortaliter contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem obligatur. Item peccat mortaliter peccato ſcandali contra Charitatem. I. Peccatum eſt reſpectu perſonæ, cui detrahitur; II. Peccatum eſt reſpectu perſonæ detrahentis, & aliorum audientium. 115

R. IV. Si quis ex curioſitate, vel levitate interroget alium privatim de crimine alterius, abſque intentione aliter lædendi, vel diffamandi illum criminoſum. Vel ſi putet detractionem exiguam, aut levem fore: excuſabitur à mortali. 116

R. V. Qui externè audiens detractionem, internè approbat, gaudet, complacet, abſque omni poſitiva cooperatione extrinſeca, vel influxu: peccat tantùm mortaliter peccato odii contra Charitatem; idéoque ad nullam reſtitutionem obligabitur. 117

R. VI. Qui delectatur non de damno proximi formaliter in tali detractione: ſed tantùm delectatur de re materiali ob rei novitatem, vel de modo, vel caſu curioſo, aut ob lepidam facundiam loquentis: non peccat mortaliter. 118

R. VII. Qui merè negativè ſe habet in audienda gravi detractione, cùm facilè, 119

&com-

& commodè poſſet per correctionem fraternam redarguere detractorem: peccat mortaliter contra Charitatem. Si autem ex officio tunc obligatus eſſet impedire peccatum detrahentis, & damnum alterius, cui detrahitur: peccaret etiam contra Juſtitiam; ut patet; & conſequenter teneretur ad reſtitutionem per ſe, vel per detractorem illum ſibi ſubditum.

120 ℞. *VIII.* Non peccat, ſaltem graviter, qui audit, nec impedit detrahentem in his caſibus. I. Quando detrahens, aut (ut meliùs dicam) malè loquens, vel murmurans de alio habet aliquam juſtam cauſam excuſantem, ut ſupra dictum eſt, *à n.* 11. 34. *& ſeqq.* Igitur quando audis aliquem obloquentem, & dubitas, an habeat aliquam juſtam cauſam loquendi, non teneris ſtatim eum arguere. II. Quando murmurat quis de re non gravi, vel de re gravi notoria. III. Quando non conſtat certò, quòd talis injuſtè, & mortaliter obloquatur de alio. IV. Quando dubitas, an talis murmuratio ſit de re publica jam, aut notoria. V. Si tu non ſis idoneus ad corrigendum, vel impediendum. VI. Si nullum ſperes fructum. VII. Si tacendo permittas detractionem uſque in finem, ut poſſis judicare meliùs, & poſtea refellere. VIII. Si ex negligentia levi, aut verecundia, vel timiditate non reſiſtas detractioni; niſi tamen ſuperior eſſes.

121 ℞. *IX.* Ex dictis patet, vel deducitur, quòd æquales rarò, inferiores autem vix unquam peccant mortaliter audiendo, vel non impediendo detractiones; niſi in eis ſibi complaceant.

122 ℞. X. Excuſatus à correctione directa detrahentium, adhuc tenetur, quantùm commodè poteſt, corrigere ſaltem indirectè: oſtendendo nempe aliquam averſionem; diſplicentiam, vel non conſenſum, V.G. à facie detrahentium, vel divertendo ſermonem: vel ſaltem vultum torvum, ac triſtem oſtendendo circumſtantibus, nam ut dicitur Prov. 25. *Ventus aquilo diſſipat pluvias: & facies triſtis linguam detrahentem.* Ita ex Lugo, Tamburino, Bonacina, Leſſio, Laymanno, & aliis DD. Sporer, *tom.* 2. *tr.* 5. *c.* 4. *à n.* 104. *& ſeqq.*

De cauſis excuſantibus à Reſtitutione famæ, & honoris.

Quæro XLIV. *Quænam ſunt cauſæ juſtæ excuſantes à Reſtitutione, Famæ, & honoris?*

℞. Principales ſunt iſtæ: Impotentia, Ceſſatio damni, Remiſſio læſi, & Compenſatio mutua. Breviſſimè explico ſingulas. 123

I. *Impotentia*; ſeu Impoſſibilitas, ſive Phyſica, ſive Moralis; nam *ultra poſſibile nemo tenetur.*

II. *Ceſſatio damni.* Nam quando ceſſat ratio, & cauſa reſtitutionis faciendæ, ceſſat etiam obligatio in effectu.

III. *Remiſſio læſi*: qui nempe ſpontè, expreſsè, vel tacitè remiſit, vel condonavit injuriam, damnum; citrà tamen præjudicium, vel injuriam aliorum.

IV. *Compenſatio mutua*: quando ſcilicet à te injuſtè infamatus viciſſim infamavit, & famam tuam reſarcire noluit.

Quæro XLV. *Infamatus olim de aliquo crimine notorio, poſtea per pænitentiam, & vitæ emendationem famam ſuam recuperavit; denuò de præterito, & oblito crimine ſine cauſa à Titio infamatur.* Quæro an Titius inferat ei injuriam cum obligatione reſtitutionis?

℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia ſicut malis moribus infamia contrahitur: ita contrariis moribus, nempe bonis infamia abolet ur, & bona fama recuperatur. Ergo bona fama recuperata ſemel apud homines oblitos prioris ſceleris, injurioſè, & injuſtè, ſpoliatur recenſendo, & promulgando crimen antiquum illius. Ita Card. de Lugo, *diſp.* 14. *ſect.* 6. *num.* 83. Toletus, *lib.* 5. *cap.* 65. Laymann, & alii apud Sporerium noſtrum *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 4. *nu.* 72. Tum quia illud antiquum crimen, vel ejus mala fama per oblivionem reducta eſt ad eum ſtatum, quem habebat antequam eſſet publica; ergo ſicut tunc publicari non potuit, ita nec poſtea poterit ſine damno illius. 124

Ex hac doctrina reſolves alium caſum in favorem excuſationis, &c. quando quis alium infamavit, & poſt aliquot annos infamia abiit in oblivionem; non tenetur ille ad reſtitutionem; quia tunc eſſet 125

potius

potiùs nova inſamatio, vel renovatio prioris, quàm reſtitutio.

Quæro XLVI *Quale peccatum eſt revelare ſecretum ſibi commiſſum?*

126 ℞. Qui ſecretum (expreſſa, vel tacita conventione tacendi) ſibi commiſſum revelat, peccat contra Fidelitatem, & Juſtitiam. Et eſt peccatum ex ſuo genere mortale. Ratio eſt: quia obligatio Juſtitiæ, & Fidelitatis ex genere ſuo eſt ſub mortali; ſed qui ſecretum in ſe ſuſcepit reticendum tacitè, vel expreſsè ſe obligavit ad tacendum ex virtute fidelitatis, & Juſtitiæ; ergo revelans peccat contra fidelitatem, & Juſtitiam non minùs, quàm qui Depoſiti materialis fidem violat. Pro judicanda autem conſcientia revelantis, oportebit interrogare de gravitate rei, de damno inde ſecuto, de imperfectione actus.

Dantur tamen aliquæ cauſæ juſtæ revelationis. I. Si ſecretum cedat in detrimentum Republicæ, vel in certæ perſonæ injuriam. II. Si ſecretum conſervatum cederet in grave nocumentum ipſius, qui tibi commiſit tale ſecretum. III. Si etiam cederet in notabile damnum illius, cui commiſſum eſt, niſi ſecretum revelaret. Ratio omnium punctorum eſt: quia fidelitas non poteſt, nec debet eſſe contraria Charitati ordinatæ, neque impedire majus bonum, neque obligare cum tanto onere; etiamſi juraſſes ſervare illud ſecretum.

Excipe tamen ſemper Secretum Sacramentalis Confeſſionis; quia hoc obligat etiam cum periculo vitæ, & ruinæ omnium temporalium, de quo hic non loquimur. Vide plura apud DD. cit. & Sporer, *tract.* 5. *cap.* 4. *à n.* 45.

127 Poteſt autem contingere, quod quis injuſto modo, vel medio deveniat in cognitionem ſecreti naturalis, ut fit *aperiendo litteras*; & tunc iſte fraudolentus non ſolùm peccat contra fidelitatem, & Juſtitiam, ſed etiam contra legem naturæ, & adhuc tenebitur ſervare illud ſecretum; quod ſi violet, tenebitur ad omnia damna inde ſecuta; nam ex lege naturæ unuſquiſque tenetur nihil facere, quo proximus in bonis ſuis lædatur. Vide Philippum Fabrum Faventinum, *tom. de Reſtit. diſp.* 53. *nu.* 39. 40. 41. & 42.-- & Azorium, *p.* 3. *l.* 13. *c.* 31. *per totum*.

De Reſtrictione mentali.

Quæro XLVII. *Quid eſt Reſtrictio mentalis?*

℞. I. Eſt palliatum mendacium: quando V.G. quis ſcienter alteri enuntiat, aut exhibet ſignum vocis, vel facti, quod ex ſe, & ſecundùm omnes circumſtantias ad unum ſenſum, eumque falſum, determinatum eſt, adjungendo tamen mente ſua aliquid aliud non expreſſum, per quod oratio, vel propoſitio vera efficitur in mente loquentis. Ut exempli gratia Titius dicit tibi (indicandum hominem plebeium prætereuntem) *Iſte eſt latro*. Tu utique credis dictis Titii; at ipſe manifeſtat ſuum conceptum, dicens: Quando dixi: *Iſte eſt latro*: intellexi, & addidi in mea mente: *Si innocentem injuſtè ſpoliavit*. Tunc rides ob Titii aſtutiam. Titius tamen mentitus eſt revera in principio, quando dixit: *Iſte eſt latro*: & palliavit ſuum mendacium pallio verborum in mente retentorum. 128

Quòd ſit mendacium, probatur. Is mentitur, qui contra id, quod animo ſentit alteri loquitur, aut ſignificat, animo fallendi. Sed hoc ipſum facit, qui loquitur cum reſtrictione mentali; ergo reſtringere mentem eſt mentiri. Confirmatur. Si Reſtrictio mentalis, ſeu limitatio orationis mente retenta, vel exteriùs nullo modo totaliter ſignificata, conduceret ad vitandum mendacium, ſequeretur, quòd nullus ſatis aſtutus mendacium committeret, & conſequenter numquam pejeraret, (cùm perjurii propriè dicti unica ſedes ſit mendacium,) nec peccaret; quia homo aſtutus, quotieſcumque orationem exteriùs falſam profert, facilè poteſt aliquid interna mente concipere, per quod oratio vera fiat apud ſe: ut patet in exemplo allato: ergo hoc eſſet maximum abſurdum, & cauſa infinitorum damnorum; nam mendacium, vel fallacia eſt propria paſſio hominum aſtutorum, qui aliquid in mente gerunt & aliud externè ſignificant decipiendi gratia. Ut optimè dicit P. Paulus Laymann, *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. *numer.* 5. & 6. cui fundatiſſimo Viro, ac Magiſtro majorem exhibeo reverentiam (ex hac doctrina) & amorem quia ipſe ſcripſit ante propoſitiones damnatas ab Innoc. Papa XI. qui inter alias damnavit

navit has propoſitiones, videlicet *la* 26. 27. 28.

„ 26 Si quis vel ſolus, vel coram aliis, „ ſive interrogatus, ſive propria ſpontè, ſi- „ ve recreationis cauſa, ſive quocumque „ alio fine, juret, ſe non feciſſe aliquid, „ quod revera fecit, intelligendo intra ſe „ aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam „ viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud „ additum verum: revera non mentitur, nec „ eſt perjurus.

„ 27 Cauſa juſta utendi his amphibolo- „ giis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile „ eſt ad ſalutem corporis, honorem, res „ familiares tuendas, vel ad quemlibet „ alium virtutis actum; ita ut veritatis oc- „ cultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtu- „ dioſa.

„ 28 Qui mediante commendatione, vel „ munere ad Magiſtratum, vel Officium pu- „ blicum promotus eſt, poterit cum Reſtri- „ ctione mentali præſtare juramentum, quod „ de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi: „ non habito reſpectu ad intentionem exi- „ gentis; quia non tenetur fateri crimen oc- „ cultum.

129 Ex quarum Theſium damnatione jam certum eſt, *non eſſe licitum uſum Reſtri- ctionis mentalis*: quia ubi nobis certò innotuit, aliquam doctrinam eſſe reprobatam à Romana Cathedra, tenemur & nos eam reprobare ut filii obedientes, & diſcipuli fideles: eò quòd Pontifex Romanus, ut Pontifex loquens, & docens Eccleſiam errare non poteſt in doctrina fidei, & morum. Si igitur Papa damnavit prædictam doctrinam; ergo talis doctrina falſa eſt, & ſcandaloſa.

130 Ubi, in prima ex dictis tribus propoſitionibus, notanda ſunt illa verba: *reverà non mentitur*: quod ſufficienter declarat, Reſtrictionem mentalem eſſe mendacium, & conſequenter fundamentum perjurii, ſi tale mendacium Juramento firmetur. Vide plura apud P. Joan. Cardenas in has propoſitiones damnatas. *Diſert.* 19. *per totam*. Lege etiam à nobis dicta *Tract.* 15. *à n.* 43. *& ſeqq.*

Quæro XLVIII. *Quomodo ergo occultari poterit veritas, ubi, & quando neceſſitas non cogit?*

131 ℞. I. Si Confeſſarius interogetur de auditis in Confeſſione poteſt, & debet reſpondere *Neſcio: Nihil ſcio*. Uſurpando nomen ſcientiæ in ſua propria ſignificatione, quamvis minùs vulgari: quatenùs ſignificat ſcientiam evidenter deductam ex præmiſſis evidentibus. Cùm verum ſit, Confeſſarium non ſcire illud auditum in Confeſſione ex vera ſcientia, &c. Item poteſt dicere *Nihil ſcio*: prout ſcientia ſignificat notitiam humano modo acquiſitam; nam reverà Confeſſarius, non ut homo, nec humano modo ſcit audita in Confeſſione: quia audivit *ut Deus*, *loco Dei*, *&c.* Item poteſt dicere *Nil ſcio*: vel *Neſcio aliquid de hoc &c.* Summendo ſcientiam, ut manifeſtabilem notitiam; nam in rei veritate Confeſſarius nullam habet notitiam (de auditis in hoc Tribunali) ut manifeſtabilem aliis; ſicut Chriſtus Dominus interrogatus à Diſcipulis ſuis de die Judicii extremi, reſpondit: *De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater*. Marci, cap. 13. v. 32. Quaſi diceret, (ut gloſſat Ugo Card.) *Non expedit vobis ſcire.* -- Et S. Hilarius in Catena aurea D. Thomæ, gloſſat dicens, *Sacramentum eſt, ut taceas: aut tempus eſt non loquendi, &c.* -- Gloſſa Ordinaria dicit, *Neque Filius, qui quidem omnia ſcit cum Patre, ſed non facit, homines ſcire; non facit ſcire, quia inutiliter ſciretur.* -- Alphonſus Toſtatus Epiſc. Abulenſis, *in Matth.* 24. *q.* 209. dicit, *Chriſtus verè hoc ſciebat, ſicut cætera futura: dixit tamen, ſe neſcire, quia ad revelandum non ſciebat.*

Ex his gloſſis colligitur, quòd ubi non poſſumus, vel non tenemur aliquid aliis revelare, poſſumus cum veritate dicere: *Neſcio: Non ſcio: nihil ſcio*, quia quod non licet, nec expedit dicere, idem eſt, ac ſi neſciamus; nam eſt quid quaſi incognitum, occultum, ſecretum non revelabile aliis, qui vellent ſcire id, quod non eſt ſcibile, nec manifeſtabile.

℞. II. Quando quis novit occultè V.G. 132 adulterium, vel aliud crimen infame alterius, quod Jure naturali, vel alia quacumque obligatione ſive Juris naturalis, ſive humani tenetur occultare, ſi interrogetur de eo, poteſt reſpondere per æquivocum verbum *Neſcio*: quia hoc verbum *Neſcio* ex circumſtantia rei occultæ ſignificat apud prudentes idem, ac *Non habeo ſcientiam, vel notitiam utilem ad reſpondendum*: ut dicit Card. de Lugo, *tom. de Pœnit. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 75. ex D. Auguſtino, *tom.* 4. *lib.* 73. *Quæſtionum, quæſt.* 60. Nam in conſuetudine humana, ac prudenti uſitatum eſt aſſumere verbum *Neſcio* pro eo, quod

quod eſt *non ſcire niſi occultè*; unde Proverbium, *Per verbum Neſcio tollitur omnis quæſtio*.

133 ℞. *III.* Si uxor adultera ſecretò interrogetur à Marito de tali crimine, quod ſi fateatur, occiditur, aut verberatur, poterit reſpondere ſine mendacio per verba æquivoca, dicendo G. V. *Non violavi Fidem*. Fides enim humana ſignificat tria, nempè Credulitatem, Fiduciam, & Fidem conjugalem; ſi ergo illa fœmina accipiat *Fidem* in prima, aut ſecunda ſignificatione, non dicit mendacium, nec manifeſtat veritatem. Quòd ſi de tali peccato jam confeſſa ſit, vel pœnitentiam egerit, poterit dicere: *Non ſum rea, non ſum culpabilis de hoc crimine*; nam peccator per pœnitentiam evadit juſtus, & inculpabilis.

134 ℞. *IV.* Famulus, qui jubetur negare exiſtentiam Domini in ſua domo, quia vult latere ob rationabilem cauſam, poterit reſpondere pulſanti, & petenti: *Dominus meus nunc non eſt hic*, figendo manum, in uno lapide: quia tunc ſine mendacio, & ſine reſtrictione mentali dat verum reſponſum; juxta dictum S. P. Franciſci, qui interrogatus à miniſtris Juſtitiæ quærentibus quemdam latronem fugientem per eamdem viam, reſpondit mittendo manus in manicas, *Hàc non tranſivit*: quia certò per manicas non intravit. Et S. Athanaſius, cùm à ſatellitibus ad necem conquireretur, interrogatus quantùm inde abeſſet Athanaſius, reſpondit: *Non longè abeſſe*; quia ipſe erat ibi præſens. Si ergo viri Sancti uſi ſunt æquivocationibus cautè deludentibus non debito modo interrogantes, nobis quoque licebit quandoque uti ſimilibus modis.

135 ℞. *V.* Dantur etiam alii modi reſpondendi ſine mendacio, aut reſtrictione mentali, quando neceſſe eſt veritatem occultari, ut V. G. per circumlocutionem diſtractivam, qua de præſenti veritate nihil affirmatur, vel negatur. Do exemplum. Interrogatur Titius de aliqua actione vel propria, vel aliena, quæ neceſſariò poſtulat ſecretum, poterit ſic cautè reſpondere interraganti: *Gauderem utique hoc ſcire, ut tibi ſatisfacerem*: vel, *Utinam hoc mihi innoteſceret, ut tibi revelarem*. — Interrogatus de pecunia mutuanda, vel de quaſibet alia re, quæ tibi modò neceſſaria eſt, vel valdè utilis domui tuæ, poteris dicere petenti: *Mihi diſplicet non habere modum tibi ſatisfaciendi*; vel, *gauderem habere hoc pro tuo ſervitio*. — Interrogatus extrajudicialiter Cajus de delicto patrato, poterit dicere: *Tu mihi facis injuriam, interrogando de hoc*: Vel, *Poſſibile eſt, ut hoc de me credas?*

De Judicio temerario.

Pro complemento hujus Tractatus, ubi agitur de peccatis contra Octavum Decalogi Præceptum, videndum eſt de Judicio temerario, ac ſiniſtra ſuſpicione de ſama proximi; nam & hæc pertinent ad falſum Teſtimonium, ſi non ore, ſaltem corde contra proximum; tum quia ſuſpicio, & Judicium perverſum ſolent eſſe cauſa Detractionis formalis. Ideòque.

Quæro XLIX. *Quænam eſt differentia inter Dubitationem, Suſpicionem, & Judicium temerarium?*

℞. *I. Dubitatio* non eſt verus aſſenſus intellectus judicantis, ſed eſt ſuſpenſio animi in neutram partem ſe ſe determinantis, ac veluti in ancipiti hęrentis. Unde ex ſuo genere mala dubitatio non eſt peccatum grave: quia nihil poſitivè mali judicatur de proximo. Temeritas autem dubitationis conſiſtit in hoc, quòd quis, habitis ſufficientibus indiciis, cùm poſſit, ac debeat aliquem judicare bonum, vel innocentem, omiſſo hoc judicio, ex aliis motivis contrariis poſitivè dubitet, ſeu judicet eſſe dubium, & incertum, an talis ſit bonus, vel malus, nocens, vel innocens in tali vitio, vel crimine, & ſic quaſi in quæſtionem adducat bonitatem, vel malitiam proximi; cùm potiùs deberet tale dubium reſolvere in meliorem partem: juſta Regulam Juris cap. Eſtote miſericordes: *Dubia in meliorem partem ſunt reſolvenda, vel interpetranda*. 136

℞. *II. Suſpicio* eſt aſſenſus debilis junctus cum dubitatione de oppoſito. Et hæc poſtea ſubdividitur in ſuſpicionem levem, gravem, & violentam. *Suſpicio levis* eſt, quæ valdè debilem aſſenſum, & multam dubitationem continet. *Suſpicio gravis* eſt, quæ plus habet aſſenſus, & parum dubitationis: quæ & ſuſpicio vehemens appellatur. *Suſpicio violenta* tandem eſt, quæ omnem quaſi excludit dubitationem, & quaſi integram fidem, ſeu credulitatem producit; Et hæc etiam Præſumptio nominatur. 137

138 Et de ſuſpicione in communi dico *primò* ſuſpicio temeraria *per ſe* eſt tantùm veniale peccatum ex genere ſuo: quia per ipſam, etſi aliqualiter lædatur fama proximi, non tamen graviter; nec ſimpliciter, nec abſolutè tollitur ejus fama, ſed tantùm ſecundùm quid, & leviter diminuitur bona exiſtimatio illius, de quo ſuſpicatur. Cùm enim ſuſpicio ſit levis aſſenſus conjunctus cum actuali dubitatione de malo proximi; ſequitur manifeſtè, quòd non aufert omninò famam, ſed ſolùm minuit.

139 *Secundò* dico, quòd ſæpè *per accidens* ſit mortalis ſuſpicio temeraria. I. Si ſit gravis, & vehemens ſine fundamento rationis, indicii; multò magis ſi ſit irrationabiliter violenta. II. Si oriatur ex maligno affectu, vel odio, vel contemptu proximi. Ut ſi quis ſuſpicans malum de Titio, etſi judicet rem fortè ita non eſſe malam, tamen ex odio delectatur de tali re mala, ac ſi reverà illud malum Titius commiſiſſet. III. Si quis ex tali temeraria ſuſpicione procedat in effectum externum malignum, ac damnoſum proximi. V. G. Si *Judex* ex ſola ſuſpicione reum condemnaret; *Superior* ſubditum puniret, aut ab officio amoveret; *Elector* ſuffragium alicui idoneo negaret; *Epiſcopus* beneficium Clerico negaret, vel eum impediret in concurſu; vel quilibet proximum ſuum à conſecutione alicujus boni notabilis impediret. IV. Si quis ſuſpicionem ſuam malam de aliquo conceptam aliis manifeſtet cum infamia. Experientia enim conſtat, ſuſpicionem matrem eſſe detractionis: & cùm homines mundani audiunt aliquem ſuſpectum eſſe de aliquo vitio; facilè eum contemnunt, ei detrahunt, & denegant beneficia, officia, honores. V. Si quis ex levibus indiciis vult pertinaciter ſuſpicari de enormi malo, vel ſcelere perſonæ gravis, honeſtæ, religioſæ. Ratio omnium iſtorum eſt: quia tunc graviter læditur fama, & perſona, &c. ſine fundamento, ac indicio ſufficienti de malitia, aut vitio illius.

140 ℞. *III. Judicium* verò eſt firma animi ſententia, ſeu aſſenſus deliberatus. Et hoc aliquando eſt *prudens*; ſi nimirùm nitatur ſufficientibus indiciis, ſeu conjecturis ad generandum firmum aſſenſum de alterius probitate, vel improbitate. Aliquando eſt *imprudens*: & tunc vocatur *Judicium temerarium*: & eſt, quando non innititur ſufficientibus indiciis de improbitate alicujus. Atque hoc ipſum, ſervata debita proportione, dicendum erit de *Suſpicione*, & *Dubitatione*, quarum utraque vel eſt prudens, vel imprudens, & conſequenter temeraria. Tunc erit *prudens*, ſi innitatur ſufficientibus motivis ſuſpicandi, vel dubitandi; tunc verò erit *imprudens*, ſi non innitatur motivis ſufficientibus ad rationabiliter ſuſpicandum, vel dubitandum.

141 ℞. *IV. Judicium temerarium* de re gravi eſt peccatum mortale ex ſuo genere contra Juſtitiam. Idem dicendum de ſuſpicione gravi, & temeraria. Probatur; nam Chriſtus Dominus dicit, Matth. 7. & Luc. 6. *Nolite judicare ſecundùm faciem ..... Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini ... Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Ubi Cardin. Ugo de S. Charo dicit: *hìc judicia temeraria prohibet Dominus*. Lyranus noſter dicit: oſtendit Chriſtus, quòd proximus non eſt temerè judicandus: ideò dicit, *Nolite judicare, &c.* ut non incurratis peccatum mortale, per quod ſitis digni in Judicio Divino condemnari. Ratio autem eſt: quia unuſquiſque habet Jus ad ſuam famam, ſeu bonam æſtimationem apud quemcumque hominem, donec de ejus crimine innoteſcat, juxta illud Axioma Juris: *Quiſque præſumendus eſt bonus, donec demonſtretur, vel probetur malus*: ergo ei infertur injuria, & quaſi furatur, ſeu injuſtè aufertur fama per judicium temerarium; & conſequenter peccatur contra Juſtitiam.

142 ℞. *V.* Suſpicari, & judicare de proximo, ubi ſufficientia improbitatis indicia ſe produnt: per ſe loquendo non eſt peccatum. Ratio eſt: quia in tali caſu proximus amiſit Jus bonæ ſuæ æſtimationis reſpectu illius, cui crimen eſt cognitum: ut habetur in *Can. Quod ſuſpecti*, 3. q. 5. Et *cap. Suſpicionis* 39. *de Offic. Delegat.* Extra caſum neceſſitatis, vel utilitatis periculoſum eſt ſuſpicari, aut judicare; quia homo facilè errare poteſt in proprium, & alterius damnum; nam experientia docet, quòd nos facili negotio decipimur à judiciis extrinſecè tantùm apparentibus: etiam ubi videntur ſufficientia indicia adeſſe?

℞. *VI.* Ex-

143 ℞. *VI.* Excuſatur tamen à mortali culpâ in his caſibus qui ſuſpicatur aut judicat malè de proximo. I. Ex imperfectione actus; quando videlicet adeſt ſola naturalis apprehenſio de tali malo, vel judicium imperfectum rationis ex præcipitantia, aut violentia intellectus, ſine plena deliberatione, aut advertentia mali judicii, aut ſine pleno conſenſu voluntatis. II. Ex pârvitate materiæ, ſpectatis circumſtantiis perſonæ, de qua judicatur, aut ſuſpicatur. III. Quando indicia de malo, vel de crimine apparente ſunt valdè gravia, & urgentia, adeò ut vir etiam prudens poſſet ab eis moveri ad aſſenſum, vel ſuſpicionem, &c. tunc enim ceſſat temeritas, & injuſtitia, etſi non omni adhibita diligentia, vel circumſpectione, tale judicium non omninò prudens, & juſtum formatum ſit. Sumus enim homines, non Angeli.

Omnia Judicia temeraria ſunt ejuſdem ſpecici moralis; quia reſpiciunt unam, eamdemque rationem formalem læſæ famæ proximi; quamvis diferant materialiter. Ita Filliucius, *tract.*40. *n.*9. — Unde ſequitur, non eſſe neceſſarium explicare in Confeſſione perſonas, nec vitia, de quibus judicatum eſt.

144 ℞. *VII.* Ex hypotheſi, vel ſuppoſitione V.G *Si fortè Titius eſſet malus, aut vitioſus*: licitum eſt rebus, perſonis, tuis, vel proximi tui, vel Communitatis proſpicere. Unde poteris pecunias occultare, capſam claudere; quia poſſibile eſt, quòd famuli, vel hoſpites tui fures ſint, aut evadant: *Item* poteris interdicere filiæ tuæ, ne cum certò juvene colloquatur, aut converſetur: quia fieri poteſt, ut eo ſeducatur. *Item* poteris arma tecum portare in ſylva; quia fieri poteſt, ut tibi occurrat latro. Et his ſimilia ſexcenta. In quibus caſibus nec judicas, nec ſuſpicaris, nec dubitas temerè poſitivè de fama, aut perſona proximi, ſed tantùm ſupponis, poſſe eſſe malum, & vitioſum quempiam, (quod utique verum eſt) & nullis facis injuriam, tibi, tuiſque loquendo à caſu fortuito. Quare notandum eſt ſapientis Principis dictum, qui aſſerebat: *In ordine Prudentia ad cavendum malum tantùm, pejora ſupponenda ſunt: In ordine verò Juſtitia, & Charitatis meliora ſupponenda ſunt ad exequendum.*

Hæc Regula valdè bona eſt pro praxi frequentiſſima Patrum, & Matrum, ac cæterorum, qui curam juventutis habent; valet etiam pro ſcrupuloſis, qui non audent unquam ſuſpicari de malo, etiam poſſibili ex hypoteſi prædicta.

145 ℞. *VIII.* Qui temerè, ac injuſtè ſuſpicionem, aut judicium internum habuit de fama, aut alia actione proximi ſui, tenetur internè pariter ſe retractare, & corrigere, ſicque reſtituere famam, aut bonam æſtimationem, quam antea habebat. Quòd ſi alicui manifeſtaſſes hujuſmodi tuum pravum, ac temerarium judicium: utique etiam obligatus eſſes ad te retractandum apud illum: ut patet ex dictis de Reſtitutione famæ.

TRACTATUS XXXVII.

DE NONO, AC DECIMO PRÆCEPTIS DECALOGI.

QUæro I. *Quid prohibetur nono Decalogi Præcepto?*

1 *Reſpondeo*. Prohibetur principaliter in his terminis: *Non concupiſces Uxorem proximi tui*: omnis carnalis inordinatus affectus erga proximi uxorem: correlativè etiam è contra omnis concupiſcentia mala mulieris erga virum alterius. Secundariò prohibetur omnis affectio carnalis ad quamcumque ſpeciem luxuriæ, vel impudicitiæ. Ratio patet in ſimili, ſicut enim in *Sexto Præcepto* nomine *Mœchiæ* prohibetur, ut vidimus, omnes peccatum carnale *operis* cujuſcumque ſpeciei luxuriæ, & impudicitiæ ad luxuriam diſponentis; ita hoc *Nono Præcepto* nomi-

nomine *Concupiſcentiæ* prohibetur omne peccatum carnale *cogitationis*, vel deſiderii in quacumque ſpecie luxuriæ prædictæ. Peccatur ergo corde contra hoc Nonum Præceptum in eiſdem modis, & ſpeciebus, quibus opere peccatur contra Sextum.

Quæro II. *Si Deus in ſexto Præcepto prohibuit omnem luxuriam externam, & per conſequens jam eſt interdictus omnis actus internus, ſine quo non pervenitur ad actum externum luxuriæ: quare ſpeciali hoc nono mandato prohibet omnem internam, & carnalem concupiſcentiam?*

2 ℞. Ob duplicem cauſam. I. Quia homo ſuapte natura, & intrinſeca inclinatione mala fertur in fœminam (& multò magis fœmina fertur in virum, & ab hac concupiſcientia intrinſeca non facilè avertitur, ſicut ab actu externo turpitudinis ob verecundiam; ideò Deus Benedictus ſingularem habuit curam avertendi hominem (maſculum, & fœminam) ab hoc intrinſeco, & latenti malo concupiſcendi, prohibendo expreſsè hanc concupiſcentiam: *Non concupiſces*. II. Quia amor proprius facillimè eam cæcitatem mentis induxiſſet, ut homines beſtiales concupiſcentias illas quaſi naturales non eſſe peccata crederent, quemadmodum alias multas cæcitates amor iſte inordinatus induxit, ut patet ex erroribus multorum, &c.

Nam, (ut inquit Nicolaus de Lyra totius Sacræ Scripturæ Gloſſator, *in cap. 6. Matth. v.28.*) Judæi intelligebant illud præceptum. *Non concupiſces Uxorem proximi tui*, hoc modo; nempe prohibita tantùm eſſe ſigna exteriora, ut ſunt tactus impudici, &c. & ſic concupiſcentiam latentem omninò in corde, & non expreſſam ſigno, vel facto exteriori, nullum eſſe peccatum credebant. Sed hoc irrationabiliter: quia actus exteriores, vel ſigna non habent rationem peccati pro formali, niſi inquantùm ſunt voluntarii. Et ideò Salvator noſter excludens hunc Judæorum errorem dicit, *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.*

De Impudicitia cordis.

Quæro III. *Quid eſt Impudicitia cordis?*

3 ℞. Eſt voluntaria occupatio mentis, ſeu potentiarum internarum circa res turpes, & ad libidinem provocantes, voluptatis cauſa. Potentiæ autem internæ ſunt phantaſia, imaginatio, appetitus ſenſitivus, concupiſcibilis, memoria, intellectus, & Voluntas (quæ eſt Regina potentiarum) ſine qua nullum eſt peccatum

Quæro IV. *Quomodo conſummatur, ſeu perficitur peccatum internum Impudicitiæ?*

4 ℞. Cogitatione, delectatione, & conſenſu. Explico ſingulas partes. Proceſſus enim practicus ad peccatum internum ordinariè eſt iſte. I. Ex ſenſibus externis, viſu, auditu, tactu &c. oritur imaginatio rei delectabilis in phantaſia: atque ob naturalem, ac intimam connexionem potentiarum, ſtatim de eadem re delectabili fit *cogitatio* in intellectu. II. Ex imaginatione phantaſiæ ſequitur aliquis motus amoris naturalis in appetitu ſenſitivo: & ob dictam connexionem potentiarum ex tali motu oritur *Delectatio ſenſitiva*, & ex iſta ſtatim naſcitur ſimili motus in voluntate, quæ nata eſt condelectari appetitui ſenſitivo. III. Voluntas conſentit: & iſte conſenſus poteſt contingere multipliciter.

5 I. Voluntas aliquando conſentit delectationi prædictæ conſenſu inefficaci: nempe ſimplici complacentia in ipſum motum delectationis: & tunc habetur *Delectatio*, quæ dicitur *Moroſa*, non à mora temporis; quia fit in inſtanti, ſed à pravo amore, vel affectu in illam rem delectabilem, vel in ipſammet delectationem veneream: quaſi *amoroſè* eam contemplando, & in ea ſibi complacendo.

6 II. Aliquando voluntas conſenſu conſentit efficaci: nempè appetendo, deſiderando, & volendo illam delectationem veneream.

III. Uterque conſenſus fieri vel cum advertentia rationis, & malitiæ de tali re delectabili, vel ſine hac advertentia, modo quaſi cæco, ex naturali impulſu.

7 IV. Quando autem Voluntas lumine rationis illuſtrata, & edocta de malitia rei, ſeu delectationis inhoneſtæ: conſentit ſive conſenſu inefficaci, ſive efficaci, tunc conſummatur peccatum internum Impudicitiæ. Quia Voluntas tunc deficit, & deficiendo peccat, tenetur enim deteſtari, & odiſſe talem turpem delectationem ex præcepto Divino-naturali: *Non concupiſces*: Ita ex communi.

Noſter

8 Noſter autem Lyranus in Matth. cap. 5. Sic explicat ordinem, vel proceſſum concupiſcentiæ peccaminoſæ, dicens. Iſta concupiſcentia ſic procedit: quia primò ex aſpectu mulieris cauſatur concupiſcentia ejus in appetitu ſenſitivo, qui dicitur *ſenſualitas*, & prævenit actum rationis: & ſic non eſt peccatum, nec veniale, nec mortale. Cujus ratio eſt: quia talis motus ſenſualitatis non eſt in poteſtate hominis, & per conſequens non eſt peccatum. Sed retentio hujus concupiſcentiæ, poſtquam percepta eſt, benè eſt peccatum; unde dicit Auguſtinus: *Non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur*; ſed eſt in poteſtate noſtra illa reſpuere, vel acceptare. Et ſic patet, quòd prædictus motus ſenſualitatis non eſt peccatum, ſed potiùs materia exercendæ virtutis, ſi ei reſiſtatur per rationem. Si autem teneatur concupiſcentia illa per delectationem moroſam, abſque conſenſu tamen voluntatis, tunc non eſt peccatum mortale. Si autem ſequatur conſenſus in animo, tunc eſt peccatum mortale, etiam antequàm exprimatur facto. Et ideò de tali concupiſcentia, quæ eſt cum conſenſu dicit Salvator: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.*

Quæro V. *Quomodo, & quando erit peccatum Cogitatio de re turpi?*

9 ℟. *I.* Cogitatio, vel imaginatio rerum obſcœnarum, & turpium voluntariè aſſumpta, vel admiſſa, vel continuata (ſecluſo omni bono fine) etiam ex mera curioſitate, vel levitate, practicè, & ordinariè eſt peccatum mortale ob præſentiſſimum periculum labendi in delectationem, vel conſenſum; quia, qui amat periculum, peribit in illo.

10 ℟. *II.* Cogitatio eadem ad malum finem operationis, vel delectationis, ſine dubio eſt peccatum mortale ejuſdem ſpeciei, cujus eſt illud objectum turpe recogitatum; nam actus ſpecificantur ab objectis formalibus, & à fine.

11 ℟. *III.* Cogitationes, & imaginationes malarum rerum, etiam peſſimarum quamdiu ſunt involuntariæ, ſeu præter intentionem delectationis, & conſenſus non ſunt malæ; quia ubi non eſt voluntarium, non eſt peccatum: & non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus: Et quidem ſi ſint à Tentatore Diabolo tibi immiſſæ, & tu ei reſiſtas, ab eis abhorreas; *quoties reſiſtes, toties coronaberis.* Modus autem reſiſtendi his tentationibus eſt, eas contemnere, odiſſe.

12 ℟. *IV.* Cogitare ſpeculativè de prædictis ob bonum finem, V.G. ſtudendi, docendi, audiendi in Confeſſione erit bona cogitatio, & meritoria; quia cujus finis bonus eſt, ipſum quoque bonum erit; ideſt, opus erit bonum, quando à bono fine procedet. Sed finis ſtudii, eſt bonus: finis audiendi Confeſſiones eſt meritorius; ergo &c.

Quæro VI. *Quinam dicuntur motus primò primi?*

13 ℟. Sunt qui excitantur, vel inſurgunt naturaliter in appetitu ſenſitivo, *& etiam in voluntate* ante omnem prorsùs advertentiam, aut deliberationem *Rationis Superioris*. Ratio iſta Superior nihil aliud eſt, quam Intellectus advertens, conſiderans, reflectens ad motus prædictos, ut contrarios Virtuti, vel ut malos, & turpes in genere moris. Quamdiù enim Intellectus non advertit ad eos motus ſecundùm regulam Rationis Superioris, quatenùs ſcilicet tales motus ſunt mali, inhoneſti, vel prohibiti à Lege Divina *Non concupiſces*: tamdiù manent in ſuo eſſe naturali, & cenſentur *Motus primò primi*: qui cùm nullo pacto ſint voluntarii, & liberi, nullo etiam modo poſſunt eſſe peccata pro formali.

14 *Item* motus iſti ſenſualitatis, & commotionis venereæ in parte inferiori animali, qui excitantur, vel inſurgunt naturaliter ex concupiſcentia, ſeu fomite peccati Originalis, etiam poſt advertentiam rationis, ſi noſtra voluntas, ut *potentia libera* nolit aſſentiri, ſed repugnet, abhorreat ſecundùm Portionem Superiorem, & rationes æternas, erunt pariter ſine peccato, imò cum merito; quia tunc *Spiritus concupiſcit adversùs carnem*; eique reſiſtit ex Dei timore, & amore; ergo meretur.

15 Dixi ſuperiùs: *Et etiam in voluntate*: quia voluntas poteſt conſiderari, vel *ut potentia naturalis*, quæ nata eſt condelectari appetitui ſenſitivo, & bono ejus delectabili, vel *ut potentia libera*, quæ veluti Regina regnat in Regno Animæ: Unde voluntas, ut natura, ſeu ut potentia naturalis poteſt quandoque ante omnem advertentiam, vel deliberationem Rationis Superirois, ideſt, ſine reſpectu, aut reflexione malitiæ, ac turpitudinis

Digitized by Google

illorum motum Senſualitatis, ac Concupiſcentiæ carnalis, poteſt (inquam) naturaliter trahi, vel delectari in talibus motibus propter naturalem ſympathiam, ſive conſenſionem, quæ eſt inter potentias ſenſitivas inferiores, & potentias rationales Superiores; & tunc non peccat pro formali. Ratio patet; quia tunc voluntas non agit, ut libera, ſed ut naturalis potentia. Voluntarium enim humanum, *ut liberum* oritur ex intellectu proponente objectum cum indifferentia; ſed quandoque paſſio concupiſcentiæ facit, ut intellectus magis æſtimet, ac nimis ponderet rationes inferiores, ſive motiva concurrentia pro ea parte, ad quam ſenſitivus appetitus inclinat, & non proponat rationes pro alia parte, ad quam inclinare deberet appetitus rationalis ſecundùm rationes ſuperiores virtutis, & honeſtatis, voluntas non manet cum indifferentia; ergo tunc voluntas non operatur *ut libera*, & conſequenter non peccat pro formali. Vide Layman, *lib.* 1. *tractat.* 2. *capitulo* 5. Et Sporerium, *tract.* 1. *cap.* 6. *numero* 11. in Decalogum.

Quæro VII. *Quinam ſunt motus ſecundò Primi?*

16 ℞. Sunt, qui in appetitu ſenſitivo, vel in ipſa voluntate excitantur, cum aliquali quidem, ſed imperfecta, vel ſemiplena advertentia, ſeu deliberatione Rationis Superioris: qualis eſſe ſolet in ſemidormientibus, ſemiebriis, mente diſtractis, turbatis à vehementi paſſione, &c. qui licèt malitiam illorum motuum aliquo modo advertant, non tamen poſſunt perfectè attendere ad regulas rectæ rationis, & honeſtatis, ut plenè, ac perfectè judicent, eſſe malum, peccatum inhoneſtum id, quod agunt, aut moliuntur, aut quo occupantur. Iſti ergo motus *ſecundò primi* dicuntur, quia immediatè ſuccedunt *primo-primis*, quaſi ſecundo loco manantes ex eadem indeliberationis linea; ideòque non niſi peccatum veniale in eis reperiri poteſt; quia non ſunt actus humani plenè deliberati, ac liberi. Vide quæ diximus de Actibus humanis, *Tract.* 3. *à num.* 1. *& ſeqq.* — *& Tract.* 29. de Pollutione in ſomnis, & inter ſomnum, ac vigiliam, *à num.* 41. *& ſeqq.*

Quæro VIII. *Quinam dicuntur Motus deliberati, & mortales?*

17 ℞. Motus concupiſcentiæ carnalis omninò deliberati ſunt illi, qui poſt plenam advertentiam malitiæ, & turpitudinis ipſorum, à noſtra voluntate pleno, ac libero conſenſu admittuntur: aut etiam (quod deterius eſt) ex propoſito, ac directo imperio excitantur, aut augentur. Et iſti, ſine controverſia, peccata mortalia ſunt in genere luxuriæ internæ; in eis enim reperitur ad minus Delectatio moroſa, ac libidinoſa voluptas, de qua infrà, *n.* 25. *&* 26.

Quæro IX. *Motus deliberati permiſſivè tantùm, ſuntne mortale?*

℞. *I.* Motus deliberati purè permiſſivè dicuntur illi, qui exurgentes non comprimuntur poſt ſufficientem advertentiam turpitudinis &c. ſed voluntas ſine omni actu contrario poſitivo etiam ſimplicis diſplicentiæ, & averſionis, merè negativè ſe habet, permittendo nempè partem inferiorem delectari in eis. 18

℞. *II.* Aliqui DD. dicunt, hujuſmodi motus deliberatos merè permiſſos, eſſe in praxi peccata mortalia. Quia voluntas noſtra, ſi nullum tunc eliciat actum contrarium, moraliter ſe exponit periculo conſenſus poſitivi: ergo peccabit mortaliter. 19

℞. *III.* Habito autem ſemel actu contrario ſimplicis diſplicentiæ, voluntas non tenetur ſub mortali poſitivè reſiſtere, cohibere, reprimere dictos motus libidinoſos naturales titillationis venereæ; quia hujuſmodi motus à natura corrupta proveniunt, ita ut omnes cohibere impoſſibile, aliquos autem difficilimum ſit, quinimò ſæpè accidit, ut poſitiva reſiſtentia facta, magis exaſperentur, & tumeſcant: quod fortè procedit ex imaginativa potentia, quæ ex conſideratione augetur, & incaleſcit. 20

℞. *IV.* Alii DD. dicunt, abſolutè voluntatem noſtram non teneri ſub culpa gravi elicere actum contrarium diſplicentiæ poſitivæ, ſed ſufficere ut ejuſmodi motibus poſitivè non conſentiat, nec delectetur ſecundùm Portionem Superiorem. Ratio eſt, quia non eſt veriſimile, Divinam Bonitatem velle obligare hominem ad poſitivè faciendum actum contrarium diſplicentiæ in his motibus adeò naturalibus, & frequentibus, ita ut, ſi omittat hunc actum, peccet mortaliter. Tum quia ad peccandum mortaliter in hac materia adeò innata, & connaturali requiritur majus voluntarium, quàm in aliis materiis; ergo non ſufficit voluntas interpretativa, aut per- 21

permiſſiva tantùm. Vide Bonacinam, *de matrimon. quæſt.* 4. *punct.* 7. & 10. *numero* 4. - Thomam Sanchez *in Decalog libro* 1. *capitulo* 2. *num.* 12. & 13. Ubi multis DD. citatis pro utraque parte, dicit: Utramque ſententiam exiſtimo ſatis probabilem: & priorem practicè ferè ſemper eſſe veram, quando nimirùm poſt plenam deliberationem nullus actus contrarius eſt in voluntate, non quo conetur voluntas reſiſtere, ac appetitus delectationem reprimere: ſed quo adverſetur per formalem diſplicentiam illius delectationis: quæ diſplicentia, licèt ſit inefficax ad reprimendum appetitum, eſt tamen efficax ad cohibendum conſenſum liberum voluntatis. - Vide Sporerium noſtrum *Tr.* 1. *c.* 6. *n.* 14. & 15.

22 R. V. Omnes tamen fatentur, eſſe peccatum veniale non adverſari his motibus, cùm quis facilè poſſit per actum diſplicentiæ; quia in illis eſt ſemper deordinatio quædam contra caſtitatem, & rectam rationem: ergo voluntas noſtra ex parte ſua tenetur gubernare appetitum ſenſitivum eo meliori modo, quo poteſt, abhorrendo ſaltem illam deordinationem, quam diſpoticè non valet ordinare, ac refrænate.

23 R. VI. In talibus tentationibus ſive naturalibus, ſive diabolicis conſultiſſimum remedium eſt, avellere, & divertere animum, & cogitatum ad alia objecta non mala; præſertim quæ te maximè afficiant, & hoc ipſum erit indirectè, & prudenter reſiſtere; nam hæc vitia, eorumque tentationes maximè fugiendo, & contemnendo vincuntur. Non potes fugere à carnis ſtimulo? Fuge apprehenſionem.

24 R. VII. Quæ autem dixi de motibus prædictis in genere luxuriæ, dicenda erunt de quocumque alio genere vitiorum, ut puta de motibus iracundiæ, vindictæ, odii, blaſphemiæ, indignationis, contumeliæ, & cæterorum.

Quæro X. *Quid eſt Delectatio moroſa?*

25 R. I. Eſt ſimplex complacentia voluntaria de re illicita, ſine intentione eam opere complendi. Eſt autem peccatum ejuſdem ſpeciei cum peccato cogitato pro ratione materiæ; quia delectatio eſt quædam inclinatio appetitus in objectum recogitatum formaliter malum, inhoneſtum, turpe; actus autem ſpecificantur ob objecto; ergo & delectatio. Tum quia: voluntariè, & deliberatè delectari de peccato carnali eſt peccatum mortale contra caſtitatem; ergo delectari de fornicatione, erit peccatum ſpeciale in ſpecie fornicationis. Idem dic de omnibus aliis ſpeciebus luxuriæ; cæterorumque vitiorum; nam delectatio moroſa, ut ſic, poteſt contingere in omni vitio, de quo delectaris, Sporer, *part.* 4. *capit.* 3. *ſect.* 6. *num.* 665. - Layman *l.* 1. *t.* 3. *cap.* 6. *num.* 15.

R. II. Delectatio autem moroſa in re venerea importat regulariter commotionem veneream, ſeu alterationem corporis per motum ſpirituum vitalium, & animalium in parte inferiori, cum periculo pollutionis; ideòque hæc præ cæteris declarationibus videtur magis periculoſa, &c. quia natura humana ex peccato originali vitiata prona eſt ad malum ab adoleſcentia ſua, imo, & à pueritia; ideòque indiget fræno Timoris Domini. *Timor enim Domini expellit peccatum*, ut dicit Eccleſiaſticus, c. 1. 26

R. III. Mala non eſt delectatio rationalis, & ſpeculativa de rebus etiam turpiſſimis; ut ſi legens, ſtudens, Confeſſiones excipiens intelligas (ut oportet) varias peccatorum ſpecies, mores perverſos, modos peccandi miros, & varios, &c. Quia, talis eſt delectatio, quale eſt objectum; ſed objectum hujus delectationis eſt veritas, cognitio rei malæ, ſcientia moralis, &c. quæ in ſe non ſunt objecta mala, imò bona. 27

R. IV. Illicitum eſt delectari de re materialiter mala turpi, injuſta, inhoneſta, impia, ſecundùm ſe: V. G. de blaſphemia, perjurio, homicidio, adulterio, fornicatione, mollitie, pollutione, factis inculpatè in ſomnis, ebrietate, ignorantia, errore. Quia, licèt tunc, quando illud delictum fuit commiſſum à te, non peccaveris, peccas tamen modò voluntariè quaſi approbando illud per tuam moroſam delectationem, vel gaudium. Tùm quia: iſta delectatio, hoc gaudium deliberatum caret omni cauſa excuſante à peccato pro formali; nam Plena rationis deliberatione tendis per complacentiam in illud objectum ſimpliciter, & intrinſecè malum. Talis enim eſt delectatio, quale eſt ejus objectum formale; ſed objecta prædicta in ſe ſunt mala, ut patet. Tum quia actus ſpecificantur ab objectis; ſed tuus actus gaudii, complacentiæ, delectationis reſpicit objectum pro- 28

prohibitum, & malum; ergo ipſe actus malus evadit.

29 Quare meritò damnatur hæc propoſitio, quæ eſt la 15. ex damnatis ab Innocentio Undecimo: *Licitum eſt filio gaudere de Parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Tum quia gaudere, aut delectari de morte alterius (etiam naturali) ob aliquod emolumentum temporale tibi adveniens, ita ut gaudium tuum feratur ad mortem proximi, maximè diſſonat rationi rectæ, & adverſatur Charitati; nam hoc eſt in praxi præponere emolumentum tuum temporale vitæ hominis, magiſque æſtimare, & amare divitias, quàm vitam naturalem proximi; quod eſt contra ordinem Charitatis.

30 ℞. *V.* Non erit tamen peccatum ſaltem grave gaudere de pollutione in ſomnis ſecuta abſque culpa: dummodò gaudium tuum non feratur in ipſammet delectationem brutalem. Ratio eſt, quia pollutio materialis, & naturalis non eſt in ſe peccaminoſa, ſed ſolùm quatenus eſt voluntaria: ut vidimus *Tract.* 19. *numero* 36. & 37. Unde deduces: Si evigilans, completa pollutione, exhilareſcas, quòd in ſomno exonerata ſit natura ſine culpa tua, mei DD. dicunt, te non peccare. Vide Sporer. *tract.* 1. *cap.* 6. *numero* 32. — Leſſium, *de Virtutibus, & Vitiis, lib.* 4. *capit.* 3. *dub.* 14. — Sanchez *in Opere morali tom.* 1. *lib.* 1. *capit.* 2. *numero* 19. — Laymann. *libr.* 3. *ſect.* 4. *de Temperantia, numero* 17 — Gerſon, *part.* 2. *Operum, tractat. de pollut. propoſ.* 12. — San. Antoninum, *in Summ. part.* 2. *tit.* 6. *capitulo* 5. Caſtropalaum *Tractat.* 30. *diſp.* 3. *punct.* 2. §. 3. *numero* 4. — Navarrum, *in Manuale, capitulo* 16. *numero* 7. — Anacletum *Theolog. Moral. tractat* 9. *diſt.* 4. *numero* 55. Qui tamen rectè addunt, hoc gaudium indicare imperfectum Puritatis, & Caſtitatis affectum, vel amorem: & periculo non carere.

Delectatio moroſa ſtatibus Perſonæ applicata.

31 I. *Solutis*: Illicita mortaliter eſt omnis delectatio moroſa ſenſibilis venerea, capta, admiſſa, permiſſa ex copula futura cogitata ſive abſolutè, ſive ſub conditione *ſi talis perſona eſſet ſua conjux, & è contra ſuus maritus*: aut ex quocumque alio actu venereo ad copulam diſponente, vel ad pollutionem inclinante, aſpectu, imaginatione, tactu, oſculo, amplexu libidinoſo: nulla etiam admiſſa in praxi parvitate materiæ à mortali excuſante.

32 II. *Sponſis*: nempe iis, qui ſola ſponſalia contraxerunt de futuro contrahendo matrimonio, illicita pariter eſt ſub mortali omnis delectatio ſenſibilis venerea directè voluntaria, captata, admiſſa, permiſſa, tam ex ipſa copula imminente cogitata, quàm ex cogitationibus, aſpectibus, tactibus, oſculis, amplexibus libidinoſis. Ratio eſt: quia delectatio venerea etiam inter ſponſos tendit in copulam *ut præſentem* in imaginatione, & inchoat pollutionem re ipſa vel ad ipſam proximè diſponit ex fragilitate naturæ humanæ; At copula carnalis ipſis etiam Sponſis adhuc illicita eſt; ergo & delectatio venerea.

33 III. *Viduis* illicita omninò eſt ſub mortali omnis delectatio moroſa venerea ex recordatione voluntaria, ac deliberata copulæ præteritæ tempore matrimonii, ac omnis alia venerea voluptas æquè, ac ſolutis; ut patet.

De malis deſideriis.

Quæro XI. *Quid eſt malum deſiderium?*

34 ℞. Eſt actus, vel motus efficax voluntatis, quo appetit, & fertur in objectum prohibitum: ideſt quando voluntas vult, & deſiderat actum, vel opus peccaminoſam mente conceptum, opere conſummare, vel perpetrare de facto, ſi adeſſet facultas, vel commoditas. — Unde deſiderium illicitum per hoc differt à Delectatione moroſa, quòd *Delectatio* fertur in objectum ut aliquo modo præſens, ſine intentione progrediendi ad ipſam operis executionem. *Deſiderium* verò fertur in objectum ut abſens, ſimulque tendit in executionem operis, ſi adſit facultas. Differt etiam à *Propoſito*; nam Propoſitum eſt actus voluntatis deliberatæ, ſcilicet exequendi ea, quæ jam electa ſunt, ut media, ad finem intentum, ac deſideratum obtinendum.

Quæro XII. *Quomodo deſideria, & propoſita mala ſunt peccata?*

35 ℞. *I.* Semper malæ deſideria, & propoſi-

poſita illicita abſoluta, & efficacia de re quacumque mala, ſive intrinſecè ſit mala: ut ſi deſideres, vel proponas *mœchari, occidere, furari, &c.* ſive extrinſecè tantùm ſit mala: ut ſi cupias, vel proponas *die jejunii comedere carnem ſine neceſſitate, vel omittere Miſſam die Feſto, &c.* Ratio eſt: quia actus internus voluntatis accipit ſuam malitiam ab objecto externo malo; atqui propoſitum, vel deſiderium malum, abſolutum, & efficax eſt actus voluntatis tendentis in objectum malum, vel quia malum in ſe, vel quia prohibitum; ergo talis actus internus eſt malus, & peccaminoſus eadem ſpecie malitiæ, quam ſecum fert objectum, vel opus deſideratum, & volitum. Unde in Confeſſione ſemper explicandæ ſunt omnes circumſtantiæ ſpeciem mutantes de tali re deſiderata, & volita.

36 Confirmatur; nam Chriſtus Dominus, Matth. 15. expreſsè dignatus eſt declarare malitiam internam hominis, dicendo: *Ex Corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, adulteria, furta, blaſphemia, falſa teſtimonia, & hæc coinquinant hominem.* Et lib. 1. Regum, cap. 16. *Homo videt ea, quæ parent* (ideſt apparent,) *Deus autem intuetur cor.* Et S. Auguſtinus, lib. 1. Retract. capit. 9. ait: *Voluntas eſt, qua peccatur, aut rectè vivitur.* Et in Pſal. 93. idem Aug. dicit: *Qui mala cogitat, etſi nihil mali alicui faciat: facit plurimum ſibi, nam Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

37 R. II. Illicita ſunt etiam deſideria, & propoſita conditionata, omneſque velleitates, & ſimplices complacentiæ de re intrinſecè mala; V. G. *ſi non eſſet peccatum, vellem fornicari, furari, occidere, &c.* Ratio eſt; quia tales actus voluntatis, licèt inefficacis habent malitiam intrinſecè imbibitam: & conditio illa, velut impoſſibilis, non aufert malitiam objecti, vel ab objecto; ergo voluntas adhuc actuali ſuo affectu fertur in rem mortaliter malam, & conſequenter peccat, ac ſi conditio nulla appoſita fuiſſet.

38 R. III. Deſideria inefficacia ſub conditione auferente malitiam ab actu, vel ab objecto in iis, quæ ex ſe quidem ſunt intrinſecè mala, ita tamen, ut in aliquo ſtatu, vel caſu poſſint eſſe licita, vel non prohibita, V. G. ſi Titius ligatus matrimonio, vel voto diceret in corde ſuo: *Si non eſſem uxoratus, vel Clericus in ſacris, libenter ducerem, & cognoſcerem carnaliter illam puellam:* vel *ſi Judex eſſem, vellem ſuſpendere patibulo omnes latrones hujus loci:* & ſimilia deſideria inefficacia, & conditionata ſunt valdè periculoſa, & veluti fatua, & diabolica machinamenta, quæ ſi procedant ex amore libidinis, vindictæ, &c. utique ſunt peccata mortalia, ut patet ex dictis; tum quia talis quiſque eſt, qualis eſt ejus dilectio; nam voluntas per actum ſuum amoris, vel complacentiæ transformatur in rem ipſam. Tum quia iſtæ metaphyſicæ abſtractiones in praxi difficillimè fieri poſſunt abſque peccato; ergo fugiendæ erunt veluti tentationes ſubtiliſſimi diaboli, ut dicebat S. Philippus Nerius.

39 R. IV. Illicita ſine dubio ſunt omnia deſideria conditionata ſub ea conditione, quæ nullo modo aufert malitiam ab actu, vel ab objecto; V. G. ſi quis diceret intra ſe: *Occiderem inimicum, ſi ſtatim avolare poſſem:* Vel *fornicarer, vel pecuniam haberem.* Quia licèt conſenſus conditionatus nihil ponat in eſſe, non tollit tamen malitiam pravi affectus; ergo non excuſat à peccato mali deſiderii.

40 R. V. Licita tamen ſunt deſideria inefficacia ſub conditione auferente reverà malitiam actus, vel objecti; & hæc habent locum in iis rebus, quæ ideò malæ ſunt, quia prohibitæ ſolo Jure poſitivo, V. G. *Vellem hodie comedere carnem, niſi eſſet dies Veneris.* Quia tunc voluntas fertur in aliquod aliàs ex ſe licitum: & conditio aufert malitiam totaliter ab objecto; ergo tale deſiderium nullam contrahit malitiam.

Quæro XIII. *Quid dices de hoc deſiderio inefficaci?* Peccarem, ſi infernus non eſſet?

41 R. Patet reſolutio ex dictis *ſuprà, numero* 37. Nam iſta conditio eſt de impoſſibili, & appoſita per intellectum nullo modo aufert malitiam actus, nec affectum ad peccandum; quinimò auget tuam malitiam; nam quaſi optas infernum non eſſe, ut liberiùs peccare poſſis. Si quis autem diceret enunciativè tantùm: *Nolo peccare, quia Infernus eſt:* tunc culpa vacaret; quia nunquam eſt peccatum velle relinquere peccatum ob timorem Inferni; etenim ob quemcumque finem honeſtum peccatum relinquatur, peccatum non eſt: & ſi ob finem ſupernaturalem fugiatur peccatum, opus bonum, & merito-

rium

rium eſt; timor autem Inferni ſupernaturalis eſt.

Quæro XIV. Quid, ſi dicas: *Niſi Deum timerem, peccarem?*

42 ℟. Patet ex dictis *ſuprà, numero* 41. Reſolvitur enim in hanc cauſalem: *Quia Deum timeo, nolo peccare: aliàs fortè peccarem, niſi timor Dei me refrænaret*: iſte eſt timor ſervilis, qui non eſt malus, imò bonus; quia eſt initium Sapientiæ. Si autem eſſet timor filialis ex motivo Charitatis, & metu offenſæ Dei ſuper omnia amati, & dilecti; tunc optimus eſſet, & ſummè laudabilis, ac meritorius.

Quæro XV. *Quid dicendum eſt de deſiderio malo ſub ratione boni?*

43 ℟. *I.* Ex damnatione duarum propoſitionum colliges quid reſpondere debeas Quæſito. Innocentius Papa Undecimus inter alias propoſitiones damnavit has, videlicet là 13. & 14.

„ n. 13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia Perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

„ n. 14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis: quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.

Hæc doctrina eſt falſa, & ſcandaloſa; ergo doctrina contraria, vel contradictoria huic erit vera, & bona. Igitur.

44 ℟. *II.* Illicitum eſt omne deſiderium inefficax alicujus mali ſub ratione boni inferioris ordinis: ut puta deſiderare mortem proximi propter commoda propria temporialia. Ratio eſt: quia Lex Charitatis nos obligat amare magis vitam hominis, quàm divitias, quæ ſunt bona inferioris ordinis. Et Pietas erga Parentes obligat nos ad amandum magis vitam eorum, qui nos genuerunt, vitamque nobis dederunt, quàm hæreditatem, etiam regalem, opulentiſſimam. Vide quæ dixi *ſuprà, numero* 29. Et *Tract.* 18. *à numero* 13. de Charitate erga proximum. — Et de Odio proximi *à num.* 29. in eodem *Tract.* 18.

Quæro XVI. *Quale peccatum eſt Jactantia, gloriatio, laus de re mala?*

℟. Se ipſum laudare, oſtentare, laudare, vanè gloriari de aliquo peccato facto, vel faciendo, tale erit peccatum mortale, aut veniale, quale fuit opus pravum factum, vel faciendum. Ratio eſt: quia jactantia, &c. de tali opere malo continet quamdam approbationem, & implicitam ſaltem complacentiam; ergo peccatum eſt, quale fuit peccatum jactatum. *Extende*: ſive quis verè, ſive falsò ſe jactaverit: quia militat eadem ratio. *Item*: idem dices de laudantibus alium de peccato commiſſo: & de vituperantibus alium eo, quòd præclaram occaſionem peccandi prætermiſerit. Idem de audientibus illum ſic ſe laudantem, ſi admirentur, complaceant, approbent. 45

De Decimo, & ultimo Præcepto Decalogi.

Quæro XVII. *Quid prohibetur hoc in ultimo Præcepto Decalogi?*

℟. Principaliter inhibetur prava concupiſcentia divitiarum, omniumque rerum temporalium proximi, his verbis: *Non concupiſces res proximi tui.* Secundariò verò prohibetur omnis interna voluntas injuſtæ læſionis vel, damnificationis bonorum fortunæ proximi: Et in ſumma quidquid prohibetur in Septimo Præcepto quoad actum externum injuſtitiæ, inhibetur hic in Decimo quoad internum actum; quia quidquid illicitum eſt in facto, eſt etiam illicitum in deſiderio; nam actus internus, & externus pertinent ad eamdem virtutem, & vitium: Et ſicut Dominus Deus Nono Præcepto inhibuit omnem concupiſcentiam malam erga uxorem proximi, & conſequenter omnem luxuriam internam, prava deſideria, delectationes moroſas: ita hoc Decimo inhibet omnem concupiſcentiam malam erga rem proximi, & conſequenter omnem injuſtitiam, & Avaritiam in deſideriis, quia prava concupiſcentia voluptatum carnalium, & divitiarum generi humano eſt cauſa radix, & origo omnium malorum, juxta illud Apoſtoli Pauli epiſtol. 1. ad Timotheum, capit. 6. *Radix enim omnium malorum eſt Cupiditas.* Et Jacobus Minor in ſua Canonica Epiſt: capit. 4. *Unde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris?* Et Joannes in 1. epiſt. cap. 2. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcen-* 46

Digitized by Google

ſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, &c.

Hinc Æterna Sapientia volens hominem eripere ab his innumeris malis, utramque concupiſcentiam ſpeciali Præcepto expreſsè prohibendam cenſuit, nempe Nono, & Decimo, non obſtante, quòd implicitè, & indirectè jam prohibuerit in Sexto, ac Septimo Decalogi Præceptis.

Quæro XVIII. *Quinam peccant contra hoc Decimum Mandatum?*

47 ℞. *I.* Peccant mortaliter quicumque inordinatè contra Juſtitiam concupiſcunt aliquid notabile. Dixi *inordinatè*, quia qui concupiſcit ordinatè per emptionem, permutationem, hæreditatem, aut per alium juſtum titulum, non peccat. Dixi, *contra Juſtitiam*: quia qui concupiſcit inordinatè contra ſolam liberalitatem, ſolùm venialiter peccat. Dixi, *aliquid notabile*: quia qui concupiſcit aliquid modicum contra Juſtitiam, venialiter tantùm peccat ex parvitate materiæ.

48 ℞. *II.* Item contra hoc præceptum peccant omnes, qui Avaritiæ ſtudent: nam, (ut inquit Card. Toletus, *lib. 5. c. 71.*) Avaritiæ peccatum maximè in hoc præcepto prohibetur. Et Antonius Fernandes *in examine Theol. Moral. part. 1. c. 31.* dicit: Omnis ſpecies Avaritiæ prohibetur in hoc præcepto.

De Avaritia.

Quæro XIX. *Quid eſt Avaritia?*

49 ℞. Eſt appetitus divitiarum voluntariè inordinatus, aut immoderatus. Explico ſingulas particulas.

I. *Appetitus*: non inclinatio, ſed actus, quo volumus, ſeu deſideramus divites fieri: juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

II. *Divitiarum*. Non enim appetitus cujuſcumque rei, Avaritia eſt: nam ſi eſt appetitus honorum, & propriæ æſtimationis, *Superbia, vel Ambitio eſt*. Si rerum carnalium, *Luxuria eſt*. Si verò divitiarum, *Avaritia eſt*.

III. *Voluntariè*; quia omne peccatum à voluntate procedit; nam ut inquit S. Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum: ut, nullo modo ſit peccatum, ſi voluntarium non ſit*. Igitur iſte appetitus dicitur voluntarius quando homo ſic appetit, quod in ſua poteſtate eſt non appetere, & appetere: ſicque liberè appetit divitias.

IV. *Inordinatus, aut immoderatus*: ideſt quando talis appetitus eſt ſine ordine, modo, menſura, & regula.

Quæro XX. *Qualis eſt iſta Regula?*

℞. Regula, qua appetitus rerum, & pecuniarum menſurati deberet, triplex eſt, *Juſtitia* videlicet, *Charitas*, & *Liberalitas*. 50

Quando igitur appetitus eſt contra Juſtitiam; tunc Avaritia eſt. Quod duobus modis contingere poteſt. I. quando quis aliena appetit modo illicito habere, vel habita retinere. Ut V. G. Si quis deſideraret pecunias alterius ita, ut ſi poſſet, etiam per furtum, vel alio modo, aut medio injuſto, habere, utique acciperet, & habitas retineret. Et talis appetitus voluntarius eſt peccatum mortale; niſi ex materiæ levitate fieret veniale. *Altero modo*, quando quis vult habere, quæ ipſi non poſſunt juſtè dari, nec data poteſt licitè retinere. Ut V. G. Si quis ſciens, ſe omninò indignum Beneficio Eccleſiaſtico, aut Officio ſæculari, & tamen deliberatè appetit illud, aut habitum vult retinere lucri cauſa peccat peccato Avaritiæ contra Juſtitiam.

Tunc autem appetitus eſt contra *Charitatem*, quando homo ſic ſuis rebus, vel pecuniis afficitur, ut eas præferat Divino Præcepto de dilectione proximi: & ſit animo paratus retinere, quamvis præceptum hoc tranſgrediatur. Et hoc modo peccant Divites fraudantes eleemoſynas pauperibus in extrema, aut gravi neceſſitate conſtitutis. Tunc enim peccant peccato Avaritiæ contra Charitatem. 51

Et tamdem appetitus eſt contra *Liberalitatem*, quando homo dives ex ſuperfluis & abundantibus non vult nec ſibi, nec aliis ſuccurrere, ac providere tempore opportuno: vel denegat, quæ tenetur hic & nunc erogare liberaliter. Et tunc, ut ut plurimum eſt veniale peccatum ex genere ſuo: nec fit mortale, niſi contra Juſtitiam, aut Charitatem notabiliter etiam delinquatur. 52

Patet ergo quomodo Avaritia tres offen- 53

oſtendit virtutes, Juſtitiam, Charitatem, & Liberalitatem. Igitur cavere debemus ab omni Avaritia: ut dicit Chriſtus Luc. 12. *Videte, & cavete ab omni Avaritia.* Ubi Chryſoſtomus ait: Nemo cavet, niſi videns: ſed aliqui ſicut Urſi cæcantur ære. Et D. Dionyſius Carthuſianus in hunc locum, ait: *Videte* per intellectualem conſiderationem, *& Cavete* per doctrinæ meæ adimpletionem: *Ab omni Avaritia*, mente, & actu illam vitando; quia quò quis magis ad temporalia afficitur, eò vehementiùs à Divino Amore, & Creatore Altiſſimo elongatur, & corde deorſum premitur.

74 *Et quæ paraſti, cujus erunt?* Divitiæ tuæ cui manebunt? Sæpiſſimè accidit, ut Defuncti Avari damnatio, atque punitio augeatur propter iniquitatem hæredum abutentium ſuis divitiis, eò quòd materiam peccandi illis paravit, ac dereliquit; ita quòd illorum peccata in ipſum redundant. Vide plura in *Chriſtiano Instructo* P. Pauli Segneri, *Parte prima: Sermone 26. per totum.*

Quæro XXI. *Eſtne peccatum ſimplex, & inefficax deſiderium habendi rem, vel pecunias?*

75 ℞. Patet reſponſio ex dictis *ſuprà*, num. 47. tum quia examinari oportet finis, & modus illius deſiderii. Si enim quis diceret in corde ſuo: *Utinam haberem talem rem, vel pecuniam, ſine damno Tertii*, tunc non apparet ratio mali finis, nec modi indebiti. Si autem hoc diceret ex invidia erga illam perſonam divitem, ornatam hoc eſſet peccatum pro qualitate Invidiæ: Si ex alio malo fine, ut puta ad abutendum tali re; eſſet peccatum pro ratione finis pravi. Si tamdem ex naturali inclinatione ad meliùs eſſe, aut vivere: tunc erit deſiderium vel ſimplex, vel vanum; & hoc modo multi ſolent appetere, optare divitias ſine peccato ſaltem gravi. Quòd ſi eos non interrogaveris: ipſi neſciunt ſe meliùs exprimere, niſi dicendo: *Deſideravi rem alienam.*

Et ecce, Deo dante, finem Explicationis totius Decalogi. Quare mihimetipſi, & meo Lectori benevolo reduco in memoriam illud Eccleſiaſtæ cap. 12. *DEUM time, & mandata ejus obſerva: Hoc eſt enim omnis Homo*; ideſt, ut gloſſat Cornelius à Lapide, Hoc eſt hominis totum negotium quoniam homini hoc ſolum negotium prodeſt: Et hoc requirit totum hominem. Porrò hoc unum eſt neceſſarium: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matthæi cap. 19.

TRACTATUS XXXVIII.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Antequam explicemus hæc præcepta operæ pretium erit notare nonnulla ſcitu digna de vera Chriſti Eccleſia: ideoque

Quæro I. *Quid nomine ECCLESIÆ intelligitur?*

1 *Reſpondeo: Eccleſia* hìc ſumitur pro Congregatione omnium profitentium Fidem, atque Doctrinam Chriſti, quæ ſub uno, & ſummo poſt ipſum Chriſtum Capite, & Paſtore in terris gubernatur. Ita P. Anacletus noſter *in Moral. Theol. Moral. Theol. Tractat. 4. diſt. 3. quæſt. 1. num. 2.* Vel, ſumitur pro Eccleſia Catholica in Scriptura Novi Teſtamenti nominata, quæ eſt Communitas Monarchiæ Spiritualis Chriſti, ab ipſo inſtituta, & adminiſtranda per unum ſummum ejus Vicarium, qui eſt Romanus Pontifex. Ita P. Octavius Jadertinus *in Introductione ad Officium Lecturæ Theol. diſp. 1. art. 1.*

Extra hanc veram Chriſti Eccleſiam 2
nemo poteſt ſalvari. Ita deciſum habetur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa tertio: atque refertur, capit. Firmiter. De Summa Trinitate, ubi dicitur: *Una verò eſt Fidelium Univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur.*

Quæro II. *Quænam ſunt Notæ veræ Eccleſiæ Chriſti?*

℞. Principales ſunt quatuor iſtæ, videlicet, 3

Digitized by Google

licet, quòd ſit Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Eccleſia enim Chriſti eſt *Una, Unitate Capitis*, tum inviſibilis, quod eſt ipſe Chriſtus, tum viſibilis, quod eſt Summus Pontifex Romanus, *Unitate Doctrinæ, Unitate cultus Divini, & ritus ſubſtantialis Sacramentorum*. Et hanc trinam principalem Unitatem inſinuat Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. dicens: *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma*.

4 Dicitur *Sancta*; quia profeſſio ejus, & Doctrina eſt Sancta; nihil enim continet, quod ſit contrà rectam rationem, vel bonos mores: ſed docet quod eſt verum, juſtum, honeſtum, purum, immaculatum & divinum. Item eſt *Sancta*, quia à viris Sanctis propagata ſemper fuit: & in ea plurimi eximiæ virtutis, & Sanctitatis Viri per cuncta ſemper ſæcula floruerunt, & florent, ut patet intuenti, & legenti Acta Sanctorum.

5 Dicitur *Catholica*, ideſt Univerſalis. Eſt enim talis tam *quoad locum*; toto Orbe terrarum diffuſa eſt; tam *quoad tempus*; quia ſemper duravit, ac durabit uſque ad conſummationem ſæculi, finemque mundi: juxta Chriſti promiſſionem Matth. cap. ultimo: *Et ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*.

6 Dicitur tamdem *Apoſtolica*; quia ab Apoſtolis Chriſti propagata eſt per univerſum Orbem juxta Domini mandatum, Marc. c. ult. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Tum quia in Eccleſia Chriſti datur continua ſucceſſio, tum in Pontificatu Beatiſſimi Petri Apoſtolorum Principis, tum in Epiſcopatibus aliorum Apoſtolorum ab initio uſque ad moderna tempora; qualem continuam, & non interruptam ſucceſſionem Apoſtolicæ dignitatis nulla alia Congregatio habet præter Romanam Catholicam Eccleſiam; ut probat S. Auguſtinus contra Manichæum, *Epiſt. cap.* 4. Et *Epiſt.* 165. *ad Generoſum*.

Quæro III *Quænam ſunt argumenta fortiora ad probandam Veritatem noſtræ Religionis Catholicæ?*

7 ℟. Sunt decem illæ viæ, quæ à Scoto Doctore noſtro ponuntur *in Prologo ſent. qu.* 2. videlicet:

Prima Via ſumitur *à Pronunciatione Prophetarum*. Nam pronunciata olim à SS. Prophetis jam impleta ſunt: ut patet in Sacris Scripturis Veteris, & Novi Teſtamenti; quæ enim dicta, & prædicta fuerunt de Chriſto, ejus Apoſtolis, &c. ab antiquis Prophetis, ſi conferantur cum dictis, & factis ab ipſomet Chriſto, ejuſque Apoſtolis vera eſſe intelliguntur ad unguem.

Secunda Via ſumitur ex *Concordia Scripturarum*. Sacri enim Scriptores Bibliorum librorum variè diſpoſiti, & diverſis temporibus exiſtentes in rebus non evidentibus omninò conſonant; quod non feciſſent, niſi habuiſſent Deum Magiſtrum inclinantem eorum mentes ad prædictas res non evidentes magna cum concordantia ſcribendas.

Tertia Via ſumitur ex *Auctoritate Scribentium*; nam Scriptores Sacrorum Librorum, qui pro authenticis habentur, fuerunt viri ſummæ Auctoritatis, ut Prophetæ, Apoſtoli, & Evangeliſtæ.

Quarta Via ſumitur à *Diligentia Recipientium*; maximè enim credendum eſt Communitati Sapientium, & Sanctorum Virorum, qui ſemper inexplicabili cum diligentia examinarunt omnes, & ſingulos libros Novi, & Veteris Teſtamenti, ut patet ex antiquis Hebræis, & Patribus, qui in uno quoque verbo, vel dictione Sacræ paginæ multas fecerunt ſtrictiſſimas ſcrutationes; prout videri poteſt in Gloſſis.

Quinta Via ſumitur à *Rationabilitate contentorum* in dictis libris, Quid enim rationabilius, quàm UNUM DEUM tamquam finem ultimum ſuper omnia coli, & amari? Et proximum diligere tamquam noſmetipſos? Et in his duobus mandatis de dilectione Dei, & proximi univerſa lex pendet.

Sexta Via ſumitur ab *Irrationalitate ſingulorum errorum* omnium Sectarum, quæ ſunt extra hanc Eccleſiam noſtram: ut patet in Secta Turcarum, Hebræorum præſentium, & omnium Hæreticorum, quorum tot ſententiæ, quot capita in rebus fidei, & morum.

Septima Via Sumitur à *Stabilitate Eccleſiæ Chriſti*, contra quam portæ Inferi numquam prævaluerunt, nec prævalebunt: ut patet ex Hiſtoriis de perſecutoribus, & perſecutionibus à principio uſque modò factis; perierunt enim noſtri Adverſarii miſerrimo fine, fides autem noſtra permanet ſemper eadem vegetior, lucidior, ſtabilior.

Octava via ſumitur à *Claritate Miraculo-*

Digitized by Google

culorum; Deus enim optimus non poteſt eſſe Teſtis alicujus falſitatis; Sed Deus noſter Invocatus à Prædicante Veritatem Scripturæ Sanctæ, ut per miracula oſtenderet doctrinam eſſe ſuam, multa fecit miracula, ut patet in Actis Sanctorum.

Nona Via ſumitur à *Teſtimonio eorum, quia foris ſunt*. Nam multi, qui erant extra hanc Eccleſiam confeſſi ſunt hanc veritatem, nempe veram eſſe noſtram Religionem.

Decima, & ultima Via ſumitur à *Divina Providentia*; nam Deus benedictus non deeſt quærentibus in ſimplicitate cordis ſalutem æternam: multi autem diligentiſſimè inquirentes Viam Veritatis à DEO illuminati ſunt, & ad Eccleſiam Catholicam converſi ſunt; ut patet de tot Philoſophis. Gentilibus, & Hæreticis, qui etiam noſtris temporibus convertuntur, & nobiſcum uniuntur; converſique omnes alios errantes convertere nituntur ad Veram Religionem noſtràm; ergo iſta ſola eſt *vera Dei Eccleſia*, extra quam non eſt ſpes ſalutis æternæ.

Lege, quæſo, Doctorem noſtrum in Prologo, quæſtione ſecunda: & ſi cupis vulgari, italico, doctoque ſermone prædicta argumenta meliùs conſiderare, vide librum P. Pauli Segneri, cui titulus eſt: *l'Incredulo ſenza ſcuſa, part. 2. à cap. 3. & ſeqq.*

Quæro IV. *Pontifex Romanus, ut Pontifex Eccleſiæ Catholicæ poteſtne errare in decernendis quæſtionibus ad Fidem, moreſque Chriſtianos pertinentibus?*

8 ℞. Certiſſimum eſt inter DD. Catholicos, Romanum Pontificem loquentem ex Cathedra errare non poſſe in materia Fidei, & morum. Ratio eſt: quia Pontifex Summus dum docet Eccleſiam non poteſt deficere in Fide, juxta promiſſionem Chriſti Petro, & ejus Succeſſoribus factam, Luc. 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*; ſed ſi Pontifex Summus doceret Eccleſiam propoſitionem aliquam erroneam in Fide, & moribus, deficeret in Fide, nec valeret confirmare Fratres ſuos, nempe ſuos ſubditos; ergo, &c. — Tum quia Chriſtus mandavit Petro, ejus Vicario, ut paſceret agnos, & oves ſibi commiſſas, ut habetur Joan. capit. ultimo: *Paſce agnos meos ... Paſce oves meas*. Sed agni, & oves rationales doctrina Fidei, & morum paſcuntur; ergo in his paſcuis præcipuis, & ſubſtantialibus Paſtor Romanus, velut Chriſti Vicarius, ac Petri legitimus Succeſſor errare non poteſt. V. Cardenas, *p. 4. diſſert.* 1. c. 1. & 2.

Præterea: ut vidimus, Eccleſia Chriſti eſt *Sancta*; Sanctitas iſta etiam in hoc puncto conſiſtit: quia nimirùm profeſſionem, & legem Sanctam habet, & conſervat, quæ nihil falſi docet, & nihil mali præcipit; Sed ſi Papa, ut Papa, ſeu veluti Caput Eccleſiæ erraret in rebus Fidei, & morum, ipſa Eccleſia non ampliùs eſſet *Sancta*, nec Papa *Sanctiſſimus Dominus noſter* appellari poſſet; ergo, &c.

Vide plura apud Joan. Cardenas in ſua Criſi *Theol. Tr. 1. diſp. 9. ca. 6. per totum part. 1.*

Quæro V. *Papa eſtne ſupra Concilium Generale?*

℞. Quòd ſic. Ratio eſt: quia tota 9
filiorum Congregatio non eſt ſupra Patrem, ſed benè viceverſa Pater eſt ſupra Congregationem filiorum. Papa autem eſt Pater omnium Chriſti Fidelium: ergo, &c.

Tum quia Papa ſine Concilio Generali habet facultatem damnandi, & docendi; nempe damnandi errores, & docendi veritatem: ut patet ex Epiſtola Gelaſii Papæ ad Epiſcopum Dardanenſem: ubi inter alia dicit. *Nec prætermittimus, quòd Apoſtolica Sedes, nulla exiſtente Synodo, habuerit facultatem damnandi, quos oportuit, &c.* Quare à diverſis Summis Pontificibus damnatæ fuerunt multæ propoſitiones circa Fidem, & mores; ut ſcimus per experientiam; ergo, &c. V. Domin. Viva, *p. 3. propoſit. 29.*

Præterea, ultimum Concilium Generale, quod fuit Tridentinum, in fine *Seſſionis, 25. & ultima*, ad hanc veritatem comprobandam, decrevit, ut omnia Decreta ibi facta confirmarentur, ſeu, ut omnium, & ſingulorum, quæ in ea œcumenica, & generali Synodo decreta, & definita fuere, Confirmatio nomine Sanctæ illius Synodi, per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes à Beatiſſimo Romano Pontifice (Pio Quarto) peteretur; ergo, &c.

Quare jure meritò damnata fuit ab Alexandro Papa Octavo hæc propoſitio, quæ eſt la 29. inter alias, & dicebat:

29. *Fu-*

29. *Futilis & ſeries convulſa eſt Aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium OEcumenicum Auctoritate: atque in Fidei quæſtionibus decernendis Infallibilitate.*

Quæro VI. *Pontifex Romanus poteſtne condere Leges, & præcepta toti Eccleſiæ, quæ nos obligent in conſcientia?*

℟. Patet reſponſio omninò affirmativa ex dictis nuper, & in *Tractat. 5. de Legibus, num.* 17. Tum quia: Card. Bellarminus, *tom. 2. lib. 4. de Summo Pontifice, capit.* 15. ait: in Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt: Romanum Pontificem in tota Eccleſia, & Epiſcopos in ſuis Diœceſibus eſſe veros Principes Eccleſiaſticos, qui poſſunt ſua auctoritate, & ſine plebis conſenſu: vel Presbyterorum conſilio Leges ferre, quæ in conſcientia obligent.

Tum quia: ex quarto Decalogi præcepto obligamur obedire Parentibus: quæ obligatio intelligitur non ſolùm de Parentibus carnalibus, verùm etiam de Prælatis, qui ſunt Patres noſtri Spirituales; ergo multò magis de Papa, qui eſt Pater omnium in Spiritualibus; unde Apoſtolus Paulus ad Epheſios, cap. 6. dicit: *Obedite Parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt*. — & ad Hebræos, cap. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.

Tum quia: Principes Supremi poteſtatem habent condendi Leges obligantes ſuos ſubditos in conſcientia; (ut probavimus *Tractat. 5. numero* 19.) ergo à fortiori Papa, qui eſt Supremus Princeps in Eccleſia Dei Vicarius Chriſti in terris, Dominus Dominantium, Rex univerſæ terræ in iis, quæ pertinent ad Regimen Animarum, Plenipotentiarius Imperatoris DEI.

Quæro VII. *An Præcepta Eccleſiæ obligent nos ſub mortali culpa?*

11 ℟. Patet evidenter ex mox dictis. Tum quia: manifeſtè conſtat hæc veritas, (quòd Præcepta Eccleſiæ Matris noſtræ nos obligent ſub culpa mortali) ex perpetua traditione, & communi omnium Fidelium conſenſu; hæc autem evidentia ità clara, & nota eſt, ut probatione videatur non indigere; nihilominùs ob nonnullas propoſitiones damnatas meliùs confutandas, ſic probabo reſponſionem.

Præceptum Superioris juſti, & pii de re gravi, ſine dubio obligat ſubditos ſub mortali. Sed præcepta Eccleſiæ ſunt de re gravi, & facta ſunt à Summo Pontifice, qui (ut Pontifex) nequit eſſe niſi Superior Juſtus, & pius; ergo Præcepta Eccleſiæ obligant nos ſub mortali.

Præterea; quando omnes Fideles, Superiores, & ſubditi, tamquam filii Sanctæ Matris Eccleſiæ conveniunt firmiter in hac veritate, de qua loquimur, utique nituntur fundamento ſaltem moraliter certo ex auctoritate Majorum. Quòd ſi pauci aliqui diſſentiant; temerè procedant; quia contra certitudinem moralem nihil proficit opinio contorta paucorum; ergo moraliter certum eſt, Præcepta Sanctæ Matris Eccleſiæ nos obligare ſub gravi culpa; quia omnes fideles in hoc puncto conveniunt.

Item: Conſuetudo eſt optima Legum Interpres: ut habetur *ca. cum dilectus*: Sed omnes Fideles habeat hanc conſuetudinem ſpeculativam, & practicam, quòd credunt certò ſe peccare mortaliter tranſgrediendo (ſine juſta cauſa) aliquod Eccleſiæ præceptum; ergo Intepretatio, quam dat Conſuetudo, non erit conjecturalis, nec probabilis, ſed omninò certa, tamquam Regula data ab ipſo jure. Unde etſi Lex verbis ſcriptis non exprimeret dari obligationem conſcientiæ; adjuncta tamen conſuetudine de tali obligatione, tamquam certiſſima obligatione interpretativa, certò tenenda eſt, tamquam conſcientiam obſtringens: ergo, &c.

Confirmatur ex Div. Auguſtino, *epiſt.* 118. in ea quæſtione, *Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?* Poſtquam primo loco pro Regula certa poſuit Sacram Scripturam: ſecundo loco poſuit pro certa Regula *Conſuetudinem univerſalium Fidelium* dicendo: Similiter etiam, ſi quid horum tota frequentet Eccleſia: nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt; ergo, &c.

Quæro VIII. *Quænam ſunt Præcepta Eccleſiæ?*

℟. I. Loquendo de Præceptis, quæ obligant multos, ſed non omnes univerſaliter, plurima ſunt, ut patet in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus, Bullis, Decretis Summorum Pontificum, Conciliorum generalium, &c. ſed de his non loquimur in præſenti. 12

℟. II. Loquendo autem de Præceptis, quæ obligant omnes, & ſingulos univerſaliter; iſta ſunt quinque; nempe I. Eſt de Sa-

Digitized by Google

de Sacro Miſſæ Sacrificio devotè audiendo in Feſtis; & habetur in *Canon. Miſſas, De Conſecr. diſt.* 3. II. Eſt de Jejunio Quadrageſimali, Vigiliarum, & Quatuor anni Temporum: & habetur ex *Canon. 68. Apoſtolorum, Calliſto Papa Primo, & capitulo Quadrag. de Conſecr. diſt. 5. cum ſeqq. Canon. & ex Conſuetudine Eccleſiæ.* III. Eſt de abſtinentia à carnibus omnibus Sextis Feriis, & Sabbatis: & habetur *in capitulo Sabbato. De Conſecr. diſtinct. 3., & capitulo de eſu carnium, ibi cum Gloſſa.* -- IV. Eſt de annua Confeſſione Sacramentali: & habetur in Concil. general. Lateran. ſub Innoc. III. celebrato: ac refertur *c. Omnis utriuſque ſexus: de Pœnit. & remiſſ.* V. Tandem Præceptum eſt de Communione Paſchali: facienda in propria Eccleſia, ſeu Parochiali, & habetur *c.* mox cit. *Omnis, &c.* & Conc. Trident. *ſeſſ. 13. Can. 9.* Et de his communibus, & univerſalibus Præceptis agendum erit breviter in præſenti. -- Vide Azor. *p. 1. lib. 7. c. 12. & ſeqq.*

℞. *III.* Sunt & alia duo Præcepta Eccleſiæ, nempe de *ſolvendis Decimis*: & de *non celebrandis nuptiis ſolemniter certis temporibus*: Sed quia iſta, ut notum eſt, non ſunt univerſalia, nec omnes tangunt Fideles, ideò *inter Univerſalia* non connumeravi.

De Sacroſancta Miſſa audienda diebus Feſtis.

De hac materia ſatis locuti ſumus *in Tr. 17. de Feſtis, à n. 12. ad 36.* Unde, ne ſemel dicta ſine neceſſitate repetam; vide quæ ſcripſi ibidem.

13 Solùm hic addam, extare grave præceptum obligans ſub mortali de Miſſa reverenter audienda diebus Dominicis, & aliis Feſtivis. Patet hoc Eccleſiaſticum præceptum *ex Canon. citat. Miſſas de conſecr. diſt.* 1. Et licèt ibi ſoli Sæculares nominentur; tamen generalis Eccleſiæ ſenſus ad omnes etiam Clericos, & Sacerdotes non celebrantes eamdem obligationem extendit; & ex communi conſuetudine, quæ eſt optima Legum interpres ſub dicto præcepto omnes non Celebrantes comprehenduntur: Sacerdotes enim Celebrantes Miſſam diebus Feſtis, celebrando utique ſatisfaciunt: quia eminenter audiunt Sacrum, quod celebrant. Id ipſum liquet *ex Canon. Omnes Fideles, de Conſecr. diſt.* 1. Vide Anacletum noſtrum *Tract. 10. de Præceptis Eccleſiæ, quæſt.* 4. & Joan. Azor. *lib. 7. cap. 1. Inſtit. Moral. 1. part.*

Incipit autem hoc Præceptum obligare omnes, cùm primùm ad uſum rationis pervenerint; & quia pueri, dum Septimum annum attigerint, vel ſaltem exceſſerint, incipiunt regulariter uti ratione; idcircò eo ætatis anno incipiunt hoc Præcepto obligari. Unde qui totius familiæ curam habet, curare debet, ut filii parvuli ejuſdem ætatis rem Divinam audiant, alioquin ipſemet peccabit. 14

Una tantùm Miſſa integra ex hoc Præcepto audienda eſt, etiam Feſtivo die Natalis Domini Jeſu: quia ad plures Miſſas audiendas nulla adhuc Lege obligamur: & ideò nulli hoc onus eſt imponendum: ut docet Navarrus *in Manuali, ca. 21. num. 2.* Excipe niſi quis Voto, Pœnitentia, aut alia diverſa obligatione ſit aſtrictus. 15

Quando Feſtum annunciationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aut Sanctiſſimi ejus Sponſi Joſeph occurrit Feria Sexta in Paraſceve, non tenentur Fideles audire illam Miſſam, quæ dici ſolet; tum quia illud non eſt verum Sacrificium; ubi non fit Conſecratio: tum quia ex mandato Pontificis transfertur illud Feſtum poſt Dominicam in Albis. 16

In ſacro audiendo ex Præcepto poterunt recitari Orationes privatæ, ut Roſarium, Corona Officium, &c. non ſolùm ex devotione, verum etiam ex Obligatione ſolitæ, ac debitæ. Ratio eſt: quia iſtæ Orationes ad eumdem finem, nempe DEUM colendum, & orandum diriguntur: ac remanet virtualis attentio ad ipſam Miſſam: (ut loc. cit. diximus;) Oratio enim eſt mentis elevatio ad ipſum Deum. Hoc volui repetere ad ſcrupulos ampliùs tollendos de medio ſimplicium. Ita Adrianus, Medina, Cajetanus, Navarrus, Toletus apud Antonium Fernandes, *part. 2. cap. 8. §. 1. nu. 3. Examinis Theol. Moral.* 17

Quæro IX. *An ſatisfaciant Præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa diebus Feſtis ii, qui Miſſam audiunt in Oratoriis?*

℞. *I.* Loquendo de Oratoriis publicis, & etiam de privatis Epiſcoporum, & Religioſorum, nullam invenio difficultatem, aut rationem in contrarium; 18

unde

unde dicendum, & reſolvendum affirmativè.

℞. *II.* Loquendo autem de Oratoriis privatis Sæcularium, dico, ſtandum eſſe Brevis, ſeu Conceſſionis Pontificiæ formulis ac verbis: quia Brevia Pontificia tantùm valent, quantùm ſonant: ex lectura igitur iſtarum Conceſſionum invenies quid reſpondeas Quæſito: pro quo vide Thomam Tamburinum *in Quinque Præcepta Eccleſiæ, Tr. 1. c. 3. per totum.* Solùm adverto, bonam fidem excuſare poſſe eos, qui audiunt Miſſam in his Oratoriis, etiamſi aliàs excluſi eſſent à Privilegio.

De Jejunio Eccleſiaſtico in Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Vigiliis per annum.

Quæro X. *Quinam ſunt dies anni, in quibus fideles adulti jejunare obligantur ex Præcepto Eccleſiæ?*

19 ℞. Certum eſt, eſſe ſequentes: *primò* omnes dies Quadrageſimæ: *ſecundò* Quatuor anni Tempora: *tertiò* omnes Vigilias infra annum: & *quartò* omnes ferias Sextas, & Sabbata totius anni quoad carnes. Et quando occurrit aliqua vigilia infra annum in Dominica, fit in Sabbato præcedenti. Explicabo meliùs principaliora puncta.

De Quadrageſima.

20 Omnibus ferialibus diebus Quadrageſimæ datur Jejunium Eccleſiaſticum plenum, & perfectum: ideſt, à Feria quarta Cinerum uſque ad Sabbatum Sanctum incluſivè, Fideles adulti plenè, & perfectè jejunare tenentur. *Excipe* Mediolanenſes, qui ex ſuo legitimo ritu ab Eccleſia approbato non jejunant illis quatuor diebus præcedentibus Dominicam primam Quadrageſimæ, qui tamen compenſantur tribus diebus Rogationum.

21 Dixi *ferialibus diebus*: nam in Dominicis non datur plenum Jejunium, ut patet experientia, & uſu communi: ſed tantùm ſemiplenum, & imperfectum, hoc eſt, abſtinentia à carnibus, & lacticiniis.

22 Et hoc Quadrageſimale Jejunium, non jure Divino, ſed Apoſtolica traditione, ſeu mandato, & Jure Canonico, ac generali Eccleſiæ conſuetudine obſervari debet: ut optimè probat Azorius cum multis DD. & rationibus, *Parte Prima, libr. Septimo, capit. duodecimo, qu. 1.*

Dixi, *tenentur jejunare*; quia Præceptum Eccleſiaſticum de Jejunio non ſolùm in Quadrageſima, ſed aliis diebus, obligat adultos ſub mortali ex communi conſenſu DD. Unde meritò damnatur hæc propoſitio, quæ eſt 23. ex damnatis ab Alexandro Papa Septimo. 23

23. *Frangens Jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: puta, quia non vult ſe ſubjicere Præcepto.*

Dixi, *plenè, & perfectè*, nempe rigoroſè tenentur jejunare per abſtinentiam à carnibus, & lacticiniis, ac per unicam comeſtionem; nimirùm ſemel tantùm interdiu comedendo cibos quadrageſimales. Unde damnatur altera propoſitio ab eodem Pontifice, quæ eſt la 32. & ſic ſonabat: 24

32 *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

De Quatuor anni Temporibus, ac Vigiliis per annum.

Feria quarta, feria Sexta, Sabbato Quatuor Temporum, & ſingulis Vigiliis de præcepto Eccleſiæ obligantur fideles adulti ad plenum, & perfectum Jejunium; nempe ad abſtinentiam carnium, lacticiniorum, & ad unicam comeſtionem. 25

Non eſt tamen hoc punctum *quoad abſtinentiam à lacticiniis* ita certum in his diebus, ſicut eſt certum in Quadrageſima; quia his temporibus, ac Vigiliis neque in Jure adeſt prohibitio comedendi lacticinia neque ex univerſali conſuetudine probatur talis prohibitio. Ideòque variant Doctores in hoc puncto. 26

Aliqui enim dicunt, extra Quadrageſimam, licitum eſſe jejunare in lacticiniis: quia cum his cibis poteſt ſtare ſubſtantia Jejunii, nempe per ſolam abſtinentiam à carnibus, & à pluribus interdiù comeſtionibus. Confirmant; quia, qui utuntur Privilegio Bullæ Cruciatæ,

Digitized by Google

(qua Bulla conceditur uſus lacticiniorum etiam in Quadrageſima) non per hoc eximuntur ab obligatione Jejunii Eccleſiaſtici ; ergo Jejunium Eccleſiaſticum ſtare poteſt cum eſu lacticiniorum . Ita tenent Vaſquez , Villalobos , Sanchez , & alii cum Diana *Parte prima* , *Tractat. 9. Reſol.* 41. Paſqualigus , *deciſ. 96. & 70.* Leander *de Præcept. Eccleſ. diſp. 3. quæſt. 7. numero* 4. Quintanaduenas , *tom. 2. Singular. tractat. 3. ſingul.* 22. Sanchez *tom. 2. Conſil. libr. 5. capitulo* 1. *dub.* 21. *numero* 2. Ubi dicit , quòd ſi in aliquibus locis introducta eſt abſtinentia ab ovis , & lacticiniis in Jejuniis extra Quadrageſimam , adhuc hæc Conſuetudo non obligat , nec vim legis habet : quia non eſt introducta univerſaliter , nec à majore , & ſapientiore parte populi : neque introducta eſt animo ſe , & alios obligandi ad peccatum . Et quando dubium eſt , an obligaret , & an omnibus requiſitis inducta eſſet ea conſuetudo , tunc melior eſt conditio poſſidentis . Et quòd hæc conſuetudo non obliget ſub peccato , dicunt , & probant Enriquez , Vaſquez , Villalobos , Filliucius , Portel , Boſſius , Trullench , Paſqualigus , Salas , & alii apud Tamburinum *in Quinque Præcepta Eccleſiæ* , *Tractat. 4. capitulo 4. à numero 3. ad* 8. Et in Decal. *lib. 4. cap. 5. numero* 22.

27 Azorius *part. 1. libro 7. capitulo* 10. dicit : In cæteris Jejuniorum diebus extra Quadrageſimam lege cautum eſt , ne carnes edantur ; ſed nihil eſt expreſſum de iis cibis, qui ducunt originem ex carne ; quare in his mos gentis Civitatis , vel Populi ſervari debet . In quibuſdam enim locis de more butyrum editur ; in aliis lac , & ova , in quibuſdam etiam ab his abſtinetur ..... Juxta communem ſententiam in aliis Jejuniorum diebus , extra Quadrageſimale Jejunium , Jure communi permittitur uſus ovorum , lactis , caſei , niſi contrarium conſuetudo gentis , vel populi ſervet . Et multos ibi citat D. D. antiquos , nempè Div. Thomam , Paludanum , Ricardum , Durandum , Angelum , & Sylveſtrum . Et *capitulo 19. quæſt.* 2. idem Azor dicit : Si aliqua Jejunia plena , vel ſemiplena conſuetudine generali ſint in aliqua Provincia , oppido vel loco recepta , ea quoque in Monaſteriis , & Religioſorum Collegiis intra eumdem locum conſtitutis , ſervari debent : ſunt enim ea Jejunia omnium communia.

28 Summa Sylveſtrina *part. 2. V. Jejunium qu. 5. numero* 15. dicit : Eſus carnium in omni Eccleſiaſtico Jejunio interdictus eſt , & illud frangit ſecundùm omnes DD. — Eſus verò ovorum , & lacticiniorum interdictus eſt in Quadrageſima : non autem in aliis Jejuniis , ſecundùm Petrum de Palude , & S. Thomam , communiter DD. Niſi conſuetudo hoc habeat , quam ubique ſervandam in Jejuniis , dicunt SS. Auguſtinus , Ambroſius , & Hieronymus . Unde in omnibus Jejuniis , præter Quadrageſimam , lacticinia comedi poſſunt , ubi conſuetudo eſt .... Conſuetudo enim in his eſt Lex ; ergo , &c.

29 Ex his deducitur , quòd Jejunium Eccleſiaſticum extra Quadrageſimam per ſe non obligat ad abſtinentiam à lacticiniis ; & quòd ubi eſt conſuetudo abſtinendi ab his , ſecundùm DD. antiquos abſtinendum eſt ; quia talis conſuetudo obligat ; ſecundùm verò DD. modernos hæc conſuetudo non obligat ; quia non habet vim legis , ſed devotionis . Ecce diverſitas opinionum in hoc puncto . Sed quare moderni ſic opinantur ? Forſan quia vident homines noſtri temporis infirmiores ſpiritu , & complexione : quàm antiquiores , ſicque condolere , & condeſcendere cupiunt infirmitatibus noſtris . Vide tamen Bonacinam , *de Præceptis , diſput. ult. qu. 1. p. 2. n. 2.*

De abſtinentia à carnibus quibuslibet Sextis Feriis , & Sabbatis per annum.

30 In primitiva Eccleſia , & pluribus deinceps ſæculis fuit conſuetudo duobus in quavis hebdomada diebus perfectum Jejunium ſervandi : quæ tamen conſuetudo poſtea deſiit præſertim in Occidente , ſeu in Eccleſia Romana-latina ; & pro Jejunio pleno , atque perfecto introductum fuit ſemiplenum , ac imperfectum , videlicet ſola à carnibus abſtinentia *die Veneris* ob memoriam Paſſionis Domini , & *die Sabbati* in memoriam triſtitiæ , doloris , & luctus B. V. Mariæ , & Apoſtolorum : ſicut & nunc in Eccleſia prædicta ſervatur , ut ex multis textibus probat Laymannus , *lib. 4. tr. 8. ca. 2. nu.* 3. ex Azorio , *part. 1. lib. 7. c.* 15.

Quæ

Digitized by Google

31 Quæ quidem conſuetudo univerſalis & & vim Legis habet, & obligat ſub mortali: ac ita invaluit, ut ev ſerit ſignum extrinſecum Chriſtianæ Religionis: ut habetur, *cap. quia dies, de conſecr. diſt.* 5. Excipe, niſi Feſtum jucundiſſimum Natalis D. N. Jeſu Chriſti in dictos dies Veneris, vel Sabbati incidat; tunc enim qui nec voto, nec Regulari obſervantia adſtricti ſunt, propter Feſtivitatis Excellentiam, carnibus veſci poſſunt, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ univerſalis; nec tamen repræhendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere; ut habetur in *cap. ult. de obſerv. jejun.* Et *cap. Quia dies*, ſuprà cit.

Quæro XI. *Qui vovit generaliter omnibus Sabbatis, vel ſextis feriis unius anni jejunare: ſi tunc incidat Feſtum Natalis Domini in Sabbatum, vel ſextam feriam: poteritne licitè carnem comedere?*

32 ℟. Cum diſtinctione. Si prævidit talem incidentiam; utique tenebitur abſtinere à carnibus; quia tunc expreſsè incluſit etiam Feſtum Natalis Domini; ſicut & illi Religioſi, qui toto tempore vitæ ſuæ voverunt ſervare Regulam, in qua includitur V G. præceptum, vel ſtatutum indiſpenſabile jejunandi omnibus Sextis Feriis, ſicut continetur in Regula noſtra *Fratrum Minorum S. P. Franciſci, capitulo tertio*, ubi habetur: *Teneantur Fratres ſexta Feria jejunare*; nam ſic ſe obligarunt ſponte cedendo Juri ſuo, ut non ampliùs gaudere poſſint communi permiſſione, ac libertate totius Eccleſiæ in tali Feſtiviſſimo die. Habeo tamen hanc inſtantiam: Regula noſtra dicit ibi: Jejunent à *Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini*; atqui prima dies, vel terminus *à quo* excluditur à Jejunio; ergo etiam ultima dies, vel terminus *ad quem* excludi poteſt.

℟. Adeſt conſuetudo inveterata, quæ enim Legis habet, ſic jejunandi; Jejunamus patienter, & libenter; ergo.

Si verò non prævidit, nec cogitavit de tali incidentia; tunc probabile eſt, poſſe comedere carnem, ut alios; quia non eſt veriſimile, quòd qui cum illa generalitate vovit, voluerit includere diem tantæ ſolemnitatis, & lætitiæ: & recedere à more ſolito Eccleſiæ; tum quia in generalitate illa non conſtat de reſtrictione voventis, vel de incluſione talis circumſtantiæ ſpecialiſſimæ: ergo vovens non aliter ſe adſtrinxit; niſi juxta dictum Eccleſiæ morem; tum quia, ſi prævidiſſet, excluſiſſet talem diem ſingularem, &c. Ita Molina, Fagundez, & Tamburinus *de præc. Eccleſiæ tractat. 4. capitulo 9. numero 22.* Contrariam opinionem tenet Bonacina *in Decal. diſput. 4. quæſt. 2. punt. 4. numero 9.* Ratio eſt: quia verba hujus voti ſunt generalia pro qualibet die Veneris, vel Sabbati: & vovens expreſsè voluit ſe obligare ad jejunandum quolibet die tali. Tum quia, *capitulo final. de obſerv. Jejun.* habetur. Aſtricti voto, aut Regulari Obſervantia prohibentur carnes comedere die Sabbati, ac Veneris, in quem incidat Natalis Domini, quamvis eſus carnium aliis Fidelibus eo ſolemni die permittatur.

Sed videtur etiam in doctrina Bonacinæ, quòd poſſit ſuſtineri alia opinio. Dicit enim *ibi numero* 1. Votum explicandum eſt juxta intentionem voventis; quia votum eſt veluti quædam lex privata; lex autem obligat in quantum Legiſlator intendit, ergo etiam votum obligabit inquantum vovens intendit: & conſequenter explicandum eſt juxta intentionem voventis. *Subſumo*, at vovens jejunare omnibus Sextis Feriis, vel Sabbatis, intendit ſe obligare omnibus quidem diebus prædictis: ſed ſecundùm curſum ordinarium voventium, & morem Eccleſiæ; ergo niſi expreſsè incluſerit *etiam Diem Natalis Domini*: poteſt interpretari ſuam intentionem fuiſſe, & eſſe excludendi talem diem, quæ non eſt dies ordinaria.

De iis, qui tenentur ad Jejunium.

Quæro XII. *Quinam tenentur ad Jejunium Eccleſiaſticum?*

℟. I. Oportet diſtinguere Jejunium, ut ſuprà, in completum, & in incompletum. *Completum*, eſt abſtinere à carnibus lacticiniis, & pluribus interdiù comeſtionibus. *Incompletum* eſt abſtinere à carnibus tantùm. 33

℟. II. Loquendo de Jejunio incompleto, dico, quòd omnis Chriſtianus adultus rationis compos obligatur ſub mortali ad 34

Digitized by Google

hoc Jejunium: niſi legitima cauſa excuſetur. Ratio eſt manifeſta: quia completo tempore uſus rationis homo incipit obligari Legibus Eccleſiaſticis pro poſſe; ergo pueri poſt quàm adepti ſunt uſum rationis ſunt capaces talis obligationis, & conſequenter tenentur abſtinere à carnibus diebus jejunii Eccleſiaſtici.

Unde reſolves I. Infantes ante ſeptennium completum poſſe comedere carnes etiam diebus Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, Veneris, & Sabbati: & conſequenter Parentes, Nutrices, Domeſticos, &c. poſſe licitè, & tutè porrigere iis infantibus carnes.

36 II. Idem dicendum eſſe, ſi poſt ſeptennium completum aliquis puer uſum rationis nondum acquiſierit; quia ſolus uſus rationis eſt, qui facit, hominem egredi ab Infantia, non vero tempus, vel ætas præciſa ſeptem annorum. Quod in pueris quorumdam hominum ruſticorum quandoque evenit. Tum quia Lex Eccleſiaſtica fertur pro eis, qui regulariter rationis uſum habent de facto.

37 III. Pueros uſum rationis habentes non ſtatim teneri ad abſtinentiam à lacticiniis in Quadrageſima, benè quidem à carnibus, ut dixi; quia abſtinentia à carnibus magis urget, & eſt de ſubſtantia Jejunii Eccleſiaſtici etiam ſemipleni, ac imperfecti: tum quia ætas illa adhuc tenera nimiùm pateretur, ſi ſtatim etiam lacticiniis privaretur ad longum tempus: & talis prohibitio eſſet illis puerulis nimis oneroſa, & damnoſa. Quod faciliùs in filiis Nobilium, quàm Ruſticorum accidere ſolet. V. Tambur. *l. cit. tract.* 4. *numero* 12.

38 IV. Amentes, mentecaptos perpetuò, qui connumerari poſſunt cum infantibus, non teneri ad Jejunium; ſiquidem Lex humana numquam intelligitur dari niſi lucis ratione gaudentibus.

39 V. Pueros, & adoleſcentes ante vigeſimum primum ætatis ſuæ annum obligatos eſſe ad Jejunium ſemiplenum, & imperfectum etiam quoad abſtinentiam à lacticiniis omnibus diebus Quadrageſimæ; nam hoc Jejunium obligat omnes Fideles uſu rationis pollentes. Tum quia, licèt Eccleſiæ conſuetudo hos pueros, & adoleſcentes deobligaverit à Jejunio rigoroſo, ne in his impediatur curſus creſcendi; non invenimus tamen exemptos ab omni abſtinentia; quinimò conſuetudo ipſa univerſalis eos obligat ad abſtinentiam prædictam. Tum quia omnes D. D. dicunt, eos teneri diebus Jejuniorum abſtinere non ſolùm à carnibus, ſed etiam à reliquis cibis interdictis. Unde & ipſi peccabunt edendo lacticinia, & qui ipſis tales cibos miniſtrabunt. V. Azorium cit. *lib.* 8. *capitulo* 17. *quæſt.* 2. -- Caſtropalaum, *Tractat.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 24. §. 2. *numero* 5. -- Sanchez, *in Decal. lib.* 1. *capit.* 12. *num.* 6. *& ſeqq.* -- Bonacinam, *de Legib. d.* 1. *qu.* 1. *p.* 6. *n.* 9.

Conſentaneum tamen rationi eſt (ut inquit Azor. cit.) ut pueri, & adoleſcentes ante tertium ſeptennium completum ſe ſe jejuniis exerceant plus, minùſve pro majori, aut minori eorum ætate; tum quia nimis poſtea durum, & ferè intolerabile eis videbitur onus jejunii rigoroſi, ſi expectent totum completum annum vigeſimum primum ætatis ſuæ, ad ſe exercitandum in Jejuniis, ſpecialiter tota Quadrageſima. 40

℟. *III.* Loquendo autem de Jejunio completo, pleno, & perfecto, dico, quòd omnes adulti vigeſimum primum ætatis ſuæ annum explentes, & excedentes obligantur ad Jejunium prædictum. Ita omnes DD. cum Div. Thoma, 2. 2. *quæſt.* 147. *artic.* 4. Ratio petitur à conſuetudine Piæ Matris Eccleſiæ; nam conſuetudo eſt optima Legum Interpres: & ſicut poteſt Legem inducere, ita etiam poteſt abrogare. Ante hanc ætatem, ut dixi, pueri, & juvenes ſunt in via augmenti, & creſcentis corporis, ac frequentiori alimento interdiù indigent; & ideo Sancta Mater Eccleſia indulſit, ut non obligarentur ad rigoroſum Jejunium; poſt verò id temporis eos obligat: ergo, &c. -- Hoc intelligendum eſt tam de maſculis, quam de fœminis; quia Lex, & conſuetudo non diſtinguunt, neque Doctores; ergo eſt par ratio de utroque ſexu. 41

℟. *IV. Annus vigeſimus primus completus* eſt accipiendus ſecundùm naturalem curſum à nativitate pueri, & mathematicè; quia favores non debent reſtringi, ſed ampliari. Unde Juvenis annum vigeſimumprimum complens in ipſo die Jejunii, etiam manè, manet exemptus illomet die; quia præceptum reſpicit totum diem naturalem. E contrario, ſi compleat ætatem prædictam in media Quadrageſi- 42

ma,

ma, tenetur ad Jejunium omnibus ſequentibus diebus.

De iis, qui excuſantur à Jejunio.

Quæro XIII. *Quinam excuſantur à Jejunio Eccleſiaſtico?*

43 ℞. Cum diſtinctione prædicta de Jejunio *pleno*, & *ſemipleno*. A pleno, ſed non à ſemipleno excuſantur infraſcripti.

I. Sexagenarii utriuſque ſexus; nempè qui compleverunt annum ætatis ſuæ ſexageſimum. Ita his temporibus ferè communis DD. ut videre potes apud Sporerium noſtrum, *tom. 1. Tract. 2. in Appendice ad Tertium Præcept. Decal. ſect. 4. num.* 50. ubi citat pro hac ſententia Navarrum, Toletum, Sanchez, Dianam, Marchantium noſtrum, Hieronymum Lamas, & alios DD. -- Quibus addo Thomam Tamburinum, *in quinque præcepta Eccleſiæ, Tr. 4. c. 10. n. 5.* – & Maſtrium *in Moral. diſp. 12. n. 20.*

II. Pueri, & adoleſcentes, qui nondum complevere annum vigeſimumprimum. Ita certa omnium ſententia, ut pàtet ex dictis.

III. Laborantes arte mechanica valdè fatigativa: ut Agricolæ, Fabri ferrarii, & lignarii, Sutores, Textores, Torcularij, Cæmentarii, Foſſores Lapicidinæ, Fullones, Piſtores, Molitores, Coriarii, Remigantes, Cannabarii, Lanarii, Fornacerii, Bajuli; & omnes artifices ſimiles, quorum labor incompoſſibilis eſt cum Jejunio: *Item* Curſores, Vectores, Mulliones, & alii, qui ferè tota die corpus ſuum laboribus fatigant. *Item* pedites iter agentes: de quibus ex longitudine viæ certa regula ſtatui non poteſt; cùm pro diverſitate circumſtantiarum perſonæ, viæ, temporum, auræ, aquæ, luti, frigoris, caloris, nonnulli duabus, vel tribus horis peditantes magis fatigentur, deficiant, & conſequenter reſtauratione cibi, & potus egeant, quàm alii quatuor, vel ſex horis ambulantes per eamdem viam.

44 Una ergo generalis menſura excuſationis à Jejunio prædicto in quovis corporali labore, eſt iſta: *Fatio, vel Deficientia naturæ tuæ taliter, ut abſque notabili detrimento nequeas perdurare in rationabili tuo labore ſine multiplici refectione*; in quo caſu ſibiipſi quis poteſt eſſe bonus, & ſincerus teſtis, & arbiter: aut, ſi ſibi non fidat, credat bono viro, aut docto Confeſſario. Ita Marchantius noſter apud Sporerium, *cit. n.* 58.

IV. Multò magis labor Soiritualis men- 45
tis, ingenii, applicationis ſeriæ, & aſſiduæ. Quia, ut inquit Salomon Sapientiſſimus Rex in Eccleſiaſtem, capitulo 12. v. 12. *Frequenſve meditatio carnis afflictio eſt* ... Et experientia docet, laborem ingenii excedere omnem corporis laborem; quia labor ſpiritualis magis conſumit ſpiritus animales, qui ad vitam & valetudinem corporis magis ſunt neceſſarii, quàm ſpiritus vitales, qui conſumuntur per fatigationem corporis tantùm. Unde corporalibus vacantes laboribus vegetiores ſunt, quàm qui continui ſtudiis occupantur; ergo minoris eſt laboris *arare*, quàm *ſtudere*; ideòque plurimi *valdè dicunt libris*; at neſciunt Manna abſconditum in libris. Quid enim fortiùs deſiderat Anima noſtra, quàm Veritatem? De Veritate gaudere ſummum (in hoc mundo) bonum rationale.

Redeamus ad punctum. Unde *Sequitur*: Concionatores integræ Quadrageſimæ ſimpliciter excuſari à jejunio: Lectores publicos, qui ſæpiùs in hebdomada, vel quotidie legunt Artes liberales, & aliàs ſcientias. Confeſſarios Monacharum, quando totum mane applicant Confeſſionibus: & ſimiles ſtudioſos, quorum labor improbus eſt, & complexio debilis, excuſari à Jejunio: ex communi DD. Navar. *capit.* 21. *num.* 16.

V. Pauperes ſolum panem habentes, vel 46
non valentes quærere ſibi cibum ad unicam comeſtionem totalem ſufficientem. *VI. Infirmi*, ſeu debiles non valentes, aut non debentes ſimul tantum comedere, quantum eorum ſuſtentationi, vel ſaluti ſufficiat, *VII.* Qui tam Infirma ſunt complexione, ut vacuo ſtomacho, capitis dolorem, aut vertiginem patiuntur, vel tota nocte calere, vel dormire nequeunt. *VIII. Mulieres* gravidæ, & lactantes, quæ non ſolùm ſibi, ſed & infantibus alimentum ſubminiſtrare debent: imò peccarent non comedendo ad ſufficientiam ob damnum prolis.

Quæro XIV. *Operarii mechanicæ, ac laborioſæ artis die, quo operam intermit-*

tunt, ſi occurrat Jejunium, teneturne jejunare?

47 ℞. Aliquibus videtur quòd non. Ratio eſt: quia hujuſmodi Operarii minimè Jejuniis aſſueti, jejunando uno die intermedio nimiùm debilitantur, & evadunt inepti ad laborandum craſtina die; tum quia ex labore præterito jam defatigati indigent alimento multiplicato; ergo excuſatione digni ſunt; ut docet Medina, *de Instruct. Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 14. §. 10. cum Azorio, *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 8. §. *Item quæſtio eſt*, & Tamburin. *loc. cit. tract.* 4. *cap.* 10. *n.* 35. Cæterum vix mihi hæc ſententia probatur; eſt tamen probata apud DD. citatos.

Quæro XV. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſuntne exempti à Jejunio?*

48 ℞. Oportet videre, qualis, & quantus ſit labor iſtorum: & an ſit compatibilis cum Jejunio. Aliàs ſcandaloſum eſſet, hoc nos eis concedere ſic in communi, cùm non ſit eis conceſſum à Summo Pontifice, nec à Doctoribus. Vide propoſitionem trigeſimam ex damnatis ab Alexandro Papa VII. in fine 2. partis.

Quæro XVI. *Qui iter agunt equitando, ſuntne excuſandi à Jejunio?*

49 ℞. Ut ſuprà de Officialibus, &c. & vide propoſitionem trigeſimam primam ex damnatis ab eodem Pontifice. Et conſidera Regulam datam ſuperiùs, *numero* 44.

Quæro XVII. *Qui exercet artem laborioſam*, (unam ex illis excuſantibus) *quam poſſet relinquere, vel non ita laborioſè tota die exercere: peccatne non jejunando?*

50 ℞. Negativè. Ratio eſt; quia nullus eorum, qui operi laborioſo incumbunt, ut plurimùm, tam dives eſt, ut ſuo labore non indigeat. Tum quia quando adeſt cauſa rationabilis ſic laborandi, non debet ingeri ſcrupulus ſic laboranti, ut abſtineat, &c. Ita Navarrus, *capitulo* 21. *numero* 16. & Laymannus, *lib.* 4. *tr.* 8. *capit.* 3. *numero* 6. addo Tamburinum, *cit. Tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 37. cum aliis ibi citatis DD.

Quæro XVIII. *Quænam ſuntne cauſæ juſtæ deliberantes, vel excuſantes à Jejunio?*

51 ℞. Multæ; ſed præcipuè ſunt iſtæ: videlicet. I. *Ætatis imbecillitas*: de qua ſuprà dictum eſt, *à numer.* 43. II. *Corporis infirmitas*: & de hac nonnulla tacta ſunt, *num.* 46. quoad exemptionem à Jejunio rigoroſo, nempe à tanto, non à toto: à pleno, non à ſemipleno. Nam ſi agatur de totali immunitate à Jejunio, gravior utique infirmitas ſupponenda eſt ad arbitrium Medicorum, & peritorum; niſi neceſſitas eſſet de ſe evidens, &c. III. *Paupertas*; de qua aliquid ſuprà, *numero* 46. Pauperes enim ferè quotidie jejunant ſemiplenè. IV. *Corporis labor*, qui cum Jejunio facilè non conſiſtit. De qua ſuprà, *numero* 43. 44. V. *Animi fatigatio*, quæ pariter cum Jejunio non poſſit faciliter conſiſtere. De qua, num. 45. ubi ſolùm citavi Navarrum, *cap.* 21. *num.* 16. *in manuale*: nunc addo Laymannum, *lib.* 4. *cap.* 8. *numero* 4. – Sporerium noſtrum *in Appendice cit. num.* 59. & 63. – Anacletum noſtrum', *Tract.* 10. *diſt.* 2. *num.* 67. Buſembaum, *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 4. VI. *Pietas, & Miſericordia*: idest, quando facis opera Pietatis, & Miſericordiæ ſive corporalis, ſive Spiritualis, quæ cum Jejunio ſint incompatibilia. Et generaliter quando rationabili de cauſa incumbis operi præſtantiori, vel majoris momenti, quod cum Jejunio non facilè compatitur, nec commodè differri poteſt tale opus ad alium diem, quo non occurrat Jejunium; ut docet Laymannus, & explicat, *l. c. n.* 4.

Cauſæ prædictæ plerumque locum dumtaxat habent ſecundùm eam Præcepti partem, quæ alteram interdiu refectionem prohibet; rariùs autem ſecundùm alteram partem magis eſſentialem Jejunio, quæ eſt abſtinentia à carnibus; nam exemptio ab hac parte regulariter petitur ab infirmitate gravi corporis, quæ ubi evidens eſt, tunc diſpenſatione, aut licentia opus non eſt. In dubio verò petenda eſt diſpenſatio, & licentia ab eis, quibus convenit, ut infrà videbimus. Vide Layman *cit. n.* 8. 52

Notandum pro Regula Confeſſarii. Tametſi nulla ex dictis cauſis excuſantibus reipſa adſit, ſi tamen pœnitens bona fide, vel probabili ratione exiſtimaverit habuiſſe cauſam ſufficientem excuſationis vel à toto, vel à parte Jejunii, non debes, nec potes judicare illum fuiſſe reum culpæ ſaltem mortalis. Ut docet fundatiſſimus Layman, *l. cit. num.* 6. Quia moralia præcepta moraliter interpretari convenit: neque Sanctæ Matris Eccleſiæ intentio eſt, grave aliquod jugum conſcientiis Fidelium injicere; maximè noſtris his temporibus, 53

bus; quibus imbeciliores, ac debiliores ſpiritu, & corpore ſunt plurimi, quàm antiquis temporibus. Quamobrem.

Confeſſarii non debent nimis urgere pœnitentes, ſi iſti rationem aliquam, quæ ipſis probabilis, & bona apparuit, afferant pro ſe. Cur V. G. in Quadrageſima bis tantùm, vel ter per hebdomadam jejunaverit? vel in nocturna cœnula conſuetam parvam quantitatem exceſſerint? Ne fortè, ſi ipſis contradicant, vel eos arguant cum ſeveritate, ipſis vel numquam omninò jejunent impoſterum, vel ob conſcientiam novam graviùs peccet, qui alioquin ſine omni culpa, aut ſaltem ſine gravi peccato fuiſſent; ex Laymann. *cit.*

De Diſpenſatione à Jejunio.

54 Dixi ſuperiùs, quòd ubi neceſſitas eſt evidens, diſpenſatione non eſt opus; quia neceſſitas ipſa diſpenſat; in dubio igitur caſu tam ad eſum carnium, & lacticiniorum, quàm ad ſecundam refectionem requiretur diſpenſatio. *Et à quo petenda erit?*

℟. A legitimo tuo Superiore. Talis autem eſt Papa, Epiſcopus, Prælatus, & etiam Parochus: ſicut, in abſentia Prælati Regularis, Vicarius illius; non tamen Confeſſarius, licèt Privilegiatus, dummodò non ſit Parochus; quia Confeſſarius non habet Juriſdictionem ullam in foro externo; poteſt tamen interpretari, & judicare cauſam tuam, an ſit ſufficiens, ac juſta in hoc, vel illo caſu juxta Regulas, & cauſas ſuperiùs datas. Ita Buſembaus cum aliis DD. loc. cit. Sicut & Medicus, qui ſine dubio nullam habet auctoritatem diſpenſandi, ſed tantùm judicandi cauſam tuam, & morbum, an ſit ſufficiens.

55 Circa verò rationes, & cauſas juſtæ Diſpenſationis tam quoad carnes, & lacticinia, quàm quoad plures refectiones, vide, quæſo, libros citatos, & alios DD. quia ego non poſſum in hoc meo Opuſculo omnia tranſcribere, aliàs multa volumina, non unum liberculum componerem, pro ut intendo. Et ſi cupis minuta quæque videre, lege P. Thomam Tamburinum *in Quinque Eccleſiæ Præcepta.*

Quæro XIX. *Si Medicus irrationabiliter concederet alicui poteſtatem frangendi Quadrageſimam, quot peccata committeret?*

56 ℟. Duplex peccatum mortale; quia facit contra duplex præceptum; nempe contra præceptum Eccleſiæ abſtinendi à carnibus, & contra præceptum Jejunii ex diverſis motivis. *Dices*. Hic diſpenſatus, vel licentiatus peccat ſolùm contra Temperantiam; ergo & Medicus licentians. ℟. Hoc non quadrat; quia diverſi modi temperãtię, ac diverſæ menſuræ arguunt diverſam malitiam; ergo & diverſa peccata. In Jejunio Eccleſiaſtico, (licèt hoc reſpiciat Virtutem Temperantiæ) dantur, ut pàtet, duæ menſuræ; una reſpicit abſtinentiam à carnibus, & lacticiniis, altera unicam comeſtionem; unde fit duplex abſtinentia, ac jejunium. Patet à ſimili: ſicut V. G. Fornicatio, & Pollutio voluntaria ſunt contra eamdem Virtutem Caſtitatis; & tamen ſunt diverſa peccata; ita in propoſito. Sic Sanchez; & Leander apud Tamburinum, *cit. c. 11. n. 9.*

Ego tamen adderem, & dicerem, Medicum prædictum etiam peccare contra Fidelitatem ſui Officii, & contra Charitatem erga Proximum. Unde in Diœceſi noſtra Bononienſi hoc peccatum eſt reſervatum, numero ſeptimo, & ultimo, ubi dicitur: *Scandaloſa ſolutio Quadrageſimæ ſine licentia in ſcriptis: necnon doloſa fides, ſeu doloſa licentia ſolvendi Quadrageſimam per Medicos, & alios Deputatos facta, ſeu conceſſa.*

Quæro XX. *Diſpenſatus legitimè ad carnes edendas, eſtne liber ab omni Jejunio?*

℟. P. Thomas Tamburinus *in Decal. lib. 4. cap. 5.* dicit; quòd ſic: & citat pro ſe Cajetanum, Fagundez, & alios DD., ſicque probat: Ad actionem quampiam quis teneri non poteſt, ſi ad id, quod eſt de ejus eſſentia, non obligatur. Sed abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia Jejunii Eccleſiaſtici; ergo diſpenſatus legitimè ad carnes edendas, poterit ſero cœnare, imò pluries interdiu ſe reficere; quia ab obligatione Jejunii jam eſt abſolutus. At 57

Navarrus in Manuale *cap. 21. num. 22.* dicit. Notandum tamen ſecundùm Cajetanum *in 2. 2. quæſt. 147. art. 4.* quòd diſpenſatus, ut comedat in die Jejunii pluries, non videtur per hoc diſpenſatus, ut carnes comedat: neque diſpenſatus, ut comedendo carnes poſſit jejunare, videtur diſpenſatus, ut poſſit bis ea comedere... nec neceſſitas, aut juſta cauſa, quæ excuſat ab integro Jejunio, videtur excuſare ab omni parte illius; jejunare, enim prout

poteſt,

poteſt, tenetur: quia, ut ille (Cajetanus in *loc. cit. art. 7.*) ait, præceptum Eccleſiæ, licèt in totum ſervare non poſſit, ſervandum tamen eſt quoad illam partem, quæ ſervari poteſt. Hæc Navarrus cui conſentit Leſſius, *lib. 4. de Jejunio c. 2. dub. 6. in fine*: cum hac limitatione, nempe: Quibus conceſſus eſt uſus carnium, his etiam cenſetur permiſſa ſecunda refectio, *ſi ratione debilitatis naturæ, vel corroborationis id conceſſum ſit*; non tamen ſi conceſſum ſit, quia à piſcibus abhorret, vel putantur nocere temperamento; tunc enim cauſa non ſubeſt, cur gemina refectio concedatur. Hæc Leſſius.

58 Quod quidem prudens judicium limitativum concordat cum noſtra doctrina ſuperiùs allata, & ſæpiùs repetita de duplici Jejunio Eccleſiaſtico, nimirùm *pleno*, & *ſemipleno*: & de duplici conſequenti obligatione, nempe abſtinentiæ à carnibus, & à pluribus comeſtionibus totalibus: & cum doctrina de Medico irrationabiliter concedente licentiam frangendi Quadrageſimam; ergo hæc ſententia Cajetani, Navarri, & Leſſii mihi vedetur certa, & tenenda in praxi; nam, ut dicunt Juriſtæ, *Qui non poteſt in totum, ſolvat in partem*. Vide etiam Bonacinam *in Decal. diſp. ult. qu. 1. punct. 2. num. 3.* qui ſtat pro noſtra ſententia cum aliis DD.

De Veſpertino jentaculo permiſſo in die Jejunii Eccleſiaſtici.

QUÆRO XXI. *Quid dicendum de refectiuncula, ſive cœnula, aut jentaculo uſitato noſtris temporibus ex permiſſione Eccleſiæ?*

59 ℞. I. Collatiuncula veſpertina, quæ prioribus ſæculis ignorabatur, poſterioribus hiſce temporibus ob corporum infirmitatem, quæ Mundo ſeneſcente ſemper magis, magiſque creſcit, & aliis rationibus generali conſuetudine, & tacito conſenſu Eccleſiæ, in modica quantitate permiſſa eſt, & licita. Ita communi DD. Anacletus *tract. 10. diſt. 2. nu. 23.* Et Sporer, *tom. 1. tractat. 3. In Appendice de Jejunio n. 25.*

60 ℞. II. Modica quantitas ciborum Quadrageſimalium non poteſt alia generalis, & univerſalis menſura aſſignari in hac cœnula, niſi dicendo, quartam partem cœnæ ordinariæ (nempe eam, quæ poſt prandium fieri ſolet) quam quis aliàs, ſpectata ſua perſona, ætate, conditione, occupatione, regione, &c. ordinariè ad ſufficentiam naturæ ſumere ſolet, eſſe cenſenda modicam quantitas in hac materia. Quantum potui, quantum legi, aliam meliorem regulam non inveni, quę cuivis hominum ſtatui, & conditioni applicari poſſit. Et hanc taxam docent Laymannus, *lib. 4. tr. 8. cap. 1. nu. 9.* cum Valerio Reginaldo in ſua Praxi *tom. 2. l. 4. n. 185.* P. Segnerus, *in Confeſſ. Instruct. cap. 1.* Filliucius, *Tract. 27. cap. 2. q. 7.* Anacletus, & Sporer *loc. cit.* Nam ſi veniamus ad litem unciarum, nolo litigare; quia quot capita, tot ſententiæ; mihi enim non placet opinio unciarum.

61 ℞. III. Quò ad qualitatem ciborum: Communis ſententia DD. eſt, quòd iſta refectiuncula debet fieri in eis cibis, qui ſolùm in jentaculis, vel merendis apponi ſolent; & conſequenter abſtinendum eſt ab omnibus cibis propriè dictis, qui nimirùm in prandiis, & cœnis ordinariis, ut fercula ſolida, apponi ſolent, ut ſunt pulmentum, juſculum, piſces, legumina cocta, aliaque ſubſtantialia. Ratio eſt: quia *cœnula* utique eſſe debet; ergo non ſolùm nomen, ſed rem habere debet; ergo modum, & menſuram tam in quantitate, quàm in qualitate ciborum diſtingui debet Cœna; aliàs *cœnula* in *Cœnam* tranſiret. Permittuntur igitur tantùm panis, fructus, herbæ, & ſimilia], leviuſcula ciborum genera. Ita Layman, Navarrus, Toletus, Filliucius, Diana, Azorius, & alii DD.

62 ℞. IV. Non deſunt tamen DD. etiam graves, qui docent una regulam generalem, quæ multis placet, & eſt, quod *De qualitate cibi aliàs liciti in hac cœnula non eſt altercandum, dummodò ſervetur modica quantitas.* Ita Bonacina *in Decal. diſp. ult. q. 1. pun. 3. n. 3.* Cardinalis Cajetanus, *in Summa, V. Jejunium, cap. 1. fin.* P. Marchantius *Tribunal. p. 2. tr. 12. tit. 3. q. 3. dub. 1.* Sporer *cit. n. 32.*

63 ℞. V. In hoc puncto attendenda eſt recepta conſuetudo locorum. Ratio eſt: quia iſta refectiuncula fuit per conſuetudinem introducta; igitur ſumi poteſt juxta limites receptæ conſuetudinis; magna enim vis habet Conſuetudo tolerata, & permiſſa in rebus moralibus de ſe non

malis;

Digitized by Google

malis; nam, (ut vidimus) locorum Conſuetudo eſt Legis interpres: & poteſt legem inducere, & legem abrogare. Ita Bonacina, *loc. mox cit. pun.* 3. *n.* 2. Anacletus noſter, *tract.* 10. *diſt.* 2. *n.* 32. cum Maſtrio, *Moral. diſp.* 12. *n.* 7. & aliis DD. Quæ quidem Conſuetudo attendenda eſt non à malis, ſed à bonis, & timoratis; nam malorum conſuetudo eſt potiùs corruptela, & abuſus, quàm Conſuetudo, & uſus.

Quæro XXII. *Quænam cenſetur parvitas materiæ in materia Jejunii?*

64 ℞. I. Loquendo de cibis quadrageſimalibus: parvitas materiæ in uno die Jejunii ſumptæ extra refectionem, & refectiunculam pro una vice tantùm cenſetur eſſe *quantitas unius, vel alterius unciæ Romanæ* ad pondus: quam quantitatem modicam quis comedens ſine neceſſitate, peccabit venialiter tantùm ut probat Tamburinus *in Quinque Præceptis Eccleſiæ tract.* 4. *cap.* 5. *à n.* 30.

65 *Unde deduces*. Qui mane ſumit hanc modicam quantitatem, non per hoc frangit Jejunium, nec redditur impotens ad ſervandum Jejunium illius diei. Quòd ſi hoc modicum ſumat ob aliqualem neceſſitatem, vel ob rationabilem cauſam, ut puta propter deliquium ſtomachi, neque venialiter peccabit: ſecundùm omnes DD. Quare ergo induxi aliquos Juvenes ad jejunandum, permittendo eis, ut (quando patiebantur debilitatem illam, quam aſſerebant eſſe cauſam, propter quam jejunare non valebant) ſumerent buccellam panis cum cyatho vini per modum medicinæ: quo facto, jejunare ceperunt.

66 ℞. II. Loquendo autem de cibis vetitis: parvitas materiæ cenſetur eſſe *octava pars unciæ Romanæ*: ut ex Leandro probat, & approbat Tamburinus, *cit. n.* 34. Et hoc de carnibus. Nam de ovis, & lacticiniis parvitas materiæ erit *dimidia uncia*.

Quæro XXIII. *Qui ſæpiùs modicum quid comederet in die Jejunii, peccaretne mortaliter?*

67 ℞. Utique; nam ex multis parvis conflatur unum ſatis notabile alimentum, quod violat Jejunium; illæ enim modicæ comeſtiones eodem die factæ uniuntur in ordine ad refectionem, & nutritionem notabilem corporis: qua facta, ſtare non poteſt Jejunium illius diei, quia contradicit præcepto *de unica comeſtione*; ut patet de ſimilibus.

Unde meritò damnata eſt propoſitio vigeſima nona ex damnatis ab Alex. VII. quæ ſic ſonabat: *In die Jejunii qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederis, non frangit Jejunium.*

Quæres. *Quænam erit ergo iſta notabilis quantitas?*

℞. Vide quæ ſuprà dixi de modica quantitate: & ſic argumentaberis, & reſolves hanc materiam, &c.

Quæro XXIV. *Potio moderna, quæ Chocolata nominatur, frangitne Jejunium Eccleſiaſticum?*

℞. Adſunt duæ opiniones contrariæ, quas videre poteris in Tamburino duobus in locis ſolemniter deciſas: in Decalogum, *l.* 4. *c.* 5. §. 2. *à n.* 9. Et in Præcepta Eccleſiæ, *Tract.* 4. *cap.* 5. *à n.* 9. Qui enim hanc potionem frequentant, certè tenent opinionem negativam, nempe quòd non frangat Jejunium; qui verò ab ea ſe abſtinent, utique ſuſtinent opinionem affirmativam, nempe quòd frangat Jejunium. Ego non poſſum, nec debeo ferre meam ſententiam, quamvis ea potione numquam uſus fuerim. Relinque pœnitentem in ſua bona opinione: & noli ſcrupulum ingerere; *qui enim ſcrupulos ſeminat peccata metet*. 68

De Præcepto annuæ Confeſſionis.

Hìc ſolùm agemus de Confeſſione Sacramentali, prout cadit ſub præcepto Eccleſiæ; nam de ea, ut Sacramentum, agendum erit ſuo loco, *tract.* 60 *part.* 2.

Quæro XXV. *Quiſnam, obligavit Fideles ad Confeſſionem Sacramentalem?*

℞. Chriſtus Dominus, & Eccleſia. Patet ex Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 14. *c.* 5. Ubi habentur hæc verba dogmatica: " Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere . . . . . Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiterentur; quod Jure Divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut Præceptum Confeſſionis *ſaltem ſemel in anno* ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis 69

„ tionis perveniſſent, impleretur. *Hæc Concilium Tridens.*

Ex quibus manifeſtè patet, Chriſtum nos obligaſſe ad confitendum peccata noſtra in hoc Sacramento, & Eccleſiam nos pariter obligaſſe quoad tempus, hoc eſt, ſemel ſaltem in quolibet anno.

Verba autem Concilii Lateranenſis ſunt
„ hæc: Omnis utriuſque ſexus fidelis poſt-
„ quàm ad annos diſcretionis pervenerit,
„ omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno
„ fideliter confiteatur *proprio Sacerdoti*: &
„ injunctam ſibi pœnitentiam propriis viri-
„ bus ſtudeat adimplere.

Quæro XXVI. *Quiſnam eſt iſte* proprius Sacerdos, *de quo loquitur Concilium Lateranenſe?*

70 ℞. *I.* Cum Angelo de Clavaſio in ſua Summa Angelica *V Confeſſio* 3. *n.* 3. quod I. Eſt Papa in toto mundo. II. Legatus in tota ſua Provincia. III. Pœnitentiarius ejuſdem Legati, vel Nuncii in Provincia: IV. Archiepiſcopus, dum viſitat, eſt proprius Sacerdos ſuorum Suffraganeorum. V. Epiſcopus in tota ſua Diœceſi: VI. Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis. VII. Vicarius Generalis Epiſcopi. Iſti duo poſſunt audire omnes de Diœceſi. VIII. Parochus Presbyter in tota ſua Parochia. IX. Vicarii præfatorum. X. *Omnes Sacerdotes habentes licentiam à* proprio Epiſcopo.

℞. *II.* Cum Cardinale Toleto in ſua Summa, ſeu Inſtructione Sacerdotum, *l.* 6. *c.* 11. *n.* 2. Proprius Sacerdos in præſenti eſt unus ex his: I. Qui ex officio habet facultatem abſolvendi, ut Prælatus, ut Parochus: II. Qui ex commiſſione Superiori, Epiſcopi, aut Pontificis; qualem facultatem habent multi Religioſi. III. Ex facultate pœnitenti conceſſa; multi enim pœnitentes per Privilegia, aut diplomata poſſunt ſibi eligere Confeſſarios proprios. Quocumque modo ſit proprius, ſatis eſt ad audiendas Confeſſiones.

℞. *III.* Cum Maſtrio *in Moral. diſp.* 12.
„ *n.*49. quòd Innocentius Papa X. declara-
„ vit, omnem Sacerdotem Juriſdictionem
„ ordinariam, aut delegatam habentem eſſe
„ *proprium Sacerdotem.*

71 Unde ſequitur evidenter, quòd qui confitetur peccata ſua (etiam tempore Paſchali) alicui Confeſſario, ſive ſæculari, ſive Regulari approbato ab Ordinario, cenſetur confiteri *proprio Sacerdoti*; cum multis probat Sporer, *tom.* 3. *par.* 3. *c.* 3. *n.*530. & Buſembaus, *lib.* 6. *tract.* 4. *c.* 3. *dub.* 2. *n.*5.

72 Quapropter cavendæ ſunt tres propoſitiones damnatæ: nempe la 13. ex damnatis ab Alex. Papa VII. quæ dicebat: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

La 20. & 21. ex damnatis ab altero Alex. VIII. quæ dicebant: 20. *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.* 21. *Parochus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.*

Quæro XXVII. *Quinam tenentur ad Confeſſionem Sacramentalem?*

73 ℞. Patet ex textu Concilii Lateranenſis ſuprà citato; nempe *Omnis Fidelis*: nimirùm homo baptizatus, Chriſtianus, etiam hæreticus, qui priùs tenetur reconciliari Eccleſiæ, & abſolvi ab hæreſi.

74 *Utriuſque ſexus*: nempe tam maſculus, quàm fœmina rationis compos, ac phyſicè, & moraliter potens: etiam mutus, qui nutibus poteſt, meliori modo ſibi poſſibili, ſe accuſare, &c. etiam peregrinus, vagabundus, quamvis non inveniret Confeſſarium linguam ejus intelligentem, quo caſu nutibus (more mutorum) tenetur ſe accuſare, &c.

75 *Poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit*: ideſt, ad uſum rationis, ad eam ætatem, qua diſcernit bonum à malo moraliter, & peccare mortaliter poteſt. Quod regulariter advenit ſeptennio completo, ut probat Caſtropalaus, *tract.* 3. *diſp.* 4. *pun.* 24. §. 2. *à n.*5. Ratio etiam eſt: quia eo ipſo, quòd uſum rationis habet, capax eſt obligationis Legis humanæ, ſicut & obligationis Legis naturalis, & Divinæ.

76 *Fideliter confiteatur*: ideſt, Chriſtiano, & Catholico more, & quantum eſt ex parte ſua *validè* confiteatur. Unde meritò damnata eſt propoſitio quartadecima ab Alex. VII. quæ ſic dicebat:

Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Ratio autem eſt clara; quia qui facit Confeſſionem voluntarè nullam, non dicitur *fideliter confiteri*, ſed fictè, & ſacrilegè. Tum quia Sacramentum hoc non ſubſiſtit ſine ſuis partibus conſtitutivis; partes conſti-

tutivæ

Digitized by Google

tutivæ ſu:t *examen conſcientiæ, dolor ſupernaturalis, Confeſſio integralis, voluntas ſatisfaciendi, & abſolutio Sacerdotalis.*

77 *Omnia ſua peccata.* Quæ? Omnia utique mortalia certa, & etiam dubia: atque etiam oblita in altera Confeſſione. Hoc patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14.
„ *cap.* 5. ubi dicit: Ex his colligitur, opor-
„ tere à pœnitentibus *omnia peccata morta-*
„ *lia*, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſ-
„ ſionem, conſcientiam habent, in Confeſ-
„ ſione recenſeri: etiamſi occultiſſima illa
„ ſint, & tantùm adversùs duo ultima De-
„ calogi præcepta, commiſſa, quæ nonnum-
„ quam Animam graviùs ſauciant, & peri-
„ culoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto ad-
„ mittuntur. Nam *Venialia*, quibus gratia
„ DEI non excluditur, & in quæ fræquen-
„ tiùs labimur, quamquam rectè, & utili-
„ ter, citraque omnem præſumptionem in
„ Confeſſione dicantur, quod piorum homi-
„ num uſus demonſtrat, taceri tamen citra
„ culpam, multiſque aliis remediis expiari
„ poſſunt. *Hæc Concilium.*

78 *Unde deduces.* Nullum eſt præceptum ſive Divinum, ſive Eccleſiaſticum obligans nos ad Confeſſionem peccatorum merè venialium: loquendo *per ſe*, & ex vi propria. Nam ſi loquamur *per accidens*, poteſt dari caſus, quo quis obligetur ad Confeſſionem Venialium ſaltem in Paſchate ratione ſcandali ex omiſſione Confeſſionis: ut cum Eſcobar, Gobat, & Caſtropalao probat noſter Sporer, *tom.* 3. *part.* 3. *c.* 5. *num.* 527. — Sed Doctor noſter Subtiliſſimus Scotus invenit modum vitandi hoc ſcandalum, & etiam obligationem per accidens confitendi venialia in Paſchate: *in quarto ſententiarum, diſt.* 17. *quæſt. unica*, §. *De tertio articulo*: ubi dicit: quòd qui habet niſi venialia debet accedere ad ſuum Sacerdotem, ac dicere: *Domine, regratior Deo, quia ex quo fui ultimò confeſſus, non habeo conſcientiam de peccato mortali: date mihi Euchariſtiam:* Hæc Scotus diſcretè.

79 *Saltem ſemel in anno.* In hac particula variant Doctores in aſſignando initio hujus anni. Quidam enim dicunt, annum non eſſe inchoandum ab ultima Confeſſione facta, ſed à prima die Januarii, ad ultimam Decembris. Alii dicunt, eſſe incipiendum annum ab ultima Confeſſione, ad aliam; ita ut inter unam, & aliam Confeſſionem non intercedat plus, quàm annus. Alii dicunt, à peccato mortali, quod quis commiſit, incipere annum, ita ut talis peccati Confeſſio non differatur plus quàm ad annum. Et alii tandem dicunt, à Paſchate ad aliud Paſcha menſurandum eſſe annum. Intelligendo nomine *Paſcha*, quindecim illos dies, qui intercurrunt à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis.

Ex his computationibus ultima eſt omnium probabiliſſima; imò videtur facilior, & Eccleſiaſticæ conſuetudini conformior;

Itaque, qui poſt Paſchalem hanc Con- 80
feſſionem in peccatum mortale lapſus eſt, ejus Confeſſionem uſque ad ſequentem Paſcham differre poterit, & non ampliùs, citra peccatum grave ex hoc præcepto Eccleſiaſtico. Hæc eſt communior opinio Theologorum, ut videre poteris apud Sporerium, *l. c. n.* 534.

Explicato jam Præcepto annuæ Confeſſionis, quamplurimi Caſus remanerent reſolvendi; at quia materia hæc ſolet explicari in Catechiſi puerorum, nolo diutiùs immorari. Attamen reſolutoriè per concluſiones practicas annotabo nonnullos Caſus pro ſimplicibus.

Si quis infra annum confeſſus fuiſſet, 81
adveniente poſtea Paſchali tempore, quo urget aliud præceptum huic annexum de *Communione*, ſi eſt in peccato mortali, tenebitur confiteri *per accidens*, nempe ex vi iſtius Communionis faciendæ, cui annexum eſt præceptum de permittenda Confeſſione. — Idem dicendum de Sacerdote celebrare volente: & de quovis alio, qui vult Sacram recipere Euchariſtiam ex devotione.

Si quis, ſive culpabiliter, ſive legitimè 82
impeditus non eſt confeſſus intra ſpatium unius anni, iſte adhuc tenetur ad confitendum; quia adimpletio hujus præcepti non eſt affixa Tempori Paſchali, ſicut eſt affixa obligatio audiendi Miſſam die Feſto; neque tranſit, anno tranſeunte; imò quò magis differt, eò graviùs peccat, data opportunitate confitendi.

Si quis infra annum confeſſus eſt venia- 83
lia, & poſtea circa finem ejuſdem anni lapſus eſt in mortale, obligatur ad Confeſſionem. Idem dico de eo, qui oblitus eſt aliquod mortale, ſecundùm aliquos DD. nam alii dicunt, quòd non tenetur, quia priori Confeſſione jam ſatisfecit præcepto illius anni.

Qui per tres annos, vel pluries numquam 84
validè confeſſus eſt, utique ſemper manet obligatus ad validam Confeſſionem, non

vero

Digitized by Google

verò ad tres, vel plures loco omiſſarum; quia nova Confeſſione bona, & valida jam manet abſolutus à tranſgreſſione præteritorum annorum.

85 Præceptum hoc confitendi, ut Eccleſiaſticum eſt, & affirmativum non obligat ſtatim poſt peccatum mortale commiſſum (ut dictum fuit; unde ſequitur, quòd qui poſt Confeſſionem, & Communionem annualem, & Paſchalem incidit in novum peccatum (nondum elapſo anno) non tenetur iterùm confiteri; poteſt enim conteri, & ſic redire in ſtatum Gratiæ; quamvis oppoſita ſententia tutior ſit, ac laudabilis, non eſt tamen probabilior; quia jam reverà ſatisfecit præcepto illius anni; nam præcepta non ſunt facilè multiplicanda.

86 Qui timet oblivíſci peccatorum ſuorum, non per hoc tenetur vel ſtatim ſcribere ſua peccata, vel confiteri ſtatim, ac habeat opportunitatem, cùm nullo jure id expreſſum reperiatur; poteſt enim conteri, ut dixi ſuperiùs; quod conſilium ab omnibus ſervari, utiliſſimum eſſet; quia nemo ſcit diem, & horam ſuæ mortis; tum quia nemo conſtitutus in peccato mortali diù obſervat totam Legem; nullus poſt unum peccatum mortale facilè evitare poteſt alia peccata mortalia; nam *Abyſſus abyſſum invocat*. Pſal. 41. *Et peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere in aliud trahit*; ut dicit S. Gregorius Papa, Lib. 1. Homil. 11. in Ezechielem; & experientia nimis probat.

87 Præceptum Confeſſionis, ut Divinum eſt obligat maximè in articulo, & periculo probabili mortis: eſt certum apud omnes; unde ſequitur, quòd ſi quis etiam eodem anno confeſſus, incideret in periculum mortis, obligatus omninò eſſet (dato, quòd indigeret) ad iterùm confitendum ex vi Præcepti Divini.

Ergo omnes iſti tenentur confiteri videlicet. I. Moribundus, aut periculoſo morbo laborans. II. Qui in bellum, aut in mare ſe præparat iturum. III. Fœmina prima vice parturiens; & ea, quæ experta eſt partus difficiles, & periculoſos. IV. A Judice damnati ad mortem. V. Proſcripti, ſeu Banniti capitales; & ſic de ſimilibus.

88 Qui probabiliter timet carentiam Confeſſarii tempore futuro, quo urget præceptum Confeſſionis, tenetur prævenire illud tempus, confitendo quando hic, & nunc habet copiam Confeſſoris; ſicut qui V.G. die Feſto prævidet, unam dumtaxat Miſſam manè tali hora celebrandam, tenetur tunc tali hora intereſſe, ſi à legitimo non excuſetur impedimento.

Qui evaſit periculum mortis, in quo non eſt confeſſus; licèt tunc peccaverit mortaliter omittendo, &c. non tenetur poſtea quamprimùm confiteri vi præcepti tunc obligantis; quia jam tranſacta eſt cauſa obligationis. – Unde patet differentia inter præceptum annuæ Confeſſionis, & obligationem confitendi in mortis periculo; nam terminus unius anni non fuit ab Eccleſia appoſitus ad finiendam, ſed ad ſolvendam obligationem; præceptum verò Divinum confitendi in mortis periculo, non obligat elapſo jam periculo; quia videtur latum pro illo tunc, nempe ob illam circumſtantiam temporis: ut docet Bonacina, *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *n.* 28. & 29. 89

Verumtamen mihi videtur in hoc caſu tenendum eſſe, quòd talis adhuc obligetur ex præcepto Divino ad confitendum quamprimùm; Moveor eò, quia Præceptum Divinum ex vi ſua non ſolùm obligat nos in periculo mortis, ſed etiam quandoque per vitæ noſtræ decurſum, quando habemus conſcientiam gravatam; ſi ergo talis homo in periculo mortis non ſatisfecit huic præcepto, adhuc præceptum ſtat in poſſeſſione ſuæ obligationis; ergo & homo ille tenetur ſatisfacere huic obligationi; utique quamprimùm. 90

Qui ſemel ſaltem in anno non confitetur, cùm poſſit, ac teneatur, duas incurrit pœnas, ultra peccatum mortale contra Religionem, & Eccleſiam: nempe dum vivit, non poteſt ingredi Templum; ſi moritur, non poteſt ſepeliri in loco Sacro: & hæ pœnæ exprimuntur in Jure Can. *cap. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſſ.* ibi: *Alioquin & vivens ab Eccleſia ingreſſu arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura*. Vide Tambur. *Tract.* 2. *de Prac. Eccl. c.* 4. *n.* 25. – Sunt tamen iſtæ pœnæ non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, vide infrà, *n.* 107. 91

De

De Præcepto Communionis Paſchalis.

Quæro XXVIII. *Ubinam habetur diſtinctè hoc Præceptum de Sacra Communione Paſchali?*

92 ℞. Habetur in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III., ac refertur in cap. cit. Omnis utriuſque Sexus: de pœnit. & remiſſ. ubi dicitur, *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum; niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus duxerit abſtinendum ab hujuſmodi perceptione; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Hæc ibi.

Quæro XXIX. *Extatne etiam præceptum Divinum obligans omnes Fideles adultos ad ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam?*

93 ℞. Utique: & deſumitur ex Verbis Chriſti in Euang. Joan. cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ubi Nicolaus de Lyra, ſeu Lyranus noſter, qui totam gloſſavit Sacram Scripturam, ducentis annis ante Concilium Tridentinum, ſic explicat, dicens: Hic conſequenter oſtenditur hujus Sacramenti Neceſſitas: *Niſi manducaveritis, &c.* ſicut enim in vita corporali cibus eſt neceſſarius ad vitam conſervandam, ita in vita ſpirituali hoc Sacramentum eſt neceſſarium; quia eſt vitæ ſpiritualis conſervativum; quia ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis generatio, ita Euchariſtia eſt quædam ſpiritualis nutritio. -- Et D. Thomas, *in* 3. *par. q.* 80. *art.* 11. probat neceſſitatem ſumendi hoc Sacramentum ex vi prædictorum verborum Chriſti Domini, Joan. cap. 6. *Niſi manducaveritis, &c.* & Matth. cap. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*: & dicit, ideò manifeſtum eſt, quòd homo tenetur hòc Sacramentum ſumere non ſolùm ex Statuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini. Ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt determinata tempora exequendi Chriſti præceptum. -- Vide etiam Laymannum, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 2. -- Et Anacletus noſter *in Theol. moral. tract.* 10. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 27. dicit, & ſi præceptum Divinum ſæpiùs per vitæ decurſum per ſe obliget Fideles adultos ad ſumendum Sanctiſſimam Euchariſtiam, nihilominùs hujuſmodi tempora non poſſunt generatim determinari, ſed definienda ſunt prudenti judicio; ita tamen, ut Sacra Communio non nimiùm differatur. Unde, ut huic præcepto Divino generaliùs, atque majori cum fructu Animarum ſatisfiat, Sancta Mater Eccleſia piè admodùm præcipit, ut Fideles poſt annos diſcretionis ad minus in Paſchate hoc Sacramentum reverenter ſuſcipiant. Ita Communis.

Quæro XXX. *Quare Eccleſia non pluries in anno obligaverit nos ad communicandum?*

℞. Pro variis temporibus varia etiam 94 fuit obligatio communicandi; nam in principio omnes Fideles quotidie communicabant. Poſtea creditur facta determinatio pro ſolis diebus Dominicis. Hinc ſtatutum fuit, ut ſaltem ter in anno, Natali ſcilicet Domini, Paſchate, & Pentecoſte Fideles communicarent. Tandem creſcente numero Fidelium, & Charitate, ac Devotione frigeſcente, ſtatutum fuit, ut ſaltem ſemel in anno circa Feſta Paſchalia omnes hoc cœleſti pane reficerentur. Ut dicunt Homobonus de Bonis *in Exam. Eccleſ. tract.* 8. *quæſt.* 9. Item Paulus Segnerus, *in Chriſt. Inſtruct. part.* 3. *Serm.* 9. *num.* 7. -- Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 30.

De reliquo, ut inquit Concil. Triden. “ *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Sacrif. Miſſæ*, Optaret “ quidem Sacroſancta Synodus (quæ erat “ tunc tota Eccleſia congregata) ut in ſin- “ gulis Miſſis Fideles adſtantes, non ſolùm “ ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam “ Euchariſtiæ perceptione communicarent “ quoad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fru- “ ctus uberior proveniret. -- Et *ſeſſ.* 13. *c.* 2. “ reddens rationem Inſtitutionis Sanctiſſimi hujus Sacramenti, ait, Ergo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Pa- “ trem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo “ divitias Divini ſui erga homines Amo- “ ris veluti effudit, memoriam faciens mi- “ rabilium ſuorum; & in illius ſumptione “ colere nos ſui memoriam præcepit, ſuam- “ que annunciare mortem, donec ipſe ad “ judicandum mundum venerit. Sumi au- “ tem voluit Sacramentum hoc, tamquam “ ſpiritualem Animarum cibum, quo alan- “ tur, & confortentur, viventes vita il- “ lius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: & tamquam antido- “ tum, quo liberemur à culpis quotidianis, “

& à

„ & à peccatis mortalibus præſervemur: Pi-
„ gnus prætcrea id eſſe voluit futuræ noſtræ
„ Gloriæ, & perpetuæ felicitatis. *Hæc Conci-*
„ *lium*.

Patet ergo intentio Chriſti, & Eccleſiæ, quæ inſtar optimæ Matris, videns filios ſuos adeò infirmos nauſeantes cibum hunc ſaluberrimum, ac Divinum, ut ferè numquam ex ſe ſe caperent hoc alimentum virale, dicit, jubet: *Saltem ſemel in anno volo, ut Sacram hanc Menſam frequentetis; ad hoc ut Divinum Præceptum adimpleatis*.

Quæro XXXI. *Quinam tenentur ad communionem Paſchalem?*

95 Rꝶ. Omnes utriuſque ſexus Fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint; ut habetur *in can. & cap. cit. Omnes utriuſque, &c.*

Hic tamen advertunt DD. communiter, majorem ætatem, ac uſum diſcretionis requiri in hoc Sacramento, quàm in altero de Confeſſione; ob majorem dignitatem, & eminentiam Sanctitatis, quæ in hoc Divino Convivio refulget, dicente, ac docente Concilio Tridentino, *ſeſſ. 13. capit. 7. Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi Sanctè; certè, quò magis Sanctitas, & Divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedas.* Unde in præcepto Communionis adimplendo, dicunt DD. expectari poſſe, & debere uſque ad decimum, vel duodecimum ætatis annum; quia uſque ad illud tempus regulariter non videntur pueri habere talem, & tantam diſcretionem, ut *reverenter Chriſti Corpus ſumant*. Quapropter in cap. cit. *Omnis utriuſque ſexus*: ubi hoc præceptum expreſsè imponitur, proprii Sacerdotis, ſeu Confeſſarii judicio remittitur temporis prorogatio, dicendo: *Niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* -- Tum quia quilibet Parochus, vel Capellanus ex conſuetudine Eccleſiæ ſatis recepta, & laudata hanc prorogationem facit.

96 In articulo autem aut periculo mortis pueris capacibus, & aptis ad confeſſionem & aliquo modo inſtructis ad Communionem, poſſe dari Sacramentum Euchariſticum *per modum Viatici*, affirmant multi Doctores; quinimò plures ex his tenent, non ſolùm poſſe dari, ſed debere dari Viaticum pueris Pœnitentiæ capacibus. Ita Caſtropalaus, *Tract. 3. diſp. 1. punct. 24.* §. 2. qui citat pro ſe Armillam, Cajetanum, Vivaldum, Salas, Reginaldum, Henriquez, Suarez, Nunnum, Navarrum, & alios DD. quibus addo Bonacinam, *de Sacram. diſp. 4. qu. 7. punct. 2. num. 4.*

Quæro XXXII. *Ubinam facienda eſt Communio Paſchalis de præcepto Eccleſiæ?*

Rꝶ. Hoc præceptum non impletur, niſi 97
Euchariſtia ſumatur in propria Parochia de manu proprii Paſtoris, aut alterius Sacerdotis de licentia Parochi. Ratio eſt, quia Sancta Mater Eccleſia præſcribit, ut Fideles ſaltem ſemel in anno tempore Paſcali, ſeu in Paſcha, communionem ſumant à *proprio Sacerdote*; ut patet in *can. & cap. cit. Omnis utriuſque, &c.* Quare hæc duo præcepta, nempe communicare in Paſcha, & communicare in propria Parochia, ſeu de manu proprii Paſtoris, vel alterius Sacerdotis de licentia expreſſa illius, quamvis ſoleamus pro eodem præcepto de communione Paſchali accipere; tamen in rigore Juris Canonici ſatis diverſa ſunt; nam cùm Concilium, ſeu Canon ex Concilio deſumptus dicat, ac præcipiat, ut omnis utriuſque ſexus Fidelis adultus ſumat in Paſcha à proprio Sacerdote, vel Parocho Euchariſtiam; ſequitur manifeſtè, quòd duo præcipiat, nimirùm, & Communionem Paſchalem, & obedientiam proprio Parocho debitam: ut nempe accipiatur communio da manu illius. Cùm igitur ad proprium Sacerdotem adeundum ſit, eo ipſo ad propriam Parochiam accedere oportet; quare aut à Parocho ſumenda eſt Euchariſtia in Paſcha, aut de ipſius, vel proprii Epiſcopi conſenſu, & licentia; ut probant DD. communiter apud Azorium, *part. 1. lib. 7. cap. 30.* Bonacinam de Sacram. *diſp. 4. quæſt. 7. p. 2.* Tamburinum in Præc. Eccl. *tr. 3. cap. 4.* Anacletum Moral. *tract. 10. diſt. 3 quæſt. 4.* Et alios ab his citatos DD. Et Doctrina Chriſtiana Diœceſis noſtræ Bononienſis, quæ à pueris recitatur, dicit: *Communicarſi la Paſqua di Reſurrezione alla ſua Parrochia.*

Dices. Superiùs, *num. 70.* Dixiſtis, no- 98
mine proprii Sacerdotis quoad Confeſſionem annualem intelligi omnem Con-

feſſarium

Digitized by Google

feſſarium approbatum; ergo conſequenter proprius Sacerdos quoad Communionem Paſchalem intelligitur eſſe quilibet verè Sacerdos.

℞. Nego conſequentiam; quia in primo caſu adeſt declaratio Summi Pontificis, ut vidimus, *num. eodem*. Tum quia conſuetudo ipſa hoc probat; in ſecundo verò caſu nec adeſt declaratio, nec conſuetudo.

99 Ex dictis *deducitur*. I. Qui communicavit in Paſcha extra propriam Parochiam abſque conſenſu proprii Paſtoris, ſeu Curati, non ſatisfecit totaliter huic Præcepto. II. Qui ſumpſit Euchariſtiam etiam in propria Eccleſia ante tempus Paſchale, (quod incipit à Dominica Palmarum, & durat uſque ad Dominicam in Albis ex Declaratione Eugenii Papæ Quarti, teſte Azorio, *loc. nuper citat. capit.* 30. Niſi alicubi aliud fuerit uſus, & conſuetudine receptum, aut ex Privilegio Pontificio conceſſum) non per hoc ſatisfecit. III. Qui communicavit dicto tempore in aliqua Eccleſia Regularium quorumcumque Privilegiatorum, non per hoc ſatisfecit; quinimò ipſis Regularibus interdictum eſt per plura Decreta Pontificia, & Sacræ Congregationis Concilii, adminiſtrare Sacramentum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perſonis ſæcularibus in die Solemniſſimo Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ: quòd ſi adminiſtrent, ultra peccatum inobedientiæ, tales perſonæ ſæculares non per hoc ſatisfaciunt. Vide Decreta apud Matthæuccium *in Officiali Curiæ Regularis*, *part.* 2. *cap.* 20.

100 Excipe, niſi eſſent familiares, commenſales, famuli, ſervientes de mandato Prælati, ſeu Superioris illius Conventus, ex Privilegio ſpeciali *apud citat.* Matthæuccium, & Tamburinum *ſupra cit. tract.* 3. *cap.* 4.

101 *Deducitur*. IV. Qui communicat in Eccleſia Cathedrali ſuæ Diœceſis, utique ſatisfacit præcepto; quia ibi reſidet proprius Epiſcopus, qui eſt Rector, & Paſtor primarius, & caput omnium Parochorum ſuæ Diœceſis. — V. Qui in aliena Eccleſia communicat de manu ſui Parochi, vel de illius expreſſa licentia, ſatisfacit, &c.

102 *Deducitur*. VI. Sacerdotes ſatisfaciunt huic præcepto ubicumque celebrent Miſſam; quia hoc præceptum ex recepta conſuetudine obligat tantùm eos, qui Euchariſtiam ab aliis Sacerdotibus ſumunt; *Suſcipientes reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*, &c. loquitur expreſsè *de ſuſcipientibus*.

Deducitur. VII. Qui in aliena Parochia ad certum tempus commorantur, adveniente poſtea tempore Paſchali, ſi communicent in ea, ubi reperiuntur, ſatisfaciunt; quia Eugenius Papa IV. hoc declaravit, teſte Bonacina de Sacr. *diſp.* 4. *q.* 7. *part.* 2. *n.* 8. Idem dic de viatoribus, peregrinis, vagabundis. 103

Deducitur. VIII. Quilibet Fidelis, etiam invito Parocho, poteſt adire Epiſcopum ſuum pro Sacramentis ſuſcipiendis, etiam in Paſcha; quia Epiſcopo principaliter commiſſa eſt Cura Animarum omnium ſuæ Diœceſis, & eſt Communis Paſtor, & proprius ſingulorum Diœceſanorum. 104

Deducitur. IX. Qui ſacrilegè communicavit in Paſcha non ſatisfecit præcepto Divino, nec Eccleſiaſtico; quia non *reverenter*, nec Chriſtiano more ſuſcepit Sacrumſanctum Chriſti Corpus, & non ad vitam, ſed ad mortem, ac damnationem communicavit, &c. Et oppoſitum aſſerere, eſt ſcandaloſum, & damnatum ab Innocentio Papa XI. propoſitione, *n.* 55. quæ ſonabat ſic: 105

Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem.

Quæro XXXIII. *Elapſo termino Paſchali eximunturne Fideles ab onere communicandi quamprimùm, quando tunc non communicarunt?*

℞. Sive ex malitia, ſive ex impedimento legitimo contingat omiſſio Confeſſionis annuæ, & Communionis Paſchalis, certum eſt, debere quamprimùm ſuppleri, etiam elapſo anno. Ratio eſt: quia hoc præceptum non eſt ita affixum anno, aut Paſchali tempori, ſicut alia præcepta, quæ tempori determinato affixa ſunt, ut V. G. Miſſa affixa diei Feſto, Jejunium Vigiliis, Horæ Canonicæ ſingulis diebus, Abſtinentia à carnibus quibuſvis ſextis feriis, ac Sabbatis, & ſic de aliis legibus, quæ certa tempora, aut certos dies reſpiciunt, & deſignant. 106

Hoc patet ex verbis Decreti ipſius Concilii Lateranenſis relatis, cap. & can. cit. Omnis utriuſque ſexus: ubi dicitur ſic: *Omnis utriuſque Sexus Fidelis ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, ſuſcipiens reverenter, ad minus in*

Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum. Ubi notandi ſunt illi duo termini adverbiales, nempe ly *ſaltem*, & ly *ad minus*: iſte enim modus loquendi, & percipiendi tacitam continet negationem, ne videlicet ultrà annum peccatorum Confeſſionem, & ne ultra Paſchale tempus Sacram Euchariſtiæ Communionem differamus; quòd ſi tali ſtatuto tempore non impleamus, id tamen prima opportunitate nobis oblata de Jure præſtemus. Sicut V. G., quando quis certam pecuniam obligatus eſt ſolvere Domino ſuo, qui illum aſtringit in Judicio ad ſolvendum per totum menſem Auguſti; ſi tali menſe non ſolverit, adhuc tenetur ſolvere quamprimùm.

107 Confirmatur ex ſequentibus verbis ipſius Concilii Lateranenſis, *l. c.* ubi dicit, *Alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat Sepultura*. Ubi Doctores conveniunt, eam non eſſe pœnam latam, ſed inferendam; Unde ex vi hujus decreti poſſunt Prælati inferiores eam pœnam inferre deliquentibus, & arcere eos ab ingreſſu Eccleſiæ, donec ſatisfaciant per actualem Confeſſionem, & Communionem. Ergo dum Epiſcopi urgent tranſgreſſores ad Communionem deinceps faciendam ſub pœna Interdicti, & etiam Excommunicationis, operantur vi facultatis, quam eis tribuit Concilium, & Papa; ergo ſequitur maniſeſtè, quòd adhuc tenentur ſatisſacere præcepto Divino-Eccleſiaſtico de Communione anni præteriti; ergo ſi non communicant, peccant mortaliter. Vide Joannem de Cardenas in *Criſi Theologica*, *tr. 6. diſp. 52. per totam*. Azorium, 1. *part. lib. 7. cap. 30. quæſt.* 5. Card. de Lugo, *tom. de Euchariſtia, diſp. 16. ſect. 4.* Maſtrium *Moral. diſp. 12. num.* 54. Anacletum *moral. tract. 10. diſt. 3. qu. 4. num.* 38.

Quæro XXXIV. *An aliquando licitè poſſit differri Sacra Communio ultra tempus Paſchale?*

108 ℞. Quòd ſic; ut patet ex textu Concilii Lateranenſis cit. cap. omnis utriuſque, &c. Ubi dicit: *Niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Cæterùm per proprium Sacerdotem, de cujus conſenſu, & conſilio poteſt differri Communio Paſchalis, non ſolùm intelligitur proprius Parochus, aut Prælatus, ſed etiam Confeſſarius approbatus, qui eo tempore Confeſſionem tuam excipere incœpit; cenſetur enim tunc ad hoc à proprio Parocho, vel Epiſcopo, vel à Papa eo ipſo delegatus, quòd poteſtatem acceperit Confeſſiones excipiendi, & conſequenter judicandi cauſam tuam. Ita Epiſcopus Herinx, *diſput. 16. numer. 38. de Euchariſtia*: & praxis communis docet.

109 Nota hic Confeſſor tyro, quòd quando veniunt ad te quidam pœnitentes, ſeu confitentes, qui verſantur in aliqua occaſione proxima peccandi, vel alio quovis impedimento irretiti, quibus expedit, & aliquando neceſſe eſt, ut omninò differas abſolutionem: & iſti *Paſqualini* objiciunt neceſſitatem præſentem communicandi, debes eis notificare textum Concilii citati, ut ſic acquieſcant dilationi rationabili; quòd ſi nolint acquieſcere, mitte eos ad proprium Parochum in pace.

TRACTATUS XXXIX.

DE PECCATIS.

ORdo Doctrinæ Moralis, & connexio Materiarum mihi videntur poſtulare, ut poſt Tractatus de Legibus, & Præceptis ſtatim ponatur iſte Tractatus *de Peccatis*; quia, Teſte Apoſtolo ad Rom. c. 3. & 7. *Per Legem cognitio peccati: Et peccatum non cognovi niſi per Legem*. Cùm enim Peccatum ſit Trangreſſio alicujus Legis, ſequitur maniſeſtè, quòd peccatum ſupponit Legem: & poſt Legem ſit, & cognoſcitur peccatum. Ergo de Peccatis tractandum erit poſt Tractationem de Legibus, & Præceptis.

Quæro I. *Quid eſt peccatum?*

Reſp. I.

Digitized by Google

1 *Reſp. I.* Primus locus Sacræ Scripturæ, in quo reperriatur hoc nomen *Peccatum*, eſt cap. 4. verſ. 7. Geneſis. Ubi legitur, quòd Dominus Deus dixit Cain, *Quare iratus es? E cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies: ſi autem malè, ſtatim in foribus Peccatum tuum aderit?* Patet igitur quid ſit *Peccatum*: *Et malè agere*; loquendo de actuali peccato. Sanct. Joannes Apoſtolus in prima ſua Epiſtola cap. 3. verſ. 4. Sic definit Peccatum: *Peccatum eſt iniquitas*. S. Ambroſius lib. 1. de Parad. cap. 8. deſcribit ſic: *Peccatum eſt tranſgreſſio, ſeu prævaricatio Divinæ Legis*. Scotus noſter in libr. 2. ſent. diſt. 37. q. 1. §. Concedo igitur: ſic explicat: *Eſt privatio rectitudinis, quæ rectitudo debebat ineſſe actui. Vel* eſt corruptio rectitudinis in actu ſecundo. Voluntas enim libera debitrix eſt, ut omnem actum ſuum eliciat conformiter Regulæ Superiori, ſcilicet ſecundùm Divinum Præceptum; & ideò quando agit diſcorditer ab illa Regula, caret rectitudine, vel juſtitia actuali debita; hæc eſt rectitudo, quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt; & hęc carentia, inquantum eſt actus Voluntaris deficientis, eſt formaliter peccatum actuale. Hæc Scotus.

2 *ꝶ. II.* S. Thomas ſequens D. Auguſtinum ſic definivit: *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam*. Et probat ſic *in prima ſecundæ partis, qu. 71. art. 6.* Peccatum nihil aliud eſt, quàm actus humanus malus; quòd autem aliquis actus ſit humanus, habet ex hoc, quòd eſt voluntarius; ſive ſit voluntarius, quaſi à voluntate elicitus: ut *ipſum velle*, *& eligere*: ſive quaſi à voluntate imperatus, ut *exteriores actus*, *vel locutionis*, *vel operationis*. Habet autem actus humanus quòd ſit malus, ex eo, quòd caret debita commenſuratione; omnis autem commenſuratio attenditur per comparationem ad aliquam Regulam, à qua ſi divertat, incommenſurata actio erit. Regula autem Voluntatis humanæ eſt duplex. Una propinqua, & homogenea; ſcilicet *ipſa Ratio humana*. Alia verò eſt Prima Regula, ſcilicèt. *Lex Æterna*, quæ eſt quaſi Ratio Dei. Et ideò Auguſtinus in definitione Peccati poſuit duo. Unum, quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi *materiale peccati*, cùm dicit: *Dictum*, *vel factum*, *vel concupitum*. Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi *formale peccati*, cùm dicit: *Contra Legem Æternam*. Hæc D. Thomas.

ꝶ. III. Explico clariùs, & faciliùs pro poſſe prædictam Definitionem: *Peccatum eſt dictum*, *vel factum*, *vel concupitum contra Legem Dei æternam*; quæ definitio reſpicit peccatum Commiſſionis. 3

I. Peccatum eſt *Dictum*: ecce peccata oris *Factum*: ecce peccata operis. *Concupitum*: ecce peccata cordis. *II. Contra Legem*: ecce malitia, deordinatio, carentia rectitudinis, juſtitiæ, & commenſurationis prædictæ, ut declaratur à Scoto, & à D. Thoma: in qua conſiſtit formalitas peccati; quia enim vel dictum noſtrum, vel factum, vel deſideratum *eſt contra Legem*, ideò peccatum eſt, ideò actus malus. *Dei æternam*: Lex Dei æterna eſt ipſa Voluntas Dei ordinans omne juſtum, honeſtum, & bonum morale, & comprehendit omnem Legem; quia omnis Lex naturalis, Divina, humana derivatur à Lege illa Æterna Dei, tamquam radius à ſole, adeò ut verè dicatur, omne peccatum ideò eſſe peccatum, quia eſt contra Legem Dei æternam; quamvis enim etiam ideò peccatum ſit, quia eſt contra rectam Rationem, vel aliquam Legem; omnis tamen Ratio, omnis Lex ultimatè reſpicit Divinam mentem, & voluntatem æternam Dei noſtri; & conſequenter omne peccatum ultimatè eſt contra ipſummet DEUM; eaque ratione omne peccatum eſt etiam offenſa Dei, quatenus ſcilicet eſt actus (vel ejus omiſſio) contra voluptatem Dei prohibentis, nolentis, deteſtantis, ac punientis omnem inordinatum, ac irregulatum actum humanum.

ꝶ. IV. Peccatum multipliciter repugnat DEO. I. Repugnat DEO, ut Supremo Legislatori. II. Ut abſoluto Domino. III. Ut Patri communi, & Benefactori noſtro. IV. Ut Summo Bono, atque adeò Ultimo Fini noſtro. 4

ꝶ. V. Prædicta definitio peccati quamvis directè reſpiciat peccata Commiſſionis; obliquè tamen, ſeu indirectè reſpicit etiam peccata omiſſionis; nam affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus. Quod ſi velles dare definitionem directam peccati Omiſſionis, deberes addere particulam negativam, dicendo: *Peccatum eſt non dictum, vel non factum, vel non concupitum contra Legem*. 5

De Diviſione Peccati.

Quæro II. *Peccatum actuale quomodo dividitur?*

6 ℞. Multipliciter. I. Ratione materiæ dividitur in peccatum Commiſſionis, & Omiſſionis; nam actus poſitivus, & ejus omiſſio eſt quaſi materia peccati. II. Ratione formæ dividitur in Mortale, & Veniale; nam mortalitas, & venialitas culpæ ſunt quaſi forma peccati. III. Ratione ſubjecti dividitur in Internum, & Externum: item in Carnale, & ſpirituale. IV. Ratione cauſæ dividitur in peccatum ex malitia, ex infirmitate, & ex ignorantia. V. Ratione objecti contra quod, vel in quod peccatur, dividitur in peccatum erga Deum, erga proximum, & erga ſemetipſum.

7 Peccata erga Deum ſpecialiter dicuntur illa, quæ opponuntur Tribus Præceptis primæ Tabulæ; quia habent Deum pro objecto immediato. Peccata verò erga ſemetipſum, & proximum dicuntur illa, quæ opponuntur aliis ſeptem Præceptis ſecundæ Tabulæ; quia habent proximum pro objecto immediato; ut patet diſcurrenti, &c.

Quæro III. *Quid eſt peccatum Commiſſionis?*

8 ℞. Eſt actus voluntarius malus, factus contra Præceptum aliquod negativum; ut V.G. Homicidium, Adulterium, Furtum, &c. quia iſti actus mali ſunt contra Præcepta negativa, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, &c.*

Quæro IV. *Quid eſt peccatum Omiſſionis?*

9 ℞. Eſt privatio voluntaria actus debiti ex Præcepto affirmativo; ut V. G. Non audire Miſſam die Feſto: Non recitare Horas Canonicas aliàs debitas: Non ſuccurrere proximo extremè, vel graviter indigenti, & ſic de ſimilibus.

Quæro V. *Quandonam contrahitur peccatum Omiſſionis?*

10 ℞. *I.* Aliqui DD. volunt, peccatum Omiſſionis fieri, ſeu contrahi eo tempore, quo ponitur cauſa omiſſionis, non verò quando contingit ipſa omiſſio; quia (dicunt) tunc non eſt ampliùs in poteſtate Agentis ponere actum debitum. Ut V.G. Si Titius Clericus in Sacris, qui tenetur Horas Canonicas quotidie recitare ſub mortali, reducit uſque ad ultimam diei naturalis horam ad recitandum totum Divinum Officium, qua hora ultima adhuc perſeverat vel in ludo, vel in confabulatione, vel quovis in alio non neceſſario negotio, vel circa illud modicum tempus ſe ſe dat ſomno, &c. tunc peccavit mortaliter, quando poſuit cauſam omiſſionis Officii, non autem quando in illa ultima diei hora de facto non recitat Officium.

11 ℞. *II.* Alii DD volunt, hoc peccatum omiſſionis fieri eo tempore tantùm, quo præceptum non eſt de facto impletum; quia (dicunt) pro illo tunc dumtaxat obligat, & urget præceptum; ergo tunc quis revera peccat, & non antea, quando poſuit cauſam.

12 ℞. *III.* Utraque ſententia in ſuo ſenſu vera eſt cum hac diſtinctione, nempe de *inchoatione*, & de *completione* peccati, dicendo: Peccatum omiſſionis formaliter inchoatur eo momento, quo ponitur ejus cauſa, & poſtea, ſaltem materialiter, completur tempore quo fit realis omiſſio actus præcepti. Ratio eſt: quia hoc peccatum conſiſtit in voluntaria, & actuali privatione actus debiti pro tempore, quo Præceptum urget, & obligat, V. G. audiendi Sacrum manè die Feſto, vel recitandi Officium quolibet die, & atqui omiſſio illa incipit eſſe voluntaria eo puncto temporis, quo ponitur cauſa voluntaria ſecuturæ omiſſionis, actualis autem omiſſio fit, quando tranſit tempus ponendi actum præceptum; ergo peccatum omiſſionis formaliter incipit, quando ponitur cauſa omiſſionis: & poſtea completur, ſaltem materialiter, quando accidit ipſamet omiſſio.

13 Idque maximè verum eſt in ordine ad Judicium Sacramentale Confeſſoris, & Confeſſionis: ſemper enim neceſſarium eſt; & ſufficit confiteri ipſam omiſſionem voluntariam rei præceptæ. *Item* in ordine ad pœnas, & Cenſuras Eccleſiaſticas fortè propter talem omiſſionem impoſitas, quæ non incurruntur, niſi tempore omiſſionis completæ. Ut docet noſter Sporer, *in Moral. Theol. tom.* 1. *cap.* 4. *numer.* 26.

14 ℞. *IV.* Certum eſt apud omnes DD. peccatum omiſſionis formaliter durare, & conſummari eo tempore, quo fit omiſſio actus præcepti, quando nempe eòuſque manet in poteſtate hominis implere præceptum, & mala voluntas *directa*, vel *indirecta*

omit-

Digitized by Google

omittendi actum revocata non fuit; quia tunc ipſa actualis omiſſio eſt adhuc plenè voluntaria, aut *directè* in voluntate prava omittendi, aut *indirectè* in cauſa voluntariè poſita, & non ablata, cùm adhuc poſſet auferri. Unde Titius V.G. qui manè die Feſto attendit ludo, confabulationi, venationi, &c. prævidens ſecuturam Miſſæ omiſſionem, nec auferens cauſam illam, continuè peccat, poſtea complet ſuum peccatum in ultimo tempore, quo revera accidit omiſſio Sacri; & ſic de ſimilibus.

15 ℞. *V.* Certum quoque eſſe debet, peccatum omiſſionis non poſſe ampliùs formaliter durare, vel compleri tempore, quo fit omiſſio, quando non eſt ampliùs in poteſtate hominis implere præceptum, & ante illud tempus implendi præceptum voluntas mala jam revocata fuit. Ut V.G. Si Titius die Feſto ſua culpa ſe reduxit quaſi ad extremum temporis ſpatium audiendi Sacrum, & jam ſe reſolvens Miſſam audire, domo exit, & dum pergit ad Eccleſiam, audit à ſibi dicentibus, omnes Miſſas jam eſſe peractas; tunc ejus omiſſio non poteſt ampliùs eſſe peccatum, licèt peccaverit antea ſic differendo: Idem dices de ſimilibus.

16 ℞. *VI.* Quando quis voluntariè poſuit cauſam omiſſionis, qua ſe reddidit impotentem implere præceptum. Ut V.G. ſi die Feſto conferas te adire, venationem, &c. prævidens, te neceſſariò, vel conſequenter omiſſurum Sacrum, nec voluntatem tuam malam revocans, omittas Sacrum; adhuc formaliter complebis peccatum tuum ultimo temporis momento, quo Miſſæ præceptum urget, nec ampliùs vales implere; quia tunc illa omiſſio, licèt non ſit ampliùs voluntaria actu in ſe; eſt tamen adhuc voluntaria in ſua cauſa voluntariè poſita; nec per pœnitentiam, aut per contrariam voluntatem revocata, cùm tamen adhuc eam revocare poſſes, ut ſupponimus in caſu.

Quæro VI. *An omnes actiones, quæ ſunt cauſa Omiſſionis rei præceptæ ſint peccaminoſæ?*

17 ℞. Quòd non. Patet, Si, dum tempus eſt audiendi Sacrum, vel recitandi Officium, attendas ſtudio ſcientiarum, aut Scriptioni Librorum; non per hoc ſtudium, vel ſcriptio peccaminoſa eſt. Tum quia tale exercitium ſtudendi, vel ſcribendi non eſt propriè cauſa ſed occaſio omiſſionis, &c. Peccabis igitur peccato omiſſionis ex mera voluntate tua; niſi ex inordinato affectu ſtudendi, vel ſcribendi omittas rem ſacram, aut Officium; quia tunc & ipſum ſtudium, vel ipſa ſcriptio peccaminoſa foret ratione inordinati tui affectus. Tum quia, quòd ſtudium vel ſcriptio, vel quæcumque alia actio ex ſe indifferens, ſit occaſio (vel etiam cauſa) tibi omittendi Sacrum, hoc eſt merè *per accidens*; judicium autem de rebus, præſertim moralibus, dandum eſt ſecundùm illud, quod eſt *per ſe*; ut docet D. Thomas, *in* 1.2. *q.* 71. *art.* 5. *in corp.* Vide locum, & textum, atque miraberis (ſicut, & ego miror) quomodo citetur Doctor Angelicus in oppoſitum à nonnullis; docet enim ibi Angelicus Doctor, quòd quando peccatum omiſſionis habet aliquem actum conjunctum, vel præcedentem, qui ſit cauſa, vel occaſio illius omiſſionis; tunc talis actus. (ſive interior, ſive exterior, præcedens, vel conjunctus, ſeu concomitans) per accidens ſe habet ad omiſſionem illam; nullamque ei tribuit malitiam, niſi aliunde habeat; ergo noſtra reſponſio eſt vera, & de mente D. Thomæ.

Quæro VII. *Quonam tempore incurritur peccatum Commiſſionis, vel Omiſſionis indirectè, & in cauſa dumtaxat voluntarium?*

℞. *I.* Quamvis ex dictis poſſit exhau- 18
riri reſponſio; tamen claritatis gratia volui hoc Quæſitum ſub diverſis terminis proponere, quia eſt valdè famoſum apud DD. & variè exponitur à diverſis: Et explico illud per caſum. Titius ante ebrietatem bene prævidit, ſe in ebrietate commiſſurum homicidium, vel aliud peccatum; & nihilominùs ſcienter ſe inebriat uſque ad privationem uſus rationis, ſicque de facto dum eſt ebrius, committit illud peccatum prævifum. *Quæro*, an Titius peccaverit, peccato homicidii tunc, quando reverà occidit, an quando dedit cauſam tali peccato homicidii? *Vel ſic.* Titius ſcienter propinavit Cajo venenum, nonniſi poſt aliquot hebdomadas mortem allaturum. *Quæro*, an Titius peccet peccato homicidii pro eo inſtanti, quo dedit venenum Cajo, an potiùs pro tunc, quando actualiter ſequitur mors Caji? -- *Vel ſic.* Titius manè die Feſto tamdiù dormit, ut tempus audiendi Miſſam omninò tranſeat, & hoc prævidit, & non impedivit, cùm poſſet, ac deberet. *Quæro*, quandonam peccaverit omittendo Miſſam? Et ſic de multis ſimilibus, quibus reſpondetur per ſequentem doctrinam.

19 ℞. II. Peccatum Commiſſionis, aut etiam Omiſſionis indirectè, vel in cauſa dumtaxat voluntarium, contrahitur mox in ipſa appoſitione cauſæ, quæ fuit in libera hominis poteſtate, non autem tempore ſubſequenti, quo ſequitur effectus malus, ſi tunc adſit impotentia impediendi talem effectum, ut patet in allatis caſibus, & exemplis. Ratio eſt: quia tunc homo peccat, quando liberè, & voluntariè ponit actum indebitum, vel omittit actum debitum; ſed in dictis caſibus homo vel *ponit* liberè, & voluntariè actum indebitum, quando ponit cauſam illam, ex qua ſequitur effectus malus, vel *non ponit* actum debitum quando non auſert impedimentum illud, ex quo ſequitur omiſſio actus debiti; ergo homo tunc ſolùm peccat, &c., & conſequenter in ſola appoſitione cauſæ, vel impedimenti conſiſtit peccatum in dictis caſibus, utpotè quæ fuit in hominis poteſtate. Ita cum Scoto, & Maſtrio P. noſter Anacletus, *in Theol. Moral. tr. 1. diſt. 1. à n.21.*

Quæro VIII. *An omnia peccata actualia ſint æqualia?*

20 ℞. Nequaquam; Ratio eſt quia certum eſt ex fide, peccata aliqua eſſe ex ſuo genere mortalia, & aliqua venialia tantùm. Hæc diviſio patet manifeſtè ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi docet, *omnia peccata mortalia in Confeſſione debere recenſeri, non autem venialia.* -- Et ſeſſ. 6. can. 25. Ubi ponit diſtinctionem hanc *de peccato veniali, & mortali.*

Probatur etiam ex Sacra Scriptura: nam Apoſtolus Paulus ad Galatas, c. 5. enumerans multas peccatorum ſpecies, in ultimo concludit, dicens: *Qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Et ad Rom. cap. 1. alia multa peccatorum genera deſcribens, in fine ait: *Qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Subſumo: ſed peccata, quæ digna ſunt morte, & impediunt conſecutionem omnimodam Regni Dei, utique mortalia ſunt; ergo dantur peccata ex ſuo genere mortalia.

Quoad venialia verò probatur: nam Apoſtolus Joannes in prima epiſt. c.1. dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* — Et Jacobus Apoſtolus Minor in ſua Canonica epiſt. c.3. ait: *In multis offendimus omnes.* — Subſumo: atqui iſti Apoſtoli ſine dubio juſti erant; & tamen de ſemetipſis etiam fatentur humiliter, & veraciter, quòd peccabant; ergo venialiter; quia implicat, aliquem eſſe juſtum, & Sanctum, ac ſimul peccare mortaliter; nam peccatum mortale nequit ſtare cum Juſtitia, & Gratia Divina; benè quidem veniale peccatum, ergo dantur venialia.

Quæro IX. *Omnia peccata mortalia ſuntne æqualia in gravitate?*

21 ℞. Non. Et hoc pariter eſt certum de fide; conſtat apertè ex Sacra Scriptura Jeremiæ Thren. 4. *Major eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Et Joan. c. 19. ait Chriſtus ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; & multis aliis locis. Ratio etiam eſt: quia licèt omnia mortalia conveniant in hoc genere *mortalitatis Animæ, carentia Gratiæ, & Gloriæ, atque damnationis æternæ*; non omnia tamen important æqualem malitiam; ut patet de ſingulis diſcurrendo; majus enim peccatum eſt Blaſphemia, quàm homicidium; majus eſt homicidium, quàm fornicatio; & ſic de aliis.

Quæro X. *Aſſigna mihi aliquam Regulam diſcernendi, quænam peccata ſint aliis graviora?*

22 ℞. I. Peccata, quæ per ſe, & intrinſecè mala ſunt, (cæteris paribus) etiam graviora ſunt, quàm peccata, quæ ſolùm ex prohibitione Legis mala ſunt; ratio eſt; quia illa naturalem deformitatem habent, contra lumen rationis, & ipſam legem naturæ; Ut V.G. *Mendacium, perjurium, blaſphemia, &c.* Dixi, *cæteris paribus*, id eſt, poſitis circumſtantiis paribus, & ſimilibus; & conſideratis omnibus conſiderandis; Unum enim peccatum, quod ex ſuo genere gravius eſt alio, poteſt evadere minùs grave illo ex aliqua circumſtantia. Tum quia illa ſemper ſunt mala.

23 ℞. II. Inter peccata per ſe, & intrinſecè mala, quæ numquam poſſunt expoliari propria malitia, (aliàs intrinſecè mala non eſſent) graviora ſunt ea, quæ adverſantur majori bono, ſeu objecto nobiliori. Sic peccata contra Deum directè, ut *Idololatria, blaſphemia, hæreſis &c.* longè graviora ſunt, quàm peccata contra homines. Et inter peccata cōtra homines gravius eſt. V.G. homicidium, quàm detractio, vel furtum; quia homicidium privat hominem vita naturali, quod eſt majus bonum, quàm bona externa famæ, & fortunæ.

℞. III. Uni-

24 ℞. *III.* Univerſaliter, & cæteris paribus circumſtantiis, majus peccatum cenſetur illud quod opponitur majori, & nobiliori virtuti, vel majori, & nobiliori præcepto. Quia corruptio boni *mala*: corruptio melioris *pejor*; & corruptio optimi *peſſima*. Virtus eſt bona, alia melior, & alia optima; ergo peccatum, quod eſt corruptio virtutis, erit malum pejus, peſſimum juxta virtutem, cui opponitur.

De Peccato Mortali, & Veniali.

Quæro XI. *Quid eſt mortale peccatum?*

25 ℞. Eſt, quod mortem ſpiritualem generat, vel cauſat in Anima peccatoris, qui illud committit. Iſta mors aliud non eſt, quàm privatio, ſeu corruptio Gratiæ ſanctificantis, quæ inhærebat Animæ, antequàm peccaret mortaliter; ſicut enim abſentia Animæ in corpore noſtro cauſat mortem corporalem: ita abſentia Gratiæ in Anima noſtra mortem cauſat ſpiritualem. Et hanc mortem comminatus fuit Deus Adamo, dicens: Geneſ. c. 2. v. 17. *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas; In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* — Et Sap. cap. 26. habetur: *Homo per malitiam occidit Animam ſuam.* Et Ezechielis, cap. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et ad Rom. cap. 8. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et multis in aliis locis.

Quæro XII. *Quid eſt Veniale peccatum?*

26 ℞. Eſt, quod aliquo modo venia dignum eſt, dicitur enim *Veniale* à venia; eò quòd faciliùs veniam conſequatur. De hoc intelligitur illud Proverbiorum, cap. 24. v. 16. *Septies enim cadet Juſtus, & reſurget.* Ubi Gloſſa Ordinaria dicit: *Juſtus* dicitur, & *cadere*, ideſt, peccare memoratur: quia de levibus peccatis agitur, ſine quibus hæc vita non ducitur. Singulis enim diebus *ſepties*, ideſt, frequenter peccamus. Et tamen *reſurget Juſtus*; quia Juſtus eſt: nec ejus Juſtitiæ humana præjudicat fragilitas.

Quæro XIII. *In quo conveniunt peccatum Mortale, & Veniale?*

27 ℞. In pluribus; ſed præcipuè in his. I. Quia non ſolùm Mortale, ſed etiam Veniale à ſola Creatura rationali fieri poteſt. II. Quia utrumque peccatum eſt actus humanus malus moraliter; ac proinde requirit voluntarium, & liberum actum, aut ejus omiſſionem liberam, & voluntariam. III. Quia neutrum eſt unquam eligibile ad promovendam honeſtatem alterius finis, & operationis quantumvis bonæ; *Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* IV. Quia utrumque diſplicet Deo, ipſumque offendit, ac proinde dignum eſt ſupplicio ſibi correſpondente.

Quæro XIV. *In quo differunt Mortale, & Veniale?*

℞. In multis, præſertim in his. I. Quia Veniale longè faciliùs poteſt conſequi remiſſionem, & multis modis. II. Quia Veniale non tollit vitam Animæ, neque excludit hominem ab Amicitia Dei, neque privat ipſum hominem in perpetuum Viſione Dei, ac æterna Beatitudine, ſicut facit. Mortale. III. Mortale ſimpliciter tollit Charitatem, quæ eſt conjunctio cum Deo, miro, & ineffabili modo; nam *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; Veniale autem non tollit, ſed ſolùm minuit Charitatem; Unde Mortale dicitur Mors Animæ; Veniale autem languor, & infirmitas tantùm. IV. Mortale eſt averſio à Deo, tamquam Ultimo Fine, & converſio ad Creaturam ſimpliciter; quare dicit ipſemet Deus per Prophetam Jeremiam, cap. 2. *Duo mala fecit Populus meus: Me derelinquerunt Fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Veniale verò non eſt averſio ſimpliciter à Deo, &c. quia non deſtruit conjunctionem prædictam, nec auſert Gratiam, & Amicitiam Dei, ut dixi; ſed ſolùm minuit, efficiendo, ut homo minùs fervidè feratur in Deum, &c. V. Mortale eſt contra aliquod Præceptum, ſimul, & finem Præcepti; nam finis legis eſt dilectio, vel Charitas. Veniale autem, licèt ſit contra Præceptum aliquod, non tamen eſt contra Finem Præcepti, ſcilicet Charitatis; quia eam non tollit, licèt ejus minuat fervorem. VI. Mortale per ſe meretur pœnam æternam in Inferno. Veniale autem pœnam temporalem, vel in hoc mundo, vel in Purgatorio; ideòque mortale talem, tantamque pœnam meretur: quia avertit hominem totaliter, & ſimpliciter à DEO ultimo Fine, & ei affert injuriam infinitam terminativè; Tantò enim offenſa eſt gravior, quantò major eſt ille, in quem delinquitur; ſed peccatum mortale 28

eſt contra Deum infinitum ; ergo continet injuriam quamdam infinitam ex Infinitate Divinæ Majeſtatis offenſæ . Si vis plura de malitia peccati mortalis, lege P. Segnerum *in Chriſt. Inſtr. p. 2. à ſer. 1. ad 22.*

Quæro XV. *Mortale peccatum differtne ſpecie à veniali?*

29 ℞. Non ſolùm ſpecie, ſed etiam toto genere differt extrinſecè, effectivè, & objectivè, ob differentias ſuprà allegatas; ideò *mortale* quodammodò infinitè diſtat à *veniali*; & S. Thomas dicit, quòd Peccatum mortale, & veniale differunt in infinitum ex parte averſionis ab ultimo fine: & ex parte pœnæ; nam, ut vidimus, mortale avertit hominem à Deo, & pœna æternali puniendum eſt.

Quæro XVI. *Aſſigna mihi aliquam Regulam diſtinguendi practicè peccatum mortale à veniali?*

30 ℞. Non unam, ſed plures aſſignabo Regulas valdè neceſſarias Confeſſariis ad diſtinguendum practicè mortale à veniale.

Prima eſt. Omne peccatum cedens in gravem injuriam DEI, ſeu honoris, & cultus DEO debiti, mortale eſt. Ut ſunt omnia peccata contra Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem. Item peccata contra Virtutem Religionis.

Secunda. Omne peccatum cedens in grave nocumentum ſalutis propriæ ſpiritualis, & corporalis, mortale eſt.

Tertia. Omne peccatum graviter lædens Charitatem, vel Juſtitiam erga Proximum in bonis Animæ, Corporis, Famæ, & Fortunæ, mortale eſt.

Quarta. Omnia peccata contra Præcepta Divina in Decalogo, vel in Sacra Scriptura expreſſa, ex ſuo genere mortalia ſunt.

Quinta. Peccata contra Legem, & Præcepta Eccleſiæ, ex ſuo genere mortalia ſunt.

Sexta. Peccata contra Legem humanam quamcumque, tunc ſolùm mortalia ſunt, quando concurrunt hæc duo: nempè gravitas materiæ, & Intentio Legislatoris volentis obligare ſub culpa gravi.

Septima. Quidquid à Doctoribus Catholicis communiter cenſetur, & habetur pro culpa gravi, mortale erit.

Octava. Quod non continetur in una ex his Regulis, non debet regulariter judicari pro mortali; nec facilè mortale cenſendum erit ſine fundamento rationis, & authoritatis.

Quæro XVII. *Quænam eſt differentia inter peccatum mortale ex genere ſuo, & peccatum mortale ex accidenti?*

31 ℞. Mortale *ex genere ſuo* eſt, quod eſt tale à proprio objecto, circa quod verſatur, ſicut omnia peccata ſuprà numerata in Regulis prædictis. Mortale verò *ex accidenti* eſt illud, quod licèt ex ſe, vel ex ſuo objecto non ſit mortale, tamen ex aliquo accidente, nempe ex aliqua circumſtantia malitiam mortalem contrahit; ſic omne peccatum, quod ex pravo aliquo fine *mortaliter malo*, evadit mortale, licèt in ſe, ex natura ſua, vel ex proprio objecto ſit veniale tantùm, imò etiam actus indifferens, vel etiam ex ſe bonus, fit mortale peccatum *ex accidente*, ſeu per accidens. V.G. Dicis verbum otioſum puellæ ad inducendum eam ad libidinem: vel facis ei donum, aut eleemoſynam ad malum finem, illud verbum otioſum, illud donum, illa eleemoſyna fit peccatum mortale *ex accidente*.

Quæro XVIII. *Peccatum, quod eſt mortale ex genere ſuo, poteritne fieri veniale ex accidente?*

32 ℞. Quòd ſic: & quidem multipliciter hoc poteſt contingere. *I. Conſcientia erronea*. Quandocumque quis errore, hìc, & nunc invincibile, ſeu bona fide putat peccatum aliquod eſſe veniale tantùm, quod revera mortale eſt, V. G. *Perjurium aſſertorium in re levi*: iſte ſolùm venialiter delinquit ſic pejerando, & ſic mortale fit veniale per accidens.

33 *II. Ex neceſſitate extrema*: quæ in quibuſdam præceptis poſitivis excuſat quandoque *à toto peccato*; ergo & quandoque *à tanto*. Unde qui V. G. furatur in quaſi extrema neceſſitate conſtitutus aliquid neceſſarium ad vitam ſuam, & ſuorum conſervandam, non peccat mortaliter. Item, qui occidit injuſtum invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non peccat mortaliter; ergo levis defectus ex parte neceſſitatis extremæ, in utroque caſu, excuſabit *à tanto peccato, ſi non à toto*. Ratio eſt; quia quæcumque cauſa potens excuſare à peccato *in toto*, in modico ſui defectu excuſat *à tanto*, ideſt à mortali, & ſic de mortali fit veniale per accidens. Tum quia, ſpectata humana fragilitate, & ignorantia, in rebus moralibus difficilimum eſt medium attingere, ac levem exceſſum, vel defectum evitare; ideòque ubi homo paululùm excedit,

vel

Digitized by Google

vel deficit, non eſt judicandus Reus peccati mortalis, ergo ex mortali fiet veniale per accidens.

34 *III. Ex metu gravi* mortis, vel alterius graviſſimi mali, qui ſolet excuſare à tranſgreſſione legum poſitivarum, præſertim humanarum. Hinc metus hujuſmodi mali non adeò gravis, nec conſequenter excuſans *à toto*, excuſabit *à tanto*. V. G. Si quis ex metu morbi non ita gravis frangat Jejunium Eccleſiaſticum, vel Sacrum non audiat die Feſto, peccabit venialiter; quia ex mortali fit veniale per accidens.

35 *IV. Ex ignorantia*: quæ ſi invincibilis eſt, jam excuſat *à toto*: ſi vincibilis eſt, & culpabilis erit, ſi autem leviter tantùm ſit culpabilis, utique excuſabit *à tanto peccato*; ergo de mortali fiet veniale per accidens. Quaſi innumerabiles poſſent afferri caſus de negligentia levi in omnibus actionibus, quæ ex ignorantia procedunt. Reflecte.

36 *V. Ex paſſione*. Sumitur hic Paſſio pro appetitu, vel motu inordinato *Iraſcibilis*, & *Concupiſcibilis* potentiæ naturalis; unde oriuntur motus *primò primi*, qui excuſant *à toto*: *& motus ſecundò primi*, qui excuſant *à tanto*; quia Paſſio vehemens iracundiæ videlicet, concupiſcentiæ carnalis, & ſimilium ſemper minuit voluntarium, ſeu liberum, quando eſt antecedens ad actum: ergo motus *ſecundò primi* de mortali faciunt veniale.

37 *VI. Ex imperfectione actus intellectus*: nempe quando intellectus, vel ratio non perfectè advertit malitiam objecti, ſeu operationis malæ moraliter: ſeu quando ratio non plenè, & reſolutè judicat, vel dictat, eſſe peccatum grave id, quod homo cogitat, vel loquitur, aut operatur, vel ommittit. Quod meliùs explicari non poteſt, niſi experientia in ſemidormiente, ſemiebrio, mente diſtracto, vel turbato cogitationibus, vel agitato paſſionibus, qui ad id, quod agit, vel ad illius malitiam advertere plenè, & perfectè non poteſt; & tunc mortale fit veniale per accidens, ex illa imperfectione actus intellectivæ potentiæ, ſeu rationis. Et hoc melius explicabo infrà *n. 42*.

38 *VII. Ex imperfectione conſenſus voluntatis*: qui conſenſus imperfectus naturaliter ſequitur, vel colligitur ex imperfectione advertentiæ ex parte Intellectus. Voluntas enim ac libertas noſtra eſt veluti ſententia finalis peccati; ſententia autem nequit perfectè ferri à Judice, niſi cognita priùs perfectè cauſa: ergo neque conſenſus poteſt eſſe perfectus ex parte voluntatis, ubi intellectus imperfectè advertit malitiam peccati; quia nil volitum, quin præcognitum; ergo nil perfectè volitum, quin perfectè præcognitum; igitur ex imperfectione conſenſus voluntatis mortale tranſit in veniale peccatum. Et de hoc meliùs videbimus infrà, *n. 43*.

VIII. Ex parvitate materiæ, ubi hæc admitti poteſt; nam omne peccatum mortale; ut ſit tale, requirit ex parte rei, vel objecti materiam gravem. Ubi ergo materia eſt tantùm levis, & parva, ibi erit culpa levis, ſeu venialis, & ſic mortale fit veniale ex parvitate materiæ, de qua meliùs infra *n. 56*. 39

Quæro XIX. *Quænam conditiones requiruntur ad conſtituendum unum mortale Peccatum?*

℞. Tres conditiones ſimul requiruntur, & ſunt. I. Plena advertentia malitiæ ex parte intellectus. II. Perfectus conſenſus ex parte voluntatis. III. Gravitas materiæ ex parte objecti. Quarum una ſi deſit, jam non ampliùs erit mortale, ſed ad ſummum veniale, &c. 40

Quæro XX. *Quomodo potero dignoſcere plenam advertentiam malitiæ in aliquo actu, vel peccato?*

℞. Ex modo operandi humano; nempe quando homo ſui compos, ſine perturbatione, vel impedimento uſus rationis agnoſcit malitiam ſui actus; ideſt advertit id, quod agit eſſe illicitum, inhoneſtum, injuſtum, prohibitum ab aliqua lege. 41

Quæro XXI. *Quomodo poſſum diſcernere ſemiplenam advertentiam?*

℞. Ex his ſignis, vel ab uno ex iſtis. *I.* Si tenuiter, & quaſi ſemidormiens apprehendiſti aliquid eſſe malum moraliter. *II.* Si verè ſemiebrius, vel ſemidormiens fuiſti, quando peccaſti. *III.* Si vehementiſſima paſſione diſtractione, apprehenſione turbatus fuiſti. *IV.* Si poſt factum, rem meliùs conſiderans, judices te omninò non fuiſſe facturum, quod feciſti, ſi plenè cognoviſſes talem malitiam. *V.* Si dubites, an dormiens, vigilanſve, an tui compos perfectè, vel imperfectè attendiſti ad id, quod feciſti. In his caſibus 42

Digitized by Google

bus potes credere, te abſque perfecta advertentia, & deliberatione proceſſiſſe, ideòque venialiter tantùm deliquiſſe, ex communiſſima meorum Doctorum ſententia.

Quæro XXII. *Quomodo poſſum judicare imperfectum conſenſum?*

43 ℞. Ex iiſdemmet ſignis ſupradictis; quia deficiente advertentia ac deliberatione ex parte Rationis, neceſſariò, vel conſequenter deficit conſenſus ex parte voluntatis. Item ſpecialiter ex his ſignis. *I.* Si ita diſpoſitus fuiſti, ut licet facilè potueris exequi peccatum, tamen non ſis executus in præteritis ſimilibus actibus; nunc præſumere potes, te non plenè, nec perfectè conſenſiſſe; quia affectus pleni facilè dignoſcuntur, & non ita facilè mutantur. *II.* Si ſtatim reflectens ſuper priorem actum, ſentis in te triſtitiam, averſionem, horrorem, &c. *III.* Si animum, & propoſitum firmum, ſæpiùs innovatum habeas numquam peccandi mortaliter deliberatè; nunc in dubio rectè præſumere poteris, te non conſenſiſſe in peccatum. Illa enim, quæ odio multoties ſunt habita, quando poſtea amantur, plenè, facilè, & ſine difficultate cognoſcuntur. *IV.* Si non attigiſti ſeptennium; tunc ſi dubites habuiſſe plenam libertatem requiſitam ad mortale, præſumere poteris, non habuiſſe. *V.* Item, ſi dubites, an perfectè à ſomno fueris excitatus, vel ebrietatem depuleris: quia ſomnus, ſopor mentis, ebrietas cùm perfecta ſunt, tollunt libertatem; ergo cùm imperfectè exiſtunt, illam diminuunt. *VI.* Si conſenſus voluntatis non fuerit rationis ſuperioris; ſed tantùm inferioris, quod clariùs, quantum potero, tibi explicabo.

44 *Ratio inferior* dicitur, quæ humanis, ſenſibilibus, corporeis, ac temporalibus tantùm motivis commoditatis, ac delectationis attendit. V. G. tibi ſuggerit phantaſia commodum, utile, delectabile eſſe comedere carnem, occidere inimicum, furari, fornicari, te polluere, &c. *Hoc eſt dictamen Rationis inferioris.* Ratio Superior eſt, quæ rationibus æternis honeſtatis, vel inhoneſtatis ſecundùm Legem Dei attendit; V. G. quòd comedere carnem die vetito, occidere inimicum, furari, fornicari, ſe polluere, &c. eſt quid illicitum, injuſtum, inhoneſtum, Legi Divinæ repugnans, &c. *Hoc eſt dictamen Rationis Superioris.* Dico igitur, voluntatis conſenſum numquam moraliter honeſtari, niſi moveatur, & eliciatur ſecundùm Rationem Superiorem; & numquam inhoneſtari, ſive ad culpam imputari, niſi eliciatur præter, aut contra antecedentem conſiderationem dictaminis Rationis Superioris, ſeu Rationum æternarum Legis Divinæ. Igitur tunc homo peccat, dum ſinit voluntatem moveri magis à rationibus *delectabilis*, *ac utilis*, ſeu à Ratione inferiori, quàm à rationibus *honeſti*, *ac juſti*, ſeu à Ratione Superiori.

Ratio hujus Doctrinæ (fundatæ in D. Thoma *in prima ſecunda, quæſtione quintadecima, articulo quarto*) eſt: quia finalis ſententia pertinet ad Supremum Judicem; ſed Ratio Superior, attendens rationibus æternis Divinæ Legis, eſt Supremus in homine Judex; ad mentem enim hominis pertinet judicare de rationibus humanis, ac temporalibus ab inferiore parte, ſeu ratione propoſitis, an ſint contra Legem Dei æternam. Igitur cùm conſenſus deliberatus, ob quem homo culpandus eſt, debeat eſſe ſcientiæ ultimæ, ſequitur manifeſtè, quòd conſenſus in peccatum debeat eſſe Rationis Superioris. Si enim aliud ſuperius examen in homine ſupereſſet in hac cauſa actionum humanarum, excuſare ſe poſſet, & dicere. Cauſam non fuiſſe omninò diſcuſſam, neque Judicium finitum. Ratio ſuperior, & inferior, ideſt, Portio, Pars hominis.

45 Redeamus ad *VI.* Signum, ubi diximus: *Si conſenſus voluntatis non fuerit Rationis Superioris, ſed tantùm inferioris*: ideſt, ſi tu, V. G. in cogitando turpia, injuſta, &c. etiam per aliquod temporis ſpatium, ac in illis cogitationibus te delectando, non avvertiſti malitiam ſecundùm Rationem Superiorem, reflectendo hoc eſſe peccatum, non peccaſti, ſaltem mortaliter.

46 Quodlibet ex dictis ſignis, & conjecturis facit probabilem rationem judicandi, non adfuiſſe aut plenam advertentiam malitiæ, aut defuiſſe plenum conſenſum, & conſequenter non interveniſſe peccatum mortale. Dixi: *probabilem rationem facere ad judicandum*: quia, difficillimum explicatu eſt, in quo ſemiplena advertentia, deliberatio, & conſenſus ſemiplenus ſit, & conſiſtat; quia non valemus perfectè

Digitized by Google

ctè cognoſcere actus noſtros internos ſubtiliſſimos, & fugaciſſimos. Solus enim Deus poteſt noſtros perfectè dignoſcere actus. Solus ipſe novit abſcondita cordis noſtri. Hoc ſolùm ſcimus ex certa omnium ſententia Doctorum, ex ſemiplena deliberatione reddi peccatum (aliàs mortale) veniale: quia qui ſemiplenè advertit, ac deliberat, ſemiplenè etiam conſentit; ſed qui ſemiplenè conſentit, peccat quidem, ſed non totaliter, nec mortaliter.

47 Ratio optima eſt: quia ad peccatum mortale, quo homo ſimpliciter, abſolutè, & totaliter avertitur à DEO ultimo Fine, atque æternam meretur pœnam in Inferno, utique requiritur actus humanus moraliter perfectus, nempe deliberatus, voluntarius, ac liber ſimpliciter, qualis etiam poſſet eſſe meritorius vitæ æternæ, ſi bonus eſſet. Sed talis non eſt ſine perfecta advertentia, deliberatione, & pleno conſenſu, ergo &c.

48 *Unde pro praxi Confeſſarii* dico, quòd Vir, vel Mulier timoratæ conſcientiæ, quando confitetur, ſe dubitare, an conſenſerit cogitationi malæ cujuſvis ſpeciei, non debes (tu Confeſſor) judicare talem perſonam non peccaſſe mortaliter; quia in dubio non præſumitur delictum. Tum quia conjectura, quæ ſumitur ex communiter contingentibus, efficaciſſima eſt; ſed talis perſona timorata peccato mortali ſolet reſiſtere, illudque vitare, abhorrere, odiſſe, &c. ergo in dubio præſumendum eſt, non plenè conſenſiſſe. E contrario, ſi alia perſona ſit aſſueta conſentire; in dubio an modò etiam conſenſerit; judicandum erit plenè conſenſiſſe.

Quæro XXIII. *Sufficitne ad peccatum mortale contrahendum advertentia malitiæ in communi: ſi ſcilicet neſcias diſtinguere an mortale, aut veniale ſit?*

49 Senſus Quæſiti eſt; quia diximus ad peccandum mortaliter neceſſariò requiri advertentiam malitiæ ſecundùm Rationem Superiorem, hinc dubitatur, qualis, & quanta eſſe debeat hæc advertentia; an ſcilicet iſta advertentia debeat reſpicere peccatum, prout revera eſt, nempe *Mortale, ut mortale*, ita ut, qui peccat mortaliter, debeat priùs advertere qualitatem malitiæ, quæ tali actui, vel omiſſioni ineſt, & cognoſcere quòd, ſi hoc faciat, vel illud omittat, peccabit mortaliter. An verò ſufficiat advertere malitiam in communi, ſeu in generali, & in confuſo ſine diſtinctione; V. G. an hoc ſit mortale ex genere ſuo, illud veniale; ſed ſufficiat prævidere hoc, vel illud eſſe aliquod peccatum?

50 ℞. *I.* Aliqui DD. tenent, ſatis eſſe ad contrahendam culpam mortalem advertere malitiam in communi, & in confuſo cognitam. Ratio eſt: quia, tali poſita advertentia, poteſt homo, & tenetur ulteriùs inquirere: an malitia ſit gravis, vel levis; nam periculum graviter peccandi cavere omninò debet. Quòd ſi talem inquiſitionem non ponat, eo ipſo cenſetur velle opus illud quavis malitia affectum, vel ſaltem periculo ſe exponit, patrandi grave peccatum. Qui autem ſe exponit tali periculo, de facto mortaliter peccat; ergo, &c. Ita P. Bartholomæus Maſtrius, *in Theolog. Moral. diſput. 15. numero 12. in fine* cum Bonacina, Azorio, Vaſquez, Reginaldo, Caſtropalao, & aliis DD.

51 ℞. *II.* In pueris non habere locum talem diſtinctionem; quia quando iſti ſunt in confinio adipiſcendi uſum rationis, cognoſcunt tantùm in confuſo rem eſſe malam, nec valent ulteriùs inquirere, an ſit mala mortaliter, an venialiter. Cùm ergo malitiam gravem à veniali nequeant diſtinguere, nec valeant ulteriùs inquirere, ſequitur, quòd ſolam malitiam *ut ſic* contrahunt, ſi rem illam faciant; ſicque faciunt peccatum in genere, & non in ſpecie. At erit ne mortale, an veniale? Certè neſcio. Dicam cum DD. citandis mox, quòd videtur non eſſe mortale; quia malitiam mortalem nondum agnoſcunt, nec ſciunt diſtinguere; ergo ex imperfectione cognitionis poterunt excuſari à mortali. Ita Tamburinus, *in Decal. lib. 2. c. 1. §. 3. num. 30. & 33.* cum aliis DD.

52 ℞. *III.* Si loquamur de iis, qui perfectum uſum rationis habent, dicunt alii DD. mox citandi, eos peccare pro qualitate rei, vel objecti in ſe: unde qui apprehendit in confuſo malitiam perjurii, peccabit mortaliter pejerando: & qui apprehendit in confuſo malitiam verbi otioſi, vel mendacii, peccabit venialiter proferendo verbum illud; & ſic de ſimilibus. Ratio eſt: quia præſumi poteſt, ac debet, quòd homo volens illa verba mala proferre, (idem dices de operibus)

Digitized by Google

bus) velit etiam, ſaltem virtualiter, malitiam, quæ ineſt, non autem illam, quæ poteſt ineſſe: ergo vult illud objectum ſub ea tantùm gravitate, vel leviate, in qua reipſa eſt: vel ſaltem præſumendum eſt, non nimis ab ejus qualitate aberrate, licet diſtinctè non cognoſcat. Ita Laymannus, *lib. 1. tractat. 1. capitulo 4. numero 7.* & Caſtropalaus, *tractat. 1. diſp. 1. puncto 3. numero 3. & 4.* cum Thoma Sanchez, & Vaſquez. -- Licèt poſtea ipſe Caſtropal. *nu. 6.* probabiliùs cenſeat, eſſe ſemper mortale.

53 ℞. *IV.* In dicto caſu de adultis prædictis apprehendentibus malitiam in confuſo, dicunt alii DD. quòd peccant ſolùm venialiter. Ratio eſt: quia ſi de peccato mortali, ejuſque periculo nihil omninò iſti cogitant, dum operantur, quare volumus eos condemnare de peccato mortali? Regula 30. Juris Canonici in 6. dicit: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*: ſed in hoc caſu obſcuro *minimum* eſt peccatum veniale: ergo, &c. Tum quia, voluntas appetens aliquid cum malitia in communi, & in confuſo non cenſetur appetere illud, ut excedens culpam venialem; quia ſemper quod eſt minus malum eligimus. Ita multi DD. citati à Caſtropalao, *loco citato numero 6.* qui hanc opinionem probabilem cenſet. -- Et alii citati à Thoma Sanchez, *in Decalog. lib. 1. capitulo 11. numero 6.* qui etiam hoc judicat probabile. -- Navarrus, *in Summa, Præludio novo, numero 9.* dicit, Ad hoc, ut peccatum ſit mortale, non ſufficit, quòd fiat contra Conſcientiam, quæ dictat eſſe peccatum ſimpliciter; ſed oportet, ut dictet, eſſe peccatum mortale. Unde peccata, quæ fiunt contra Conſcientiam dictantem illa eſſe venialia, vel *eſſe ſimpliciter peccata*, ſolùm erunt venialia; ſi ex ſe alioquin non ſunt mortalia. Quia in cauſato non poteſt eſſe plus virtutis, quàm in id, quod potentia cauſæ infundit. Sed conſcientia, quæ dictat, quòd aliquid ſit veniale, vel *ſimpliciter peccatum* non infundit in id gravitatem lethalem, quam non habet: ergo.

54 ℞. *V.* Thomam Tamburinus, *loco citato numero 32.* dicit: Quoad praxim, probabile puto, tunc gravitatem, vel levitatem peccati deſumi debere ex ipſo objecto, ſeu materia peccati, juxta communem opinionem D. D. ſi de hominibus cultis, & doctis agamus; at ſi de rudioribus, ruſticis, mulierculis, & ſimilibus indoctis agamus, pronunciandum eſſe, eos non peccare, niſi venialiter. Ratio eſt, quia præſumere poſſumus, illos doctiores aliquo tandem modo qualitatem malitiæ cognoſcere, vel cognoſcere poſſe. At hi rudiores, nec apti ſunt ad illam virtualem apprehenſionem habendam nec ſciunt, nec regulariter advertunt ad obligationem examinandi, utrùm id, quod agunt, mortale ſit, an veniale. Cùm igitur ſolùm ſe illis offerat malitia quædam indeterminata, illam tantummodò contrahent, quæ cùm ſit communis, & præſcindens à mortali, & veniali, imperfecta eſt, atque adeò ad culpam venialem reducendam.

55 ℞. *VI.* Si hæc Doctrina Tamburini vera eſſet, ſequeretur, quòd pueri, ruſtici, mulierculæ, & aliæ perſonæ indoctæ ferè numquam peccarent mortaliter. Tu, Lector, cogita: & vide quanta varietas opinionum ſit in una quæſtione! & quantus labor ſit neceſſarius omnibus ſtudioſis ad inveniendam in obſcuris veritatem! Lege libros.

Quæro XXIV. *An peccatum ex ſuo genere mortale evadat veniale ex parvitate materiæ?*

56 ℞. Affirmativè. Ratio eſt: quia ubi materia prohibita parvi eſt momenti, etiam tranſgreſſio, & offenſa parva moraliter cenſenda eſt; nam una ex conditionibus requiſitis ad mortale, eſt iſta, ut materia ſit gravis, & magni momenti vel ſecundùm ſe, vel ratione alicujus circumſtantiæ. Et materia parva, (ut parva) non eſt capax gravis obligationis: ergo peccatum, quod ſecundùm genus ſuum mortale eſt, ſicuti V. G. Furtum, poteſt fieri veniale ratione parvitatis materiæ: ut vidimus alibi. -- Verùm hic duo puncta maximi momenti explicanda ſunt per Quæſita ſequentia.

Quæro XXV. *In quibuſnam peccatis dari non poteſt parvitas materiæ?*

57 ℞. Nulla parvitas materiæ excuſans à mortali dari poteſt in illis peccatis, quibus directè læditur perfectio Dei Infinita, aut bonum quodvis magnum indiviſibiliter Probatur ſic:

Quoties ratio gravis malitiæ, vel offenſæ contra Charitatem Dei, vel Proximi æquè reperitur in materia parva, ac in magna, toties etiam habetur, & ſtat culpa mortalis in materia quacumque, etiam

Digitized by Google

iam parva. Sed hoc accidit quotieſcumque directè læditur, vel offenditur Perfectio Dei Infinita, aut bonum quodvis magnum indiviſibiliter; ergo in his peccatis non poterit practicè dari parvitas materiæ. Sed

Quæro XXVI. *Quænam autem ſunt iſta peccata in ſpecie, quæ non admittunt parvitatem materiæ?*

58 ℞. Multa, ſed præcipuè iſta. I. Peccata contra Virtutes Theologicas. II Contra virtutem Religionis. III. In blaſphemia formali non datur parvitas materiæ IV. In perjurio aſſertorio. V. In ſacrilegiis pleriſque. VI In materia ſollicitationis ad turpia factæ in Confeſſione, vel Confeſſionali. VII. in ſimonia. VIII. In irritatione Sacramentorum. IX. In fractione Sigilli Confeſſionis. X. In jejunio naturali ante Euchariſtiæ ſumptionem. Et hæc peccata directa lædunt Charitatem Dei, atque offendunt Perfectionem Infinitam ipſius Dei. -- Item non datur parvitas materiæ in ſequentibus. I. In homicidio, vel abortu. II. In re venerea cum delectatione turpi directè volita. III. In contemptu formali Legis, & Legiſlatoris, aut Superioris. Et hæc peccata directè lædunt Charitatem erga ſe ipſum, & proximum, & auferunt magnum bonum indiviſibiliter. -- Vide Sporerium noſtrum hæc omnia puncta probantem, *tom. 1. tr. 1. cap. 5. ſect. 2. §. 4. per totum.*

59 In omnibus aliis peccatis contra quamcumque Legem, aut quæcumque alia præcepta, quibus læditur bonum finitum diviſibile, poteſt dari, & datur parvitas materiæ excuſans à mortali. Ratio eſt: quia quando bonum, quod læditur eſt diviſibile, & potens eſſe majus, & minus, etiam malitia peccati proportionaliter poterit creſcere, & decreſcere; poteſt autem materia illius boni adeò decreſcere, & minui, ut amplius non cenſeatur culpa gravis in lædente: ut patet in furto, cæteriſque peccatis contra Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, ut ſuis in locis viſum eſt:

Quæro XXVII. *An peccatum veniale ex genere ſuo poſſit fieri Mortale ex accidenti?*

60 ℞. Affirmativè: & quidem multis modis, I. *Ex conſcientia erronea.* Conſcientia enim erronea invincibilis hic, & nunc obligat hominem ad ſequendum ejus dictamen practicum, quamvis in ſe falſum, habitum tamen ut verum, ac rectum; ergo ſi quis ex tali dictamine putet omne V. G. mendacium eſſe mortale, mentiendo etiam in re levi, peccabit mortaliter.

61 II. *Ex fine mortaliter malo.* Ut ſi quis officiosè mentiatur ad obtinendam fornicationem, vel ad ſeducendam fœminam; utique peccabit mortaliter ſic mentiendo ad talem finem; & ſic de ſimilibus.

62 III. *Ex affectu graviter malo.* Ut ſi quis ex levitate garriat, litiget, &c. prævidens proximum blaſphematurum, vel inimicitias, odia, vel quodlibet aliud notabile malum ſecuturum, utique peccabit mortaliter ex effectu illo graviter malo præviſo.

63 IV. *Ex periculo labendi in mortale.* Ut ſi quis excedendo in potu vini generoſi, etſi venialiter tantùm, certò prævideat, ſe inebriandum, vel Horas Canonicas omiſſurum, vel in aliud quovis peccatum grave lapſurum. -- *Vel* ſi frequentaveris converſationes de ſe quidem non malas, quibus tamen poſitis mortaliter ſæpiùs labi expertus es: eo ipſo, quo ingredieris ampliùs tales converſationes, peccabis mortaliter ratione periculi. Et ſic de ſexcentis ſimilibus.

64 V. *Ex ſcandalo.* Ut ſi Religioſi, vel Clerici coram ſæcularibus dicant levitates, etiam de ſe veniales, prævidendo, eos graviter ſcandalizandos, peccabunt mortaliter. *Vel* ſi Sacerdos domi alat perſonam populo ſuſpectam, vel frequentet domum ſuſpectam; etiamſi nil mali, ſaltem gravis committat, peccabit tamen mortaliter ratione ſcandali, & tenetur ad amovendum publicum ſcandalum, & malum detractionis, atque contemptum ſtatus Clericalis, vel Religioſi. Et ſic de ſimilibus.

65 VI. *Ex contemptu.* Quæcumque enim tranſgreſſio Legis, vel Præcepti, imò & Conſilii Euangelici, etſi in materia leviſſima, quando fit ex *formali Contemptu* Legis, Legiſlatoris, Superioris, ſemper eſt peccatum mortale; quia contemnere Legiſlatorem, vel Superiorem eſt gravis offenſa, & injuria; nam dicit Chriſtus, Luc. capit. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* -- Contemptus autem formalis eſt, qui procedit ex intentione formali deſpiciendi, & ſpernendi aliquam Perſonam auctoritativam, ejuſque præcepta, & conſilia, quaſi pro nihilo habendo illam, ejuſque auctoritatem: ex qua prava voluntate ſequi-

quitur opus tranſgreſſionis, quo intendis perſonam illam, vel ejus præcepta, conſilia oſtendere, te nihili, vel parvi facere ſeu æſtimare. Unde contemptus iſte eſt ſpeciale peccatum diſtinctum à tranſgreſſione legis, vel præcepti.

Si iſte contemptus ſit circa Deum, vel ejus præcepta, & conſilia, erit peccatum graviſſimum contra Religionem. Si circa Parentes, vel Superiores; erit peccatum grave contra Pietatem, Obſervantiam, Obedientiam. Si circa alias Perſonas Publicas; erit peccatum contra Reverentiam.

66 VII. *Ex ultimo fine*: nempe, quando quis peſſimus conſtituit in quibuſdam peccatis venialibus ultimum finem: hoc eſt, quando peccans peccato V. G. vanæ gloriæ, gulæ, potationis, luſus, ornamenti ſuperflui, uſus conjugii immodici, &c. ita ardenter affectus eſt hujuſmodi actibus delectabilibus, ut propterea animo paratus ſit Deum quomodolibet relinquere, offendere, ejuſque Gratia, & Gloria ſempiterna privari. Quod quidem poteſt contingere vel explicitè, vel implicitè.

Explicitè. V. G. in ardenter ludentibus, qui ſæpè priuſquam deſiſtant à luſu, potiùs die Feſto Sacrum negligere, vel quamvis Legem violare, parati ſunt: & non rarò actu violant.

Implicitè. Et hoc frequentiùs. Ut V G. Si quis committat veniale peccatum cum ea animi præparatione, vel diſpoſitione, ut quamvis eſſet mortale, adhuc illud perpetraret. Iſte tamen affectus non tantùm habitualis, ſed etiam actualis eſſe debet, ut peccatum mortale contrahatur: quia ad culpam non imputatur id, ad quod comittendum habitu tantùm quis eſt paratus.

67 VIII. *Ex quacumque circumſtantia gravi*. Peccatum enim veniale ex genere ſuo ſit per accidens mortale, quando ſupervenit aliqua circumſtantia transferens illud ad ſpeciem alicujus peccati mortalis. Ubi nota cum Div. Thoma, 1. 2. *quæſt.* 88. *articulo* 4. & 5. quòd quando dicimus, *Veniale fieri Mortale*, non debes intelligere, quòd idem actus numero priùs ſit peccatum veniale, & poſtea evadet mortale; quia hoc eſſe non poteſt; ſed debes intelligere modo ſuprà explicato, nempe ratione circumſtantiæ, quæ facit mutare ſpeciem illius actus, ſeu transfert actum in aliam ſpeciem peccati, nimirùm mortalis.

Quæro XXVIII. *An multa peccata venialia conſtituere poſſint unum mortale?*

℞. *I.* Loquendo *per ſe*, dico, quòd omnia ſimul peccata venialia non poſſunt conſtituere unum mortale. Ratio eſt: quia omnia venialia ſimul nequeunt habere tantùm de reatu, quantùm unum mortale; quia mortale habet reatum pœnæ æternæ: veniale verò habet reatum pœnæ temporalis: Mortale meretur carentiam viſionis Divinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt. Tum quia: quæ differunt in infinitum non tranſmutantur invicem; ſed peccatum mortale, & veniale differunt in infinitum; ergo omnia venialia nequeunt tranſmutari in unum mortale. Tum quia: multiplicatio actus non conſtituit ipſum actum in alia ſpecie neque auget gravitatem intenſivè: ſed ſolùm extenſivè: hoc eſt, plura venialia ejuſdem rationis faciunt cumulum in ſua ſpecie. 68

℞. *II.* Peccata venialia *per accidens* poſſunt conſtituere unum mortale. *I.* quando important materiam parvam unibilem, ut patet de parvis materiis furatis: de parva comeſtione multiplicata in die Jejunii: de parva omiſſione partis Officii multiplicata; & ſic de ſimilibus; quia iſtæ materiæ parvæ ſunt unibiles, & poſſunt conſtituere magnam quantitatem, ut vidimus. *II.* Multa venialia diſpoſitivè poſſunt conſtituere unum mortale. Quia habetur in Eccleſiaſtico, capitulo 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Sed qui multa venialia deliberatè committit, videtur *modica, & minima ſpernere*: (ut explicat S. Thomas, 1. 2. *q.* 88. *art.* 3.) ergo paulatim diſponitur ad hoc, quòd totaliter decidat in mortale; ut experientia nimis probat. 69

Quæro XXIX. *Qui ſe reſolvit committere omnia venialia, quæ ſibi occurrent committenda, peccatne mortaliter?*

℞. *I.* Multi D. D. tenent, quòd ſic. 70 Non ratione objecti præcisè ſumpti; quia omnia venialia in unum collecta non habent in ſe, & formaliter tantam vim conſtituendi unum mortale; ſed quia objectum illius reſolutionis, ſeu propoſiti *committendi omnia venialia, quotquot ſibi occurrent*, in ſe continet apertiſſimum peccandi mortaliter periculum. Ita Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *capitulo* 5. *numero*

mero 4. cum Alex. de Ales, Gloſſa, Soto, & aliis.

71 ℞. *II.* Ali DD. tenent, quòd non. Ratio eſt: quia malitia actus interni ſumitur ab objecto prout proponitur à ratione; ſed objectum hujus internæ voluntatis: *Volo committere omnia venialia, quæ mihi occurrunt*: nullam malitiam mortalem continet, nec alia malitia niſi venialis proponitur à ratione: Ita Sporer noſter, *tom.* 1. *tractat.* 1. *capitulo* 5. *numero* 43. cum Granado, Salas, Caſtropalao, & aliis DD.

72 ℞. *III.* In praxi difficillimum eſt, ſe abſtinere ab omni mortali, quando quis non vult abſtinere à nullo veniali; ſpecialiter in materia lubrica, quæ facilè diſponit ad mortale: nam ſemper verum eſt: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Tum quia tales homines, qui non conantur fugere aliqua venialia, ſolent cadere in mortale, quia à Deo derelinquuntur, juxta illud Pſal. 80. v. 13. *Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum*. Lege Chriſtianum Inſtructum P. Segneri, *part.* 2. *ſerm.* 22. *per totum*: Et Manna Animæ ejuſdem *die* 8. *Auguſti*.

Quæro XXX. *An materia de ſe levis poſſit prohiberi ſub culpa, & pœna gravi?*

73 ℞. *I.* Licèt hoc quæſitum non videatur pertinere ad hunc Tractatum, poteſt tamen rectè reduci, ut patet. Dico igitur, quòd *per ſe loquendo* non poteſt. Ratio eſt: quia nec Deus, nec Eccleſia ſolet hoc prohibere; nam de ratione peccati mortalis, ut vidimus, eſt materia gravis, quæ ſit capax talis præcepti gravis, & pœnæ. Tum quia omnis lex, omneque præceptum eſſentialiter requirit, ut ſit humano modo latum, juſtum, prudens, rationabile; at levem materiam velle prohibere ſub peccato, vel pœna gravi, videtur inhumanum, injuſtum, imprudens, & irrationabile, quod rationi naturali diſconvenit.

74 ℞. *II. Per accidens* autem poteſt. Sæpè enim fit, ut materia ex ſe levis, imò indifferens, ratione finis, conſequentiæ, & aliarum circumſtantiarum, omninò fiat gravis, ac digna præcepto rigoroſo, & pœna gravi. Ideòque cavenda erit tranſgreſſio, & parendum Superioribus, quibus notæ ſunt rationes urgentes, ob quas prohibuerunt rem aliquam in ſe levem ſub gravi culpa, & pœna. Vide Sporerium, *loc. cit. tr.* 1. *cap.* 5. *num.* 36. 37. Tum quia, ut ſuprà vidimus, multoties peccatum ex genere ſuo veniale evadit mortale per accidens; ergo à ſimili de materia levi.

Quæro XXXI. *Quid eſt peccatum ex Ignorantia?*

℞. Eſt quod committitur cauſa Ignorantiæ Juris, vel facti vincibilis, & culpabi- 75
lis; nam ſi ignorantia eſſet invincibilis, non eſſet cauſa peccati, ut vidimus *in Tr.* 1. *de Conſcientia erronea, à n.* 12. *& ſeqq.* Igitur peccatum ex Ignorantia, utiqe præſupponit Ignorantiam eſſe vincibilem, & culpabilem.

Quæro XXXII. *Quid eſt Ignorantia?*

℞. Eſt carentia notitiæ, ſeu cognitionis 76
alicujus rei: quæ ignorantia variè dividitur. *I. Ex parte ſubjecti* dividitur in negativam, privativam, & poſitivam. *Ignorantia negativa*, ſeu puræ negationis eſt carentia notitiæ in ſubjecto non apto: Ut ignorantia Dei, & Divinarum rerum in infante, vel amente. *Ignorantia privativa*, ſeu meræ privationis eſt carentia notitiæ in ſubjecto ex natura, & conditione ſua apto. Ut ſi homo adultus neſciat quæ ſecundùm ſuum ſtatum ſcire poſſet, ac deberet. Et hæc ignorantia eſt culpabilis, & vitioſa. *Ignorantia poſitiva*, ſeu pravæ diſpoſitionis eſt carentia notitiæ veritatis cum poſitivo errore contrario Veritati. Ut ſi quis neſciat Chriſtum Dominum eſſe DEUM, putans purum eſſe hominem. Et hæc pariter eſt culpabilis magis, ac vitioſa.

II. Ex parte objecti. Ignorantia dividitur 77
in Ignorantiam Juris, & Facti. *Ignorantia Juris* eſt, qua ignoratur Lex, ejuſve obligatio. Ut ſi quis neſciat pro tali vigilia Jejunium Eccleſiaſticum indictum eſſe: vel talem diem Feſtum eſſe de præcepto, &c. *Ignorantia Facti* eſt, qua ignoratur factum aliquod, ſeu res particularis, ejuſve conditio, ex qua actio moralis hic, & nunc dependet quoad ſuam bonitatem, vel malitiam. Ut ſi quis neſciat, vel non advertat, vel non recordetur, hodie eſſe diem Veneris, aut vigiliæ; ideoque carnem manducet. *Nomine Ignorantiæ*, etiam inadvertentia, inconſideratio, & oblivio comprehenduntur: quia æquiparantur Ignorantiæ.

III. Ex parte effectus dividitur in Ignoran- 78
tiam antecedentem, & concomitantem. *Ignorantia antecedens*, quæ & cauſa operis dicitur, eſt illa, quæ ſi non adeſſet, ef-

fectus non fieret. Ut ſi quis occidat Amicum, putans eſſe feram, vel ignorans eſſe hominem, vel Amicum ſuum. *Ignorantia concomitans* eſt illa, *cum qua* tantùm, at non *ex qua* fit effectus; adeò ut etiamſi illa ignorantia abeſſet, effectus adhuc fieret. Ut ſi quis jam deſideraſſet, ac propoſuiſſet occidere inimicum: poſtea de facto occideret, ignorans tamen eſſe illum, ſed putans eſſe alium hominem, vel feram; unde non dolet, ſed gaudet de tali occiſione.

79 *IV. Ex parte voluntatis* dividitur in invincibilem, & vincibilem. *Ignorantia invincibilis* eſt, quæ hic, & nunc morali ſtudio vinci, ac tolli non potuit. Et hæc ſimpliciter non eſt voluntaria, ideòque omninò excuſatà peccato. *Ignorantia vincibilis* è contra eſt, quæ morali adhibito ſtudio vinci, & tolli potuit, acquirendo neceſſariam notitiam, ac ſcientiam; ideòque eſt voluntaria, & culpabilis.

80 *Ignorantia hæc vincibilis*: ut ſit etiam culpabilis tria requirit. I. Ut ſit de re, cujus notitia, vel ſcientia in tali Perſona, & in talibus circumſtantiis poſſit haberi. II. Ut venerit in ejus mentem cogitatio, vel dubitatio de tali re. III. Ut ignorans teneatur ſcire talem rem, utpotè ſpectantem ad ejus ſtatum, vel officium; atque ad evitandum peccatum: alioquin ignorantia quidem vincibilis eſſet; at culpabilis nequaquam eſſet. Hæc ergo Ignorantia veſtita his tribus conditionibus ſemper eſt aliquo modo voluntaria directè, vel indirectè; & per conſequens culpabilis, & peccaminoſa.

81 Hæc Ignorantia vincibilis, & culpabilis dividitur in Affectatam, & non Affectatam. *Ignorantia Affectata* eſt, cùm quis data opera vult ignorare: & ideò non inquirit veritatem, & ſcientiam, ſive ob tædium diſcendi, ſtudendi, interrogandi, &c. ſive ut liberiùs peccet, vel Legis ignoratæ tranſgreſſiones ſuas aliquo pacto poſſit excuſare. Hoc autem peccatum ex ignorantia affectata commiſſum, potiùs ex certa malitia, quàm ex ignorantia dici debet, ac meretur: nam ut inquit Div. Gregorius Papa libro 21. Moral. capitulo 11. *Neſcire ignorantia eſt: nolle autem ſcire, ſuperbia eſt*, juxta illud Pſalmi 35. *Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut benè ageret*. Et Job capit. 21. *Qui dixerunt Deo: Recede à nobis: Scientiam viarum tuarum nolumus*.

82 *Ignorantia culpabilis non affectata* eſt, quando quis non quidem vult ipſam ignorantiam in ſe: ſed ſolùm non vult adhibere ſufficientem, ac debitam diligentiam ſtudendi, inquirendi, interrogandi, &c. ad cognoſcendam veritatem; adeòque eo ipſo indirectè vult ignorare, vel effectum ignorantiæ ſuæ; ſicque peccat in cauſa. Multi autem cadunt in hanc foveam ignorantiæ, quæ *eſt mater cunctorum errorum*.

83 Et hæc dividitur in Ignorantiam levem gravem, latam, craſſam, & ſupinam. *Ignorantia levis* eſt illa, ad quam ſuperandam, vel tollendam aliqua, non tamen ſufficiens diligentia eſt adhibita: vel quæ tam facilè ſuperari non potuit. Hæc autem in particulari, conſideratis circumſtantiis, prudentis viri judicio diſcernenda eſt; nulla enim poteſt tradi Regula generalis ad ipſam diſtinguendam; niſi ex judicio prædicto.

84 *Ignorantia lata, craſſa, ſupina* coincidit cum gravi Ignorantia: & eſt illa, ad quam ſuperandam, veritatemque cognoſcendam nulla prorſùs diligentia, vel cura adhibita eſt. Qualis eſſe ſolet illis Perſonis ignorantibus eas res, quæ communiter ab hominibus prudentibus, & timoratis ejuſdem ſtatus, Officii, & conditionis cognoſcuntur, & cognoſci debent. *Examina te ipſum*.

85 Peccatum igitur, quod dicitur *ex ignorantia*, procedit à quavis ignorantia ex ſupradictis diviſionibus, ſpecialiter tamen, ac regulariter *ab ignorantia vincibili gravi*; ut patet ex dictis; quia hæc non tollit voluntarium; ergo nec peccatum.

Quæro XXXIII. *Quid eſt peccatum ex infirmitate?*

86 R. Eſt illud, quod ex vehementi paſſione appetitus ſenſitivi committitur, ut patet ex dictis: V. G. quando quis peccat ex Iracundia, ex ſenſualitate, vel alia animi paſſione; nam iſtæ paſſiones ſunt noſtræ febres, ac infirmitates, quæ ex peccato originali, ac fomite originem habent, & adverſantur morali valetudini, atque ad mortem ſpiritualem Animæ (quæ eſt peccatum mortale) diſponunt; niſi eis reſiſtamus per Divinam Gratiam. Et ut meliùs intelligas infirmitates iſtas, lege Concilium Tridentinum ſeſſ. quinta, in Decreto de peccato Originali, §. *Si*

quis

quis per Jeſu Chriſti, &c. ubi verſus finem dogmatizando dicit.

„ Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus, non valet: quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam non eſſe peccatum, ſed ad peccatum inclinare, declarat, &c. *Et ſeſſ. 6. cap.* 1. dicit, & docet, liberum hominis arbitrium minimè extinctum eſſe ex peccato Originali, benè quidem viribus attenuatum, & inclinatum. Et *ſeſſ. eadem 6. cap.* 12. docet, quòd Deus ſua Gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Hæc Concilium. Ergo cum Dei adjutorio poſſumus vincere concupiſcentias, paſſiones refrænare, tentationibus reſiſtere, & Gratiam nobis infuſam conſervare.

Quæro XXXIV. *Quodnam eſt peccatum ex malitia?*

87 ℟. Eſt, quod non ex ignorantia, neque ex infirmitate, ſed ex mera noſtra voluntate, ac libertate malè uſa, ac perverſa committimus. Et hoc eſt gravius aliis, ut patet; juxta illud Job cap. 34. *Quaſi ex induſtria receſſerunt à me.*

Quæro XXXV. *Quodnam eſt peccatum ex Conſuetudine?*

88 ℟. Eſt illud, quod homo malè habituatus in aliquo vitio, quaſi naturali impulſu, & ſine deliberatione committit. Ut ſunt jam toto orbe malæ conſuetudines jurandi mentiendi, imprecandi, blaſphemandi, detrahendi, ſe delectandi moroſè in venereis, &c. hujuſmodi.

89 Iſti verò actus peccaminoſi ex naturali impetu inveteratæ conſuetudinis, atque omninò indeliberatè facti, formaliter peccata mortalia non ſunt ex imperfectione actus; benè quidem ſunt peccata gravia *in ſua Cauſa*, ſcilicet in ipſamet prava Conſuetudine contracta, & non depoſita, neque retractata.

90 Contrahens ſcienter, & voluntariè ex frequentatis actibus Conſuetudinem peccandi, & ſimul advertens ſenſim ſibi talem Conſuetudinem ingenerari, graviter, atque dupliciter peccat mortaliter in materia (ut ſupponitur) gravi. *I.* Graviter peccat actuali illo peccato V.G. blaſphemando, pejerando, &c. *II.* Voluntariè ponendo paulìſper cauſam futurorum peccatorum, quæ nempe ſecutura ſunt ex tali cauſa, ſeu Conſuetudine mala. Licèt enim ſecutæ blaſphemiæ, ſecuta perjuria, &c. ex Conſuetudine, vel habitu vitioſo contracto formaliter peccata non ſint, ut diximus; ipſa tamen voluntas ponendi talium peccatorum Cauſam, nempe Conſuetudinem per frequentatos actus, ſufficienter mala cauſa voluntaria imò peſſima cauſa fuit cæterorum actuum vitioſorum: nam fuit Cauſa cauſæ, & Cauſa cauſati mali habitus, &c. ideòque duplicatam ſortitur malitiam; primam ab actu deliberatè frequentato: ſecundam à præviſis ſecuturis actibus indirectè, & in Cauſa ſaltem volitis; etſi poſtea materialiter tantùm malis.

91 Miſer ille homo, qui contraxit aliquam conſuetudinem peccandi in re gravi, tenetur omninò ſub peccato mortali operam dare, ut eam conſuetudinem vincat, atque deponat. Qui autem advertens ſuam pravam conſuetudinem, & quantum poteſt, deponere non conatur, cenſetur eam velle, & approbare; & conſequenter etiam indirectè cenſetur velle ipſamet peccata futura, vel ſecutura ex illa conſuetudine: ideòque peccat mortaliter formaliter, & manet in continuo ſtatu peccati mortalis omiſſionis, quia eam non deſtruit, nec conatur deſtruere; atque ideò ipſæ V. G. blaſphemiæ, perjuria, & cætera peccata ſic facta ex prava conſuetudine non retractata ei in peccatum computantur, tamquam indirectè voluntaria in ſua Cauſa.

92 Homines conſuetudinarii, niſi nitantur reſiſtere malæ Conſuetudini contractæ, ſunt incapaces abſolutionis; quia in eis nulla ſpes emendationis apparet, nullus verus dolor, nullum verum, & efficax propoſitum, ut colligitur tum experientia, tùm ex *propoſitione ſexageſima ex damnatis Innocentio Papa XI.* Quod à Confeſſario eſt valdè notandum in praxi: & per congruas interrogationes eſt exquirendum aliàs & ipſe, & confitentes mortaliter peccabunt, ut alibi vidimus, *Tr.* 30. *à n.* 37.

93 Ille, qui voluntariè contraxit Conſuetudinem peccandi, in primis, & ante omnia non ſatisfacit debito veræ Confeſſionis, ſi dicat V. G. trigeſies, vel centies blaſphemavi Corpus, Sanguinem Chriſti: vel toties pejeravi, me pollui, deſideravi turpiter mulierem, delectatus ſum moro-

Digitized by Google

moroſè in venereis, &c. ſed addere etiam debet, *ſe ad hæc peccata patranda habere Conſuetudinem*. Ergo Confeſſarius cæca, quo confitens hoc non addat, tenetur ex Officio ipſum interrogare. Et ecce error, vel ignorantia multorum. Deinde, plerumque non ſufficit, talem hominem conſuetudinarium dolere de præteritis peccatis ſuprà numeratis per modum exempli, ſed ulteriùs requiritur dolor de prava ipſamet Conſuetudine nondum retractata, & deſtructa. Idem dicendum de propoſito non peccandi, quod debet omninò ſe extendere ad radicem tollendam, hoc eſt, ad efficacem deteſtationem, & præcautionem malæ Conſuetudinis. Ergo & Confeſſarius ex Officio tenetur ſupplere maximum hunc defectum in confitentibus; quando advertit neceſſitatem confitentium.

94 Poſtquam autem Pœnitens pravam ſuam Conſuetudinem efficaci dolore, & propoſito retractavit, debitumque conatum eam deponendi, atque aliquam cautelam adhibuit ad ſe emendandum, *tunc eſt capax abſolutionis*. Et inſuper conſequentes actus V. G. blaſphemiæ, perjurii, &c. ex vi ejuſdem Conſuetudinis, inculpabiliter pro nunc contra voluntatem, & conatum ſuum remanentis, quaſi naturali impetu erumpentes, ſicut priùs, nullo pacto ampliùs ad peccatum mortale pro formali imputari poterunt; Ratio eſt: quia nunc non ſunt ampliùs voluntarii, neque in ſe directè, neque indirectè in ſua cauſa. Ex Communi Doctrina. Vide Sporerium noſtrum, *Tom.* 1. *Tract.* 1. *ca.* 7. *ſect.* 2. *per totam* cum Suarez, Sanchez, Laymanno, Sayro, Valentia, & aliis DD. communiter.

De Diſtinctione Specifica, & numerica Peccatorum.

95 Ad evitandam confuſionem, & Speculativam ſcientiam in hac materia, notandum, & præſupponendum eſt, quòd hìc loquimur de diſtinctione non phyſica, nec metaphyſica, ſed *Morali diſtinctione peccatorum* in ordine ad Confeſſionem Sacramentalem; quia juxta Doctrinam Sacroſancti Concilii Tridentini, *ſeſſione quartadecima, capite quinto, & canone ſeptimo de Confeſſione*) tenemur manifeſtare peccata noſtra Confeſſario & quoad numerum, & quoad ſpeciem, ac circumſtantias mutantes ſpeciem; ideòque neceſſarium eſt, ut unuſquiſque ſciat practicè diſtinguere numerum, & ſpeciem, peccatorum: Pœnitens, ut confiteatur integrè, & fideliter peccata ſua: Confeſſarius, ut valeat interrogare, & ſupplere defectum quorumdam confitentium, qui neſciunt debitè fateri, & explicare ſcelera ſua. Igitur.

Quæro XXXVI. *Unde deſumenda eſt diſtinctio moralis ſpecifica Peccatorum Omiſſionis?*

℞. Ex actibus debitis, quorum ſunt Omiſſiones; atque ideò Omiſſiones illæ ſunt peccata ſpecie diſtincta, quæ privant actibus debitis diſtinctis ſecundùm ſpeciem moralem. Sic V. G. Omiſſio Miſſæ die Feſto diſtinguitur ſpecie ab Omiſſione Horarum Canonicarum; quia auditio Miſſæ, & recitatio Officii ſunt actus debiti ſpecie diſtincti. E contrario, Omiſſio Miſſæ die Dominico, & Omiſſio Miſſæ die Feſtivo V. G. S. Bartholomæi non diſtinguuntur ſpecie morali: quia actus debitus de Miſſa audienda omnibus Feſtis & Dominicis diebus non diſtinguitur ſpecie morali. Idem dicendum de ſimilibus. 96

Quæro XXXVII. *Unde ſumenda eſt diſtinctio ſpecifica moralis Peccatorum Commiſſionis?*

℞. A triplici capite, nempe I. A Virtutibus ſpecie diverſis, contra quas quis peccavit. II. A Rectitudinibus formaliter diverſis, quibus actus poſitivi privantur. III. A Legibus, & Præceptis formaliter diverſis, contra quæ homo operatur. Explico, & probo. 97

I. *Diſtinctio ſpecifica peccatorum Commiſſionis deſumenda eſt per ordinem ad Virtutes ſpecie diverſas.* Ratio eſt: quia peccatum formaliter conſiſtit in privativo; privationes autem ſumunt ſuam ſpecificationem ab oppoſitis formis; ergo peccata, quæ ſunt privationis Virtutum, debent ſumere ſuam ſpecificationem ab oppoſitis formis, ideſt, Virtutibus, quibus privant, vel quarum ſunt privationes. Res eſt valdè ſpeculativa. Dicam moraliter, & practicè quantum potero. — Omne peccatum eſt contra aliquam virtutem; nam vitium, & virtus ſunt oppoſita, & contraria privativè, ſicut V. G. *Tenebræ, & Lux: Cæcitas, & Viſio.* Si vis ergo cognoſcere naturam ſpecificam, ſeu ſpeciem 98

ciem peccati, aut vitii, reſpicere debes virtutem contrariam; nam *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*; ergo à diverſitate virtutum arguitur diverſitas vitiorum. V. G. *Furtum*, *& Fornicatio*, *& Ebrietas*, ſunt tria vitia, ſeu peccata ſpecie diſtincta. Quare? Quia opponuntur diverſis virtutibus. *Furtum* enim eſt contrà virtutem *Juſtitiæ*: *Ebrietas* contra virtutem *Temperantiæ*; & *Fornicatio* eſt contra virtutem *Caſtitatis*. Idem dicendum de omnibus vitiis.

99 II. *Item, diſtinctio ſpecifica peccatorum quandoque ſumitur per ordinem ad diverſas Rectitudines formales*. Ratio eſt: quia peccatum eſt privatio Rectitudinis debitæ ineſſe actui; ergo quotieſcumque actus eſt privatus ſua Rectitudine contrahit deformitatem, quæ contraria eſt illi Rectitudini, qua privatur; & conſequenter diverſitas Rectitudinis denotabit diverſitatem peccati, quia peccatum eſt privatio talis Rectitudinis. Iſtæ autem Rectitudines poſſunt reperiri vel in diverſis virtutibus, vel in una, eademque virtute: Ergo peccati diſtinctio ſpecifica non ſolùm ſumitur à diverſitate virtutum, verùm etiam à diverſitate Rectitudinum. V. G. *Avaritia*, & *Prodigalitas* ſunt duo vitia, quæ ſpecie differunt, & tamen opponuntur uni tantùm virtuti, quæ vocatur *Liberalitas*. Quare? Quia in hac virtute liberalitatis includuntur duæ Rectitudines formaliter diverſæ per reſpectum ad duo extrema, quæ facit vitare hæc virtus: ſeu quia in hac virtute datur duplex dictamen practicum Rationis, quorum unum facit vitare unum extremum; alterum verò dictamen facit vitare aliud extremum. Quænam ſunt iſta duo extrema? Sunt exceſſus, & defectus in dando bona ſua temporalia. *Exceſſus* in dando eſt vitium *Prodigalitatis*. *Defectus* in erogando eſt vitium *Avaritiæ*. Ergo peccatum Prodigalitatis, & peccatum Avaritiæ ſpecie differunt, quia opponuntur diverſis Rectitudinibus formalibus, ſeu diverſis dictaminibus Rationis, etiamſi ſint contra unam, eamdemque virtutem. Idem dicendum de ſimilibus.

100 III. *Item, diverſitas, vel diſtinctio ſpecifica peccatorum ſumenda eſt à diverſitate Legis, & Præceptorum, quando Leges, vel Præcepta ſunt formaliter diverſa*, ideſt, quando ſub diverſis motivis formalibus quidpiam præcipitur, vel prohibetur à Lege, vel Præcepto. Ratio eſt: quia peccatum eſt tranſgreſſio Legis, vel Præcepti; ergo ex diverſitate Legis, vel Præcepti formalis peccatum ſumit ſuam malitiam ſpecificam, tamquam ab objecto formaliter diverſo. V. G. *Furtum* prohibetur à Lege naturali, & Divina, ac etiam à Lege Civili, ſed ex eodem motivo Virtutis *Juſtitiæ*. Prohibetur autem *Furtum in loco Sacro* à Lege Eccleſiaſtica ex motivo Religionis, & Decoris Domus Dei, vel Loci ſacri: Ergo qui furatur extra locum Sacrum aliquam rem non ſacram, peccat peccato Furti ſimplicis contra Juſtitiam. Si autem quis furetur rem non Sacram in loco Sacro, peccat etiam contra *Religionem*; quia tale Furtum acquirit novam malitiam ſpecie diverſam à malitia Furti ſimplicis; nam Furtum in loco ſacro habet ſpecialem prohibitionem à Præcepto Eccleſiaſtico ſub diverſo motivo formali, ut dixi. Idem dicendum ſimiliter de aliis Præceptis, & Legibus ex motivo diverſarum Virtutum, vel Rectitudinum, ut patet diſcurrendo per ſingula. Longum enim eſſet exemplificare de omnibus. Reſpice ergo finem præcepti, motivum præcipiendi, præceptum formaliter diverſum, virtutes diverſas, ac Rectitudines formaliter diverſas, & ſic cognoſces fundamentaliter diſtinctionem ſpecificam peccatorum.

Quæro XXXVIII. *Quænam ſunt circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati mutant?*

℞. Sunt illæ, quæ reſpiciunt vel diver- 101
ſam virtutem, vel diverſam rectitudinem, vel diverſum præceptum formale, ut patet ex dictis. Unum enim, & idem peccatum numero poteſt habere plures malitias ſpecie diverſas. V. G. Titius furatur Calicem ſacrum: peccat peccato furti, & peccato ſacrilegii realis. Sempronius in Sacris conſtitutus fornicatur: peccat peccato fornicationis, & peccato ſacrilegii perſonalis. Cajus liber cognoſcit Bertam matrimonio ligatam: peccat peccato adulterii. Et ſic de infinitis ſimilibus.

Quæro XXXIX. *Quænam autem ſunt circumſtantiæ aggravantes tantùm peccatum in eadem ſpecie?*

℞. Sunt, quæ malitiam actus ex obje- 102
cto deſumptam non transferunt in aliam ſpeciem peccati; ſed intra eamdem ſpeciem peccati dumtaxat majorem, & graviorem reddunt ipſam malitiam. Ut V. G. ſi quis furetur centum aureos, vel pluribus ictibus occidat inimicum, vel inten-

Digitized by Google

ſiori ardore vindictæ percutiat ipſum inimicum; & ſic de ſimilibus.

103 Iſtæ autem Circumſtantiæ poſſunt eſſe vel *notabiliter aggravantes*: vel *non notabiliter aggravantes*. Exemplum priorum eſt: ſi Cajus furetur mille aureos: eſt circumſtantia notabiliter aggravans Furtum. Exemplum poſteriorum. Si Titius furetur quinque, vel ſex aureos: eſt circumſtantia non notabiliter aggravans Furtum. Et ſic de ſimilibus.

Quæro XL. *Teneturne pœnitens confiteri Circumſtantias notabiliter aggravantes?*

104 ℞. I. Multi DD. dicunt, quòd non. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum dans regulas, & modum confitendi ex præcepto Divino, & Eccleſiaſtico, *ſeſſ. 14. capitulo 5. & canon. 7.* docet, & expreſsè dicit: *Etiam eas Circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: eò quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus* (ideſt Confeſſariis) *innoteſcant*. Unde è contrario ſenſu ſequitur, eas Circumſtantias, quæ peccati ſpeciem non mutant, ſed eamdem ſpeciem tantùm aggravant, non neceſſariò eſſe exponendas, vel explicandas; aliàs Concilium declaraſſet.

105 ℞. II. Alii DD. dicunt, quòd ſic. Ratio eſt: quia peccata eo modo Sacerdoti per Confeſſionem explicanda ſunt, ut is de illorum qualitate, ac gravitate judicare, & convenientem pœnitentiam, vel ſatisfactionem præſcribere poſſit. Id autem fieri non poteſt, niſi exprimantur circumſtantiæ notabiliter aggravantes. Vide Laymannum, *lib. 1. tr. 2. cap. 10. per totum.*

Quæro XLI. *Unde deſumi debet Unitas, & diſtinctio numerica moralis peccatorum?*

106 ℞. I. Deſumitur ab unitate, & diſtinctione actus peccaminoſi ex parte voluntatis; ita ut tot ſint peccata numero diſtincta, quot ſunt actus ipſius voluntatis; omne enim peccatum perficitur à voluntate; & nullum peccatum eſt, niſi in quantum ab ipſa voluntate deliberatè procedit; ergo tot erunt peccata numero, quot ſunt, vel fuerunt actus (voluntatis) pravi moraliter interrupti, ac repetiti.

107 ℞. II. Toties cenſentur actus voluntatis moraliter interrupti, quoties nec formaliter, nec virtualiter perſeverant; ideſt, quoties nullus effectus aſſignari poteſt, in quo virtualiter prior actus permanere cenſeatur. Quod pluribus modis accidere ſolet. *Primo modo* fit per voluntatem contrariam; nam tunc certò actus prior interrumpitur, & omninò revocatur, & retractatur. Ut ſi quis deliberatè propoſuerit occidere inimicum: & poſtea ſe pœniteat.

Secundo modo interrumpitur moraliter actus pravus per voluntariam, & liberam ceſſationem ab eodem actu ſine propoſito continuandi. Ut V. G. Si quis deliberaſſet occidere inimicum, illumque quæſiviſſet per montes, colles, & valles, ac poſtea tædio, vel laſſitudine victus, ab illa mala voluntate deſiſteret ſine propoſito ulteriùs progrediendi in occiſione. -- *Tertio modo* (ſecundùm aliquos DD.) interrumpitur moraliter actus malus per ceſſationem naturalem, ſive iſta ceſſatio fiat per ſomnum, ſive per diſtractionem ad alia objecta. Sed iſte modus aliis D. D. non placet; quia non in omnibus peccatis requiritur eadem unio, vel continuatio ad unitatem numericam moralem habendam; neque è contra requiritur eadem interruptio moralis ad pluralitatem habendam in peccatis in ordine ad Confeſſionem. Ab aliquibus tamen DD. admittitur illa opinio de hoc tertio modo interruptionis, &c. in peccatis merè internis, ut V. G. in odio, hæreſi, & ſimilibus; non autem in peccatis, quæ opere externo perficiuntur, vel conſummantur; ut infrà patebit.

108 ℞. III. Peccata interna, nempe quæ per ſolam pravam voluntatem in corde, & animo perficiuntur: (ut odia, deſideria mala, invidiæ, delectationes moroſæ, &c.) toties multiplicantur numero, quoties actus ipſe internus deliberatè renovatur; quia unus actus non dependet ab alio, nec expectat conſummationem ab altero; ergo quilibet in ſe eſt ſufficienter perfectus in ſua ſpecie, & malitia. -- Quoniam verò quandoque impoſſibile eſt invenire certum, aut probabilem numerum iſtorum actuum internorum, ideò omnes DD. docent pro praxi Confeſſionis ſufficere, ut pœnitens explicet moram temporis, quo mente revolvit hæc machinamenta peccaminoſa, dicendo V. G. *per unam horam*, vel *per hebdomadam*, vel *per menſem*, vel *annum* (ſicut eſt in memoria ſua) odio habui proximum,

Digitized by Google

mum, deſideravi me vindicare, concupivi mulieres, turpiter moroſè delectatus ſum, &c. ſic enim habetur judicium meliori modo, quo fieri poteſt de ſtatu pœnitentis; nam ad impoſſibile nemo obligatur. *Vide infrà, n.* 112.

109 ℞. IV. Peccata, quæ opere externo perficiuntur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipſi exteriores, peccatum illud in ſua ſpecie conſummantes, repetuntur. Ratio eſt eadem, imò à fortiori; quia unum peccatum non habet connexionem nec phyſicam, nec moralem cum alio ſubſequente, & unum non ordinatur ad aliud; & quodlibet eorum in ſe eſt peccatum completum, & conſummatum in ſua malitia, & ſpecie. Ut V. G. Perjurium ſæpiùs repetitum: Furtum replicatum: Actus venereus cujuſvis ſpeciei ſæpè replicatus: Actus abſolutionis indignè prolatus: Miſſa ſacrilegè celebrata; & ſic de innumeris aliis. Etiamſi ſucceſſivè tales actus injuſti, inhoneſti, ſacrilegi, &c. facti fuiſſent eadem hora, die, vel nocte. Ratio enim ſuprà expreſſa hoc probat manifeſtè.

110 ℞. V. Actus verò incompleti, qui ipſum opus pravum proximè præcedunt, vel comitantur, ad veluti præparationes præviæ, vel conſecutivæ appendices mox ſequuntur, unum morale peccatum conſummandum, aut conſummatum conſtituunt; quia moraliter cum eo uniuntur, & faciunt unum quid morale integrum, & totale ex pluribus actibus incompletis compactum. V. G. Titius vult occidere Cajum inimicum, præparat arma, quærit, invenit, aggreditur, evaginat gladium, percutit bis, ter, ſæpiùs, donec videat eum eſſe jam mortuum; obſervat adhuc reſpirantem, iterùm percutit, & tandem occidit, & projicit cadaver in flumen: Omnes actus iſti conſtituunt moraliter unum peccatum homicidii. Et ſic de ſimilibus.

Quæro XLII. *Quænam eſt differentia inter peccatum habituale, & peccatum ex habitu?*

111 ℞. Magna eſt differentia; nam peccatum ex habitu idem eſt, ac peccatum ex Conſuetudine, de quo jam multa diximus ſuprà, à num. 88. -- Peccatum verò habituale eſt peccatum actuale, cujus actus jam phyſicè præterijt, moraliter tamen remanet quoad Reatum culpæ, & pœnæ, donec per veram pœnitentiam deleatur. *Reatus* eſt quædam obligatio ad pœnam ex actu peccaminoſo præterito contracta; ſtatim enim, ac homo peccat, obligatur ad pœnam peccato ſuo correſpondentem. Et iſte *Reatus* procedit à culpa adhuc inexiſtente, qua homo peccator *Reus* eſt; quia Deum offendit, quia privatus eſt Gratia habituali ſanctificante, quia amiſit jus ad Gloriam, quia meretur pœnam Æternam. Ergo peccatum habituale poteſt dici, quòd ſit Reatus culpæ adhuc inexiſtentis, & pœnæ futuræ ſibi debitæ, niſi deleatur. Ita ex Scoto noſtro, *in* 4. *diſt.* 14 *q.* 1.

Quæro XLIII. *Ad quot peccata ſe extendunt, illa verba*, plus minùſve, vel circiter?

℞. Certa regula univerſali definiri non poſſunt, ſed arbitrio prudentis relinquuntur. Hoc unum placet Cardin. de Lugo (*tom. de Pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 2. *numero* 96.) quòd hæc adjectio, *plùs, vel minùs*, ſeu *circiter* ad minutulam ſummam refertur; ita ut, quò major eſt numerus peccatorum, quæ confitentur, eò major etiam numerus poſſit intelligi illis verbis, quæ addi ſolent in Confeſſione; dummodò interveniat ſemper aliqua modiciſſima pars, vel parvitas in eo numero, qui additur, vel auſertur reſpectu ſummæ expreſſæ. Ita etiam cum aliis D. D. tenet P. Antonius de Eſcobar, *in tom.* 2. *de Sacram. libro* 15. *ſect.* 2. *problem.* 19. & P. Petrus Marchant noſter, *tom.* 1. *Tribunalis Sacram. tractat.* 4. *titulo* 5. *quæſt.* 3. *in fin.* ubi advertit, malè ſe gerere pœnitentes, qui abſque judicio, & examine debito conſueverunt ferè ad ſingulos numeros peccatorum mortalium particulas illas, *plus, minùſve*, adhibere. Unde monendi ſunt, ut debito ſcrutinio forment certum numerum; & ſi hunc ignorent, ſcrutentur veriſimilem, deinde veriſimili proximum, antequam addere incipiant iſtam particulam dubiam, *plus, vel minùs*: aut *circumcirca*; nam numerus, qui ſubintelligitur, per hoc additum, importatur, vel exprimitur ſemper ſub dubio augente, aut minuente ſummam expreſſam totalem. V. G. *Titius confitetur, ſe blaſphemaſſe decies, plus, vel minùs*: exprimit numerum aliquem certum, ut puta *octo*; at reliqua duo dicit ſub dubio, *quoad minùs*: & alia duo ſub dubio pariter, *quoad plus*: ergo iſta duo, *ut dubia* confitetur; dubia autem peccata nequeunt lici-

licitè confiteri, niſi quando *ut certa* manifeſtari non poſſunt ex defectu memoriæ, ergo, &c.

Quod à fortiori advertendum eſt à Confeſſario, quando pœnitens confitetur parvum numerum mortalium ex groſſioribus, & palpabilioribus; ne ejus Confeſſio deficiat à debita integritate numerica.

Vide, quæ dicenda erunt de Integritate Confeſſionis, part. 2. tr. 63.

TRACTATUS XL.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

QUæro I. *Quænam ſunt peccata capitalia?*

1 *Reſpondeo*. Cum D. Gregorio Papa, *lib. 31. Moral.* Septem hæc eſſe, nempe Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Invidiam, Iram, Gulam, & Acediam, vel, ut alii ſcribunt, Acidiam: quæ dicuntur *Capitalia*, quoniam ab his tamquam à ſeptem capitibus alia multa peccata, ac vitia oriuntur. Ab aliquibus nominantur ſeptem peccata mortalia: non quia ex genere ſuo ſint mortalia omnia; ſed quia radices ſunt multorum mortalium.

De Superbia.

Quæro II. *Quid eſt Superbia?*

2 ℞. Eſt initium omnis peccati: vitiorum omnium mater, & regina, juxta illud Eccli. capit. 10. *Initium omnis peccati eſt Superbia*. Et Tobiæ capit. 4. *In ipſa enim* (Superbia) *initium ſumpſit omnis perditio*. Sic autem propriè definitur à Scoto noſtro, *Superbia eſt appetitus inordinatus propriè excellentiæ ſuper alios*; nam Superbia propriè capta involvit affectum immoderatum excellentiæ ſuæ relatæ ad alios, quibus aliquis præeſſe cupit, aut antecellere. Etenim *ſuperbire* dicitur à *Superbire*; quia ſuperbus ſuper alios, & ſuprà ſuam menſuram appetit ire, ſeu aſcendere.

3 Duplex autem eſt Superbia, perfecta ſcilicet, & imperfecta. *Superbia perfecta*, ſeu conſummata eſt peccatorum omnium graviſſimum: & eſt, quando quis ita excellere appetit, ut DEO, Superioribus, eorumque legibus ſubjici non vult. Talis fuit Superbia Luciferi, & Angelorum malorum, & peſſimorum hominum. Unde de Diabolo dicitur in Job cap. 41. *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios Superbiæ*. Imperfecta autem ſuperbia eſt, qua quis non renuens ſubjici DEO, Superioribus, ac eorum Legibus, in ſuo tamen affectu ſe ſe magnificat, & plus juſto effert ſuper alios. Et hæc non niſi veniale peccatum quia ſine aliorum ſibi ſuperiorum deſpectu, ſe ſe tantùm inordinatè extollit ſuper alios ſibi æquales, & inferiores quæ non eſt adeò gravis inordinatio. Quòd ſi talis extollentia fieret cum notabili aliorum contemptu, vel cum complacentia in aliorum abjectione, utique mortale peccatum eſſet.

Superbia plures habet filias; Et ſunt Inobedientia, Jactantia, Hypocriſis, Contentio, ſeu Jurgium, Pertinacia, Diſcordia, Curioſitas; principales tamen ſunt tres: nempe Vanagloria, Præſumptio, & Ambitio. De his tribus agendum breviter. 4

Quæro III. *Quid eſt Vanagloria?*

℞. Eſt cupiditas inanis gloriæ hominum: quia Vanus glorioſus appetit manifeſtationem propriæ excellentiæ, & laudes humanas; unde ſolet ex ſe multoties publicare res ſuas benè geſtas, ad captandam gloriam, laudem, applauſum, &c. 5

Vanagloria ex ſe eſt tantùm veniale peccatum; quia nec DEO, nec proximo gravem infert injuriam. Unde operari bonum aliquod, & virtuoſum ob vanamgloriam, eſt tantùm veniale peccatum. Poteſt tamen fieri mortale per accidens; idque vel ratione materiæ. Si nimirum glorieris de re mortaliter mala; quia tunc videris illud malum approbare: vel ratione notabilis damni proximo illati; ut ſi quis laudando ſe, deſpiceret cæteros; qua- 6

qualis fuit Jactantia illius Phariſæi, de quo legitur in Euangelio Lucæ, cap. 18. *Non ſum ſicut cæteri hominum, &c.* vel ratione alteriùs circumſtantiæ malæ mortaliter, ut accidit omnibus peccatis ex ſuo genere venialibus, ut vidimus. Hoc unum habet malum valdè damnoſum Vanagloria in bonis operibus, quòd bona opera facta ob Vanamgloriam non ſunt meritoria; quia carent debito fine. Unde de operantibus ſic dici poteſt illud Matth. c. 6. *Amen dico vobis: receperunt mercedem ſuam.*

Quæro IV. *Quid eſt Præſumptio?*

7 ℞. Eſt appetitus aggrediendi aliquid ſuprà vires. Cùm enim homo altiora ſe vult quærere, dicere, vel facere, dicitur Præſumptuoſus. Eſt peccatum ex ſe veniale, fiet autem mortale per accidens ex aliquo damno inde emergente vel ſibi, vel proximo. Ut ſi quis imperitus vellet concionari, vel Confeſſiones audire, vel Parochus fieri. Vel ſi alius aſſumeret Officium Medici, Chirurgi, Advocati, &c. ſine debita peritia. Vel ſi alter præſumeret arripere aliquod opus cum periculo vitæ, vel alterius damni notabilis, abſque juſta cauſa. Omnes iſti peccarent mortaliter ex præſumptione, ac temeritate. Unde dicit Eccleſiaſticus, capitulo 3. *Altiora te ne quæſieris: & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita ſemper.* Et Judith capitulo 6. *Præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias, Domine Deus.*

Quæro V. *Quid eſt ambitio?*

8 ℞. Eſt inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non ſibi debiti. Ut V. G. ſi ambias Beneficium Eccleſiaſticum, Prælaturam, Officium, quo revera es indignus. Eſt peccatum ex ſe veniale; ſit autem ſæpè grave, & graviſſimum vel ratione materiæ, ex qua honor inordinatè appetitur; vel ratione medii mortaliter illiciti, per quod honor quæritur; vel ratione gravis damni, quod proximo, & Communitati infertur, ut patet. Si verò moderatè, ac juſtè honor appetatur ob honeſtum finem, nullum erit peccatum, ſed potiùs erit actus Magnanimitatis.

Quæro VI. *Quænam ſint Remedia contra vitium Superbiæ, & filiarum ejus?*

9 ℞. Virtus ei contraria; nam contraria contrariis curantur. Si vis ſcire diſtinctè remedia tam contra hoc, quàm contra cætera vitia, lege libros; quia ego non valeo omnia tranſcribere in hoc Compendio. Lege igitur ſpecialiter Toletum in ſua Summa, ſeu Inſtructione Sacerdotum, *libro 8. à capitulo 5. & ſeqq.* Et Summam Remediorum, ſeu Antidotorum Spiritualium contra Animi morbos, P. Joannis Buſæi: *impreſſam Venetiis anno 1615. apud Hæredes Georgii Variſci.* Et Manna Animæ P. Segneri *per omnes Anni dies ....* alioſque libros DD.

De Avaritia.

Quæro VII. *Quid eſt Avaritia?*

℞. Eſt immoderatus appetitus habendi pecunias, & alias res temporales. Et de hoc vitio ſatis egimus *in Tr. 37. à n. 49. & ſeqq.* 10

Avaritia multas habet filias, quæ ſunt: Proditio, Fraus, Fallacia, Perjuria, Inquietudo, Violentia, Obduratio cordis, &c. Et ego in una mea Concione probo Avarum eſſe miſerrimum inter miſeros, nullamque habere virtutem; unde dicit Seneca, quòd *Avarum in nullum bonus eſt, & in ſe ipſum peſſimus.* Et Eccleſiaſticus, cap. 10. ait: *Avarus animam ſuam venalem habet .... Et nihil iniquius, quàm amare pecuniam.*

De Luxuria.

Quæro VIII. *Quid eſt Luxuria?*

℞. Eſt inordinatus appetitus, vel uſus venereorum. De hoc vitio, ejuſque ſpeciebus abundanter egimus *in Tr. 27. 28. 29. & 30.* 11

Luxuria multas deformes habet filias, & ſunt Cæcitas mentis, Præcipitatio, Inconſiderantia, Inconſtantia, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſæculi, & Horror futuri ſæculi, quod eſt ſine fine.

De Invidia.

Quæro IX. *Quid eſt Invidia?*

℞. Eſt triſtitia de proximi bono, prout æſtimatur diminutivum proprii boni, ſive propriæ gloriæ, & excellentiæ; nam 12

Ff 4 hoc

hoc vitium eſt præcipuè de bonis, in quibus eſt gloria, & honor; eſtque ad illos tantùm, quibus homo vult ſe æquare, vel præferre. Unde per Invidiam invidus deſiderat alium carere tali bono, quia per illud alter excellit ipſummet. Sicque *Invidus* eſt, qui triſtatur dè bono alterius, putans inde propriam excellentiam diminui.

13 Hinc deduces, quòd triſtari de bono alterius, non quia ille tale bonum habet, ſed quia nos tale bonum non habemus, non ſpectat ad peccatum Invidiæ; nam hæc triſtitia propriè eſt Zelus, & Æmulatio, & ſi fiat de bonis honeſtis, eſt laudabilis Æmulatio, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. c. 12. *Æmulamini chariſmata meliora*.

14 Ulteriùs deduces, quòd ſi quis triſtetur de bono alterius, in quantum imminet ſibi exindè periculum cujuſpiam momenti; V. G. Si Titius triſtetur de exaltatione Caji ſui inimici, quia timet, ne ab ipſo opprimatur, aut lædatur: talis triſtitia non erit Invidia, ſed magis effectus timoris rationabilis.

15 *Invidia* eſt ex ſe peccatum mortale contra Charitatem; quia Charitas gaudet de bono proximi, tamquam eſſet proprium bonum. Invidia utem triſtatur de bono proximi. Poteſt tamen fieri veniale, tum ob imperfectionem actus: tùm ob materiæ levitatem, tum ex aliis cauſis.

16 Invidia habet quinque filias, quæ ſunt: Odium, Suſſurratio, Detractio, Exultatio in adverſis proximi, & Afflictio in ejus proſperis. Invidus aſſimilatur Diabolo, qui ex Invidia machinatus eſt ruinam generis humani, ut habetur Sap. 2. *invidia autem Diaboli mors introivit in Orbe terrarum*.

De Ira.

Quæro X. *Quid eſt Ira?*

17 ℞. Eſt inordinatus appetitus vindictæ propriæ, Si enim quis ordinatè appeteret vindictam publicam, non peccaret; ergo peccatum hoc conſiſtit in inordinato appetitu faciendi ex propria auctoritate vindictam.

18 *Ira*, ſi præſcriptum rationis modum non excedat, bona eſt; & habet in homine eum locum, quem miles in Republica: unde Ira juſta dicitur *Satellicium Rationis*; de qua intelligendum eſt illud Pſalmi 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Quare iſta paſſio Iræ non eſt extirpanda, ſed moderanda. Eccleſiaſtes enim, cap. 7. dicit: *Non ſis velox ad iraſcendum*. Et Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſt. cap. 1. *Sit autem omnis homo tardus ad iram*. Itaque ſi debito cum moderamine homo iraſcatur, non peccabit.

19 Peccabit autem in his caſibus. I. Si Iracundia excedat modum à ratione præſcriptum. II. Expetendo injuſtam vindictam, nempe ob cauſam non legitimam, aut majorem, quàm oporteat. III. Abſque debita auctoritate deſiderando vindictam. IV. Vindicando injuriam privatam propria, & injuſta auctoritate.

20 *Iracundia*, affectans vindictam injuſtam, eſt ex ſuo genere mortale peccatum; niſi ob imperfectionem actus, aut ob levitatem materiæ excuſetur, & fiat veniale. Motus verò Iracundiæ inordinatæ eſt peccatum ex ſe veniale; quamvis per accidens poſſit fieri mortale ratione affectus vindictæ injuſtæ. Dixi *injuſtæ*: quia Superiores, ad quos tantùm ſpectat vindicta erga ſubditos, affectando ipſam, non peccant, niſi excedant, ut ſuprà diximus.

21 Ira habet has filias, Indignationem, Tumorem mentis, Clamorem, Contumeliam, Blaſphemiam, Maledictionem, & Rixam.

De Gula.

Quæro XI. *Quid eſt Gula?*

22 ℞. Eſt immoderatus appetitus cibi, & potus. Exceſſus in comedendo, & bibendo eſt peccaminoſus; quia eſt contra ipſammet naturam; nam ipſa bruta animalia non comedunt, nec bibunt ultra neceſſitatem naturæ.

23 Iſte exceſſus poteſt contingere quinque modis in hoc verſu contentis:

Præproperè, Lautè, Nimis, Ardenter, Studioſè.

Explico. *Præproperè*, ideſt, quando quis ante horam competentem comedit, vel bibit. *Lautè*, quando quis cibos, & potus nimis exquiſitos, lautos, & delicatos exquirit. *Nimis*, quando plus juſto, ac neceſſario manducat, vel bibit. *Ardenter*, ſi voraciter ad inſtar lupi comedat.

[Stu-

Studioſè, dum quis nimis accuratè præparat, & condit cibos.

24 *Gula* eſt vitium, quod opponitur Temperantiæ, & Sobrietati: & ut ſic dividitur in Crapulam, & Ebrietatem, tamquam in duas ſpecies. *Crapula*, ſeu *Comeſſatio* eſt exceſſus notabilis in cibis: directè opponitur Virtuti Temperantiæ. *Ebrietas* autem eſt exceſſus in potu vini, vel alterius liquoris, qui habeat vim inebriandi, ut V.G. *Avaritia*: & directè opponitur Sobrietati.

25 *Crapula*, ſeu Comeſſatio, & Ebrietas plena ſunt peccata mortalia. Patet authoritate D. Pauli ad Galatas, cap. 5. v. 21. Ubi inter opera carnis, quæ excludunt à Regno Dei, connumerat *Ebrietates, & Comeſſationes*. Et Eccleſiaſticus, cap. 37. v. 34. dicit: *Propter Crapulam multi obierunt*; (alia littera apud Ugonem Cardinalem dicit) *multi perierunt*. Et Chriſtus Dominus in Euangelio Lucæ, capit. 21. verſ. 34. dicit: *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in Crapula, & Ebrietate, & Curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa*. Ubi Sacri Expoſitores in Catena Aurêa D. Thomæ, dicunt; Cura namque ſuperflua præſentis vitæ, & Crapula, & Ebrietas fugant Prudentiam, quaſſant Fidem, operantur naufragia. *Quòd Crapula, & Ebrietas ſint peccata mortalia*.

26 Probatur ratione. Quod eſt contra naturam, & cauſa multorum malorum videtur etiam eſſe ex ſuo genere mortale peccatum. Sed Crapula, & Ebrietas ſunt contra naturam (ut patet ex dictis ſuprà, *num.* 22.) & ſunt cauſa multorum malorum (ut patet *num.* 25.) ergo Crapula, & Ebrietas ſunt ex genere ſuo mortalia peccata. Tum quia: Crapula, & Ebrietas ſunt cauſa libidinis in effectu, & nocent notabiliter valetudini corporis, vitamque abbreviant; ut patet experientia. Tum quia, grandis difformitas, magnumque malum eſt abjecta uſus rationis poteſtate, ad brutorum ſtoliditatem ultrò ſe abjicere; ſed Crapula, & Ebrietas hoc inhumanum efficiunt, ut patet in Ebriis. Tum tamdem quia Ebrius, & vino ſepultus, incapax eſt abſolutionis; & ſi ſic moriatur, damnatur; ergo voluntariè directè, vel indirectè ſe inebrians, peccat mortaliter.

Quæro XII. *An prædicti quinque modi peccandi in vitio Gulæ ſint ex ſuo genere peccata mortalia?*

27 ℞. Quòd non; per ſe loquendo, & ſecluſis malitiis contra alias virtute pugnantibus: & niſi detur exceſſus notabilis in quantitate cibi, vel potus, perducens ad completam Crapulam, aut Ebrietatem. Ratio eſt, quia non quilibet exceſſus eſt de ſe graviter lædens Naturam, Deum, & proximum, ergo non quilibet exceſſus ex prædictis erit culpa gravis.

Quæro XIII. *Quodnam eſt ſignum plenæ ebrietatis?*

28 ℞. Quando temulentus, ſeu ebrioſus non advertit, quid agat, & bonum à malo morali non diſcernit, & rectè reflectere, & loqui neſciat, ſignum evidens eſt, quòd eſt plenè ebrius.

Quæro XIV. *Si quis biberet vinum, quantum poſſet, non curans, an ſequatur ebrietas; nec ne, peccaretne mortaliter?*

29 ℞. Sine dubio. Quia tunc intenderet ſaltem indirectè ebrietatem, vel contemneret cauſam, aut periculum probabile ejuſdem; nam quando quis advertit, ſe fore inebriandum, & pergit potare, cenſetur velle ebrietatem, vel cauſam ejus; ergo peccat graviter.

Quæro XV. *Si quis non præviderit periculum ebrietatis, & biberit immoderatè, peccabitne graviter?*

30 ℞. Minimè. Quia licèt peccaverit per exceſſum venialiter, non intendit tamen ebrietatem, quam non prævidit, quia nil volitum, quin præcognitum; Id à fortiori dicendum de eo, qui ignorans generoſitatem vini multum bibit; vel qui ex nimio calore, aut labore bibit etiam multum, ſine timore ſecuturæ ebrietatis. Quòd ſi moderatè bibendo vinum ignotum ebrietatem contraheret, nullo modo peccaret.

Quæro XVI. *An poſſit dari aliqua cauſa juſta ſe, vel alium inebriandi?*

31 ℞. Affirmativè, ut docent aliqui Doctores citandi. Ratio eſt: quia Ebrietas vera continet duo, nempe privationem uſus rationis, & cauſam talis privationis, quæ eſt delectatio gulæ, ſic enim definitur à P. Leſſio, *Ebrietas eſt exceſſus in potando cauſa voluptatis, uſque ad violentam uſus rationis privationem*. Malitia autem ebrietatis non videtur conſiſtere principaliter in ipſa privatione uſus rationis ad modicum tempus, nam & ſomnus hunc præſtat effectum ſine peccato; neque in violen-

violentia; quia quandoque Medici dant medicinam quæ violenter cauſat ſoporem, ergo videtur conſiſtere in cauſa delectationis; nam in hoc conſiſtit vitium gulæ, quæ innordinatè appetit cibum, & potum ſola voluptatis cauſa in exceſſu, vel exceſſivo modo.

32 Ergo ex his ſequitur, poſſe dari caſum, vel cauſam juſtam ſe, vel alium inebriandi: ut V. G. ex præſcipto Medicorum, vel (deficientibus aliis remediis) ad fugandam febrim, vel venenum evomendum, aut ad alium morbum pellendum. Ratio eſt, quia tunc vini copia, vel qualitas vini generoſi bibitur ad modum medicinæ, non voluptatis ſolius gratia: ergo non videtur repugnare Temperantiæ.

33 *Dices*. Magnum eſt diſcrimen inter privationem uſus rationis cauſatam per ſomnum, & privationem eamdem cauſatam per ebrietatem; nam primus modus eſt à natura inſtitutus ad ſpirituum, & virium inſtaurationem; & per quietem ſomni taliter adimitur facultas utendi ratione, ut ſtatim, & ſine mora poſſit recuperari per vigilantiam; ſecundus verò modus eſt violentus, & tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia rationis uſu uti non poſſis. Ergo iſte modus videtur eſſe contra naturam, & conſequenter illicitus omninò, ita, ut nequeat cohoneſtari ab aliqua cauſa juſta ex prædictis.

34 ℞. Fateor, ponderoſam, gravemque eſſe hanc objectionem, ac rationem intrinſecam, ob quam nonnulli negant, licitum unquam eſſe, ſe voluntariè, vel alium inebriare. At ego reſolvi quæſitum de mente gravium DD. mox citandorum, qui defendunt eſſe licitum; meque remitto meliùs Sapienti; nihil aliud deſidero, niſi ſcire veritatem. Lege Leſſium, *lib. 4. cap. 3. d. 3.* — Laymann, *lib. 3. ſect. 4. n. 5.* — Sporer *tr. 1. cap. 7. n. 69.* — Anacletum *tr. 3. d. 3. n. 50.* — Maſtrium *moral. diſp. 15. nu. 147.*

35 Cavenda tamen eſt hìc propoſitio Ia 8. ex damn. ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum; modò non obſit valetudini; quia poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Patet ex dictis falſitas hujus theſis; quia eſt ſaltem veniale peccatum hoc facere, quod propoſitio hæc concedebat tanquam omninò licitum; immoderatè enim manducare, & bibere eſt contra Temperantiam; atque cibis, & potibus non frui, ſed uti debemus; neque licet appetere voluptatem tamquam finem edendi, & bibendi, ſed solùm tamquam medium ad finem conſervandæ vitæ; ut ratio ipſa nos docet. Vide P. Cardenam ſuper propoſitiones damnatas, *diſc. 7.*

Gula quinque immundas habet filias, quæ ſunt Hebetudo mentis, fatua Lætitia, Multiloquium, Scurrilitas, & Spurcitia, ſeu Immunditia, vel Luxuria, quas videre poteris in libris citatis.

De Acedia.

Quæro XVII. *Quid eſt Acedia, ſeu Accidia?*

℞. *I.* Hoc nomen *Acedia*, derivat à voce Græca, quæ, latinè ſonat *ſine labore*, 36
aut *ſine cura*. Vel eſt nomen latinum compoſitum vel derivatum ab *Acidus*, *Acida*, *Acidum*, ideſt acerbus, immaturus, frigidus. Tam primum, quàm ſecundum ſignificatum benè explicat naturam hujus vitii; etenim homo Accidioſus vivit ſine labore, ſine diligentia procurandi propriam ſalutem æternam; & eſt valdè acidus, ac frigidus in bono ſupernaturali operando. Animalia frigida, ſine ſanguine non facilè moventur; ita Accidioſus ex nimia frigiditate, ac triſtitia torpeſcit.

℞. *II.* *Acedia* ſumi poteſt dupliciter. *I.* 37
Generaliter, pro omni tædio, & torpore animi, bona facere negligentis; & hoc modo Acedia non habet rationem ſpecialem vitii; quia omne vitium refugit ſpirituale bonum Virtutis ei contrariæ. Ut patet in Luxurioſo, & Guloſo. Luxurioſus enim triſtatur de bono Continentiæ, ſeu Caſtitatis; Guloſus verò valdè triſtatur de bono Abſtinentiæ, ſeu Temperantiæ, illudque bonum refugit, prout laborioſum ſibi, ac moleſtum: vel delectationis ſenſibilis, & ſenſualis ejus impeditivum.

II. Acedia ſumi poteſt ſpecialiter, nempè prout eſt ſpeciale vitium Capitale: & 38
tunc conſiſtit in triſtitia de Bono Spirituali, & Divino, ſicque Acedia eſt contraria Charitati, quæ facit nos gaudere de bonis ſpiritualibus, & Divinis propriis. Sicque poteſt definiri: *Acedia eſt faſtidium, ſeu triſtitia rerum ſpiritualium.* Et eſt peccatum ex ſuo genere mortale, quia directè repugnat Charitati Dei.

Acedia generaliter ſumpta, & ſuprà ex- 39
plicata,

plicata, tunc eſt peccatum mortale, quando propter eam committitur opus prohibitum, vel omittitur opus præceptum ſub mortali ex negligentia illa, & pigritia in bono ſupernaturali; & tunc non diſtinguitur ab ipſomet peccato commiſſionis, vel omiſſionis.

40 R. III. Acedia pariter poteſt tripliciter diſtingui, vel dividi, nempè in Naturalem, Moralem, & Capitalem.

I. *Acedia naturalis* eſt duplex, corporalis videlicet, & ſenſualis; *Corporalis* eſt torpor, & hebetudo quædam virium naturalium deficientibus in labore ſuſcipiendo, orta nimirùm ex ipſa complexione malè affecta corporis. *Senſualis* autem eſt paſſio, ſeu triſtitia appetitus ſenſitivi refugientis laborem, ac difficultatem operis. Ex eo enim, quòd appetitus naturaliter fertur in bonum conveniens, & delectabile ſenſibus, naturaliter etiam abhorret ab omni diſcovenienti, vel moleſto ſenſibus; indeque triſtitia quædam oritur, & averſio à labore, patientia, & difficultate operis virtuoſi.

41 Hæc naturalis Acedia, ſive corporalis, ſive ſenſualis, quandiù merè naturalis eſt, & nullo modo volita, nullo etiam modo peccatum eſt; imò potiùs materia virtutis, & meriti, ſi ei reſiſtatur. Facta autem voluntaria per liberum conſenſum voluntatis, jam evadit Moralis acedia.

42 *II. Acedia moralis* igitur eſt quidam remiſſi Animi languor ad benè operandum in rebus ſpiritualibus æternam ſalutem concernentibus, quatenùs exercitium virtutis laborioſum eſt, ac difficile. Et hæc Acedia poteſt verſari circa quodcumque præceptum, & quamcumque virtutem: eſtque cauſa, vel occaſio ferè omnium tranſgreſſionum, & imperfectionum. Non eſt autem ſpeciale peccatum, ſed eatenùs ſolùm peccatum erit, quatenùs cauſat actualem tràſgreſſionem, vel negligentem executionem præcepti, vel virtutis, ac ſemper idem numero peccatum mortale, aut veniale eſt cum ipſamet tranſgreſſione, vel negligenti executione; ut ſuprà aliqualiter dictum eſt. V.G. Titius ex Acedia conſentit in omiſſionem Officii Divini, quod de præcepto recitare tenetur: peccat contra ſuam obligationem mortaliter; & eſt idem numero peccatum. Si autem recitet quidem Officium, ſed negligenter, & oſcitanter ex Acedia prædicta peccat venialiter, & idem numero peccatum veniale eſt. – Quòd ſi, ſtante illa Acedia, nihilominùs ex violentia ſibi facta, & oratione ad Deum, perfectè impleat Officium ſuum, etſi difficulter, tunc non ſolùm non peccabit, ſed meritum augebit. Idem dicendum de infinitis ſimilibus caſibus.

III. *Acedia Capitalis*, prout conſtituit hoc vitium ultimum, & peſſimum, *eſt triſtitia de Bono Spirituali, & Divino*. Quod variè poteſt accidere. *Primò*, Ex fine Creationis nobis neceſſario. 43

Pro cujus intelligentia, ſciendum nobis eſt, quòd omnis homo à Deo eſt creatus, ut filius illius ſit adoptivus, Beatitudiniſque Cœleſtis fiat hæres: ad cujus Infiniti Boni conſecutionem plura ſunt nobis neceſſaria ſimpliciter, & alia plura ſecundùm quid tantùm neceſſaria ſunt. Quæ *ſimpliciter* nobis neceſſaria ſunt, alia in ſumma non ſunt, niſi quæ ſub præcepto gravi vel imperantur, vel prohibentur. *Secundùm quid* ſunt neceſſaria, quæ ſub levi culpa mandantur. Cætera non vocantur neceſſaria, ſed Convenientia, & utilia, qualia ſunt Conſilia Euangelica, quæ ducunt hominem ad perfectionem Chriſtianam.

Poteſt igitur contingere, ut quis doleat, ac triſtetur, quòd ſic, (idest cum tali onere acquirendi Beatitudinem Æternam per talia media neceſſaria) ſit à DEO creatus, ut videlicet teneatur multa pati, multaque operari, ad obſervanda mandata Dei, ſin minùs, Æterno ſupplicio puniri debeat. Qui ſic doleret, ac triſtaretur deliberatè, ac voluntariè, peccaret peccato vero Acediæ graviſſimè. Ratio eſt: quia hoc eſt contemnere Majeſtatem, ac Bonitatem Dei: hoc eſt refugere Amicitiam Dei; hoc eſt parvi pendere Æternum Gloriæ pondus, & Regnum; hoc eſt peccare directè contra nimium Charitatem Dei, qui ſic dilexit nos, ut crearit nos ad Imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & fecerit nos hæredes Regni ſui. Quiſnam enim ſanæ mentis, & fidei poteſt triſtari de labore, qui eſt cauſa felicitatis ſempiternæ? Quiſnam prudens poteſt dolere de ſupplicio, quod eſt in ſua manu? *Si vis* (inquit Chriſtus Verus Dei Filius) *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Matth. cap. 19. v. 17. Ubi D. Dionyſius Carthuſianus ſic gloſſat: Si vis, ad vitam Gloriæ æternæ ingredi, idest, Æternam Beatitudinem adipiſci, ſi vis: 44

Serva

Serva mandata Decalogi: & hoc ſufficit ad tuam ſalutem. Ergo in manu tua eſt vita. *Si vis*, facilè poſſent omnes homines ſalvari; ſi Redemptionis pretio uti vellent, ut ait Bellarminus, *l.* 2. *cap.* 8. de ſeptem verbis Domini Jeſu.

45 *II.* Poteſt provenire triſtitia de rebus Divinis ex nimio rerum temporalium amore, & ſæculi hujus inordinato affectu, & oblectamento. Cùm enim homo in triſtitia ſine ulla delectatione diù permanere non poſſit: ſemperque appetat delectari vel ſummis, vel imis; hinc fit, ut, qui rerum ſpiritualium guſtum vel numquam ſenſit, vel repudiavit, ac de eis honorem, ac tædium concepit, mox ad noxium Creaturarum, ac ſui ipſius amorem, illicitas cupiditates, atque delitias animum convertat, quibuſcum ſpiritualia bona, & quæ ex his percipiuntur, ſinceræ, veræque oblectationes conſiſtere non poſſunt. Qui ergo ſic animum ſuum à bonis eſſentialiter neceſſariis, ac ſpiritualibus avertit, & ad vitia convertit, peccat verè Acediæ peccato graviter; quia agit contra Charitatem Dei, & ſui ipſius, cujus eximiæ virtutis fructus eſt, gaudere, & lætari in bonis ſpiritualibus, & in Domino omnis lætitiæ, ac gaudii Fonte perenni.

46 *Ex hac Acedia ſpeciali, & capitali* ferè omnia vitia oriuntur: Quem enim tædet Amicitia Dei, ejuſque Beatitudo ob laborioſam conſecutionem: quemque delectat nimis concupiſcentia terrenarum rerum, quomodo poterit judicare eſſe in ſtatu ſalutis, & in via Chriſti, & electorum ejus? Omnes Virtutes elongantur ab eo, & ad eum accedunt ſenſim omnia vitia. Quid pejus, & deterius?

47 Expellitur autem Acediæ vitium non fugiendo, ſed reſiſtendo fortitèr in fide, & Charitate armati, & radicati, atque opus ſalutis Æternæ, ob quam creati ſumus, viriliter aggrediendo. Difficultates enim in opere bono, & exercitio virtutum non tam vehementes ſunt in re, quàm in apprehenſione, ac inani timore, tum quia rerum ſpiritualium ſtudium, quantò magis exercetur, tantò minùs ſentitur labor, cui ſuccedit dulcedo, facilitas, & delectatio, ſicque tantò avidiùs retinetur, ut experientia bonorum docet, & juxta illud veriſſimum Sapientis de vera Sapientia dictum, Sap. cap. 8. v. 18. *Non habet amaritudinem converſatio illius, neque tædium convictus illius; ſed lætitiam, & gaudium.*

Acedia habet plures malas, & peſſimas filias, quarum *Prima* eſt *Evagatio mentis* ad alias res illicitas, quæ oblectant. Et hæc aliquando eſt mortalis, aliquando autem venialis, prout ſunt res, quibus quis per cogitationem voluntariam delectatur. 48

Cum hac autem Evagatione conjungi ſolet defectus attentionis debitæ rebus ſpiritualibus de præcepto: ut in audienda Miſſa die Feſto; in recitandis horis Canonicis: in auſcultando Verbo Dei in Concionibus, &c.

Secunda eſt *Rancor*, quo homines, qui inducunt Acidioſos ad Spiritualia; (ut ſunt Concionatores, Religioſi, Confeſſarii, &c.) & hortantur ad emendationem, ſunt eis magno faſtidio, & averſioni. Et hoc eſt veniale, niſi conjungatur cum odio, & contemptu. 49

Tertia eſt *Torpor*, quo Acidioſus negligit, ſeu omittit facere ea, quæ ex præcepto tenetur: & hoc eſt mortale. 50

Quarta eſt *Puſillanimitas* erga omnia bona ſpiritualia; quia Acidioſo videntur ardua: quæ ſi non ſunt præcepta, non erit mortalis culpa; ſi autem ſint præcepta, erit *Torpor*, ut ſuprà, 51

Quinta eſt *Malitia*, qua homo acidioſus odio habet bona ſpiritualia in ſe: quia vellet, (appetitu utique inefficaci) ea non eſſe in hoc mundo: aut qua etiam ſe pœnitet aliquando feciſſe ſimilia bona; aut cupit non eſſe natum, ſicque contemnit ſummum Dei beneficium Creationis, nam etiam Philoſophi Gentiles dicebant: *Melius eſt eſſe, quàm non eſſe*: ergo multò melius eſt eſſe hominem, & Chriſtianum. Ecce Peccatum graviſſimum ingratitudinis, & quaſi Odii erga Deum Creatorem Optimum Maximum, qui diligit omnia, quæ fecit, & Charitate perpetua diligit nos. Si Deus nos diligit, quare Deum non diligimus? 52

Sexta filia Acedia eſt *Deſperatio*, qua homo acidioſus diffidit, ac deſperat, ſe conſecuturum Finem ultimum, ob quem eſt creatus. Quod eſt peſſimum omnium peccatorum: & omnium flagitiorum periculoſiſſimum, teſte D. Thoma, & S. Iſidoro; qui dicit: *Perpetrare flagitium, mors Animæ eſt: deſperare autem deſcendere eſt in infernum*. Et S. Hieronymus dicit de Juda proditore, *quòd Magis ex hoc offen-* 53

offendit Dominum, quia deſperavit, quàm quia Dominum prodidit. Caveamus deſperationis abyſſum.

De Peccatis, quæ clamant ad Deum Vindictam.

Quæro XVIII. *Quæ, & quot ſunt peccata in Cœlum clamantia?*

54 ℞. Sunt iſta quatuor. I. Homicidium proditorium. II. Peccatum nefandum Sodomiæ. III. Iniqua Juſtorum oppreſſio. IV. Et operariorum defraudata merces. Ex D. Thoma in epiſt. S. Jacobi, cap. 5. apud Homobonum de Bonis in libro digno lectura omnium Confeſſariorum, cui titulus: *De humana Vita ſtatibus: impreſſo Bononiæ anno 1619. apud Benatium.*

Quæro XIX. *Quare iſta peccata dicuntur clamare in Cœlum?*

55 ℞. Quia talis clamor exprimitur in Sacra Scriptura. Patet de *Homicidio proditorio* in Geneſi, cap. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* – Patet de *nefando Sodomiæ peccato* in Geneſi, c. 18. v. 20. *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt: & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Patet de *oppreſſione iniqua Juſtorum, & pauperum*, in Exodo, cap. 3. v. 9. *Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.* -- Patet de *mercede operariorum defraudata* in epiſt. catholica S. Jacobi Apoſtoli Minoris, c. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit. Ergo iſta peccata clamant in Cœlum ad Deum: & quid clamant? Vindictam, & Juſtitiam.*

De cæteris autem peccatis, diſtinctio- 56
nibus, ſpeciebus, gravitatibus, & obligationibus eorum, patet in decurſu uſque modò facto à primo Tractatu uſque ad ultimum: relege, & require in Indice Tractatuum, & Rerum notabilium. Et hæc ſufficiant pro *prima Parte in hujus Compendii Lucis Moralis*, quam (Deo dante) deſcribendo complevi *die vigeſima nona Auguſti, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimoquarto.* Ad Majorem DEI Gloriam, ac utilitatem proximi.

Finis Primæ Partis Lucis Moralis.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ continentur in Prima Parte Lucis Moralis.

T, Signat Tractatum; N, Numerum marginalem.

A

ABORTUS, vel Aborſus. T. 26. per totum.
Ubi.
Quid ſit, n. 1.
Quando fœtus animetur, n.2.
In dubio animationis, quid judicandum, n. 3.
Quot modis procurari ſoleat; n. 4.
Quale ſit peccatum, num. 5.
Numquam eſt licitum directè procurare abortum, n.6. & ſeqq.
Indirectè procurare quandoque erit licitum: & quomodo, n.16. & ſeq.
In puella, aut fœmina, quæ ſit gravida ex forticatione, numquam eſt licitum nec indirectè, n.17.
Directè procurare: quale pecc. n.18.
Abortum animatum per accidens, & indirectè procurare, vel cauſare; an aliquando liceat, n. 20. & ſeq.
Cauſantes, vel procurantes abortum animatum quas pœnas incurrant, n. 26. & ſeq.
Irregularitas, & Excommunicatio reſervata incurruntur, n. 26. 27. & ſeq. ad 31.
Pœnæ ſpeciales, quas incurrit Clericus, vel Religioſus, n.32.33.
Abortum cauſans, an ſit homicida, proditor, n. 34.
Abortus caſualis quid, & quotuplex, T.26. n. 35.
Abortus caſualis mixtus, n. 36.
Dans operam rei licitæ, vel illicitæ & cauſans abortum, quid, n.37.38.
Moraliter cauſans abortum, n. 39.
Phyſicè, & moraliter, n.40.41.
Abortus merè caſualis, n.42.
Medicus, & Chyrurgus cauſantes abortum, n. 45.
Abortus cauſatus per errorem, n. 49.
Abortus dubiè cauſatus, n.51.
Abortus conſultus ante animationem fœtus, poſtea executus poſt animationem, n. 55. Tract. 26.
Parentes ſcientes filiam velle procurare abortum, & non impedientes, n. 56.
Caſus Abortus animati eſt reſervatus Epiſcopo. T. 26. n.29. 30. 31.
Abjectio animi vitium. T.4. n.63.
Abrogatio Legis. T.5. n.52.
Abſtinentia, virtus. T.4. n. 50.
Abſolutio neganda ignorantibus Myſteria Fidei. T.8. n.24.
Abſolutio an poſſit peti à Sacerdote indiſpoſito. T.21. n.13.
Abſolvere à Caſu abortus animati nullus poteſt, niſi deſignatus ſit expreſsè ab Epiſcopo. T.26. n.29. 30. 31.
Abſolvere non poſſe aliquos indiſpoſitos, Vide *Confeſſarius*. Et *Regula pro Confeſſariis in praxi*.
Abuſus rerum Sacrarum. T.13. n. 16.
Acedia: Accidia, quid, quale pecc. & plura de hoc vitio. T.40. n.26. ad 48.
ACTUS HUMANI.
T. 3. *per totum*.
Ubi.
Actus humanus quid, n. 1. & ſeq.
Actus imperati à voluntate, n.18.
A quo ſumant ſuam bonitatem, vel malitiam, n.19. & ſeq.
Actus exteriores addunt novam bonitatem, vel malitiam actibus internis, n. 21.
Actus meritorius, n.23.
Indifferentes, n.25.
Boni moraliter, ſed non meritorii, n. 26.
Facti in ſtatu peccati mortalis habent bonos effectus, n.27. 28.
An ſint applicabiles Animabus Purgatorii, n. 29.
Actus Prudentiæ. T.4. n.14.
Actus Amoris Dei. Vid. *Charitas*.
Actus Fidei, *V. Fides*, *& ſic de aliis virtutibus*.
Actus interni, externi, & mixti quomodo poſſint

Digitized by Google

— poſſint præcipi à Lege humana. T. 5. n. 22. & ſeqq.
Per actus humanos debent impleri præcepta. T. 5. n. 46.
Per unum actum an poſſit ſatisfieri pluribus præceptis, ibi. n. 47.
Actione indifferenti cooperari peccato alterius. T. n. 26. & ſeq.
Accelerare mortem ſibi. T. 25. n. 31. 32. alteri. T. 26. n. 45.
Actus, *Actiones* frequentatæ generant Conſuetudinem. T. 30. per totum. *V. Conſuetudo peccandi.*
Acceptatio Legis à populo an ſit neceſſaria. T. 5. n. 13. *V. Lex.*
Acceptio Perſonarum, quid. T. 32. n. 81.
Acceptio munerum, quid. T. 32. n. 83.
Accepta ob turpem cauſam. T. 32. n. 83.
Adoratio quid, & quotuplex. T. 12. n. 5. & ſeq.
Latriæ, Hyperduliæ, Duliæ, n. 6. & ſeq.
Explicatur præceptum adorandi Deum, n. 12. & ſeq.
Adoratio interna, & externa, n. 14. quando teneamur adorare Deum, n. 15.
Adoleſcentes quando teneantur ad Jejunium Eccleſiaſticum. *V. Jejunium.*
Advertentia intellectus, ſeu rationis requiſita ad pecc. mort. *V. Peccatum.*

ADULTERIUM.

T. 28. *per totum.*

Ubi.

Quid, n. 1. 2.
Conjuge conſentiente, an ſit adulterium, n. 2.
Obligatio reſtitutionis ex adulterio, quæ, & quanta, n. 3. & ſeqq. 8. & 9.
Adultera non tenetur ſe prodere, n. 5.
Filius non tenetur credere Matri aſſerenti eſſe adulterinum, n. 6.
Adulter non facilè debet credere adulteræ aſſerenti, ſe concepiſſe ex eo, n. 7.
Gravitas hujus peccati, n. 10.
Exponentes filios ſuos adulterinos Hoſpitali, ad qui teneantur, n. 11.
Pœnæ fulminatæ contra adulteros, nu. 12. & 13.
Adulter conjux perdit jus petendi debitum, & quomodo, T. 28. n. 13.
Adulter inceſtuoſus amittit jus petendi debitum, niſi diſpenſetur, peccat petendo, n. 14. 15.
Adulter neſciens pœnas Canonicas, an incurrat in eas, n. 17.
Peccata Conjugum inter ſe, n. 19. & ſeqq. ad 38.
Adultera deprehenſa in fragranti non poteſt occidi. T. 25. n. 13. 14. 15.
Adulter deprehenſus in flagranti poteſt ſe defendere. T. 25. n. 11.
Æquivocationes in locutione, & Juramento, an, & quando ſint licitæ. T. 15. n. 42. ad 57. *V. Juramentum.*
Agentes, & conſentientes pari pœna digni ſunt. T. 21. n. 23. & ſeq.
Agreſſus poteſt ſe defendere, & quomodo. T. 25. n. 18. *V. Homicidium.*
Quandonam liceat occidere aggreſſores. *V. Homicidium.*
Alea, cartiſolia luſoria, & ſimilia vendere. *V. Venditio.* Ludere.
Aleis. *V. Luſus.*
Amphibologiæ, æquivocationes, reſtrictiones mentales in locutione, & juramento T. 15. n. 42. ad 57.
Amaſia, *Amaſius*, amantes, amatæ quandonam peccent. T. 26. n. 16. *V. Occaſio proxima.*
Amare Deum. *V. Charitas.*
Amor amicitiæ quis. T. 11. n. 8.
Amor appretiativus erga Deum: & amor affectivus. T. 11. n. 12. ad 14.
Amor bonus, & malus. T. 4. n. 3.
Amor proximi, *V. Dilectio.* T. 18. *per totum ubi etiam de amore proprio.*
Amor inordinatus erga ſe ipſum, & Creaturas. T. 18. n. 19. & ſeq.
Amor juvenum erga puellas quando ſit perniciosus. T. 18. n. 21.
Ambitio, vitium. T. 40. n. 8.
Amplexus libidinoſi. T. 28. n. 43. & ſeq.
P. Angelus à Claſio Summiſta Ordinis Minorum de Obſervantia defenditur. T. 17. n. 7. 37. 38. 39. & 40.
Animabus Purgatorii ſuffragandum eſt ex Charitate, & Juſtitia. T. 12. n. 33.
Quæ bona poſſint eis applicari. T. 3. n. 29.
An melius ſit eis applicare omnia noſtra bona, ibi. n. 32.
Anni ad præſcriptionem legitimam. *V. Præſcriptio.*
Anni requiſiti ad Jejunium. *V. Jejunium.*
Annua Confeſſio ex præcepto Eccleſiæ. *V. Confeſſio. Præcepta Eccleſiæ.*
Animalia frugifera occidentes ad quid teneantur. T. 35. n. 114. *V. Reſtitutio.*
Per ſua Animalia inferentes damnum Tertio, ibi. n. 115.
Appellare proximum *fatuum* an ſit mortale. T. 36. n. 29.
Aperire litteras alienas, quale pecc. T. 36. n. 127.

Appe-

Digitized by Google

Appetitus divitiarum, & peccuniarum. *V. Avaritia*.
Applicare ſua bona Animabus Purgatorii, quantò melius ſit. T.3. n.32.
Aquam miſceri vino vendendo, an liceat. T.34. n.81. & ſeq.
Arbores alienas incidere. T.35. n. 114.
Articuli Fidei, quinam ſunt credendi neceſſitate medii &c. *V. Fides*.
Artifices quinam excuſentur à Jejunio. *V.Jejunium*.
Artifices an poſſint vendere res indifferentes, ſi prævideant ementes abuſuros eis. Tr. 21. n.27.
Argumenta fortiora probantia veritatem noſtræ Fidei. T.38. n.7.
Arbores novellas injuſtè cædentes ad quid teneantur. T.35. n.114.
Aſſecuratio, contractus. T.33. n.127.
Aſſecuratio in Societatis contractu. *V. Societas*.
Aſpectus impudici. T.28. n.41.
Aſtutia mala. T.4. n.30.
Aſſaſſinium, Aſſaſſini, Latrones, Graſſatores. T.25. n.46.
Aſili Jure quinam priventur. T.25. n. 46.
Audientes detractionem quando peccent. T. 36. n.127.
Audire Concionem. V. Concio.
Auditio Miſſæ. *V. Miſſa*.
Avaritia quid, quale, & quando ſit peccatum. T.37. n.49. & ſeq. & T.40. n.10.
Authoritas Superioris, & Judicis excuſat à Reſtitutione. T.35. n. 106.
Axiomata Legis, vel Juris. T.5. n. 57.
Axiomata Theologorum. ibid. n. 58.

B

B*Annum*, edictum. T.5. n. 1.
Banniti, proſcripti &c. non poſſunt licitè occidere miniſtros Principis. T.25. n.11.
Beneficia, favores, gratiæ, privilegia, facultates &c. non expirant morte Concedentis. T.5. n.66.
Beneficiatus Clericus habet dominium bonorum ſui Beneficii. T.32. n. 30. & ſeq.
Beſtialitas, luxuria contra naturam. T. 29.n. 2. ad 7. ubi plura.
BLASPHEMIA.
T.14. per totum.
Quid ſit Blaſphemia. T.13. n.22.
Quotuplex ſit? T.14. n. 1. 2.
Simplex. T. 14. n. 3. 4.
Conſuetudinaria. n.5. & ſeq.
Hæreticalis, n.8.
Audientes aliquem blaſphemantem hæreticaliter debent denunciare, numer. 10.
Omnes blaſphemiæ ſunt ejuſdem ſpeciei, n. 13. ad 15.
Hæreticalis reſervata. T. 9. n. 14.
Hæreticalis blaſphemia, & Propoſitio hæreticalis differunt. T.9. n.22.
Bonitas moralis quid. T.3.n.2.
Bonitas ut contrahatur quomodo debeat eſſe cognita. ibid. n.7. & ſeq.
BONA.
Terrena magis, quàm cœleſtia deſiderans quomodo peccet. T.10. n. 23. & 24.
Neceſſaria, & ſuperflua naturæ, & ſtatui quæ. T.19. n.7.8.
An poſſint tueri occidendo raptorem, furem &c. T.25. n. 19. & ſeq.
Patrimonialia, Parſimonialia, quaſi Parſimonialia, & Eccleſiaſtica: quæ; T. 32. n. 30. & ſeq.
Caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, Profectitia, Adventitia: quæ; T.32. n. 43. & ſeq.
Dotalia, paraphernalia quæ: T.32. n. 53. & ſeq.
Bona, quæ nullius ſunt, quomodo evadant alicujus Domini. T.32. n.66.
Bona conſequenda in ſpe impediens. *V. Impedire*, *&c.*
Eccleſiaſtica bona cadunt ſub Dominio Beneficiatorum; & quomodo. T.32. n. 30. & ſeq.
Quo Jure ſint diviſa inter Eccleſiaſticos. ib. n. 36.
Bonorum temporalium diviſio quo Jure facta fuit. T.32. n.57.
Bona aliqua ſunt adhuc communia omnibus. T. 32. n. 59.
Incerta bona cujus fiant, vel cui debeantur, T.32. n. 61. & ſeq.
Inventa bona cui applicanda ſint. T. 32. n. 62. & ſeq.
Bona fama, & opinio. T.36. n.3. *V. Detractio quod reliqua*.

C

C*Alumnia*, Calumniator, T.36. n.46. 83.
Cambium quid, & quotuplex, T.33. n.132.
Canonica pœnæ. T.28. n. 17.
Cantare turpes cantilenas. T.28. n. 40. 42.
Capellanus, Confeſſarius, Parochus, &c. quomodo ſe gerere debeat in Teſtamentis, & Legatis ſuorum pœnitentium. T. 33. n. 86. 87. & ſeq.
Carnes manducare volentes etiam in infirmitate gravi, an peccent. T.25. n.31. & ſeq.
A Carnibus diſpenſatus an teneatur jejunare aliquo modo. *V. Diſpenſatus*.

Cartu-

Digitized by Google

Caro, & ſpiritus pugnant inter ſe. Tr.6. nu. 19.
Carthuſiani, Religioſi, Monachi. Tr. 25. n. 31. & ſeq.
Caſtitas quid, & quotuplex. Tr. 4. n.53. ad 56.
Caſtrare ſe, vel alium, an liceat.
Caſtrati, Eunuchi. Tr.25.n.35. ad 39.
Caſus fortuitus quid. Tr.33. n.78.

CASUS RESERVATUS.

In homicidio. T.25. n.50. & 51.
Ubi intelligitur etiam Abortus animatus. Tr.26. n.19. 29. ad 31.
In Inceſtu. Tr.27. n.70. & 71.
In Beſtialitate. Tr.29. n.6.
In Sodomia. Tr. 29. n.16.
In Blaſphemia hæreticali. Tr.9. n. 14.

CAUSÆ EXCUSANTES.

A Correctione fraterna. T.20. n. 12. & 25.
Ab auditione Miſſæ in Feſtis. Tr. 17. n.25. & ſeq.
A labore in Feſto. Tr. 17.n.44. & ſeq.
Ab eleemoſyna facienda. Tr. 19. n.12.
A contrahendis, vel incurrendis pœnis Canonicis. Tr. 28. n.27.
A Reſtitutione bonorum fortunæ vel differenda, vel omittenda. Tr.35. n 38. & 39.
A Reſtitutione famæ, & honoris. Tr. 36. n.123. & ſeq.
A Jejunio Eccleſiaſtico. Tr. 38. nu. 51. ad 53.
A Teſtimonio in Judicio ferendo. Tr. 36. n. 54.
Cauſæ cooperantes in damnum alterius, quæ, & quot, Tr. 31. n.65. & ſeq. & Tr. 35. n. 48. & ſeq. Vide *Reſtitutio quoad alia*.
Caupones, Cauponarii, Tabernarii, &c. an poſſint accipere pecuniam à filiisfamilias, Tr.31. n. 71.
Item an poſſint vendere vinum inebriaturis: vel cibos vetitos jejunium fracturis, T. 21. n. 27.
Cenſura non incurruntur à neſcientibus eas eſſe latas, Tr. 28. n.19.
Cenſus quid, & quotuplex, Tr.33. n.131.
Certus de ſua ſalute nemo eſt, Tr. 10. nu. 4. ad 6.

CHARITAS.

Erga Deum, Tr. 11. per totum.
Ubi,
Quid ſit, n. 1.
Ejus objectum, n.2. & 3.
Et forma aliarum virtutum, n.4.
Qualem influxum à Charitate requirant aliæ virtutes, ut ſint meritoriæ, n.5.
Gratia, & Charitas an idem ſint: n. 6.
Amor Amicitiæ, & benevolentiæ erga Deum, n.7. & 8.
Explicatur præceptum de Dilectione Dei ſuper omnia, n.12. ad 14.
Actus Dilectionis Dei quinam ſint, n. 15. & 16.
Quandonam teneamur elicere actum Amoris Dei, n.17. & ſeq.
An ſit licitum diligere Deum ob mercedem, n. 20. & 21.
Charitas erga ſe ipſum, & proximum. V. Tr. 18. per totum. *V. Diligere proximum*.
Cocolata potio an frangat Jejunium. Tr. 38. n. 68.
Chorea uſitatæ à juvenibus utriuſque ſexus ſimul, ſunt ſeminaria ſcandalorum. Tr. 21. n.17. & ſeq.
Chyrurgus, Medicus, &c. cauſans abortum, vel accelerans mortem, quid incurrat. Tr. 26. n. 45.

CLERICUS. CLERICI. SACERDOTES.

Ignorantes quandonam peccent. Tr. 24. n. 4. 5.
Procurantes abortum. Tr. 26. n. 32. 33. 43. 44.
Adulterantes. Tr.28. n.12.
Concubinarii. Tr. 27. n.25.
Non poteſt Clericus cedere Juri Clericorum. Tr. 5. n.67.
Beneficiati, ſeu Beneficiarii an ſit Domini bonorum Eccleſiaſticorum. Tr. 32. n. 30. & ſeq. ubi plura.
Clericis, Sacerdotibus, Monachis prohibetur Negotia, Mercatura. Tr. 34. nu. 106. & ſeq. – Chyrurgia. Tr. 26. n. 43. Ludus alearum. T.33. n. 124.
Inducentes aliquem ad eligendam, aut mutandam ſepulturam excommunicantur. T. 33. n.89.
Circumſtantia peccatorum mutantes ſpeciem. Tr. 39. n.101. Aggravantes, n.102. Notabiliter aggravantes, n.103.
Codicillus. Teſtamentum. Tr.33. n. 79. 81. & ſeqq.
Cocholata. Tr.38.n.68.
Cogere. Cogentes filias ſuas ingredi Religiones excommunicantur. Tr. 23. n. 16.
Cognatio Legalis. Tr. 27. nu. 62. – Cognatio ſpiritualis. ib. n.63.
An iſta oriatur ex Confeſſione ſacramentali. Tr. 27. n.65.
Orta ex publica honeſtate quæ. Tr. 27. n. 68.
Coactè, invitè nemo ſatisfacere poteſt præceptis. Tr. 5.n.40.
Cogitationis peccata, V. *Impudicitia*, *Peccatum*.

Digitized by Google

Cogitare de turpibus quando ſit peccatum. Tr. 37. n. 9. & ſeq.
Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem. *V. Gula*.
Commodatum. Contractus. T. 32. nu. 59. 60. 64. & ſeq.
Comœdias obſcœnas repræſentare, & videre. Tr. 28. n. 42.
Commeſſatio. Crapula. *V. Gula*.
Commiſſionis peccata. *V. Peccata*.
S. Communio in Paſcha. Tr. 38. n. 92. & ſeq. ubi plura ordinatè. *V. Eccleſiæ præcepta*.
S. Communio neganda eſt publicis peccatoribus etiam tempore Paſchali. Tr. 27. num. 27.
Omnia ſunt Communia in extrema neceſſitate. Tr. 32. n. 59.
Commutare Vota, & Juramenta quis poſſit. T. 15. n. 69. 70
Compenſatio occulta, an aliquando ſit licita. Tr. 31. num. 43. & ſeq. — & T. 35. n. 105.
An ſit licita famulis, &c. Tr. 31. num. 48. & ſeq.
Compenſari famam per pecuniam an poſſit fieri. Tr. 36. n. 96.
Compenſatio in bonis fortunæ Infamantis, an poſſit fieri ab Infamato. ibi. nu. 101.
Concio. Catecheſis. Doctrina Chriſtiana audienda eſt de præcepto ab ignorantibus. T. 17. n. 9. & 36. ad 40. ubi plures caſus.
Concionatores quomodo debeant corrigere vitia. Tr. 20. n. 8.
Concubinarius. Concubinatus. Concubina. Tr. 27. n. 21. ad 32. ubi plura per ordinem diſpoſita.
Concupiſcentia interna quid. T. 37. n. 2. & 46.
Concupiſcere rem, & uxorem proximi. ibi.
Concupiſcere. *V. Deſiderare. Delectatio moroſa*, &c.
Conditiones requiſitæ ad peccatum mortale. Tr. 39. n. 40. & ſeq.
Conditiones in aliis materiis, vide ſub propriis vocabulis illius materiæ, vel rei, &c.
Conductio. Locatio. *V. Locatio*.

CONFESSARIUS.

Non poteſt abſolvere ignorantem Myſteria principaliora Fidei. T. 8. n. 24. 27. 28.
Non contrahit cognationem veram ſpiritualem cum ſuis pœnitentibus. Tr. 27. num. 65.
Confeſſarius, qui non admonuit pœnitentem de obligatione reſtituendi, an teneatur reſtituere. T. 35. n. 31. & ſeq.
Confeſſarius Regularis Ordinum Mendicantium poteſt diſpenſare in Votis, ac Juramentis. Tr. 16. n. 76. 77.
Item in impedimento conjugis ad reddendum debitum. Tr. 28. n. 18.
Confeſſarius quicumque etiam Regularis non poteſt abſolvere à Caſu abortus animati, niſi ſpecialem habeat facultatem. Tr. 26. n. 30. 31.
An licitè poſſit abſolvere ſuum complicem. Tr. 27. n. 67.
Regulæ pro Confeſſariis in praxi: quomodo ſe debeant gerere in quibuſdam materiis practicis. *V. Regulæ pro Confeſſariis*, ubi plura, &c.
Confeſſio annua ex præcepto Eccleſiæ. *V. Eccleſiæ præcepta*.
Confidentia. *V. Fiducia. Spes*.
Confidere in hominibus an liceat. T. 10. nu. 21.
S. Congregationis Concilii Trid. Decreta an habeant vim Legis. Tr. 5. n. 68.
Conjuges Ad quid teneantur ad invicem. T. 23. n. 37. & ſeq. 39. & ſeq.
Peccata Conjugum in materia Luxuriæ. Tr. 28. n. 13. 14. 17. & num. 19. & ſeq. *V. Adulterium*.

CONSCIENTIA.
Tr. 1. per totum.
Ubi

Quid ſit Conſcientia, n. 9. & ſeq.
Quotuplex, n. 14. & ſeq.
Conſcientia recta, n. 15. & ſeq.
Erronea, n. 17. & ſeq.
Invincibilis, n. 18. & ſeq.
Vincibilis, n. 21. & ſeq.
Vincibilis quomodo debeat deponi, num. 24.
Erronea ex utraque parte quomodo ſit vincenda. Tr. 1. n. 25. & ſeq.
Conſcientia Probabilis, ſeu Opinativa. nu. 31. ad 45. Ubi multa.
Conſcientia Dubia, n. 46. ad 61. Ubi plura.
Scrupuloſa Conſcientia. Ubi de Scrupulis, Cauſis Scrupulorum, & Remediis. ibi. n. 62. ad finem uſque.
Conſecutio alicujus boni impedita. *V. Impedire*.
Conſenſus requiſitus ad peccatum. *V. Peccatum*.
Requiſitus in Contractibus. Tr. 33. n. 11. *V. Contractus*.
Conſenſus ſuperioris quotuplex. T. 5. n. 60.
Voluntatis conſenſus quotuplex. Tr. 37. n. 5. & ſeq.
Conſentientes, & agentes pari pœna digni ſunt. Tr. 21. n. 23. & ſeq.

Digitized by Google

Conſentire peccato alterius. *V. Cooperari peccato.* Tr. 21. n. 25. & ſeq.
Conſilia Euangelica non ſunt contemnenda. Tr. 7. n. 8.
Conſilium datum in damno inferendo. *V. Damnum. Damnificare. Cauſa cooperantes, &c.*
Conſiliarii Magnatorum, Principum, aliorum &c. quando peccent. Tr. 22. n. 10.
Conſolationes Spirituales multæ, & magnæ in Lege Chriſti ſunt. Tr. 7. n. 29. 30.
Conſtantia, Virtus, Tr. 4. n. 44.
Conſuetudo quid, an habeat vim legis, & quomodo. Tr. 5. n. 59.
CONSUETUDO MALA PECCANDI.
In blaſphemando. Tr. 14. n. 5. & ſeq.
In Jurando, & pejerando. T. 15. n. 23. 26.
In venialiter pecando. Tr. 30. nu. 67. & ſeq.
Habens conſuetudinem peccandi mortaliter ad quid teneatur. Tr. 30. n. 65. 66.
Conſuetudo peccandi, quomodo differat ab Occaſione proxima. Tr. 30. num. 1. & ſeq.
Quomodo poſſit dignoſci à Confeſſario Conſuetudo peccandi in ſuo pœnitente. Tr. 30. n. 37. 57. 60. 66. & Tr. 39. n. 92.
An pœnitens teneatur ſponte fateri Conſuetudinem ſuam peccandi. Tr. 30. n. 38. & ſeq.
Pœnitenti habenti Conſuetudinem peccandi an poſſit differri, aut etiam negari abſolutio. Tr. 3. n. 44. & ſeq. & 54. & ſeq. uſque ad 60. Ubi plures Caſus practici, &c.
Quando Confeſſarius videt pœnitentem eſſe conſuetudinarium, quomodo debeat ſe gerere. Tr. 30. n. 57. & ſeq.
Habens conſuetudinem fornicandi an poſſit abſolvi. Tr. 27. n. 23. 27. & 28.
Habens conſuetudinem imprecandi. T. 22. n. 5.
Conſuetudo Juvenum in amore puellarum amaſiarum. T. 21. n. 16.
Cæteræ conſuetudines. Vide eas ſub propriis vocabulis peccatorum. v. g. Conſuetudo ſe polluendi. *V. Pollutio*; & ſic de aliis.
Modus vincendi quamlibet Conſuetudinem malam. Tr. 30. n. 66. & Tr. 39. n. 91. & ſeq.
Conſuetudinis peccatum quid. Tr. 39. n. 88. & ſeq.
Conſuetudinarii, habituati, Recidivi ad quid teneantur. Tr. 39. n. 91. & ſeq. & Tr. 30. n. 65.
De conſuetudine peccandi, & de occaſione proxima in materia Luxuriæ. Vide T. 30. *per totum*.
Contemptus formalis quid. Tr. 39. n. 65.
Contentio, Litigium quid. Tr. 22. n. 11.
Contentiones Scholaſticæ; an ſint licitæ; & quando illicitæ. Tr. 22. n. 13.
Continentia, virtus. *V. Caſtitas.*
Contrabanniti, fraudatores, aſportantes triticum, & cætera extra Territorium. Tr. 35. n. 108.

DE CONTRACTIBUS.

Tr. 33. *per totum.*

Ubi.

Contractus quid. n. 1. 2. 3.
Quotuplex ſit, n. 4. & ſeq.
Nominatus, & Innominatus, n. 5.
Bonæ fidei, & ſtricti Juris, n. 6.
Abſolutus, & Conditionatus, n. 7.
Pactum nudum, & veſtitum, n. 8.
Lucrativus, & Oneroſus, n. 9.
Omnis Contractus parit obligationem, n. 10.
Qualis conſenſus requiratur, n. 11.
Error in contractibus an, & quando invalidet contractum, n. 12. 13.
Dolus invalidat Contractum. T. 33. n. 14.
Metus, n. 16. & ſeq.
Injuſtè incuſſus metus, n. 19.
Invalidus contractus an poſſit revalidari cum Juramento, n. 20. & ſeq.
Quinam poſſit contrahere, n. 25.
Quot modis perficiatur, n. 33. & ſeq.
An pariat obligationem in utroque Foro, n. 38. & ſeq.
Quomodo contractus poſſit revalidari. T. 33. n. 42. & ſeq.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

De Contractibus gratuitis.
De Promiſſione. Tr. 33. n. 46. & ſequi ubi plura per ordinem.
De Donatione. ibid. n. 52. & ſeq.
De Commodato, n. 59.
De Precario, n. 61.
De Depoſito, n. 62. & ſeq.
De Teſtamentis, Codicillis, & Legatis, n. 79. & ſeq.
De Contractibus Oneroſis.
De Mutuo, & Uſura. Tr. 33. num. 95. & ſeq. ubi plura per ordinem uſque ad n. 117.
De Contractibus Uſurariis. *V. Uſura.*
Contractus trium Contractuum. Tr. 33. n. 115. in fine, & n. 123.
De Societate. n. 118. & ſeq.
Plures contractus poſſunt uniri in uno, n. 123.

Digitized by Google

De Contractu Ludi, & Sponſionis. Tr. 33. n. 124. & ſeq.
De Fidejuſſione, & Aſſecuratione, n. 126.
De Pigore, & Hypotheca, n. 128.
De Emphyteuſi, n. 129.
De Feudo, n. 130.
De cenſibus. Tr. 33. n. 131. & ſeq.
Quid ſit Cenſus. ibid. n. 131.
Quotuplex, n. 131.
Quiſnam licitus. ibid.
Conditiones requiſitæ ad licitum Cenſum. ibid.
De Cambio. Tr. 33. n. 132.
De Locatione, & Conductione, n. 133. & ſeq. ubi plura.
De Emptione, & Venditione. Tr. 39. per totum. V. *Emptio-venditio*.
De Monopoliis. Tr. 34. n. 100. & ſeq.
De Negotiatione, & Mercatura. ibid. nu. 105. & ſeq.
In contractibus an poſſit committi Furtum: & quomodo. Tr. 31. n. 59.
Contumelia, quid. Tr. 36. n. 69. 70. ad 81.
Convitium, quid. Tr. 36. n. 75.
Cooperari furto, vel damno alterius, quòt modis fiat. Tr. 31. n. 65. 66. & ſeq. ubi de Cauſis &c.
Cooperari proximè, & remotè ad peccatum alterius, quando ſit pecc. Tr. 22. nu. 23. & 25. 26. & ſeq.
Copula maritalis quando ſit peccaminoſa, quando licita. Tr. 28. n. 27.
Cordis peccata; V. *Impudicitia*. T. 37. n. 3.

CORRECTIO.

Correctio fraterna. Tr. 20. per totum.
Quando obliget, n. 4. & ſeq.
Conditiones requiſitæ ad eam faciendam, n. 5. & ſeq.
Ordo ſervandus in ea. n. 13. & ſeq.
Quando ſit ommittenda, n. 17.
Praxis tenenda in ea, n. 21.
Excuſatio nonnullorum refellitur, n. 22.
Quomodo ſe gerere debeant Religioſi in viſitatione Prælati in corrigendis erroribus, n. 23. & ſeq.
Crapula. Ebrietas. Quando ſint peccata mortalia. Tr. 4. n. 52. & Tr. 40. n. 25. & ſeq.
Credere ex fide Divina tenemur. V. *Fides*.
Creditor, & Debitor quando ſunt in pari neceſſitate, quiſnam prævaleat. Tr. 29. n. 30. V. *Reſtitutio*.
Credito vendere. V. *Venditio*.
Crimen falſum alicui imponens. V. *Imponere*. *Detractio*.
Crimen notorium quid, & quotuplex. Tr. 36. n. 26.
Crux Chriſti eſt adoranda. Tr. 12. n. 9.
Culpa Juridica, & *Theologica*, quomodo differant. Tr. 33. n. 73. & ſeq.
Ex qua culpa oriatur obligatio Reſtitutionis. ibid. n. 69. 70. & ſeq. & Tr. 35. n. 38. & 39.
Ex Culpa veniali tantùm non oritur obligatio reſtituendi. Tr. 35. n. 109. & 110. & ſeq.
Culpa Civilis quotuplex. Tr. 33. nu. 73. & ſeq.
Cultus Divinus. V. *Religio*.
Cultus, ſeu ornatus ſuperfluus corporis, &c. quando ſit peccatum. Tr. 18. n. 20.
Cupere rem alienam: vel uxorem. V. *Deſiderare*.
Cura ſuperfluà rerum. Tr. 40. n. 25.
Curioſitas mala. Tr. 4. n. 58. & 62.
Curioſitas in ſtudendo. ibid. n. 62.

D

DAMNIFICATIO.

Damnificatio injuſta quæ. Tract. 31. n. 60.
Quotuplex. ibid. n. 61. & ſeq.
Quot modis quis poſſit participare, vel cooperari in damnificatione alterius. ibid. n. 65. & ſeq.
Damnificantes quando, & quomodo teneantur ad reſtitutionem, vel compenſationem. Tr. 53. n. 48. & ſeq. & 52. & ſeq.
Segetes, ſata, arbores, columbas, gallinas, & ſimilia frugifera creſcentia, &c. damnificantes; quantùm debeant reſtituere. Tr. 35. n. 114.
Per ſervos, & animalia damnificantes ad quid teneantur. ibid. n. 115.

DAMNUM.

Damnum illatum ex culpa theologica, nempè ex peccato gravi, reſarciri debet. Tr. 33. n 69. 70. & ſeq. & Tr. 35. n. 109.
Damnum emergens, & lucrum ceſſans quid. Tr. 33. n. 109. & ſeq.
Proprium notabile damnum excuſat à reſtitutione. Tr. 34. n. 89. ad 100.
Damnum etiam graviſſimum inferentes ex ſola culpa veniali, an obligentur ſub mortali, aut veniali ad reſtitutionem. Tr. 35. n. 109. 110.
Damna cætera reſarcire. V. *Reſtitutio*.
Dans operam rei illicitæ, & cauſans damnum, an teneatur ad reſtituendum. Tr. 35. n. 113.
Dare eleemoſynam quiſnam teneatur. V. *Eleemoſyna*.
Debitor, & Creditor exiſtentes in pari neceſſitate,

Digitized by Google

ceſſitate, tenetur Debitor ſolvere Creditori. T.19. n.30.
Debitum conjugale quando poſſit licitè negari conjugi petenti. T.28. n.13. *V. alia V. Conjuges*.
Debita ſolvere. *V. Reſtitutio*. T.35. n.58. & ſeq.

DECALOGUS.

Decalogus, quid. T.7. n.31.
Omnia præcepta moralia reducuntur ad Decalogum. ibid. n.32.
Etiam Virtutes Theologales. n.33.
Quare datus eſt Decalogus, n.34.
In quo fundetur, n. 35.
Præcepta Decalogi an obligent ad opera facienda in ſtatu gratiæ, n.36.
Qui offenderit in uno præcepto fit omnium Reus: & quomodo, n. 45. & ſeq.
Deceptio, decipere, deceptor in contractibus ad quid teneatur. T.33. n.15.
Decretum. Statutum &c. T.5. n. 1.
Decreta S. Congregationis Conc. Trid. quomodo obligent. T.5. n.67. & 68.

DEFENSIO.

Defenſio ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ. T.25. n.5. & ſeq. ad 11.
Defendere ſua bona temporalia an, & quando, & quomodo liceat, etiam occidendo, &c. T.25. n.19. & ſeq.
Defendere honorem ſuum, etiam occidendo calumniatorem, an liceat. T.25. n.21. 22. *Vide Homicidium quò ad reliqua*.
Deflorator. Stuprator ad quid teneatur. Tr. 27. n.40. & ſeq. 45. & ſeq.
Defraudare mercedem Operariis. T. 40. nu. 54.
Defraudare Gabellas. *V. Gabella*.
Delectatio venerea in perſona Sacra. Tr. 13. n. 18.
Delectatio venerea moroſa quæ; & quale pecc. T. 37. n. 25. & ſeq.
Ipſa applicata ſtatibus perſonarum variat ſpeciem. ibid. n.31. & ſeq.
DEI Adoratio. *V. Adoratio*.
Denunciare Superioribus, & S. Officio quædam delicta abſque prævia correctione fraterna. T.20. n.17. *V. Reliqua*. *V. Correctio fraterna*.
Denunciandi ſunt hæretici S. Officio. Tr. 9. n. 12. 13. 18. 19. — Etiamſi non poſſis probare delictum. ibid. n.20.
Etiam blaſphemum hæreticalem. T. 14. n. 10. — etiam delicta occulta. T.36. n.31.
Depoſitum, quid. T. 33. n. 62. & ſeq. — Res depoſita, vel commodata ſi pereat, cuinam pereat. ibid. n.64. & ſeq.

Deriſio. Irriſio. T.36. n.78. & 80.
Derogatio Legis quid. T.5. n.52.

DESIDERIUM.

Deſiderare cœleſtia. *V. Spes*.
Terrena magis, quàm cœleſtia deſiderare, quale ſit pecc. T.10. n.23. & 24.
Deſiderare malum proximo, quale ſit pecc. T.18. n.27. & ſeq.
Quibus modis. ibid. uſque ad n.31.
Malum, non ut malum proximo, ſed ut bonum deſideranti, an ſit pecc. ibid. n. 29. & ſeq.
Deſideria mala. T.37. n.34. & ſeq.
Quomodo ſint peccata. ibid. n.35.
Alia abſoluta deſideria. ibid. 36.
Alia conditionata, n.37. & ſeq.
Alia ineſſicacia, n.38. & ſeq.
Deſiderium malum ſub ratione boni. T. 37. n. 43. & ſeq.
Deſiderarem rem aliquam, quando ſit pecc. T.37. n.47. & ſeq.
Deſiderare Divitias, pecunias. *Vide Avaritia*.
Deſiderium ſimplex habendi res, & divitias, an ſit pecc. T.37. n.55.
Deſperatio ex Accidia. T.40. n.53.
Deſperatio ſalutis æternæ. Tr. 10. nu. 17. ad 19. Tentationes de Deſperatione quomodo vincendæ. ibid. n.20. & T.40. nu. 53.

DETRACTIO.

T.36. *per totum*.

Ubi

Quid ſit n. 1.
Differt à Murmuratione, n. 5.
Quot modis fiat, n.6.
Fit directè, & indirectè. ibid.
Detractio formalis: & materialis, n.7.
Quale ſit peccatum, n.8.9.
Habet annexam obligationem reſtitutionis, n.10.
An aliquando liceat manifeſtare occultum crimen, n.11.
An Amico poſſit manifeſtari injuria. ibid. n. 12.
Si quis provocatus ad malum, ſtatim prorumpat in voces manifeſtativas &c. n. 13.
Ad juſtam ſui defenſionem, an liceat manifeſtare crimen alterius, n.14.
An in tali caſu etiam liceat imponere crimen falſum, n.15.
Imponere ſibi crimen falſum ad evitanda tormenta. T.36. n.16.
Se ipſum infamare, an liceat, nu. 17. & ſeq.
An quis teneatur prodere ſe ipſum, vel oc-

cultum ſuum crimen coram Judice fateri ad liberandum innocentem, n.22.
Detractio formalis, ut ſit peccatum mortale, quot conditiones requirat, n. 23. & ſeq.
Materia gravis detractionis quæ, n. 28. & ſeq.
Stultum, fatuum, ſine cærebro appellare aliquem, an ſit materia gravis, n.29.
Referre crimen occultum, non manifeſtando Delinquentem, an ſit mortale, n. 31.
Dicendo: Homo de tali familia: Religioſus de tali Ordine, vel Monaſterio fecit magnum ſcandalum, an ſit mortale, nu. 32.
Detrahere alicui Ordini, Religioni, Communitati, quale pecc. n.32. & ſeq.
Relata referre, audita ut audita, an ſit mort. n.34.
Manifeſtare occultum crimen alterius, Uni viro prudenti, an ſit pecc. mort. n. 37.
Detrahere Defuncto. T.36. n. 38.
Notorium crimen manifeſtare, an ſit pecc. mort. n.39. 40. & ſeq.
Notorium in uno loco manifeſtare in alio loco, n. 42.
Notorium ex Jure poteſt ubique publicari, n. 43.
Notorium ex fama publica, n.44.
Modus reſcindendi Detractionem. ibid. T. 36. n. 83. ad 112. Ubi de reſtitutione famæ, & honoris.
Audientes detractionem, & detractores an, & quando peccent, & quid agere debeant. ibid. n.113. & ſeq. uſque ad 122.
Cauſæ excuſantes à Reſtitutione famæ, & honoris. ibid. T.36. n.123. & ſeq.

D E U S.

DEUS diligendus ſuper omnia. *V. Charitas.*
Deus plus amari vult, quàm timeri. T. 10. n. 6.
Deus, quare dedit legem ſcriptàm. T. 6. n. 20.
Non derelinquit unquam hominem ſine remedio poſt lapſum. T.6. n.22.
Facienti quod in ſe eſt, non denegat ſuam gratiam. Tr. 6. n.26.
Deus impoſſibilia non jubet. Tr. 6. n. 25.
Non eſt acceptor perſonarum in diſtributione ſuorum donorum. T. 32. n.82.
Non vult, ut homo in ſtultitiam cadat ex ſcrupulis. T.1. n. 65. in fine.
Quare prohibuit expreſsè omnem concupiſcentiam internam. Tr.37. n.2.
Cætera vide aliis titulis.

Devotio vera quid. T. 11. n. 34.
Devotionis cauſæ, quæ, ibid. n.35.
Dictamen conſcientiæ. *V. Conſcientia.*
Dies Feſti obſervandi, & ſanctificandi. *V. Feſtivi dies.*

DIFFERENTIA INTER

Amorem appretiativum, & intenſivum. T. 11. n.14.
Charitatem, & Gratiam. T.11. n. 6.
Conſuetudinem, & Occaſionem proximam peccandi. T.30. n. 1. & ſeq.
Confeſſarium Parochum, & Confeſſarium non Parochum. T.35. n.33.
Detractionem, & Murmurationem. T. 36. n. 5.
Dilectionem Dei, & proximi. T. 18. n. 11.
Diſpenſationem, & Irritationem Voti. Tr. 16. n. 68.
Dominium, Poſſeſſionem, & Proprietatem rei. T.32. n. 13.
Forum Civile, & Canonicum. Forum Poli, & Forum Fori. T. 33. n. 39. & 40.
Injuſtitiam, & Injuriam. Tract. 32. num. 80.
Juſtitiam Diſtributivam, & Commutativam. T.32. n. 7. & ſeq.
Læſionem Juſtitiæ, & læſionem aliarum Virtutum. T.35. n. 101.

Differentia inter

Obligationem Civilem, & Naturalem. T. 33. n. 31.
Lucrum Ceſſans, & Damnum Emergens. T. 33. n.109.
Offenſam, & Injuriam. T.18. n.44.
Propoſitionem hæreticalem, & Blaſphemam. T.9. n.22.
Proportionem Arithmeticam, & Geometricam. T. 32. n. 8.
Præſcriptionem, & Uſucapionem. T. 32. n. 75.
Propoſitum, & Promiſſionem. T.33. n.47.
Portionem Superiorem, & Inferiorem. T. 39. n. 44.
Peccatum habituale, & peccatum ex habitu. T.39. n.111.
Reſtitutionem Famæ, & honoris. Tr. 36. n. 102.
Reſtitutionem, & Satisfactionem. Tr. 35. n. 8.
Scientiam, & Sapientiam. T.24. n. 20.
Teſtamentum, & Codicillum. T.33. n.79.
Tutorem, & Curatorem. T.33. n.30.
Votum, & Juramentum pium. T. 16. n. 53.
Uſum-fructus, Uſum juris, Uſum-facti. T. 32. n.17. & ſeq.

Digitized by Google

Diffidentia, Vitium. Tr. 4. n. 46.
Dignitates appetere. *V. Ambitio*.
Dilectio erga Deum. *V. Charitas*.

DILECTIO ERGA SEIPSUM, ET PROXIMUM.
Tr. 18. *per totum*.

Tenemur diligere nosmetipſos. ibid. n. 1.
Diligere proximum, n. 2. & 3.
Diliges proximum ſicut te ipſum: quomodo intelligatur, n. 4.
Quinam ſit noſter proximus, n. 5.
In Deo, & propter Deum diligendus eſt proximus, n. 6.
Datur hoc præceptum de dilectione proximi, n. 7. & ſeq.
Diligere proximum actu interno, & formali, quid. T. 18. n. 9.
Et quando teneamur, ib. n. 9. 10. & ſeq.
Ordo dilectionis proximi qualis. ibid. n. 13. & ſeq.
Exponere ſe periculo vitæ pro proximo quando liceat, & obligamur, n. 16.
In extrema neceſſitate proximi tenemur ei ſuccurrere, n. 17.
Ordo ſervandus inter perſonas diligendas, 18.
Amor inordinatus ſui ipſius, & Creaturarum. T. 18. n. 19. ad 21.
Odium erga proximum quale pecc. n. 22. & ſeq.
Deſiderare malum proximo quale peccatum, n. 27. & ſeq. ad 31.
Diligere Inimicos tenemur: & quomodo. T. 18. n. 32. & ſeq. ubi plures Caſus ordinatè, &c.
Reconciliari, pacem dare Inimicis, n. 40. & ſeq.
Diminuere pondus, menſuram &c. in vendendo. *V. Venditio*.
Diſcordia quid, & quale pecc. T. 22. n. 9.
Diſcipuli, Scolares quid debeant Magiſtris ſuis. T. 23. n. 46. & ſeq.
Diſcipuli doctorandi, quando peccent in Examine, T. 23. n. 49.
Diſcipuli Regulares, Religioſi ad quid teneantur. T. 24. per totum.
Diſcretio Virtus, Mater Virtutum. T. 25. n. 33. & T. 4. n. 10.
Diſputationes Scholaſticæ quando illicitæ fiant, T. 22. n. 13.
Diſpenſatus à carnibus in Jejunio, an teneatur abſtinere à pluribus comeſtionibus. T. 38. n. 57. & 58.
Diſpenſare à Jejunio, Voto &c. *V. Jejunium. Votum &c.*
Diſpenſare in Voto, & Juramento quis poſſit. T. 15. n. 69. 70. & meliùs. T. 16. nu. 66. 67. & ſeq.
Diſpenſatio Legis quid. T. 5. n. 53. 54.
Diſſimulare quandoque licitum. T. 21. n. 12. Reg. 3.
Diſtillatio venerea quid. T. 29. n. 46.
Divinatio quid. T. 13. n. 5.
Diviſio bonorum Eccleſiaſticorum quomodo ſit introducta, & quare. T. 32. n. 36.
Diviſio bonorum temporalium quo Jure ſit introducta. T. 32. n. 57.

DIVITES

Tenentur ſub mortali ad Eleemoſyam faciendam. T. 19. n. 13. 14. & ſeq.
Differentes ſolutionem ſuorum debitorum, quando peccent. T. 35. n. 25.
Debent diminuere proprium ſtatum ad faciendam Reſtitutionem. T. 35. n. 91.
Defraudantes mercedem operariis. Tr. 40. n. 54.
Dives. Ditior. Locupletior fieri ex re aliena bona fide poſſeſſa; quid. T. 35. n. 22.
Divinarum litterarum ſtudium maximè convenit Religioſis. T. 24. n. 6.
Doctor Eccleſiaſticus ad quid teneatur. Tr. 24. n. 17.
Doctorum peccata: quæ. T. 24. n. 22. 23. & ſeq. ad 29.
Doctoratus, T. 23. n. 49.
Doctores, Magiſtri. T. 23. n. 46. & ſeq.
Doctrina Chriſtiana neceſſaria ignorantibus, Audienda diebus Feſtis. Tr. 17. n. 9. Et aliquando præferenda auditioni S. Miſſæ. ibid. n. 36. ad 40.
Dolus dans cauſam contractui. T. 33. n. 14.
Domeſticorum furta. T. 31. n. 37. & ſeq.

DOMINIUM.

Rerum temporalium quid. T. 32. n. 13.
Dominium, & Poſſeſſio rerum. ibid. n. 22. & ſeq. ubi plura ordinatè.
Homo non habet Dominium vitæ ſuæ. T. 32. n. 27. ſed famæ, n. 28.
Bonorum Eccleſiaſticorum Dominium, n. 30. 32. 36.
Regulares in particulari non habent dominium &c. T. 32. n. 40. & ſeq.
Uxores an habeant dominium. T. 32. n. 53. & ſeq.
Filii-familias, ibid. n. 43. & ſeq.
Quænam res cadant ſub dominio hominum, n. 55.
Homo ipſe, an cadat ſub dominio alterius, n. 56.
Quibus modis acquiratur dominium, n. 60. & ſeq.
Domini incerti bona cujus fiant, n. 61. & ſeq.

Digitized by Google

Dominorum obligationes erga famulos. Tr. 23. n. 45.
Donatio quid & quotuplex. T.33. n. 52.
Quomodo obliget, n.53. & ſeq.
Quando obliget, n.53. & ſeq.
Quando, quare poſſit revocari, n.57.
Donatio inofficioſa quid, n. 58.

D U B I U M.

Dubium quid, & quotuplex. Tr. 1. n.47. & ſeq. ubi multa de Conſcientia dubia.
Dubium negativum, & poſitivum, n. 48.
Practicum, & ſpeculativum, n.49.
Juris, & Facti, n.50.
Non eſt licitum operari cum dubio practico, n.51.
Quomodo debet deponi, n.52.
Quomodo in dubio facti poſſit quis operari, n.54.
Licitum eſt operari cum Dubio poſitivo pro utraque parte probabili, n.55. & ſeq.
In dubio tutior pars eſt eligenda, n.58. & ſeq.
In dubio melior eſt conditio poſſidentis, n.61.
Dubius in fide eſt hæreticus. T.9. n.15. & 16.
Dubium voluntarium circa fidem non facit errorem. ibid. n.17.
Dubitans, an ſua actione, vel omiſſione fuerit cauſa damni, non tenetur ad reſtitutionem. T.35. n. 107.
Dubitatio temeraria, quæ. T.36. n. 136.
Dubia ſemper in meliorem partem ſunt reſolvenda, & interpretanda. Tr. 36. num. 136.
Ducere uxorem an poſſint filii contra voluntatem Parentum. *V. Filii*.
Ducere choreas, ſaltare, ludere cum fœminis, eſt ſeminare ſcandala. T. 21. n. 17. & ſeq.
Duellum illicitum &c. T.25. n.24. & ſeq.
Dulia adoratio. *V. Adoratio*.
Duplicitas cordis, quæ. T.4. n.30.

E

Ebrietas, vitium. T. 4. n. & T. 40. n. 24. & ſeq.
Ebriare, vel inebriare ſe, vel alium, an aliquando ſit licitum. T.21. n.29. & T. 70. n.31. & ſeq. *V. Gala*.

E C C L E S I A D E I.

Eccleſia Dei fulcitur Sanctitate, & Scientia. T.24. n.7.
Eccleſia quid ſit. T. 38. n. 1.
Extra Eccleſiam non eſt ſalus. ibid. n.2.
Notæ, vel ſigna veræ Eccleſiæ, nu. 3. & ſeq.
Argumenta, & viæ decem, quibus probatur Eccleſia noſtra, ut vera. ibid. n.23.
Eccl. ſia poteſt præcipere actus etiam merè internos. T. 5. n.24. & ſeq.
Et inſtituere Feſta de præcepto. Tract. 17. n.6.
Eccleſia quare dicatur non judicare de internis, & occultis. T.5. n.30.
Eccleſiæ præcepta obligant ſub mortali ex genere ſuo. T.38. n.11.
Præcepta Univerſalia Eccleſiæ quæ. ibid. n. 12.

Præceptum univerſale Eccleſiæ de Miſſa audienda in Feſtis.

Obligatio audiendi Miſſam die Feſto eſt gravis. T.38. n.13.
Sacerdotes celebrantes ſatisfaciunt optimè, n.13.
Obligat omnes uſum rationis habentes, n. 14.
Una tantùm Miſſa etiam in Natali Domini ſufficit, n.15.
In feria ſexta Paraſceve non obligat, nu. 16.
Poſſunt recitari orationes etiam ex obligatione temporis auditionis Miſſæ, n. 17.
In Oratoriis privatis, & publicis an ſatisfiat, n. 18.

Præceptum univerſale Eccleſiæ de Jejunio in Quadrageſima.

Omnibus diebus Quadrageſimæ obligat Jejunium rigoroſum plenum, & perfectum: exceptis Dominicis. T.38. n.21. 22.
Quid ſit Jejunium plenum, & perfectum, n.24.

In Quatuor anni Temporibus, & Vigiliis.

Tenentur Fideles adulti ad Jejunium. Tr. 38. n.25.
Quod tamen probabiliter poteſt ſubſiſtere in eſu lacticiniorum, n.26. & ſeq.

In omnibus ſextis feriis, & Sabbatis.

Tenentur Fideles ad Jejunium ſemiplenum, & imperfectum. ibid. n.30.
Et hæc abſtinentia à carnibus eſt ſignum Chriſtianitatis, n.31.
Si occurrat Natale Domini in dictis diebus, licitum eſt ex conſuetudine manducare Carnes, n.31.
Etiam qui ex voto privato ſe obligavit; niſi expreſſerit &c. num. 42.

Præceptum univerſale Eccleſiæ de annua Confeſſione.

Quare obligamus ad Confeſſionem. T. 38. n. 69.

Qui-

Digitized by Google

Quinam ſit proprius Parochus, vel Sacerdos ad hoc. n. 70. & ſeq.
Quinam teneatur ad Confeſſionem. n. 73. & ſeq.
Confeſſio invalida non ſufficit; quia debet eſſe fidelis. n. 76.
Omnia peccata mortalia etiam dubia ſunt confitenda, n. 77.
Non autem Venialia. n. 78. etiam in Paſcha. n. 78.
Saltem ſemel in anno: quid ſignificet. n. 79.
Varii caſus practici circa Confeſſionem annuam. ibid. n. 81. ad 91.
Confiteri numerum, & ſpeciem peccatorum. *V. Peccata.*

Præceptum univerſale Eccleſiæ de Communione Paſchali.

Ubi habetur hoc præceptum? Tract. 38. n. 92.
An ſit etiam Divinum Præceptum. ibid. n. 93.
Quare Eccleſia non obligaverit nos ad frequentiorem Communionem. n. 94.
Quinam teneantur ad Communionem Paſchalem. n. 95.
Pueri in mortis periculo poſſunt communicare, & quandoque debent, etiamſi aliàs numquam communicaſſent; dummodò ſciant &c. n. 96.
In propria Parochia debent fideles ſumere Communionem. n. 97.
Plures Caſus practici ad hoc præceptum de Communione Paſchali pertinentes. n. 99. ad 101.
Regularibus prohibitum eſt à Sacra Congregatione Concilii miniſtrare Euchariſtiam in die Paſchæ. n. 99.
Qui non communicavit infra tempus Paſchale, adhuc tenetur quamprimùm. ib. n. 106.
Tempus Paſchale poteſt differri prudenter à Confeſſario aliquibus pœnitentibus indiſpoſitis, vel impeditis. ibid. nu. 108. & ſeq.
Concubinariis, & Meretricibus neganda eſt SS. Communio etiam in Paſcha. Tr. 27. n. 27.
Eccleſiaſtici an ſint verè Domini bonorum Eccleſiaſticorum. Tr 32. n. 30. & ſeq.
Educatio filiorum. *V. Parentes erga filios.*
Effectus malus quomodo debeat eſſe volitus, ut imputetur ad culpam. Tr. 3. n. 14. 15. & 19.
Electio ſtatus debet eſſe libera: ita ut filii non teneantur in hoc puncto obedire Parentibus. Tr. 23. n. 14. & ſeq.

E L E E M O S Y N A.

Eleemoſyna corporalis. Tr. 19. per totum.
Quid eſt virtus miſericordiæ? ibid. n. 1.
Quænam ſint Opera miſericordiæ corporalis, & ſpiritualis. n. 2.
Quid ſit Eleemoſyna? n. 3.
An ſit de præcepto. n. 4. & 5.
Ex quibus capitibus oriatur obligatio faciendi Eleemoſynam. n. 6. & ſeq.
Ex quibus bonis ſit facienda. n. 7. & 8. & ſeq.
Quando ſit facienda, & quibus. n. 11. 12. & ſeq.
Quando obliget ſub mortali. nu. 13. 14. 15. & ſeq.
An poſſit ſatisfieri mutuando pauperibus. n. 25.
An poſſit fieri de bonis alienis. n. 26. & ſeq.
Quid in pari neceſſitate? n. 30.
An de bonis malè acquiſitis. n. 29.
Qui habet bona propria, & ſimul aliena, an poſſit facere eam de alienis. Tr. 19. n. 31.
Quinam poſſint dare eleemoſynam. n. 32.
Quibus pauperibus facienda ſit. n. 33.
Quo ordine facienda ſit. n. 34.
Dans eleemoſynam ad malum finem, ſatiſfacit præcepto: licèt aliunde peccet. Tr. 5. n. 44.

E M P T I O.

Emptio. Venditio. V. Venditio, ubi plura ordinatè poſita ſunt. Tr. 34. per totum.
Empta res furtiva, vel furata, cui reſtitui debeat. Tr. 31. n. 69.
Emphyteuſis contractus. Tr. 33. n. 129.
Epiſcopi quo ad diſpenſandum in votis. Tr. 16. n. 72.
Et quo ad leges condendas. Tr. 5. n. 18.
Et quo ad Feſta. Tr. 17. n. 6.
Epiſtolas alienas aperire quale ſit peccatum. Tr. 36. n. 127.
Epiſtola legis, quid. Tr. 5. n. 56.
Equeſtris vir provocatus ad duellum. *Vide Duellum.*
Equeſtrem ludum exercentes, an peccent. Tr. 25. n. 30.
Error in Fide quid. Tr. 9. n. 5. & 6. *V. Hæreſis.*
Error in contractibus. Tr. 33. n. 12.
Evagatio mentis. Tr. 40. n. 48.
Euangelium Chriſti, an reverà fuerit prædicatum per univerſum mundum. Tr. 9. nu. 3. & 4.
Euangelio non crederem, niſi Authoritas Eccleſiæ me commoveret, quid. Tr. 8. n. 5.

E V C H A R I S T I A.

Euchariſtiæ Sacramentum eſt adorandum cultu Latriæ. Tr. 12. n. 8.

Eu-

Digitized by Google

Euchariſtiæ perceptio in Paſcha. *V. Eccleſiæ præcepta: ubi de Communione Paſchali.*
Evictio rei venditæ, quid. Tr. 34. n. 49.
Eunuchi, Caſtrati, an ſint Irregulares. Tr. 25. n. 39.
Et an ſit licitum eunuchare, vel caſtrare aliquem. ibid. n. 35. ad 39.
Eutrapelia virtus, quid. Tr. 4. n. 61.
Examen examinandorum, quando ſit fraudulentum, quid. Tr. 23. n. 49.
Excellentia novæ legis. Tr. 7. n. 18. & ſeq.

EXCOMMUNICATIO MAJOR CONTRA

Duellum exercentes. Tr. 25. n. 26.
Percuſſorem Clerici, vel Monachi. Tr. 25. n. 44. & 45.
Raptorem mulieris, Tr. 27. n. 58.
Inceſtuoſos. Tr. 27. n. 69.
Aſſaſſinos, Tr. 25. n. 46.

CONTRA

Abortum animatum procurantes. Tr. 26. n. 27. 40. & 41.
Inducentes aliquem ad eligendam, vel mutandam ſuam ſepulturam. Tr. 33. n. 89.
Inducentes filias ſuas ad ingrediendam Religionem. Tr. 23. n. 16.
Hæreticos externè. Tr. 9. n. 13.
Laicos diſputantes de rebus Fidei. Tr. 22. n. 12.
Excuſantes Cauſæ. *V. Cauſa. &c.*
Exigere Juramentum ab eo, quem ſcis eſſe pejeraturum, an ſit licitum. Tr. 15. n. 63.
Exiſtens in ſtatu peccati mortalis, an poſſit ſatisfacere præceptis. Tr. 5. n. 38. 39.
Circa opera facta ab exiſtente in tali ſtatu. *V. Peccatum. Opera. Actus. Mereri.*
Exponere ſe periculo vitæ. *V. Periculum, &c.*
Exponentes filios ſuos Hoſpitali ad quid teneantur. Tr. 28. n. 11.

F

Facultas, licentia, &c. non expirat morte Concedentis. Tr. 5. n. 66.
Facultas ſe defendendi non permittitur, quando à Principe data eſt libertas oſtendendi. Tr. 25. n. 11.
Falſificantes pondera, & menſuras. Tr. 31. num. 25.
Falſum Teſtimonium. *V. Teſtimonium.*
Falſum crimen alicui imponens ad quid teneatur. Tr. 36. n. 84. & ſeq.
Fama bona, quid. Tr. 36. n. 3.
Fama ablata an poſſit compenſari per pecuniam. Tr. 36. n. 96.
Famam reſtituere quot modis poſſumus. Tr. 36. n. 83. & ſeq. *V. Reſtitutio.*
Famuli inſervientes Dominis ſuis ad peccandum. Tr. 21. n. 25.
Famulorum peccata contra Dominos. Tr. 23. n. 44.
Famulorum furta. Tr. 31. n. 37. & ſeq.
Famuli accipientes aliquid pro compenſatione ſalarii. Tr. 31. n. 48. & ſeq.
Fatuum vocare aliquem, an ſit magna injuria. Tr. 36. n. 29.

FESTIVI DIES

Sunt ſanctificandi, quo Jure & quomodo. Tr. 17. per totum.
Sabbatum commutatum in diem Dominicam, quare. Tr. 17. n. 4. 5.
Quæ opera præcipiantur in Feſto. ib. n. 7.
Auditio Miſſæ. ibid.
An in die Feſto teneamur elicere actum Contritionis. num. 8.
An orare. Tr. 17. n. 9. An audire Concionem. n. 9.
An elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis. n. 10. 11.
Miſſa audienda die Feſto, & quomodo. n. 12. ubi plura per ordinem, & per caſus. n. 12. & ſeq.
An Doctrinæ Chriſtianæ auditio præferenda ſit auditioni Miſſæ, n. 36. ad 40.
Opera prohibita die Feſto, n. 41. & ſeq. ubi multa per caſus.
Feudum quid? Tr. 33. n. 130.
Fœmina. *V. Fœmina.*
Fætus. V. Fœtus.

FIDES.

Fidei Divinæ rudimenta audienda, & ſcienda. Tr. 17. n. 9.
Fides Divina, quid. Tr. 8. n. 1. & ſeq.
Quotuplex ſit Fides. ibid. n. 2.
Habitualis, & actualis Fides. ibid.
Fidei actus quomodo fiat. n. 3. ibid.
Objectum Fidei, quid. Tr. 8. n. 4.
Quid ſit credere Deum, Deo, & in Deum. ibid. n. 9.
Præceptum Fidei. n. 10. & ſeq.
Fides explicita, & implicita. n. 13.
Fidei Articuli credendi neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti. n. 14. 15. 29.
Fides debet eſſe ſupernaturalis, & quomodo. n. 16. & ſeq.
Ignorans myſteria principaliora Fidei non eſt capax abſolutionis Sacramentalis. n. 24. & ſeq.
Obligatio ſciendi res Divinas, non eſt æqualis in omnibus Perſonis. num. 30. 31. 32.
Quando-nam teneamur elicere actus Fidei. Tr. 8. n. 33. & ſeq.

Ju-

Digitized by Google

Juſtus ex Fide vivit, quomodo ſit verum. n. 40. 41.
Quàm facilè boni Chriſtiani eliciant plures actus Fidei. n. 45.
Peccata contra Fidem. Tract. 9. per totum.
Tentationes contra Fidem quomodo vincantur. Tr. 9. n. 21.
Fidei habitus quando infundatur, & in qua Potentia Animæ. Tr. 10. n. 10.
Fidejuſſio quid. Tr. 33. n. 126.
Fiducia, Virtus. Tr. 4. n. 46.

FILII-FAMILIAS

An poſſint vovere. Tr. 16. n. 18.
Ad quid teneatur erga Parentes. Tr. 23. quaſi per totum.
Amor, Obedientia, Reverentia, &c. Filiorum erga Parentes. Tract. 22. nu. 4. & ſeq.
Regulæ cognoſcendi peccata Filiorum. ib. n. 11. & ſeqq.
In electione ſtatus non tenentur obedire Parentibus. n. 14.
An verò teneantur petere Conſilium de Matrimonio contrahendo, & quomodo. n. 19. & ſeq.
Non tenetur filius credere Matri aſſerenti eum eſſe illegitimum. Tr. 28. n. 6.
Filios exponere Hoſpitali, an ſit peccatum, & ad quid teneantur exponentes. Tr. 28. n. 11.
Filiorum furta. Tr. 31. n. 37.
Bona Filiorum. Tr. 32. n. 43.
Quorum bonorum habeant Dominium Filii. Tr. 32. n. 43. & ſeq.
Finis actionum humanarum. Tr. 3. n. 11. *V. Actus humani.*
Finem ultimum quis ponens in peccato quid. Tr. 39. n. 66.
Fœmina tangens res Sacras an peccet. Tr. 13. n. 27.
Fœmina ſciens, ſe concupiſci perditè, quomodo debeat ſe gerere. Tr. 21. n. 13. 15. & Tr. 21. n. 27.
Fœminæ ſe immodeſtè ornantes, quando peccent. Tr. 21. n. 14.
Fœminæ Amaſiæ, Amantes, Amatæ, quando peccent. Tr. 21. n. 16.
Fœminæ gravidæ dantes cauſam abortui. Tr. 26. n. 21. Vide plura. *V. Abortus.*
Fœtus in utero Matris quando animetur. Tr. 26. n. 2. Vide plura. *V. Abortus.*
Fornicatio; Fornicarii. Tr. 27. n. 12. ad 20. & 32. ubi plura per ordinem, & Caſus varii.
Fortitudo, Virtus. Tr. 4. n. 38. 40.
Forum, quid, & quotuplex. Tr. 33. nu. 39. 40. 41.
S. Franciſci Fratres. *V. Fratres Minores.*

FRATRES MINORES.

Fratres Minores S. Franciſci ex vi Regulæ tenentur ad ſtudium ſapientiale, & ad concionandum. Tr. 24. n. 8.
Ipſi non poſſunt habere Dominium rerum temporalium, nec in communi, nec in particulari; Sed tantùm habent Uſum facti rerum neceſſariarum. Tr. 32. n. 42.
Reliqua communia. *V. Regulares mendicantes.*
Et multa alia in ſecunda parte.
Fraus, quid. Tr. 4. n. 32.
Fraus in contractibus. Tr. 33. n. 24. *V. Dolus.*
Fraudantes Gabellas. *V. Gabella.*
Fraudatores. Contrabanniti transferentes triticum extra Territorium, an poſſint abſolvi. Tr. 36. n. 108.
Frequens relapſus in peccatum. *V. Conſuetudo peccandi.*
Fructus rei, quid? Tr. 32. n. 18.
Fructus naturales, induſtriales, mixti, Civiles. Tr. 35. n. 46.
Frugalitas, Virtus. Tr. 4. n. 60.
Funambuli: ludentes per funem, an peccent. Tr. 25. n. 30.

FUR, FURTUM, FURARI.
Tr. 31. *per totum.*

Furtum quid ſit. n. 1. 2. & ſeq.
Quotuplex ſit. n. 12.
Fur, Latro quid. n. 13.
Fur diurnus, & nocturnus. n. 14.
Rapina quomodo differat à Furto. n. 15.
Furtum mortale an poſſit evadere veniale, & è contra. n. 17.
Parvitas materiæ in Furto quæ? n. 19. & ſeq.
Gravitas materiæ. n. 20. & ſeq.
Furta minuta an poſſint conſtituere materiam gravem. n. 24.
Falſificantes pondera, & menſuras ſunt fures. n. 25.
Multa pauca faciunt unum ſatis. n. 26. 27. & ſeq. ubi plures caſus.
Ex ſola detentione injuſta rei alienæ poteſt quis mortaliter peccare. n. 31.
Cumulus ex multis parvis materiis quomodo fiat, & quanta materia requiratur ad mortale. n. 32. 33.
Modus reſtituendi ſic ablata per pauca furta. n. 34.
Plures ſimul damnum leve inferentes, quando peccent mortaliter. n. 35. 36.
Quid de Furtis Domeſticorum, Uxorum, Filiorum, Religioſorum, n. 37. & ſeq.

Compenſatio occulta, an ſit licita. Tr. 31. n. 43. 44. & ſeq.
Famuli ſibi compenſando an peccent. n. 48. & ſeq.
In neceſſitate conſtitutus, an poſſit auferre alienum. Tr. 32. n. 51.
In extrema neceſſitate accipiens aliquid, an poſteà teneatur reſtituere. n. 51.
In gravi neceſſitate non licet furari. n. 52.
In pari neceſſitate quinam ſit præferendus in Jure. n. 55.
Accipiens rem Domino videnti, an ſit fur. Tr. 31. n. 57.
Accipiens uſum rei. n. 58.
In contractibus poteſt dari Furtum. n. 59.
Damnificatio quid, & quotuplex. n. 60.
Ex culpa Theologica damnificans. n. 62. & 64.
Ex culpa Civili tantùm. n. 63. 64.
Modi, genera, Cauſæ participandi in furtò, vel damno, quot? n. 65. & ſeq.
Accipiens rem ſuam apud alium extantem, an peccet. n. 68.
Rem furatam emens, cuinam debeat reſtituere; Furi, an Domino. n. 69. & ſeq.
Fur lucrans ex re aliena, an poſſit ſibi retinere lucrum. Tr. 34. n. 51.
De Reſtitutione ex Furto. *V. Reſtitutio rei alienæ.*

G

Gabella quid? Tr. 32. n. 85.
Ut ſit juſta requirit plures conditiones. ibid. n. 86.
Subditi an teneantur ſolvere Gabellas. n. 88.
Fraudantes Gabellas an peccent: & an teneantur ad reſtitutionem. n. 89. & 90. & Tr. 35. n. 108.
Gladiatores, an peccent. Tr. 25. n. 30.
Gratitudo, Virtus. Tr. 4. n. 37.
Gratia Dei ſtatus. *V. Status.*
Gratia Dei ſanctificans, an differat, à Charitate. Tr. 11. n. 6.
Gratia Dei non denegatur facienti quod in ſe eſt. Tr. 6. n. 26.
Gratia, privilegium, licentia, facultas &c. non expirat poſt mortem Concedentis. Tr. 5. n. 66.
Gravitas materiæ in quovis peccato. *V. Parvitas materiæ*, nam ex parvitate dignoſcitur gravitas oppoſita.
Gula, Vitium. Tr. 4. n. 52.
Gula quid? & quale peccatum. Tr. 40. nu. 22.
Habet varios modos. n. 23.
Crapula, Comeſſatio, Ebrietas. n. 24.
Sunt peccata mortalia. n. 25. 26.
Signa plenæ ebrietatis. n. 28.
Non curans de ſecutura ebrietate. n. 29.
Non prævidens Ebrietatem. Tr. 40. num. 30.
Ignorans qualitatem vini generoſi. ibid.
An ſit aliquando licitum ſe, vel alium inebriare. n. 31. ibid. & Tr. 21. n. 29. & 30.

H

Habitus Fidei, Spei, & Charitatis, quandonam infundantur: & in qua potentia Animæ. Tr. 10. n. 10. & 11. Et quando corrumpantur, & annihilentur. n. 12.
Habitus vitioſus. Habituatus peccator. *V. Conſuetudo peccandi.* Tr. 39. n. 88. & ſeq. & Tr. 30. per totum.
Habituati in Blaſphemando. Tr. 12. nu. 5. & ſeq. *V. Blaſphemia*: & ſic de aliis vitiis in ſuis titulis.
Hæredes, quibus conſtat voluntas manifeſta Teſtatoris, tenentur in conſcientia eam adimplere, etiam ſine Teſtamento, & Teſtibus. Tr. 33. n. 84.
Hæredes quando teneantur credere Confeſſario teſtanti de aliqua diſpoſitione Defuncti. Tr. 33. n. 87. *V. Teſtamentum quo ad alia.*

H Æ R E S I S.

Hæreſis, quid? Tr. 9. n. 5. & ſeq.
Hæreticus quis? ibid. n. 2. & ſeq.
Homo ruſticus quando-nam poſſit eſſe hæreticus. ib. n. 8. & 9.
Homo doctus, quando-nam ſit hæreticus. ibid. n. 10.
Hæreſis quot modis poſſit contingere. Tr. 9. n. 11. & 12.
Hæreſis interna, & ſimul externa inducit excommunicationem Papalem in Bulla Cœnæ. ibid. n. 13.
Dubius in Fide eſt hæreticus. n. 15.
Sciens aliquem eſſe hæreticum, tenetur denunciare. n. 18. 19. Etiamſi non poſſit probare. n. 20.
Hæreticalis propoſitio differt à blaſphemia hæreticali. n. 22.
Ignorantia craſſa excuſat ab hæreſi. n. 23.
Hæretici, & ſuſpecti de hæreſi ſunt denunciandi ſine prævia correctione fraterna. Tr. 29. n. 17. & 18.

H O M O

Suis relictus viribus non poteſt obſervare totam legem. Tr. 6. n. 18.
In homine datur duplex Portio, vel Ratio: ſuperior, & inferior. Tr. 6. n. 19.
Poſt

Digitized by Google

Poſt lapſum eſt miſer à ſe, ſed non derelictus à Deo, Tr. 6. n. 18. 19. & ſeq.
Facienti quod in ſe eſt, non denegatur Gratia à Deo, Tr. 6. n. 26.
Eſt incapax abſolutionis neſciens Fidei Myſteria principaliora, Tr. 8. n. 24.
Quænam ſcire teneatur, ib. n. 31. *V. Fides.*
Homo ſperans, & confidens in homine, quando peccet, Tr. 10. n. 21.
Homo quantumvis peccator debet orare, Tr. 12. n. 31.
Et exiſtens in ſtatu peccati mortalis debet facere bona opera, quæ valdè utilia ſunt, Tr. 3. n. 27. & 28.
Homo non eſt dominus ſuæ vitæ, & membrorum, Tr. 25. n. 27. & Tr. 32. n. 27. & Tr. 25. n. 34.
Eſt tamen Dominus ſuæ famæ, quam non debet prodigere, Tr. 32. n. 28.
Homo poteſt cadere ſua Dominio alterius hominis, Tr. 32. n. 56. *Vide plura ſub aliis titulis.*

HOMICIDIUM.
Tr. 25. *per totum.*
Ubi

Licitum, quale, n. 2.
Cum moderamine inculpatæ tutelæ, nu. 5. & ſeq.
Injuſtum aggreſſorem occidere licet, n. 8. & ſeq.
Adulter deprehenſus in flagranti poteſt ſe defendere, n. 13.
Uxor, vel Filia deprehenſa in flagranti non poteſt occidi à Marito, Patre &c. n. 13. ad 15.
Judex non ſervato ordine Juris non poteſt interficere malefactorem, n. 14.
Item Judex ſciens certò aliquem eſſe innocentem, non poteſt eum condemnare morte, ibid. n. 16.
Qui mihi minatur mortem non poſſum eum occidere, niſi aggreſſio ſit inevitabilis, nu. 18.
Pro tuendis bonis fortunæ an ſit licitum occidere Furem, n. 19.
Aggreſſorem honoris an poſſim occidere, nu. 21.
Aggreſſorem impudicum quandoque poſſum occidere, n. 22.
An ſit licitum proximum tuum defendere, ſicut te ipſum in dictis caſibus, n. 23.
Duellum eſt illicitum, n. 24. & ſeq.
Occidere ſe ipſum non eſt licitum; niſi ex Dei mandato, Tr. 25. n. 27. & ſeq.
Plures caſus deducti de indirecta ſui occiſione, ibid. n. 30. & ſeq.
Religioſi, Monachi numquam carnem manducantes, n. 31. vel mortem accelerantes, ibid. n. 32.
In mortificationibus corporis debetur Diſcretio, n. 33.
Mutilare ſe, vel alium, quando ſit licitum, n. 34.
Caſtrare ſe, vel alium, an aliquando liceat, ibid. n. 35. 36. & ſeq.
Irregulares fiunt aliqui Caſtrati. Tr. 25. n. 39.
Pœnæ eorum, qui ſe ipſos occidunt, n. 41.

Quid, & quotuplex ſit Homicidium illicitum. Tr. 25.

Voluntarium: & Caſuale, ibid. n. 42.
Simplex: & Qualificatum, n. 43.
Parricidium, ibid.
Sacrilegium, n. 44. & 45.
Latrocinium. Aſſaſſinium, n. 46.
Proditorium, & ejus pœnæ, n. 46.
Veneficium, n. 47.
Abortus, n. 48.
Præmeditatum homicidium, n. 49. 50. & 51.

HOMICIDA

Ad quid teneatur, Tr. 25. n. 52. & ſeq.
An ad aliquam compenſationem pro damno vitæ ablatæ: & pro Anima Occiſi, n. 55. & ſeq.
Pro mutilatione, vulnere &c. n. 59. & ſeq.
Pro læſione corporis: dolore animi, triſtitia cauſata &c. n. 62.
An ad reſtitutionem teneatur homicida, vel mutilator; ſi ipſe à Judice puniatur in corpore, & vita, Tr. 25. n. 65.
Modus examinandi homicidam à Confeſſario tenendus, ib. n. 66. & ſeq.
Homicidium proditorium eſt peccatum clamans in Cœlum, Tr. 40. n. 54.
Honeſtas, Virtus, Tr. 4. n. 49.
Honor quid, Tr. 36. n. 4.
Modus reſarciendi honorem, ibid. n. 83. & 102. & ſeq.
Hoſpitali Innocentium exponentes ſuos filios an teneantur compenſare damna ipſi loco pio, Tr. 28. n. 11.
Humani Actus. *V. Actus.*
Humilitas, Virtus neceſſaria ad ſalutem, Tr. 4. n. 63. & ſeq.
Hyperdulia adoratio debita B. V. Mariæ, Tr. 12. n. 6. & ſeq.
Hypocriſis vitium, quale peccatum, Tr. 36. n. 67.
Hypotheca. Pignus, Tr. 33. n. 128.

I

J*Actantia* in malo peracto, vel peragendo: quale peccatum, Tr. 37. n. 45.

Jactus

Digitized by Google

Iactus retis poteſt vendi: & quare. Tr. 33. n. 123. in fine.
Idololatra quinam ſint. Tr. 9. n. 2.
Idololatria quid. Tr. 13. n. 4.

JEJUNIUM ECCLESIASTICUM.

In Quadrageſima quale debeat eſſe. Tr. 38. n. 21. ad 24.
In quatuor anni temporibus, ac Vigiliis per annum, an poſſit ſtare cum eſu lacticiniorum. Tr. 38. n. 25. & 26.
Diebus Veneris, & Sabbati abſtinentia ſola à carnibus, & quare. n. 30. 31.
Si Natale Domini occurat die Veneris, vel Sabbati poſſunt manducari carnes: & quare. n. 31.
Etiamſi quis votum privatum feciſſet, niſi expreſsè includiſſet, &c. n. 32.
Quinam teneantur ad Jejunium. Tr. 38. n. 33. & ſeq.
Infantes ante ſeptennium poſſunt comedere carnes. n. 35.
Pueri, & adoleſcentes ante completum annum ſuæ ætatis vigeſimum primum non tenentur rigoroſè jejunare. ibid. n. 39.
Senes Sexagenarii completi utriuſque ſexus excuſantur à Jejunio rigoroſo. n. 43.
Artifices, Operarii mechanici, quorum labor eſt incompatibilis cum Jejunio, excuſantur à rigore Jejunii. n. 43.
Laborantes ingenio, ſtudio laborioſo, aliave applicatione gravi, excuſantur. Tract. 37. n. 45.
Pauperes excuſantur, &c. n. 46.
Mulieres gravidæ, lactantes: aliæque perſonæ excuſantur. ibid.
Agricolæ, & ſimiles operarii excuſantur etiam in die, quo non laborant. n. 47.
Non omnes Officiales in generali excuſantur, &c. n. 48.
Non omnes itinerantes. n. 49.
Laborantes etiam ſine neceſſitate excuſantur quando laborant ex officio, & conditione, &c. n. 50.
Aliæ Cauſæ excuſantes à Jejunio, ubi plures Caſus practici. n. 51. 52. 53.
De diſpenſatione à Jejunio. Tr. 38. n. 54. & ſeq. ubi plures caſus.
Medicus irrationabiliter diſpenſans, aut dans licentiam. n. 56.
Diſpenſatus à carnibus non per hoc diſpenſatur à toto Jejunio. Tr. 38. n. 57. & 58.
De Jentaculo veſpertino, ſeu Refectiuncula, Collatione, Cœnula: ubi de quantitate, & qualitate ciborum. n. 59. & 60. ubi plures caſus.
Chocolatæ potio an frangat Jejunium. n. 68.
Jejunans ex motivo avaritiæ, an ſatisfaciat præcepto. Tr. 5. n. 44.

IGNORANTIA

Ignorantia, Ignavia, vitium. Tr. 4. n. 62.
Ignorantia Myſterium Fidei facit hominem incapacem Abſolutionis. Tr. 8. n. 24.
Ignorantia craſsa ab hæreſi. Tract. 9. num. 23.
Ignorantes tenentur ſub mortali audire Catechiſmum, vel Catechiſim, ſeu Inſtructionem Doctrinæ Chriſtianæ. Tr. 17. nu. 9.
Et quandoque magis obligantur audire Doctrinam, quàm Miſſam die Feſto. Tr. 17. n. 36. ad 40.
Ignorantia in Clericis, & Religioſis eſt valdè damnoſa Eccleſiæ. Tract. 24. num. 4. & 5.
Ignorantia Juris, & facti excuſat à Reſtitutione. Tr. 35. n. 83.
Ignorantia quotuplex ſit. Tr. 39. n. 76. 77. & ſeq. ad 83.
Ubi multa, & neceſſaria ſcitu pro Confeſſariis.
Illegitimus filius. *V. Spurius. Filius.*
Illecebra, ſtimulus carnis. *V. Delectatio venerea. Senſualitas. Luxuria.*
Imagines ſacræ. Tr. 12. n. 10.
Immodeſtia, vitium. Tr. 4. n. 58.
Immunditia carnis. *V. Impudicitia.*
Immunitas Eccleſiæ. *V. Aſylum.*
Impœnitentia finalis quæ. Tr. 10. n. 27.
Impatientia, vitium. Tr. 4. n. 42.
Impedire aliquem à conſecutione boni notabilis, quando ſit peccatum. Tr. 35. num. 116.
Imponere alicui crimen falſum numquam licet. Tr. 36. n. 15.
Imponere autem ſibi crimen falſum ad evitanda tormenta aliquando licet, & quomodo. Tr. 36. n. 16.
Impoſſibilium nulla eſt obligatio. Tr. 35. n. 84. Tr. 5. n. 57. & alibi.
Impotentia phyſica, & moralis excuſat à Reſtitutione. Tr. 35. n. 85.
Imprecatio, imprecari malum, maledicere creaturis, quale ſit peccatum. Tr. 14. n. 20. & ſeq. Tr. 22. n. 1. ad 5.
Improperium, quid. Tr. 36. n. 76.
Imprudentia, vitium. Tr. 4. n. 21.
Et quando ſit peccatum. n. 23.
Impuberes qui. Tr. 5. n. 49. Tr. 16. n. 63.
Impuberum vota an ſint valida. ibid. Tr. 16. n. 63.
Impudicitia cordis, & carnis. Tract. 37. n. 3.
Quomodo perficiatur. nu. 4. & ſeq. Proceſſus practicus peccatorum cordis, ſeu cogi-

Digitized by Google

cogitationis in rebus venereis, &c. n. 4. ad 8. 9.
Motus ſenſualitatis, Impudici, n. 13.
Delectatio venereà internæ impudicitiæ, n. 25.
Applicata ſtatibus diverſis. Tr. 37. n. 31.
Mala deſideria impudica, n. 35. & ſeq.
Impudici aſpectus, tactus, amplexus, oſcula, verba impudica, & cætera, quæ ad Impudicitiam externam pertinent. Tr. 28. n. 39. ad 49. Ubi etiam, n. 50. probatur non dari parvitatem materiæ in re venerea, &c.
Impugnare veritatem, quando ſit peccatum, Tr. 22. n. 12. & 13.
Inanis gloria. *V. Vanagloria.*
Incerta bona, Tr. 32. n. 61. & ſeq.
Inceſtus, quid, Tr. 27. n. 59. ad 71. Ubi plura per ordinem.
Incidere arbores alienas. *V. Arbores.*
Inconſideratio quid, Tr. 4. n. 26.
Inconſtantia, Tr. 4. n. 27. & 44.
Inculpata tutela quid, Tr. 25. n. 5. & ſeq.
Indignos promovere. *V. Juſtitia diſtributiva.*
Inducere aliquem ad peccandum, *V. Scandalum.*
Inebriare ſe, vel alium, an liceat aliquando, Tr. 21. n. 29. & 30. *V. Gula*: ubi plura.
Infamare ſe vel alium. *V. Detractio. Fama.*
Infamans proximum ad quid teneatur, Tr. 36. n. 89. & ſeq. ad 96.
Infantes uſu rationis pollentes tenentur ad Leges, & in quibus, Tr. 5. n. 49.
Infantes exponens quis Hoſpitali, ad quid teneatur, Tr. 28. n. 11.
Infantes ante uſum rationis non tenentur ſervare Legem, vel præcepta Eccleſiæ, Tr. 38. n. 35.
Inferiores ſubditi ad quid teneantur erga ſuos Majores, & Superiores, Tr. 23. n. 40. & ſeq.
Inferens damnum proximo; ſive per ſe, ſive per alium, &c. *V. Damnificare. Cauſæ cooperantes.*
Infirmarius, ſerviens infirmis per accidens accelerans mortem an ſit Irregularis, Tr. 26. n. 46.
Infidelitas quid, & quotuplex, Tr. 9. n. 1. & ſeq.
Infidelitas negativa, vel privativa, an excuſet à peccato, ibid. n. 3. & ſeq.
Inimicos diligere: eis pacem dare: eos ſalutare &c. *V. Dilectio erga proximum*, Tr. 18. n. 32. & ſeq. & 40. & ſeq.
Injuria quid, Tr. 18. n. 44.
Injuſta damnificatio. *V. Damnificatio.*
Injuſtitia. *V. Juſtitia.*
Innocens non poteſt condemnari à Judice, Tr. 25 n. 16. & ſeq.
Inordinatus amor proprius, & Creaturarum. *V. Amor. Dilectio.*
Inopia. Mſeria. *V. Neceſſitas.*
Inopes. *V. Pauperes.*
Interitus rei, quando excuſet à Reſtitutione, Tr. 35. n. 103.
Inventor rerum deperditarum ad quid teneatur, Tr. 32. n. 63. & 64.
Inventa res, cujus ſiant, Tr. 32. n. 61. & ſeq.
Intentio ſatisfaciendi præcepto an requiratur, Tr. 5. n. 40.
Intentio actualis, virtualis, habitualis referendi opera ad Deum, ut quis mereatur, Tr. 11. n. 5.
Intellectus noſter quid, Tr. 1. n. 1.
Inſenſibilitas, vitium, Tr. 4. n. 42.
Invitus, & coactus faciens opus præceptum, an ſatisfaciat, Tr. 5. n. 49.
Interficere hominem. *V. Homicidium.*
Interpretari Concilium Trid. non licet Doctoribus privatis, Tr. 17. n. 9.
Invaſorem, occidere. *V. Homicidium.*
Invidia quid, & quando ſit peccatum, Tr. 22. n. 6. ad 8. & Tr. 40. n. 12.
Ira. Iracundia quid, & quando ſit peccatum, Tr. 40. n. 17. & Tr. 4. n. 59.

IRREGULARITAS
quæ incurritur

Ab Eunuchis, qui ob vocem conſervandam caſtrati ſunt, Tr. 25. n. 39.
Ab homicida, mutilatore, &c. Tr. 25. n. 50.
Ex acceleratione mortis. Tr. 26. n. 43. & ſeq.
Ex Abortu animato, Tr. 26. n. 26. & ſeq. 36. ad 38. & 43. 45. & ſeq. 55. & ſeq.
Ex vulnere inflicto, Tr. 26. n. 47. 48.
Ex adulterio, Tr. 28. n. 12.
Irreligioſitas quid? Tr. 13. n. 1. & ſeq. & n. 9. Species Irreligioſitatis, ibid, n. 2. & ſeq.
Irriſio. Deriſio, quid, Tr. 36. n. 78. & 80.
Irritare, & commutare Vota, & Juramenta quis poſſit, Tr. 15. n. 69. & 70.
Judæi quinam ſint, Tr. 9 n. 2.
Judicium Temerarium, Tr. 36. n. 140. 141. & 145.
Judicis ſententia excuſat à Reſtitutione, Tr. 35. n. 106.
Judex poteſt exigere Juramentum etiamſi prævideat, Teſtem, vel Reum pejeraturum, Tr. 15. n. 64.

Judi-

Digitized by Google

Judici legitimè interroganti an poſſit quis reſpondere æquivocando, Tr. 15. n. 53. & 56. 57.
Judex an poſſit condemnare Reum convi-ctum, quem ſcit eſſe innocentem, Tr. 25. n. 16. & ſeq.

JURAMENTUM.

Tr. 15. *per totum.*

Quid ſit? n. 1.
Quotuplex, n. 2.
Quid ſignificet, n. 3.
Quare, & quomodo debeat fieri, ibid.
Tres conditiones requiruntur, n. 4. ad 7. ubi explicantur.
Formulæ Jurandi, n. 8. 9. ad 14.
Poteſt jurari per ſigna, & nutus, n. 15.
Quatuor ſunt ſpecies Juramenti, num. 16. & 17.
De Veritate requiſita in Juram. n. 18. ad 27. ubi plures caſus.
Major veritas requiritur in Juramento judiciali, n. 20. & 21.
Incautè jurare eſt peccatum, n. 22.
Conſuetudo incautè jurandi quale ſit peccatum, n. 23.
In materia etiam levi non licet falſum jurare, n. 24. & 25.
Jurare ſine deliberatione quid, n. 26.
Jurare ſine animo Jurandi, n. 27.
Pejerare, vel etiam jurare in damnum proximi, n. 26.
De Juſtitia requiſita in Juram. nu. 28. ad 36. ubi plures caſus.
De Juramento Promiſſorio, n. 28. ad 36. ubi plures caſus.
Juramentum de re mala non obligat, ibid. n. 30.
Jurans facere rem malam venialiter, an peccet mortaliter, n. 31.
Juramentum de opere minùs bono, vel impediente majus bonum, an valeat. Tr. 15. n. 32.
Titius jurat, ſe ducturum Bertam in uxorem, an teneatur, n. 33.
Mercator jurat alteri Mercatori, ſe tranſmiſſurum triticum extra Territorium; an obligetur, n. 35.
De Judicio requiſito in Juramento. Qualis cauſa, neceſſitas, utilitas, & prudentia requiratur; n. 37.
Jurare cum Amphibologia, Æquivocatione, Reſtrictione mentis, ibid. n. 42. ad 57. ubi multi caſus, & multa Doctrina.
Item *de Juramento Promiſſorio*. Conditiones requiſitæ ad valorem ejus, n. 58.
Violare hoc Juramentum quale ſit peccatum, n. 59.
In re levi an ſit pecc. mort. Tr. 15. n. 60. 61. 62. ubi plures caſus.
Exigere Juram. ab eo, quem ſcis pejeraturum, n. 63. & ſeq.
Juramentum vi, metu, injuria extortum, an obliget, n. 66. ibid.
Juramentum ex errore factum, an obliget, Tr. 15. n. 67.
Juramenta Promiſſoria, quomodo ſint interpretanda, ib. n 68.
Irritare, diſpenſare, commutare Juramenta quis poſſit, ibid. n. 69.
Ubi Caſus de promiſſionibus factis cum Juramento, n. 69.
Juramenta, & Vota paria ſunt quo ad diſpenſandi facultatem, Tr. 16. n. 66.
Juramentum an validet Contractum aliàs invalidum, Tr. 33. n. 20. & ſeq.
Jus, quid ſit, Tr. 5. n. 1.
Jus Canonicum reſpicit obligationem naturalem. Jus autem Civile reſpicit formulas legales, Tr. 33. n. 39.
Jus Gentium, quid, Tr. 5. n. 8.
Juris Axiomata multa, Tr. 5. n. 57.

DE JUSTITIA, & JURE

Tr. 32. *per totum.*

Juſtitia quid, nu. 1. Jus quid, & quotuplex, n. 2. 3. Juſtitia quotuplex, ibid.
Legalis, Diſtributiva, Commutativa, n. 3. 4. & ſeq.
Juſtitia Diſtributiva, & Commutativa quomodo differat, ibid. n. 7. & ſeq.
Jus quotuplex ſit, n. 10.
Jus ad rem, & Jus in re, n. 11. 12.
Species Juris in re, n. 13. & ſeq.
Dominium, Proprietas, Poſſeſſio; quomodo differant, n. 13.
Uſusfructus, Uſusjuris, Uſusfacti, n. 14. & 15.
Fructus rei quinam ſint, n. 18.
Uſus fructuarius ad quid teneatur, n. 19.
Uſuarius ad quid teneatur, n. 20.
De Poſſeſſione, & Dominio rerum, n. 21. & ſeq.
De Dominio rerum Eccleſiaſticarum, ſeu bonorum Beneficiati, n. 30. & ſeq. ubi plures caſus.
Religioſi, Regulares an habeant Dominium bonorum temporalium, n. 40.
Filii-familias an habeant Dominium, n. 43. & ſeq.
Uxor an habeat Dominium, n. 53. & ſeq.
Quænam bona cadant ſub Dominio, Tr. 32. n. 55.
An homo poſſit cadere ſub Dominio alterius, n. 56.

Divi-

Digitized by Google

Diviſio rerum temporalium quo Jure ſit facta, Tr. 32. n. 57. 58.
Jus Gentium, quid, n. 58.
An poſt Diviſionem rerum ſint adhuc aliquæ res communes, n. 59.
Juſtitia Vindicativa quid, Tr. 32. n. 79.
Juſtitia Diſtributiva; & quando quis peccet contra eam, Tr. 32. n. 81. & ſeq.
Injuſtitia, & Injuria quomodo differant, Tr. 32. n. 80.
Cætera vide ſub propriis titulis.
Juſtitiæ partes quæ, Tr. 4. n. 36.
Virtutes imperatæ à Juſtitia multæ ſunt, Tr. 4. n. 37.
Jus quiſque habet ad propriam famam. Tr. 36. n. 141.
Juſtus ex Fide vivit, quomodo intelligatur, Tr. 8. n. 40. 41.
Juvenes amantes inter ſe quando peccent, Tr. 18. n. 21.
Juvenes Amaſii, ſeu amatores quando peccent peccato ſcandali, Tr. 21. n. 16. *V. Scandalum*.

L

Laborare die Feſto. *V. Feſtivi dies*.
Labor incompatibilis cum Jejunio. *V. Jejunium*.
Lacryma pœnitentium ſunt dulciſſimæ appetitui rationali, Tr. 7. n. 29. & 30.
Lacticinia comedere. *V. Jejunium*.
Lædere proximum. *V. Offendere*.
Laicus tangens res ſacras, an peccet, Tr. 13. n. 27.
Laicis perſonis diſputatio de rebus Fidei, Tr. 22. n. 12.
Latria Adoratio ſoli Deo convenit, Tr. 12. n. 6. & ſeq.
Latrocinium. Latrones. V. *Furtum*. *Homicidium*.
Laudare ſe, vel alium de malo perpetrato, quale peccatum ſit, Tr. 37. n. 45.
Lautè comedere. V. *Gula*.
Laudemium, quid, Tr. 33. n. 129.
Lectores. V. *Magiſtri*. *Doctores*. *Litterati*.
Legere, canere turpia, quale peccatum, Tr. 26. n. 40. & 42.
Legatum. Teſtamentum, Codicillus quomodo differant, Tr. 33. n. 79.
Legatum ad pias Cauſas, ibid. n. 81. 83. 85. & 86.
Legata pia non adimplentes an poſſint abſolvi, Tr. 33. n. 90.
Legatum annuum pro Anima relictum quandiu duret, ibid. 91.
Legis materia. V. *Lex*.
Levis materia an poſſit præcipi ſub culpa gravi, Tr. 39. n. 73. & 74.
Levis materia quo ad alia. V. *Parvitas materia*.
Levitatis vitium, Tr. 4. n. 44.

L E X

Naturalis, quæ, Tr. 1. n. 3. & 4.
De Legibus, Tr. 5. *per totum*.
Lex quid ſit, Tr. 5. n. 1. & ſeq.
Eſt neceſſaria hominibus, n. 3.
Quotuplex ſit, n. 4. & ſeq.
Conditiones bonæ legis, n. 9. & ſeq.
Legis acceptatio à populo non eſt neceſſaria, n. 13.
Legis Promulgatio eſt omninò neceſſaria, n. 14. & 15.
Leges humanæ pœnales non ſolent obligare ſub culpa, n. 20. & ſeq.
Leges mixtæ an obligent ſub culpa, n. 21.
Lex humana an poſſit præcipere actus internos, ibid. n. 24. & ſeq. ubi multa.
Lex humana non obligat cum periculo vitæ Tr. 5. n. 33. aliquando tamen per accidens obligat, n. 34. & 35.
Legi, vel præcepto poſſumus ſatisfacere ſine expreſſa intentione formali ſatisfaciendi, ibid. n. 37.
Et etiam in ſtatu peccati mortalis, n. 38.
Quinam teneantur obſervare Leges, num. 49.
Lex pœnalis quomodo obliget, n. 51.
Leges humanæ ubinam obligent, n. 50.

L E G I S

Abrogatio, Tr. 5. n. 52.
Derogatio, ibid.
Diſpenſatio, n. 53. 54.
Interpretatio, n. 55.
Epikeja, n: 56.
Axiomata Juris Canonici, & Civilis, num. 57.
Conſuetudo, n. 59. & ſeq.
Materia gravis, n. 62.
Privilegium, n. 64. 65. & ſeq.
Leges humanæ obligantes ad reparanda damna ex culpa tantùm levi, & leviſſima illata, non obligant ante ſententiam Judicis, Tr. 33. n. 72.
Lex Naturæ explicatur, Tractat. 6. per totum.
Præcepta legis Naturæ, quæ, num. 17.
Lex æterna Dei. Tract. 6. num. 27. & ſeq.
Quomodo nobis innoteſcat, ibid. n. 28.
Omnes leges, ab ea dependent, n. 28. 30.
Lex Divina Poſitiva, Tr. 7. per totum.
Continet præcepta, & Conſilia, ibidem num. 7.

Quando incæpit obligare, n. 9. & ſeq.
Effectus hujus Legis, n. 13. & ſeq.
Eſt Lex libertatis, & quomodo, n. 17.
Excellentiæ, & Prærogativæ hujus Legis, n. 8. & ſeq.
Lex Evangelica, an fuerit prædicata per univerſum mundum, Tr. 9. n. 3. & 4.
Libri meliores, quibus ſtudendum eſt: quinam ſint, Tr. 24. n. 18.
Liber moderni Authoris non facit omninò probabiles omnes ejus opiniones. *Ex propoſitione* 27. *damnata ab Alex.* 7. *V. Opinio*.
Libellus famoſus, quid, & ejus pœnæ, Tr. 36. n. 79.
Libidinis peccata. *V. Luxuria*.
Libertas voluntatis quæ, & quotuplex, Tr. 1. n. 27.
Liberum hominis arbitrium, quid, Tract. 3. n. 1.
Licentia à Superiore conceſſa non expirat per mortem Concedentis, Tr. 5. n. 66.
Litterarum Divinarum ſtudium maximè convenit Clericis, & Religioſis, Tract. 24. n. 6.
Litteras alienas aperientes malitioſè, quale ſit peccatum, Tr. 36. n. 227.
Per Litteras fingere ad decipiendum Emptores, & Mercatores, Tr. 34. n. 99.
Litteratorum, & Doctorum vitia, quæ, Tr. 24. n. 22. & ſeq.
Locupletior, vel ditior ex re aliena bona fide, Tr. 35. n. 22.
Locus ſacer, quinam ſit, Tr. 27. num. 75. & 76.

LOCATIO, & CONDUCTIO CONTRACTUS.

Locatio quid, Tr. 33. n. 133. & ſeq.
Obligationes Locatoris, & Conductoris, quænam ſint, n. 134.
Quænam res poſſit locari, n. 135.
Conductor poteſt elocare, n. 136.
Locatoris, & Conductoris Jura, quæ, nu. 137.
Penſio locationis quanta debeat eſſe, num. 138.
Expenſæ in re locata ad quem pertineant, n. 139.
Res locata ſi pereat, cui pereat, n. 140.
Quando res conducta, vel locata ſit inutilis, quid Juris, n. 141. & 142.
Locare domum Meretrici, an ſit licitum, Tr. 34. n. 96.
Longanimitas, virtus, Tr. 4. n. 43.
Lucrum Uſurarium. *V. Uſura*.
Lucrum ceſſans, & damnum emergens, quid, Tr. 33. n. 109. & ſeq.
Lucrum ex contractu uſurario ignoranter facto, an poſſit retineri, Tr. 33. n. 115.
Ludus, Sponſio, quando ſit licitus, Tr. 33. n. 124.
Luſus. Ludere. Ludentes quando peccent, Tr. 33. n. 124.
Lumen naturale, ſeu uſus rationis quid, Tr. 1. n. 3.

LUXURIA.

Vitium carnale. Tr. 4. n. 57. & Tr. 27. nu. 2. ad 4. & Tr. 40. n. 11.
Luxuria plures habet filias, Tr. 27. n. 5.
Plures habet ſpecies, ib. n. 6. ad 11.
De Fornicatione ſimplici, Tr. 27. nu. 12. ad 20. & 32. ubi plures ſunt caſus.
De Concubinatu, Tr. 27. n. 21. ad 32.
De Stupro, Tr. 27. n. 33. ad 54.
De Raptu mulieris, Tr. 27. n. 55. ad 58.
De Inceſtu, Tr. 27. n. 59. ad 71.
De Sacrilegio carnali, Tr. 27. nu. 72. ad 79.
De Adulterio, Tr. 28. per totum.
De peccatis *luxuriæ Conjugum* inter ſe. Tr. 28. n. 19. ad 38.
De Impudicitia multiplici in oſculis, tactibus &c. Tr. 28. n. 39. ad finem.
De Impudicitia interna, Tr. 37. n. 3. ad 38.
De Delectatione venerea, motibus ſenſualitatis &c. Tr. 37. n. 4. ad 31.
In re venerea non datur parvitas materiæ, Tr. 28. n. 50. & ſeq.
De Peccatis Luxuriæ *contra Naturam*. Tr. 29. per totum.
De Beſtialitate, ibid. n. 2. ad 7.
De Sodomia, n. 8. ad 16.
De Mollitia, aut Pollutione, n. 17. ad finem.
De Diſtillatione venerea, n. 46.
Luxus, Pompa, quid, Tr. 4. n. 60.

M

Magiſtri ad quid teneantur erga ſuos diſcipulos, Tr. 23. n. 46. & ſeq.
Magiſter Novitiorum Regularium poteſt diſpenſare in Votis eorum, Tr. 16. n. 61. 62.
Magnanimitas, virtus, Tr. 4. n. 59.
Majores. Superiores debent revereri, obſequi ejuſque obedire tenentur ſubditi; & quomodo, Tr. 23. n. 40. & ſeq.
Maledictio. Maledictum. Imprecatio, quale peccatum, Tr. 36. n. 77. & Tr. 14. n. 20. & ſeq. & Tr. 22. n. 1 ad 5.
Malitia moralis, quid, Tr. 3. n. 2.
Quomodo debeat eſſe cognita, ut actus ſit malus, n. 12.

Digitized by Google

Malitia, filia Accidiæ, quid, Tract. 40. nu. 52.
Malum optare proximo. *V. Deſiderare. Imprecari.*
Malum minus eſt eligendum potiùs, quàm majus malum, Tr. 1. n. 26.
Mandatum. Præceptum, Tr. 5. n. 1.
Mandans, conſulens, jubens malum, vel damnum, ad quid teneatur. *V. Damnificare. Cauſæ cooperantes.*
Manifeſtare occultum crimen alterius. An aliquando liceat, Tr. 36. n. 11. & 14.
Illud manifeſtare Amico, ibid. n. 12. vel uni viro prudenti, n. 37.
Propria delicta manifeſtare, n. 17. & ſeq.
Ad ſalvandam vitam innocentis, an quis teneatur manifeſtare occultum ſuum crimen, n. 22.
Crimen notorium manifeſtare quando liceat, n. 39. 40. ad 44.
Manſuetudo, virtus, Tr. 4. n. 59.
Maritus ad quid teneatur erga Uxorem ſuam, Tr. 23. n. 37. & ſeq.
Non poteſt occidere Uxorem deprehenſam in adulterio, Tr. 25. n. 13. & 14.
Conſumens bona paraphernalia Uxoris, tenetur ad Reſtitutionem. Tr. 32. n. 54.
Quo ad cætera. *V. Conjuges.*
Materia gravitas ad mortale peccatum, quæ, Tr. 5. n. 61.
Materiæ levitas. *V. Parvitas.*
Quo ad Furtum. *V. Furtum.* Et ſic de aliis materiis require in omnibus propriis titulis.
Mater. Matres non lactantes ex ſe filios ſuos, an peccent, Tr. 23. n. 29.
Quò ad reliqua. *V. Parentes.*
Matrimonium ex metu contractum, an ſit validum, Tr. 33. n. 19.
Maximæ, ſeu Axiomata legalia, & Theologalia circa Leges humanas, Tr. 5. n. 57. 58.
Medicus dans irrationabiliter licentiam frangendi Quadrageſimam: quot peccata committat, Tr. 38. n. 56.
Medici, & Chirurghi accellerantes mortem, Tr. 26. n. 45. vel cauſantes abortum ex negligentia; ibid. n. 45.
Mediis extraordinariis non tenemur uti ad vitam prolongandam, Tr. 25 n. 32.
Mendacium quid, Tr. 36. n. 59. 61. & ſeq.
Numquam eſt licitum, n. 64.
Quotuplex ſit mendacium, n. 65. & ſeq.
Mendicantes Regulares Confeſſarii poſſunt diſpenſare in Votis, Tractat. 16. nu. 76. & 77.
Mendicantes Regulares quo ad alia. *V. Regulares.*
Mentis Reſtrictio. *V. Reſtrictio mentalis.*
Mercatura. Negotiatio. Tr. 34. n. 105. & ſeq.
Mercator. Mercatores vendentes credito, an poſſint cariùs vendere, Tr. 34. n. 25. ad 30.
Mercatores in Contractibus peccantes. *V. Venditio. Venditores.*
Merces deteriorare in vendendo. *V. Venditio.*
Merces ultroneæ vileſcunt, Tr. 34. n. 26. quo ad reliqua. *V. Venditio.*
Mercis nomine, quid intelligatur, Tr. 34. n. 8. 9.
Mercedem defraudare operariis, eſt peccatum clamans in Cœlum, Tr. 40. n. 54.
ob Mercedem ſervire Deo, an ſit licitum, & meritorium, Tr. 11. n. 20.
Mercedem minus juſto accipiens pro labore ſuo, an poſſit ſibi occultè compenſare, Tr. 31. n. 48.
Meretrix an poſſit recipere pretium turpis laboris, vel operis &c. Tr. 32. n. 84.
Meretrici an poſſit quis licitè locare ubique domum, Tr. 34. n. 96.
Meretricibus, & Concubinis neganda ſunt Sacramenta etiam in Paſcha, Tr. 27. n. 27.
Meritum quid, & quotuplex, Tr. 3. n. 23.
Conditiones requiſitæ ad merendum, n. 24.
Meritoria opera quænam ſint, Tr. 11. n. 4. & 5.
Metus quotuplex, & qualis invalidet contractum, Tr. 33. n. 16. ad 19. ubi varii caſus.
Minorennes quinam ſint, & eorum vota, Tr. 16. n. 63. 64. & Tr. 33. n. 29.
MINORES FRATRES,
Seu Ordinis Minorum non ſunt capaces Dominii rerum temporalium; ſed habent ſolum Uſum facti, Tr. 32. n. 42.
Multa alia require in indice 2. Partis.
Fratres Minores ex vi Regulæ magis, quàm alii Regulares tenentur prædicare pœnitentiam, ac attendere ſtudio ſapientiali, Tr. 24. n. 8.
Ipſi ex vi Regulæ tenentur jejunare qualibet Sexta Feria totius vitæ, etiam quando Natale Domini occurrit tali die, Tr. 38. n. 32.
Miſericordia, virtus quæ, Tr. 19. n. 2.
Opera ejus quæ, n. 2.
S. MISSA AUDIENDA DIEBUS FESTIS,
Quomodo, Tr. 17. n. 12. & ſeq. Ubi plures caſus.

Eo tempore poſſunt recitari preces etiam de præcepto, vel aliàs debitæ, n. 19.
Una integra audienda eſt ab uno Sacerdote, n. 22. 23.
In quocumque loco poteſt audiri, etiam in Oratoriis, n. 24.
Etiam privatis Regularium, & Epiſcoporum, Tr. 38. n. 18.
In Oratori s autem privilegiatis pro una familia, ſtandum eſt Bullæ conceſſionis, ib.
Etiam extra Eccleſiam Parochialem, ibid.
Cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ, n. 25. ad 33.
Qui eam non poteſt audire, an teneatur ad aliquam Orationem faciendam, n. 34.
An tempore Miſſæ poſſit quis ſimul confiteri Sacramentaliter, Tr. 5. n. 48.
In caſu neceſſitatis vel audiendæ Miſſæ, vel Concionis, aut Catechiſis, ſeu Doctrinæ Chriſtianæ, ignorantes potiùs debe-rent audire Concionem, quàm Miſſam, Tr. 17. n. 36. & ſeq. ad n. 40.
Sacerdotes celebrantes ſatisfaciunt (celebrando) præcepto de Miſſa audienda, Tr. 38. n. 13.
Omnes Fideles uſu rationis pollentes tenentur Miſſam audire, ib. n. 14.
Miſſam unam tantùm etiam in Feſto Natalis Domini, &c. n. 15.
Modeſtia, virtus, quæ, Tr. 4. n. 58.
Modus diligendi Deum, qualis, Tract. 11. n. 14.
Modus optimus ſtudendi cum fructu, qualis, Tr. 24. n. 18.
Modi participandi in furto, vel damno alterius, quot, Tr. 31. n. 65. & ſeq.
Mohatra. *Stocco*. Contractus uſurarius, Tr. 33. n. 101.
Mollities. Mollitia. Pollutio voluntariè procurata, Tr. 29. n. 17. uſque in finem. Ubi plures Caſus per ordinem.
Montes Pietatis, qui inſtituti fuerunt à Sanctis Viris Ordinis Minorum, & confirmati à Summis Pontificibus, ſunt omninò liciti, & utiles, Tr. 33. n. 108.
Monachis, Religioſis, & Clericis prohibetur Mercatura, Negotiatio, Tr. 34. n. 106. & ſeq.
Item Chyrurgia, Ars medica, Tractat. 26. n. 43.
Item Ludus alearum &c. Tractat. 33. nu. 124.
Eiſque magis convenit ſtudium ſapientiale, Tr. 24. n. 4. 5. & ſeq.
Monopolium in Contractibus quid, Tr. 34. n. 100.
Quot modis poſſit fieri, n. 102. & 103.
Et quo Jure ſit illicitum, n. 104.
Moralia principia quæ, Tractat. 6. num. 5. & 9.
Mortem accelerare, Tr. 26. n. 45. 46.
Motus Senſualitatis, ac libidinis, qui, Tr. 37. n. 8.
Alii primò primi, n. 13. & ſeq.
Alii ſecundò primi, n. 16.
Alii deliberati, n. 17.
Alii permiſſivè tantùm, n. 18. & ſeq.
Alii deliberati poſitivè voliti, n. 17.
In permiſſivè tantùm volitis quando ſit peccatum permittere, & non reprimere &c. n. 29. & ſeq. ubi plures caſus.
Mulieres ſe nimiùm ornantes, quando peccent, Tr. 21. n. 14.
Muliebris mundus, ſeu ornatus quid, ibid.
Mulieres quo ad alia. V. *Fœmina*. *Fœmina*.
Multitudo actuum generat habitum, Conſuetudinem. V. *Habitus vitioſus*. *Conſuetudo peccandi*.
Mundus muliebris, quid, Tr. 21. n. 14.
Munera accipere, quando ſit peccatum, Tr. 32. n. 83.
Murmuratio differt à detractione, Tract. 36. n. 5.
Muſicis an liceat ob vocem conſervandam ſe mutilare, aut caſtrare, Tr. 25. n. 36. & ſeq.
Mutilare ſe, vel alium, an liceat, Tr. 25. n. 34. & ſeq.

MUTUUM

Contractus quid, Tr. 33. n. 95.
Mohatra eſt Mutuum palliatum, ibid. num. 101.
Sperare lucrum ex Mutuo, an liceat, nu. 103.
Tamquam debitum ex benevolentia exigere, n. 104.
Exigere aliquid ultra ſortem ratione pecuniæ præſentis, n. 105.
Ratione pacti non repetendi Mutuum niſi poſt tantum temporis, n. 106.
Ratione cujuſvis alterius obligationis, Tr. 23. n. 107.
Juſti tituli excuſantes, n. 109. & ſeq.
Mutuator, & Mutuatarius, ibid.
Mutuans, an poſſit pœnam imponere Mutuatario, niſi tali tempore reſtituat mutuum, n. 113.
An poſſit recipere Quinque pro Centum ex Lege Imperiali, aut Conſuetudine. Tr. 33. n. 114.
Ex Contractu mutui uſurarii bona fide facto, qui poterat meliori modo fieri, an

Digitized by Google

an liceat recipere illa Quinque pro Centum, ibid. n. 115.
Myſteria principaliora Fidei neſcientes non poſſunt abſolvi, Tr. 8. n. 24. & ſeq.
Quænam ſint iſta Myſteria? Sunt quatuor. 1. Quòd detur Deus. 2. Quòd Deus ſit Remunerator. 3. Quòd Deus ſit Trinus in Perſonis. 4. Quòd ſecunda Perſona ſit incarnata propter nos homines &c. Tr. 8. n. 14. 15. & 29.

N

N*Atale Domini* non tenentur Fideles tres audire Miſſas, ſed unam, ſicut & Sacerdotes &c. Tr. 38. n. 15.
In ea ſolemnitate non tenentur Fideles ad Jejunium ordinarium neque qui votum privatum feciſſet; niſi expreſſiſſet, ibid. nu. 31. 32.
Naturæ Lex. *V. Lex.*
Naturæ bona, alia ſunt neceſſaria vitæ, & ſtatui, alia ſuperflua, Tract. 19. num. 7. & 8.
Naturalis obligatio differt à Civili, Tr. 33. n. 31.

NECESSITAS.

Neceſſitas medii, & neceſſitas præcepti, quæ, Tr. 8. n. 14.
Neceſſitas corporalis triplex. Extrema. Gravis. Communis, Tr. 19. n. 10. & Tr. 31. n. 53. 54.
In extrema, & gravi tenemur ſuccurrere Proximo, Tr. 18. n. 17.
In extrema neceſſitate omnia ſunt communia ad vitam conſervandam. Tr. 32. nu. 59. & Tr. 35. n. 88.
In pari neceſſitate, quinam debeat præferri. Tr. 31. n. 55.
in Neceſſitate conſtitutus furans an, & quando peccet, Tract. 31. numer. 51. & ſeq.
Neceſſitas excuſat à Reſtitutione, Tr. 35. n. 85. & ſeq. & 94.
in Magna neceſſitate publica tenemur Orare. Tr. 12. n. 29.
in Magna neceſſitate populi tenentur Divites vendere bona ſua ſuperflua indigentibus, & petentibus. *V. Venditio*, Tr. 34. n. 86.
De Neceſſitate nemo peccat, Tr. 1. n. 27.
Nefandum ſcelus. *V. Sodomia.*
Negligentia, vitium, Tr. 4. n. 24.
Negligentia diſtinguitur à Contemptu, ibid. n. 25.
Negotiatio. Mercatura, quid, Tr. 34. nu. 105. & ſeq.
Hæc prohibita eſt Clericis, & Monachis, ibid. n. 106. & ſeq.
Nemo ad impoſſibile tenetur, Tr. 5. n. 57.
Nemo peccat de neceſſitate, Tr. 1. n. 27.
Nemo tenetur reſarcire damnum illatum, niſi ex culpa gravi, & Theologica, Tr. 33. n. 69. & ſeq.
Nobiles divites non ſolventes debita ſua, an poſſint abſolvi, Tr. 35. n. 25.
Debent diminuere ſuum ſtatum ad Reſtitutionem faciendam, ibid. n. 91.
Noe poſt diluvium quare maledixit nepoti Chanaam, & non filio ſuo Cham, Tr. 36. n. 80.
Nomen bonum. *V. Fama.*
SS. Nominis Dei vana uſurpatio, Tr. 14. n. 17. 18. & Tr. 15. n. 37. 38. & ſeq.
Notæ, ſeu Signa veræ Dei Eccleſiæ, quæ, Tr. 38. n. 3. & ſeq.
Notorium crimen quale, & quotuplex ſit Notorium, Tr. 36. nu. 26. ad 39. ubi plures caſus de Detractione, ibid. ad 44.
Novitiorum Regularium Vota à quibus poſſint irritari, Tr. 16. n. 61. 62.
Nummi. Pecuniæ, quid, & quare ſint inventæ, Tr. 34. n. 2.
Numerus, & Species peccatorum. *V. Peccatum.*
Numerus expreſſus cum addito plus, vel minus, Tr. 39. n. 112.

O

O*Bedientia* filiorum erga Parentes, & Majores, Tr. 23. n. 4. & ſeq. 14. & ſeq.
Subditorum erga Superiores ſuos, Tr. 23. n. 40. & ſeq.
Obligatio Civilis, & Naturalis differunt, Tr. 33. n. 31. 32.
Obligatio reſarciendi damnum illatum ex qua culpa oriatur, Tr. 33. n. 69. 70. & ſeq. ubi plures caſus.
Obligatio reſtituendi famam eſt perſonalis, Tr. 36. n. 87.
Obligationes reſtituendi bona famæ, fortunarum: aliæque obligationes ex homicidio, &c. Vide diverſis titulis propriis. *V. Detractio. Furtum. Homicidium. Reſtitutio &c.*
Oblivio infamiæ excuſat à Reſtitutione, Tr. 36. n. 125.
Obſcœnitates variæ. *V. Luxuria.*
Obſervantia. Reverentia, & cætera debita Parentibus, Majoribus, & Superioribus, Tr. 23. per totum.
Obſervantia Legis, vel præcepti non requirit intentionem formalem ſatisfaciendi, Tr. 5. n. 37.

Digitized by Google

Neque ſtatum gratiæ, Tr. 7. num. 36. ad 44.

Obſtinatio, vitium, quid, Tr. 4. n. 44.

Obtinere gradum, honorem, officium indignè. *V. Ambitio.*

OCCASIO PROXIMA PECCANDI

Quid ſit, Tr. 30. n. 8.

Quotuplex, ib. n. 9.

Quomodo differat à conſuetudine, n. 1. & 2. ibid.

Qui ter, vel quater tantùm in anno peccat cum tali Perſona, an poſſit dici, & judicari eſſe in occaſione &c. n. 10. & 11.

Regula ad cognoſcendam veram occaſionem proximam, n. 12.

Periculum certum, aut probabile peccandi cauſat occaſionem, &c. n. 13.

Qui eſt in tali occaſione, tenetur illam deſerere, ſi poteſt, n. 14.

Quando ſit deſerenda, n. 15. & ſeq.

An aliquando poſſit abſolvi qui verſatur in tali occaſione, n. 19. ad 22. Ubi plures caſus.

Quænam ſit cauſa ſufficiens ad retinendam extrinſecam occaſionem, vel ad eam non fugiendam, Tr. 30. n. 23. & ſeq. ubi plures caſus.

Quænam ſit cauſa tantùm honeſta non deſerendi occaſionem, ibid. numero 25. & ſeq.

Ubi datur impoſſibilitas moralis relinquendi occaſionem, & ſimul nulla ſpes emendationi; debet vinci illa impoſſibilitas etiam cum periculo vitæ corporalis, ibid. n. 27. & ſeq.

Quærere occaſionem, aut ei ſe ingerere, an aliquando liceat, ibid. num. 30. ad 34.

Occiſio. Occidere. *V. Homicidium.*

Occultare veritatem aliquando licet, & quandoque neceſſarium eſt, Tr. 36. n. 131.

Occupatio mentis voluntaria circa venerea eſt Impudicitia cordis, Tr. 37. num. 3. & ſeq.

Odium proximi quid, quotuplex, & quale peccatum. Tr. 18. n. 22. & ſeq.

S. Officio Inquiſitionis denunciare aliqua delicta. *V. Denunciare.*

Officium proprium. Negotium. Ars. Commercium &c. an ſit cauſa ſufficiens non deſerendi occaſionem proximam peccandi, Tr. 30. n. 34.

Omiſſio. Ex omiſſione actus debiti quando quis peccet, Tr. 3. n. 16.

Omiſſionis peccata. *V. Peccatum.*

Omnia ſunt communia in extrema neceſſitate; quomodo ſit verum, Tr. 34. num. 59.

OPERA

Meritoria, & non meritoria, Tr. 3. nu. 23. & ſeq.

Facta in ſtatu peccati mortalis ſunt bona, & utilia, ib. n. 26. 27. 28. 29.

Sunt ſatisfactoria præceptis, Tr. 5. n. 38.

Si autem invitè, & coactè fiant, non ſatiſfaciunt, ibid. n. 40.

Uno opere poteſt ſatisfieri pluribus præceptis, ibid. n. 46.

Opera formata ex Charitate, quæ, Tr. 7. n. 36. & ſeq.

Opera noſtra, ut ſint meritoria debent elici à Charitate, & quomodo, Tr. 11. n. 5.

An melius ſit applicare omnia bona opera noſtra Animabus Purgatorii, Tr. 3. n. 32.

Opera Miſericordiæ ſpiritualis, & corporalis, quæ. *V. Miſericordia.*

Opera præcepta diebus Feſtis, Tr. 17. n. 7. & ſeq.

Et prohibita, ib. n. 41. ad finem uſque.

Opinio quid, Tr. 1. n. 36. & ſeq.

Probabilis. Probabilior. Tutior, ibid. 42. & ſeq.

Tenuis probabilitatis, ibid. n. 41.

Opinio probabilis poteſt ſequi, Tr. 1. n. 31. ad 45. & Tr. 22. per totum.

Opiniones damnatæ morales ſunt in ultimo Tr. part. 2. & in additione ibi annexa.

Oppreſſio pauperum eſt peccatum clamans in Cœlum, Tr. 40. n. 54.

Optare malum proximo. *V. Deſiderare. Imprecari.*

Opus Conjugii quando illicitum, Tr. 28. n. 17. *V. Conjuges.*

ORATIO.

Oratio quid, Tr. 12. n. 16.

Conditiones requiſitæ ad efficacem Orationem, n. 17. 18. & ſeq.

Orationis efficacia maxima, n. 22.

Melior, qualis, n. 23.

Neceſſaria ad ſalutem, n. 25.

Quando obliget, n. 28. 29.

Peccator poteſt, & debet orare, Tr. 12. n. 31.

Quomodo peccator poſſit impetrare orando, n. 32.

Pro Defunctis eſt orandum, n. 33.

Ordo ſervandus in dilectione proximi, Tr. 18. n. 13. ad 18.

Ordinis Minorum Fratres. *V. Minores Fratres.*

Ornatus corporis exceſſivus, quale peccatum, Tr. 18. n. 20.

Oſcula venerea, Tr. 28. n. 46. *V. Impudicitia.*

Digitized by Google

P

Pacem dare. Pacificari tenemur cum proximo, Tr. 17. n. 32. & ſeq. 40. & ſeq.
Pactum quid, Tr. 33. n. 1.
Quotuplex, n. 8. 9.
Pagani quinam ſint, Tr. 9. n. 2.
Papa. V. Pontifex Romanus.
Paratum ad peccandum non licet ad novum peccatum inducere, Tr. 21. num. 21. 22. V. Scandalum.
PARENTES HONORANDI. Tr. 23.
Ubi
Nomine Parentum quinam intelligantur, n. 2. & 40.
Non poſſunt impedire electionem ſtatus filiis ſuis; n. 14. & ſeq.
Cogentes filias ſuas ad ingrediendam Religionem excommunicantur, n. 16.
Retrahentes autem ab ingreſſu Religionis, peccant mortaliter, n. 17.
Impellentes filios, aut filias ad matrimonium peccant mortaliter, n. 18.
Vel etiam impedientes, ibid. n. 18. & ſeq.
Obligationes Parentum erga filios, n. 23. ad 36.
Amor. Educatio corporalis, & ſpiritualis, ibid. n. 23. & ſeq.
Providentia vitæ, victus, & ſtatus, n. 27. & ſeq.
Peccata Parentum erga filios varia, & multa, n. 28.
Matres non lactantes ſuos infantes, n. 29.
Providentia victus, n. 31.
Educatio ſpiritualis, n. 32. ubi multa neceſſaria de bono exemplo. Eruditione. Correctione.
Pietas, & cætera prædicta ſe extendunt ad Majores, & Superiores, Tr. 23. num. 36. & ſeq.
Pietas Conjugum ad invicem, num. 37. & ſeq.
Parentes exponentes filios ſuos Hoſpitali, Tr. 28. n. 11.
Pater non poteſt occidere filiam deprehenſam inflagranti, Tr. 25. n. 13. 14.
Parentes poſſunt ſuſpicari de malo ad ſibi, & filiabus ſuis præcavendum, Tr. 36. nu. 144.
Parentibus irridere quale peccatum, Tr. 36. n. 80.
Parentes maledicentes filiis ſuis, Tract. 22. n. 3.
Parochus in mortali celebrans, & applicans, ſatisfacit præcepto de Miſſa audienda, & applicanda, licèt aliàs ſacrilegè agat, Tr. 5. n. 44.
Parochus. Capellanus. Confeſſarius, quo modo debeat ſe gerere in Teſtamentis, Legatis ſuorum pœnitentium, Tr. 33. nu. 86. 87. & ſeq.
Parochiani non tenentur audire Miſſam in Feſtis in ſua Eccleſia Parochiali, Tr. 17. n. 24.
Neque confiteri in Paſcha apud ſuos Parochos, Tr. 38. n. 70. & ſeq.
Pars Notabilis Miſſæ non auditæ, Tract. 17. n. 21.
Laboris in die Feſto, Tr. 17. n. 45.
Et cæterorum peccatorum. Vide ſub propriis vocabulis.
Parſimonialia bona Eccleſiaſticorum quæ, Tr. 32. n. 30.
Et quaſi parſimonialia, ibid.
Participare in furto, vel damno alterius, quot modis fiat. Tract. 31. num. 65. & ſeq.
Parvitas materiæ in quibuſnam materiis non poteſt dari, vel practicè non admitti, Tr. 39. n. 57. 58.
Parvitas materiæ an poſſit præcipi ſub culpa gravi, vel prohiberi, Tr. 39. n. 73. 74.
Parvitas materiæ in re venerea deliberatè volita non admittitur à Theologis melioris notæ, Tr. 28. n. 50. & ſeq.
Parvitas materiæ in Furto. V. Furtum. In Jejunio. V. Jejunium. & ſic de aliis &c.
Patientia, Virtus, Tr. 4. n. 41.
Pater non poteſt occidere filiam deprehenſam in flagranti, Tr. 25. n. 13. 14.
Cætera circa Patrem, & Matrem. V. Parentes.
Patrimonialia bona, & quaſi Patrimonialia Eccleſiaſticorum, Tr. 32. 30.
P E C C A T U M.
De Peccatis, Tr. 39. per totum.
Ubi
Quid ſit peccatum actuale, n. 1. ad 5.
Diviſio peccati in variàs ſpecies, n. 6.
Commiſſionis. Omiſſionis, n. 8. 9. & quando contrahatur, n. 10. & ſeq.
An omnes actiones, quæ ſunt cauſa Omiſſionis, ſunt peccata, n. 17.
In Cauſa peccatum, quando fiat, n. 18. & ſeq.
Non omnia peccata ſunt æqualia, n. 20.
Alia ſunt aliis graviora, n. 21.
Regula dignoſcendi Gravitatem peccatorum, n. 22. & ſeq.
Mortale quid, n. 25.
Veniale quid, n. 26.
In quo conveniant Mortale, & Veniale. n. 27.

Digitized by Google

Et in quo differant, n. 28.
Mortale differt pluſquam ſpecie à Veniale, n. 29.
Regula cognoſcendi, & diſtinguendi Mortale à Veniale, n. 30.
Mortale aliud ex genere ſuo, aliud ex accidenti, n. 31.
Quomodo evadat Veniale per Accidens, n. 32. & ſeq.
Conditiones requiſitæ ad Mortale, Tr. 39. n. 40.
Plena advertentia rationis, n. 41.
Semiplena quid, n. 41.
Conſenſus voluntatis perfectus, & imperfectus quid, n. 43. 44. & ſeq.
Cognitio Portionis, vel Rationis Superioris & inferioris, quid, n. 44.
Advertentia malitiæ in confuſo, an ſufficiat ad Mortale, &c. n. 49. & ſeq.
Mortale poteſt fieri Veniale ex parvitate materiæ, n. 56.
In quibuſdam materiis non datur, nec admittitur Parvitas materiæ, n. 57.
Quænam ſint iſta peccata, quæ non admittunt parvitatem materiæ, n. 58.
Veniale poteſt fieri mortale multis modis, n. 60. & ſeq.
Multa venialia an poſſint conſtituere unum mortale, n. 68. & ſeq.
Qui vult committere omnia venialia, quæ ſibi occurrant committenda, an peccet mortaliter, n. 70. & ſeq.
Peccatum ex Ignorantia, quid, Tr. 39. n. 75.
Et quotuplex ſit Ignorantia, n. 76. ad 85.
Peccatum ex Infirmitate, quid, n. 86.
Peccatum ex malitia: quid, Tr. 39. n. 87.
Peccatum ex conſuetudine, quid, n. 88. & ſeq.
De Diſtinctione ſpecifica Peccatorum.
Quomodo peccata ſpecie differant, Tr. 39. n. 97. ad 110. ubi plura per ordinem, & ad praxim Confeſſionis.
Circumſtantiæ peccatorum quæ, Tr. 39. n. 101. & ſeq.
Aliæ ſpeciem mutantes, n. 101.
Aliæ aggravantes tantùm, n. 102.
Aliæ notabiliter aggravantes; & an iſtæ ſint confitendæ, n. 103. & ſeq.
De Diſtinctione numerica Peccatorum.
Quomodo cognoſcatur Unitas moralis. Et pluralitas peccatorum, Tr. 39. n. 106. uſque in finem, ubi plura pro praxi Confeſſarii.
Diverſa de Peccatis.
Peccatum in Cauſa, quid, & quando contrahatur, Tr. 3. n. 14. ad 17.
Omne peccatum eſt contra Prudentiam, Tr. 4. n. 18.
In peccato mortali exiſtens, an ſatisfaciat præceptis, Tr. 5. n. 38. & 39.
Peccatum omiſſionis; & Commiſſionis quomodo differant, Tr. 5. n. 7.
Peccato alterius cooperari, an, & quando liceat, Tr. 21. n. 23. & ſeq. & n. 27.
ad Peccatum minus, inducere paratum committere majus peccatum, an liceat, Tr. 21. n. 28.
Peccata Conjugum ad invicem, multa, Tr. 23. n. 39. & ſeq.
Peccata carnalia. *V. Luxuria.*
Peccandi Occaſio. Conſuetudo. *V. Occaſio. Conſuetudo.*
Peccata interna impudicitiæ. *V. Impudicitia.*
Peccatum, quomodo fiat à Voluntate, Tr. 17. n. 7.
Peccatum habituale, & peccatum ex habitu, quomodo differant, Tract. 39. num. 111.
Peccata Capitalia, quæ, Tr. 40. per totum.
Peccata, quæ clamant in Cœlum, quæ, Tr. 40. n. 54.
Peccator habituatus. Conſuetudinarius. Recidivus. *V. Conſuetudo peccandi.*
Peccator, etiam peſſimus, poteſt, & debet Orare, Tr. 12. n. 51.
Pecunia quid, & quomodo ſit introducta in Mundo, Tr. 34. n. 2.
per Pecuniam an poſſit fama compenſari, Tr. 36. n. 96.
Peculium filiorum familias, quid, & quotuplex, Tr. 32. n. 52.
Pœna. V. Poena.
Pejerare. V. Perjurium.
Perdita res, cujus fiant, Tr. 32. n. 61. & ſeq.
Res, quæ perit ex culpa, cui pereat. *V. Res. Culpa. Reſtitutio.*
Peregrini quibus Legibus teneantur, & an teneantur Legibus locorum, ubi tranſeunt Tr. 5. n. 36.
Et tempore Paſchali ubinam teneantur confiteri, & communicare, Tr. 38. n. 103.
Idem dicendum de Vagabundis &c.
Periculum. Cum periculo vitæ non obligant Leges humanæ, Tr. 5. n. 33.
Periculum peccandi, quid, & quotuplex, Tr. 30. n. 3. 4. & ſeq. & n. 13.
Periculo vitæ ſe exponere, quandonam liceat, & quando quis teneatur, Tr. 18. n. 16.
Perjurium quid, Tr. 13. n. 23. & Tr. 15. per totum.

Per-

Digitized by Google

Permiſſio. Permitti in ſe tactus impudicos fieri ab alio, Tr. 28. n. 53.
Permutatio rerum antiquitùs inſerviebat loco *Venditionis-Emptionis*, Tr. 34. num. 1. V. *Contractus*.
Perſeverantia, Virtus, Tr. 4. n. 45.
Perſonæ ſpirituales aliquando cadunt in præſumptionem, & hypocriſim, Tract. 10. n. 31.
Perſonarum acceptio, quale peccatum. Tr. 32. n. 81.
Perſuadere alicui minus malum, an liceat, Tr. 21. n. 28.
Pertinacia, quid, Tr. 4. n. 44.
Pertinacia neceſſaria ad hæreſim formalem, Tr. 9. n. 7.
Quomodo diſcernantur, ibid. n. 8. ad 10.
Petere Sacramenta à malo Miniſtro, an ſit licitum, Tr. 21. n. 27.
Pharmacopola vendentes quid pro quo. V. *Venditio*.
Pignus, & hypotheca, quid, Tr. 33. num. 128.
Pietas, Virtus, Tr. 23. n. 3. 4.
Pietas filiorum erga Parentes. V. *Filii*.
Pietas Parentum erga filios. V. *Parentes*.
Pietas Conjugum ad invicem. V. *Conjuges*.
Pietas ſubditorum erga ſuperiores, Tr. 23. n. 36.
Pigritia. V. *Negligentia*.
Pingere die Feſto, an liceat, Tr. 1. n. 32.
Pingere picturas obſcœnas, quale ſit peccatum. Tr. 28. n. 42.
Piſtor diminuens pondus panis, quomodo debeat reſtituere, Tr. 34. n. 35. V. *Reſtitutio*.
Planta. Arbores, & ſimilia fructifera damnificans, ad quid teneatur, Tr. 35. n. 114. V. *Damnificare*. *Reſtitutio*.
Plena advertentia ad peccatum requiſita. V. *Peccatum*.
Pœna Canonica quando incurrantur, Tr. 28. n. 17.
Pœnales Leges. V. *Lex*.
Politici, quando peccent, Tr. 36. n. 67.

P O L L U T I O.

Mollities, Tr. 29. n. 17. uſque in finem, ubi multa per ordinem: & plures caſus.
Pollutio quotuplex, ibid. n. 19. ad 21.
Qualificata ex parte objecti, &c. n. 22. & 23.
Ex parte perſonæ, &c. n. 24.
Ex parte complicis, n. 25.
Ex parte perſonæ tactæ, n. 26.
Ex parte inſtrumenti, n. 27.
Pollutio indirectè voluntaria, n. 28.
Cauſæ illius, quæ, n. 29. ad 35.
Pollutio involuntaria, n. 36.
Deſiderans ipſam inefficaciter, n. 37.
Pollutio nocturna in ſomnis, & inter ſomnum ac vigiliam, Tr. 29. n. 38. uſque in finem. Ubi plures caſus, &c.
Pompa, vitium, Tr. 4. n. 60.
Pompa. Ornatus exceſſivus, quando ſit peccatum, Tr. 18. n. 20.

PONTIFEX ROMANUS. PAPA.

Non poteſt errare in decernendis rebus Fidei, & morum, Tr. 38. n. 8.
Eſt ſupra Concilium generale, n. 9.
Poteſt condere Leges, n. 10. & Tr. 5. n. 17.
Poteſt præcipere actus internos. Tr. 5. n. 24. & ſeq.
Pontifex Romanus, ad diſpenſandum in Votis, Tr. 16. n. 71.
Ad inſtituendos dies Feſtos, Tr. 17. n. 6.
Populus non acceptando Legem juſtam peccat, Tr. 5. n. 13
Portio ſuperior, & inferior hominis, quæ, Tr. 39. n. 44. & Tr. 6. n. 19.

POSSESSIO. POSSESSOR.

Poſſeſſio rei quid, Tr. 32. n. 13.
de Poſſeſſione, & Dominio rerum, Tr. 32. n. 21. & ſeq. ubi plura per ordinem.
Poſſeſſio perfecta, & ejus privilegia, Tr. 32. n. 26.
Poſſeſſor bonæ, & malæ fidei, quid, Tr. 32. n. 24.
Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, vel acquirit dominium, Tr. 32. nu. 77. benè quidem
Poſſeſſor bonæ fidei, Tr. 32. n. 77.
Poſſeſſor bonæ fidei, quando cognovit rem eſſe alienam, ad quid teneatur, Tr. 35. n. 41. 42. & ſeq.
Poſſeſſor malæ fidei, ad quid teneatur, Tr. 35. n. 44. & ſeq.
Poteſtas diſpenſandi in Votis, & Juramentis apud quos ſit, Tr. 16. n. 70. & ſeq.
Præceptum, quid, Tr. 5. n. 1.
Affirmativum, & negativum, ibid. n. 7.
Præceptis quomodo poſſit ſatisfieri. Tr. 5. n. 37. & ſeq. ubi plura per ordinem.
Præcepta Decalogi in communi, Tr. 6. n. 12. & ſeq. ubi plura ordinatè diſpoſita.
Præcepta Eccleſiæ. V. *Eccleſia*.
Præcepta particularia. V. *ſub propriis vocabulis*.
Præceptores. Magiſtri, ad quid teneantur erga Diſcipulos, Tr. 23. n. 47. & ſeq.
Precarium quid, & quotuplex, Tr. 33. n. 61.
Præcipitatio. Præcipitantia, vitium quid, Tr. 4. n. 28.
Prædicare tenentur Fratres Ordinis Mino-

norum ex vi Regulæ ſuæ, Tract. 24. n. 8.
Prædicatores debent corrigere vitia, etiamſi prævideant nonnullis non prodeſſe, imò & obeſſe correctionem, Tr. 20. n. 8.
Prælati Regulares quò ad diſpenſandum in votis, Tr. 16. n. 73.
In viſitationibus Prælatorum quomodo ſe gerere debeant ſubditi, Tr. 20. n. 23. & ſeq.
Præſcriptio Juris, quid, Tr. 32. n. 75.
Conditiones ejus, n. 77.
Tempus, & anni ejus, n. 78.
Præſumptio quid, & quale peccatum, Tract. 40. n. 7.
Præſumptio ſalutis, Tr. 10. n. 25. & ſeq.

P R E T I U M.

Quid nomine pretii intelligatur, Tract. 34. n. 3.
Quotuplex ſit, n. 11. & ſeq.
Legitimum, ſeu Legale, n. 12.
Quando hoc eſt injuſtum ceſſat obligare, n. 15.
Naturale ſeu vulgare quid, & quotuplex, n. 18.
Infimum. Medium. Summum, num. 19. & ſeq.
Pretia rerum juſtis de cauſis poteſt augeri, & debet minui, Tr. 34. n. 22. 23. & ſeq. ubi plures caſus.
Pretia rerum ex triplici cauſa mutantur, Tr. 34. n. 23. & ſeq.
ex Abundantia, & penuria mercium, ib. n. 23.
ex Multitudine, & paucitate emptorum, n. 24.
ex Officio, & Negotio Mercatorum, Tr. 34. nu. 25. ſeu ex modo vendendi minutim, vel in copia, n. 26.
Pretium rerum, quæ ſubhaſta venduntur quale ſit, n. 26.
Pretium non poteſt augeri ex venditione facta creditò, n. 28. & ſeq.
Pretii juſti exceſſus eſt reſtituendus, & cui, n. 35. & 42.
Principia prima moralia quæ, Tr. 1. nu. 5. 6. & Tr. 6. n. 5. 9.
Principes Supremi poſſunt condere Leges. Tr. 5. n. 18.
Principes poſſunt interdicere venationem, & piſcationem in ſuo ſtatu, Tr. 32. n. 71. & ſeq.
Privilegium quid, & quotuplex, Tr. 5. nu. 63. 64.
Non ceſſat poſt mortem concedentis, nu. 66. & 67.
Procurare abortum. V. *Abortus*.
Profeſſio Religioſa facta ex metu, Tract. 33. r. 19.
Proles. V. *Filius*. *Fœtus*.
Promiſſio quid, Tr. 33. n. 46.
Promiſſio differt à Propoſito, ibid. n. 48.
Quando obliget, n. 48. & ſeq.
Quot modis definat obligare, n. 51.
Promulgatio Legis, & Decreti eſt neceſſaria ad obligandum, Tr. 5. n. 14. 15. & 68.
Proportio Arithmetica, & Geometrica, quæ, Tr. 32. n. 8.
Propoſitum differt à promiſſione, Tract. 33. n. 47.

PROPOSITIO. PROPOSITIONES.

Legales, & Theologicæ nonnullæ, Tr. 5. n. 57. 58.
Hæreticales, Tr. 9. n. 22.
Damnatæ propoſitiones non ſunt ampliùs probabiles, Tr. 2. n. 7.
Iſtæ damnatæ propoſitiones poſitæ ſunt ſuis in locis; & poſteà omnes ſimul in fine libri Part. 2. declaratæ.
Propoſitio probabilis. V. *Opinio*.
Probabilitas, defenditur, Tr. 1. n. 31. ad 45. & Tr. 2. per totum.
Proprietas rei, quid, Tr. 32. n. 13.
Proſcripti: Banniti non poſſunt licitè occidere miniſtros Principis, Tr. 25. n. 21.
Proxeneta. Revenditores, Tr. 31. n. 72.
Eorum peccata, Tr. 34. n. 47.
Proximus noſter quiſnam ſit, Tr. 18. n. 5.
De dilectione proximi. V. *Dilectio*.
De eo ſuccurrendo. V. *Neceſſitas*. *Eleemoſyna*, & ſic de cæteris, quæ reſpiciunt proximum, &c.
Prudentia, Virtus, Tr. 1. n. 8. & Tr. 4. n. 10. & ſeq.
Ejus actus quinam ſint. Tr. 4. n. 14.
Ejus partes, n. 15.
Vitia oppoſita Prudentiæ, Tr. 4. n. 21. & ſeq.
Prudentia carnis. Tr. 4. n. 29.
Regulæ Prudentiæ. Tr. 4. n. 34.
Prudentia dictat, pejora ſupponenda eſſe, ad ſibi præcavendum, Tr. 36. n. 144.
Pubertas quid, Tr. 33. n. 28.
Puberes, qui. Et eorum Vota, Tr. 16. n. 63. & 64. & Tr. 5. n. 47.
Publicare crimina. V. *Manifeſtare*. *Detractio*.
Publicum crimen. V. *Notorium*.
Puella Amaſiæ, ſeu amatæ, & amantes, quandonam peccent ex tali amore profano, Tr. 18. n. 21.
Puer nutritus in ſylvis, quomodo poſſet ſalvari, Tr. 6. n. 26.
Pueri quomodo credunt fide Divina, Tr. 8. n. 7.
Pueri, quando teneantur ad Legem Eccleſiæ, Tr. 5. n. 49.

Quo

Digitized by Google

Quo ad Confeſſionem. *V. Confeſſio.*
Quo ad Jejunium. *V. Jejunium*, & ſic de cæteris.
Pupilli; quinam ſit, & eorum Vota, Tr. 16. n. 73. 64. & Tr. 33. n. 27.

PURGATORIUM.

Animabus Purgatorii quænam opera poſſint applicari, Tr. 3. n. 29.
Et an melius ſit omnia noſtra bona eis applicare, ibid. n. 32.
Eis ſuffragia exhibenda ex Juſtitia, & Miſericordia. Tr. 32. n. 33.
Puſillanimitas, vitium, Tr. 4. n. 40. & 65. & Tr. 40. n. 51.

Q

QUi offenderit in uno præcepto factus eſt omnium Reus, quomodo ſit verum, Tr. 7. n. 45. & ſeq.
Qui Deo negat Obſequium, meretur infortunium, Tr. 17. n. 44. in fine.
Quinque pro Centum recipere ex Lege Imperiali; an ſit Uſura, Tr. 33. n. 114.
Quinque pro Centum, an poſſint recipi ex Contractu bona Fide facto, Tr. 33. n. 115. 116.

R

R*Adices* Reſtitutionis, quæ. *V. Reſtitutio*, Tr. 35. n. 2. 5.
Rancor, quid, Tr. 40. n. 49.
Rapina, quid, Tr. 31. n. 15.
Raptus carnalis. Raptor, Tr. 27. n. 55. ad 58. ubi plura.
Ratio naturalis, quid, Tr. 1. n. 1.
Ratio, & ſenſualitas ſunt duæ Portiones hominis inter ſe pugnantes, Tr. 6. n. 19.
Rationis advertentia ad peccatum neceſſaria. *V. Peccatum.*
Rationis uſus. V. *Infantes. Pueri.*
Reatus peccati, Tr. 39. n. 111.
Recidivi, Tr. 30. per totum, & Tr. 39. n. 88.
Recta conſcientia. V. *Conſcientia.*
Reddere alicui quod ſuum eſt. V. *Reſtitutio.*
Reddere debitum. V. *Debitum.*
Refectiuncula in die Jejunii. *V. Jejunium.*

REGULÆ PRO CONFESSARIIS

De quibuſdam caſibus in praxi Confeſſionarii prout ſequitur:
In ſequendis opinionibus, quæ favent pœnitentibus, Tr. 8. n. 44.
In examinanda puella gravida procurante abortum, Tr. 26. n. 17.
In abſolvendo à Caſu abortus animati, Tr. 26. n. 30.
In examinando eos, qui dicunt, ſe blaſphemaſſe, Tr. 14. n. 5. & 19.
In neganda abſolutione Concubinariis, & Concubinis, Tr. 27. n. 23. 27. & 28.
In abſolvendo Conjuge adultero, aut inceſtuoſo quoad Jus petendi debitum, Tr. 28. n. 14. & 15.
In cognoſcenda, & curanda Conſuetudine inveterata peccandi, Tr. 30. n. 37. & 57. & 60. & 66. & Tr. 39. n. 92.
In curanda conſuetudine peccandi venialiter, Tr. 30. n. 67.
In Deciſione Caſuum Conſcientiæ, Tr. 34. n. 35. in fine.
In abſolvendis Divitibus nolentibus reſtituere, ne diminuant ſuum ſtatum, Tr. 35. n. 92.
In damnis datis, quorum peritiam non habent ipſi Confeſſarii, Tr. 35. n. 114.
In dirigendis perſonis ſpiritualibus, Tr. 10. n. 31.
In dignoſcenda materia gravis detractionis, Tr. 36. n. 28.
In errore à ſe commiſſo quo ad injungendam aliquam Reſtitutionem, Tract. 35. n. 76.
In judicando: An pœnitens incurrerit Excommunicationem ex abortu, Tract. 26. n. 41.
In cognoſcendis peccatis Filiorum erga Parentes, & Majores, Tr. 23. n. 11. & ſeq.
In non abſolvendo eos, qui transferunt triticum extra Territorium, Tr. 35. n. 108. in fine.
Regula pro Confeſſariis &c.
In diſtinguenda materia notabilis Furti, Tr. 31. n. 22. & ſeq.
In agnoſcenda quantitate furti mortalis reſpectu Filiorum, famulorum, Domeſticorum, Uxorum, ac Religioſorum, Tr. 31. n. 39. 40.
In cognoſcendis fraudibus falſificantium merces, & ſimilia, Tr. 34. n. 83.
In habituatis in vitio maledicendi, & imprecandi mala proximo ſuo, Tr. 22. n. 5.
In Tentatis contra Fidem, Tr. 9. n. 21.
In examinando rectè homicidam, aut mutilatorem, Tr. 25. n. 66 & ſeq.
In imponenda pœnitentia homicidæ, Tr. 25. n. 58. & 68.
In judicando eos, qui defraudaverunt Gabellas Principis, Tr. 32. n. 90.
In ignorantibus myſteria principaliora Fidei, Tr. 8. n. 27. & 48. in fine.
In corrigendis Juvenibus amantibus puellas, & è contra, Tr. 21. n. 16.
In interrogando eos, qui invident, vel confitentur, ſe invidere bonis proximi, Tr. 22. n. 8.

In

Digitized by Google

In cautela habenda circa quædam peccata impudicitiæ, Tr. 28. n. 54.
In prudentia circa eos, qui non jejunant in Quadrageſima, Tr. 38. n. 53.
In matribus, quæ dicunt, non poſſe lactare ſuos infantes, Tr. 23. n. 29.
In mortificationibus corporalibus mitigandis cum diſcentione, Tr. 25. n. 58. & 68.
In deterrendis maritis, qui abutuntur copula maritali, Tr. 28. n. 25.
In diſcernendis peccatis mortalibus à venialibus, Tr. 39. n. 30. & 48.
In diſtinguenda portione inferiore à ſuperiore hominis, Tr. 39. n. 44.
In cognoſcenda vera Occaſione proxima peccandi, Tr. 30. n. 12.
In abſolvendo eos, qui verſantur in aliqua Occaſione proxima, Tr. 30. n. 19. & ſeq. n. 36.
In Mercatoribus creditò vendentibus plus juſto, Tr. 34 n. 29.
In confeſſione Proxenetarum, ſeu Revendentium, Tr. 34. n. 47. in fine.
In diſcernendis fallaciis, & fraudibus venditorum, T. 34. n. 78.
In corrigendis iis, qui ſolent jurare, vel pejerare, Tr. 15. n. 16. & 23. & 26.
In iis, qui indiſpoſiti accedunt Tempore tantùm Paſchali, & prope finem dierum Paſchalium, Tr. 38. n. 109.
In reconciliandis inimicis, Tr. 18. n. 40. ad 53. & 45.
Regula pro Confeſſariis, &c.
In imponenda Reſtitutione ablatorum per parva furta, Tr. 31. n. 34. & ſeq.
In Reſtitutione famæ, Tr. 36. n. 83. & ſeq. & n. 112. & 125.
In Reſtitutione honoris, Tr. 36. nu. 103. & 107.
In iis, qui nolunt reſtituere, Tr. 35. n. 14. 15. 16. & 25.
In iis, qui totum ſimul debitum nolunt reſtituere, Tr. 36. n. 26. 27. ad 30.
In iis, qui poſſunt reſtituere ante ipſam Confeſſionem, Tr. 35. n. 31. 32.
In obligandis pœnitentibus ad veram Reſtitutionem efficacem, Tr. 35. n. 36. 38. 39.
In modo tenendo, quando tibi Confeſſario committitur aliquid reſtituendum Tertio. Tr. 35. n. 68. & ſeq.
In remedio aſſignando contra Beſtialitatem. Tr. 29. n. 2.
Contra Sodomiam, ibid. n. 14.
Contra Pollutionem in ſomnum, ac vigiliam, ibid. n. 41. & ſeq.
In prudentia magna habenda in quacumque materia Luxuriæ, Tr. 29. n. 47. & ſeq.
In caſu, quo Confeſſarius deberet ſcribere Teſtamentum, aut Legatum pium ſui pœnitentis infirmi. Tr. 23. n. 86. 87. & ſeq.
Cæteras Regulas videbis in 2. Parte.
REGULARES, RELIGIOSI.
Eorum furta pauca, Tr. 31. n. 37. & ſeq.
Non poſſunt in particulari habere dominium bonorum fortunæ, Tr. 32. n. 40. & ſeq.
Non poſſunt cedere Juri ſuo, aut Privilegio ſuæ Religionis, Tr. 5. n. 67.
An poſſint privatim vovere, Tr. 16. n. 16. 17. & 58. 59.
Quomodo ſe gerere debeant in Viſitatione ſuorum Prælatorum, Tr. 20. n. 23. & ſeq.
Studentes Regulares ad quid teneantur, & quando peccent ex negligentia ſtudendi, Tr. 24. per totum.
Regularium, & Monachorum ignorantia, quàm damnoſa ſit, Tr. 24. n. 4. & 5.
Non debent adhibere media extraordinaria ad vitam conſervandam, aut prolongandam, Tr. 25. n. 31. 32. 33.
Regulares Mendicantes habent Privilegium diſpenſandi in Votis, & Juramentis, & in quibus, Tr. 16. n. 76. 77.
Item diſpenſandi in Impedimento conjugis petendi ſuum debitum, Tr. 28. n. 18.
An poſſint eligere locum ſuæ ſepulturæ, Tr. 33. n. 89.
Inducentes aliquem ſæcularem ad eligendam, aut mutandam ſuam ſepulturam, excommunicantur, Tr. 33. n. 89.
Regulares. Religioſi.
Eis prohibetur Mercatura, Tr. 34. n. 105.
Chyrurgia, Tr. 26. n. 43.
Ludus alearum, Tr. 33. n. 124.
Et adminiſtrare Euchariſtiam in die Paſchæ, Tr. 38. n. 99.
Religio virtus moralis, Tr. 12. n. 1. & ſeq.
Ejus actus, n. 4. & ſeq.
Vitia ei oppoſita, Tr. 13. per totum.
Remittere tenemur offenſam; ſed non ſemper injuriam, Tr. 18. n. 44.
REI ALIENÆ RESTITUTIO.
Tr. 35. *per totum.*
Reſtitutio quid ſit, n. 1.
Ejus Cauſæ, ſeu Radices, n. 2. & 5.
Quid ſit Delictum materiale, & formale, n. 3.
Damnificatio quotuplex, n. 4.
Regulæ obſervandæ in materia hac Reſtitutionis, n. 6. 7.
Satisfactio, & Reſtitutio differunt, n. 8.
Reſtitutio oritur ex violatione ſolius Juſtitiæ Commutativæ, n. 9.

Eſt

Digitized by Google

Eſt neceſſaria ad ſalutem, n. 10.
Præceptum Reſtituendi eſt affirmativum, & negativum, n. 11.
Qui poteſt reſtituere, & non reſtituit, quomodo peccet, n. 12.
Quando ſit facienda, n. 18.
Differre Reſtitutionem, quando ſit peccatum, n. 19. ad 24. ubi plures Caſus.
In quo quis factus eſt ditior; quid ſignificet, n. 22.
Divites, Nobiles &c. differentes Reſtitutionem, quomodo peccent, n. 25.
An totum ſimul ſit reſtituendum, an ſufficiat per partes ſucceſſivè, n. 26. & ſeq.
An uſque ad mortem differens Reſtitutionem, poſſit abſolvi, n. 30.
An Confeſſarius, qui malitioſè, vel culpabiliter non admonuit pœnitentem de obligatione reſtituendi, teneatur ad reſtituendum ipſe de ſuo, n. 31. & ſeq.
Quænam culpa requiratur ad contrahendam obligationem reſtituendi, n. 38. 39.
Quid, & quantum ſit reſtituendum. Tr. 35. n. 40. 41. & ſeq. ubi plures caſus.
Poſſeſſor bonæ Fidei ad quid teneatur, n. 41. ad 43.
Poſſeſſor malæ Fidei ad quid teneatur, n. 44. & ſeq.
Quinam teneantur ad reſtitutionem, numer. 48. 49.
Reſtitutio in ſolidum, quid, n. 50.
Rei alienæ Reſtitutio.
Quo ordine facienda ſit Reſtitutio. Tr. 35. n. 51. Ubi de damnificantibus variis modis, & cauſis, n. 51. & ſeq.
Cuinam reſtituendum ſit, n. 58. & ſeq. ubi plures caſus.
Debita incerta, vel incerti domini, n. 60.
In quo loco facienda ſit Reſtitutio, n. 61. & ſeq. ubi plura.
Varii modi reſtituendi, quæ ex delicto debentur, & aliis cauſis, n. 65. & 66. & ſeq. ubi plura per ordinem.
Alii modi occultè reſtituendi. Tr. 35. n. 70. & ſeq.
Modus reſtituendi per Tertiam Perſonam, ſeu per Internuncium. ibid. n. 71. & ſeq.
De eo, qui vovit Calicem, & miſit per nuncium; ſed perditur, n. 75.
Confeſſarius errans in injungenda Reſtitutione uni præ alio, n. 76.
Cauſæ excuſantes à Reſtitutione. Tract. 35. n. 77.
Ignorantia. Impotentia. Neceſſitas. Damnum. Sunt cauſæ, ob quas poteſt differri Reſtitutio, n. 78. & ſeq.
Caſus varii deducti ex dictis cauſis, n. 83. ad 102.
Cauſæ, ob quas poteſt omitti Reſtitutio, ſunt: Interitus rei. Remiſſio Creditoris. Compenſatio facta. Authoritas Superioris. n. 103. ad 106.
Varii Caſus de Reſtitutione, n. 107. ad finem uſque.
Qui in extrema neceſſitate accepit rem; non tenetur poſteà reſtituere. Tr. 31. n. 51.
Qui verò in gravi tantùm neceſſitate accepit rem alienam, tenetur reſtituere. ibid. nu. 52.
Qui damnum dedit injuſtè, tenetur reſarcire, aut reſtituere. Tr. 31. n. 62. & ſeq.
Qui rem furtivam, ſeu furatam emit, cuinam debeat reſtituere. Tr. 31. n. 69.
Reſtitutio facienda ex damno illato ob culpam mortalem tantùm. Tr. 33. n. 69. 70. & ſeq.
Reſarcire damna illata. *V. Reſtituere, ut ſuprà.*
Reſtitutio pretii injuſti, cui facienda ſit. T. 34. n. 35.
Reſtitutio ex injuſta venditione. V. *Venditio.*
Reſtitutio Famæ, & honoris.
Varii modi Reſtitutionis famæ. Tr. 36. n. 83. & ſeq. ubi multi caſus.
Famæ Reſtitutio eſt obligatio perſonalis. Tr. 36. n. 87.
Reſtitutio autem ex damnificativa Detractione eſt etiam realis obligatio. Tr. 36. ibid. num. 91.
Qui alium infamavit evulgando verum, ſed occultum crimen, quomodo debeat reſtituere, ibid. n. 92. 93.
Fama ablata an poſſit compenſari per pecuniam. ibid. n. 96.
Famæ, & honoris Reſtitutio.
Quando Reſtitutio nequit fieri in bonis ejuſdem ordinis, an debeat fieri in bonis alterius ordinis, ſeu in æquivalentibus. Tr. 36. n. 99. & 100.
Infamatus an poſſit ſibi facere compenſationem de bonis fortunæ Infamantis. ibid. n. 101.
Modus reſtituendi, vel reſarciendi honorem alterius. ibid. n. 102. & ſeq.
An Reſtitutio famæ debeat fieri apud omnes, immediatos, & etiam mediatos auditores, ibid. n. 108.
Cauſæ excuſantes à Reſtitutione Famæ, &c. Tr. 36. n. 123. & ſeq.
Quando infamia per oblivionem deleta eſt, ceſſat obligatio reſtituendi. ibid. numer. 125.

Reſti-

Digitized by Google

Reſtitutio facienda, ex Homicidio. Tr. 25. nu. 52. 53. & ſeq. & n. 55. & ſeq.
Ex mutilatione. ibid. n. 59. & ſeq.
Ex Adulterio, vel propter Adulterium, ac prolem inde natam. Tract. 28. n. 3. & ſeq.
Res aliena. Vide multa in prædictis de Reſtitutione.
Rerum temporalium diviſio quo Jure introducta ſit in mundum. T. 32. n. 57.
Res deperditæ cujus fiant, an primi Inventoris. Tr. 32. n. 62. ad 64.
Res, quæ nullius ſunt domini, quomodo fiant alicujus. Tr. 32. n. 66.
Res furtivæ, ſeu furatæ non præſcribuntur ullo tempore. Tr. 32. n. 77.
Quænam res poſſint præſcribi. ibid.
Res, quæ perit ſine tua culpa Theologica, non eſt reſtituenda in foro conſcientiæ. Tr. 33. n. 69. 70. & ſeq.
Res, quæ non habent pretium, quanti poſſint vendi. Tr. 34. n. 21.
Res venales, ſeu quæ vendi poſſunt. V. *Venditio*.
Res furtiva, ſeu furata empta, an debeat reddi immediatè Domino illius, an verò poſſit reddi furi, reſcindendo contractum. Tr. 34. n. 52.
Rerum Sacrarum abuſus. Tr. 13. n. 16.
Reſpublica poteſt condere Leges. Tract. 5. n. 19.
Reſtrictio mentalis damnata, eſt mendacium palliatum. Tr. 15. n. 43. & ſeq. & Tr. 36. n. 128. & ſeq. ubi plura &c.
Reus, contra quem eſt ſemiplena tantùm probatio, an teneatur fateri ſuum crimen coram Judice. Tr. 15. n. 56. 57.
Revelare ſecretum, quale ſit peccatum. Tr. 36. n. 126. & 127.
Revelare peccatum occultum. V. *Detractio*.
Revelare Superiori Viſitatori defectus Religioſorum: quænam prudentia ſit neceſſaria ad hoc. Tr. 20. n. 23. & ſeq.
Revelare delicta, & impedimenta alterius. V. *Correctio fraterna. Denunciare &c.*

S

Sabbatum antiquum Feſtum quare mutatum in Dominicam diem. Tr. 17. n. 4.
Sabbati Jejunium ſemiplenum quo Jure introductum. Tr. 38. n. 30. 31.

SACERDOTES.

Celebrantes in Feſtis ſatisfaciunt præcepto de Miſſa audienda. Tr. 38. n. 13.
Ignorantia Sacerdotum quàm damnoſa ſit Eccleſiæ Dei. Tr. 24. n. 4. & 5.
Confeſſarii Sacerdotes. V. *Confeſſarius*.
Quò ad reliqua. V. *Clericus. Beneficiarius*.
Sacer locus quinam ſit. Tract. 27. num. 75. 76.
Sacra perſona, quænam ſit. Tr. 27. n. 73.
Sacras res tenens à collo pendentes, & peccans, an committat Sacrilegium. Tr. 27. n. 79.
Sacrarum rerum abuſus. Tr. 13. n. 16.
Sacra Scriptura abuſus. ibid.
Sacras res laicus tangens, an peccet. Tr. 13. n. 27.
Sacramenti Euchariſtiæ Præceptio. V. *Communio. Euchariſtia*.
Sacræ Imagines adorandæ. V. *Imagines*.
Sacrificium Miſſæ audiendæ. V. *Miſſa*.
Sacrilegium quid, & quotuplex. Tr. 13. n. 13. & ſeq.
An omne peccatum factum à Perſona ſacra ſit Sacrilegium. ibid. n. 18. 19.
An omne Sacrilegium ſit peccatum mortale, n. 20.
Sacrilegium maximum quale ſit. Tract. 13. num. 25.
An per ſolam omiſſionem poſſit quis peccare peccato Sacrilegii. ibid. n. 26.
Perſonale carnale Sacrilegium, quid. Tr. 27. n. 72. & ſeq. ubi plura.
Reale, & locale Sacrilegium. Tr. 27. n. 72.
Salomon Rex multa didicit ſtudio. Tr. 24. n. 10. 11.
Saltare, ludere, ducere choreas cum fœminis, eſt Seminarium ſcandalorum. Tr. 21. n. 17. & ſeq.
Salutis æternæ Deſperatio. V. *Deſperatio*.
Sanctificare Feſta. V. *Feſtivi Die*.
Sanguis Chriſti Domini relictus in Sindone eſt adorandus cultu Latriæ reſpectivæ. T. 12. n. 9.
Sartores ementes mercem, aut pannum ex commiſſione ſuorum Adventorum: quomodo peccent. Tr. 34. n. 42.
An ipſi poſſint vendere fragmenta, &c. Tr. 34. n. 98.
An eorum excuſationes ſint admittendæ. Tr. 34. n. 42. in fine.
Satisfacere Legi, aut præcepto. V. *Lex*.
Satisfacere damno illato. V. *Reſtitutio*.

SCANDALUM.

Tr. 21. *per totum*.

Ubi

Quid ſit Scandalum, n. 1. 2. & 3.
Activum, & Paſſivum, n. 4.
Datum, & Acceptum. ibid.
Puſillorum, & Phariſæorum. ibid.
Directum, & Indirectum, n. 6.

Scan-

Digitized by Google

Scandalum quale ſit peccatum, num. 7. & ſeq.
Exempla, & Caſus practici plures de prædictis Scandalis, n.11. 12. 13. & ſeq.
Scandalum Puſillorum explicatur. ibid. n. 12.
Scandalum Paſſivum, ac Phariſaicum explicatur. ibid. regula tertia, & ſeq.
Scandalum puellarum amantium, & amatarum, quæ Amaſiæ dicuntur. ibid. n.16.
Scandala data, & accepta in Choreis. ibid. n. 17.
Inducere aliquem ex ſe paratum ad peccandum, non licet, n.21. & 22.
Cooperari peccato alterius, quando ſit peccatum, n.23. & ſeq.
Conſentire peccato alterius. ibid.
Inſervire alicui peccare volenti, nu. 25. 26. & ſeq. Ubi plures caſus ad propoſitum.
Inducere aliquem ad minùs malum, n.28.
Caſus de cooperante, & inducente ad minus malum. ibid.
Paratum furari mille aureos, poſſum rogare, ut ſit contentus Centum aureis. ibid.
Volenti committere adulterium poſſum ſuadere, ut potiùs fornicetur. ibid.
Volenti furari jumentum Cajo, non poſſum ſuadere, ut potiùs furetur Titio diviti; benè quidem diviti indeterminato. ibid.
Volenti committere Sodomiam poſſum ſuadere, ut potiùs fornicetur cum Meretrice indeterminata, non verò cum Berta. Tr. 21. n.28.
Militem volentem occidere Ruſticum, an poſſim inebriare ad impediendum homicidium, ibid. n.29.
SCHOLARES. STUDENTES.
Ad quid teneantur. Tract. 23. nu. 46. & ſeq.
Regulares ſtudentes ad quid obligentur. T. 24. per totum.
Quando, & quomodo peccent. ibid. n.2. & ſeq.
Scholaribus, & ſtudentibus quænam ſint magis neceſſaria. ibid. n.16.
Finis eorum qualis eſſe debeat. ibid. num. 17.
Libri meliores ipſorum, n.18.
Modus optimus, quem deberent tenere in ſtudio, n.18.
Scholaſticæ diſputationes quandonam ſint illicitæ. Tr. 22. n.13.
Scientia Moralis, quid. Tr. 1. n. 7.
Scientia quàm neceſſaria ſit Clericis, Religioſis, & Sacerdotibus. Tr. 24. n. 4. ad 7.
Scientiarum Utilitas quæ, & quanta. Tr.24. n. 9. & ſeq.
Sciens Titium eſſe hæreticum tenetur denunciare S. Officio. Tr. 9. n. 18. 19.
Etiamſi non poſſit probare, n.20.
Scribere litteras obſcœnas &c. Tr. 28. nu. 40. 42.
Scriptura Sacra ſtudium maximè convenit Religioſis. Tr.24. n.6.
Scrupulus, quid, Tr.1. n. 62. ubi multa per ordinem de Scrupuloſis Conſcientiis uſque in finem Tract. primi.
Scurrilitas, vitium. Tr. 4. n.61.
Segetes conculcans. Tr. 35. n.114.
Secretum revelare, quale ſit peccatum. Tr. 36. n.126. 127.
Semiplena advertentia. *V. Peccatum*.
Senes Sexagenarii completi non tenentur ad completum Jejunium. Tr. 38. n. 43.
Senſualitas, & Ratio ſint duæ hominis Portiones. Tr.6. n.19. & Tr. 37. n.8.
Senſus non nocet, ubi non eſt Conſenſus. Tr.37. n.11.
Sententia variæ, & Axiomata utriuſque Juris. Tr. 5. n.57. & 58.
Sententiæ. Opiniones. V. *Opinio*.
Sententia Judicis. V. *Judex*.
Sepulturam eligere quis poſſit. Tract. 33. n. 89.
Sepulturam eligere, vel mutare inducens excommunicatur. Tr.33. n.89.
Sepulturam eligere quando poſſit Religioſus; & ubi debeat ſepeliri, moriens extra Monaſterium: Item de ſæculari moriente in itinere extra ſuam Parochiam. Tr.33. n. 89.
Servi. *V. Famuli*.
Sexagenarii completi non ampliùs tenentur ad plenum Jejunium Eccleſiaſticum. Tr. 38. n. 43.
Sicarii, homicidæ pretio conducti privantur Jure Aſyli. Tr. 25. n.46.
Signa, & Notæ veræ Eccleſiæ. Tr.38. n. 3. & ſeq.
Simonia, quid. Tr. 13. n. 21.
Simulatio, quid. Tr. 36. n.66.
Sobrietas, virtus. Tr. 4. n.51.
Societas. *Contractus*, quid. Tr. 33. n.118.
Ejus Species. ibid. 119. 120.
Conditiones requiſitæ. 121.
Pactum de aſſecuratione capitalis, an ſit licitum, n. 123.
Socii in hoc Contractu ad quid teneantur. ibid. n.122.
In hoc Contractu, an ſit licitum plures unire contractus, n.123.
Sodomia. Nefandum crimen. Tr. 19. n.8. ad 16. ubi plura per ordinem.

Eſt

Digitized by Google

Eſt peccatum clamans in Cœlum. Tr. 40. n. 54.
Solvere debita ſua. V. *Reſtitutio*.
Sollicitudo rerum temporalium quando ſit peccatum. Tr. 4. n. 33.
Sordities odioſa. Tr. 4. n. 60.
In *Somnis* ſe polluentes. V. *Pollutio*.
Sperare, vel confidere in hominibus, quando ſit peccatum. Tr. 10. n. 21. & 22.

SPES VIRTUS THEOLOGALIS.

Quid ſit. Tr. 10. n. 1.
Ejus objectum primarium, n. 2.
Secundarium objectum. ibid.
Motivum ſperandi, n. 3.
Certitudo moralis ſpei, n. 4. 5.
Inter ſpem, & timorem ambulare debemus, n. 5. 6.
Spei actus, n. 7.
Non debemus confidere in noſtris meritis. n. 8.
Quænam ſperanda ſint, n. 9.
Habitus ſpei quando infundatur, n. 10.
Et in qua potentia Animæ, n. 11.
Quando annihiletur, n. 12.
Præceptum ſpei quando obliget, num. 13. 14.
De Vitiis ſpei oppoſitis, n. 17. & ſeq.
Spernere. V. *Contemptus*.
Spiritus, & Caro pugnat in homine. Tr. 6. n. 19.
Spirituales perſona, quædam mulierculæ cadunt in præſumptionem ſpiritualem, & hypocriſim. Tr. 10. n. 31.
Sponſalia ex metu contracta. Tr. 33. n. 19.
Sponſio, ludus. Tr. 33. n. 124. & 125.
Spurius filius non tenetur credere Matri aſſerenti, eſſe ſpurium. Tr. 28. n. 6.
Statutum, quid. Tr. 5. n. 1.
Status gratia, an requiratur ad ſatisfaciendum præceptis. Tr. 5, n. 38. 39.
Statui proprio bona neceſſaria, & ſuperflua, quæ. Tr. 19. n. 7. & 8.
Status electio eſt omnino libera. Tr. 23. n. 14. & ſeq.
Stipendium minus juſto accipientes, an poſſint ſibi occulte compenſare. Tr. 31. n. 48. & ſeq.
Studioſitas, virtus. Tr. 4. n. 62.
Studia fructuoſa qualnam conditiones requirant. Tr. 24. n. 15.
Studium litterarum, Scientiarum, Scripturarum quò ad Religioſos. Tr. 24. per totum.
Studentes. V. *Scholares*.
Stultum, fatuum appellare aliquem, an ſit grave peccatum. Tr. 36. n. 29.
Stuprum, Stuprator. Tr. 27. n. 33. ad 54. ubi plura per ordinem.
Stuprator ad quid teneatur. ibid. n. 40. & ſeq. & 45. & ſeq.
Subſannatio, quid. Tr. 36. n. 78.
Subditi ad quid teneantur erga Majores, & Superiores. Tr. 23. n. 40. & ſeq.
Succurrere proximo in gravi, & extrema neceſſitate, tenemur. Tr. 18. n. 17.
Suffragium debitum Animabus Purgatorii. T. 12. n. 33. V. *Purgatorium*, quò ad alia.
Summus Pontifex. V. *Pontifex Romanus*.
Superbia, vitium. Tr. 4. nu. 63. & Tr. 40. num. 2.
Quotuplex ſit. ibid. n. 3.
Ejus filiæ, n. 4. & ſeq.
Superiores quando, & quomodo debeant corrigere ſubditos. Tr. 20. n. 8. 12. 15.
In viſitatione Superiorum, quomodo ſe debeant gerere ſubditi. Tr. 20. n. 23. & ſeq.
Superiores, Majores ad quid teneantur erga ſubditos. Tr. 23. n. 41. & ſeq.
Superſtitio, quid, & quotuplex. Tr. 13. n. 1. 2. 3. & ſeq.
Suſpicio temeraria, quid. Tr. 36. n. 137. & ſeq.
Suſpicari licet ad ſibi præcavendum. Tr. 36. n. 144.
Suſpecti de hæreſi ſunt denunciandi ſine prævia correctione. Tr. 20. n. 17. 18.
Suſſurratio quale peccatum. Tr. 36. n. 82.
Symbolum Fidei. V. *Fides*.
Qui neſcit Symbolum, an peccet. Tr. 8. n. 32.
Synderefis quid ſit. Tr. 1. n. 5.

T

Tabernarii, an poſſint vendere vinum volentibus ſe inebriare, ac cibos Jejunium frangere volentibus. Tr. 21. n. 27. V. *Scandalum*.
Tactus impudici. Tr. 28. n. 43. & ſeq.
Permittere ſe tangi impudicè. ibid. n. 53.
Taxa facta à Principe in prætiis rerum, an poſſit alterari. Tr. 34. n. 12. & ſeq.
Temperantia, virtus. Tr. 4. n. 47. & ſeq.
Partes, & Officium ejus, n. 48. 49.
Virtutes, quæ ſub Temperantia continentur. ibid. n. 50.
Temeritatis vitium. Tr. 4. n. 46.
Tentatio Dei, quid. Tr. 13. n. 10. & ſeq.
Tentationes contra Fidem, quomodo vincendæ. Tr. 9. n. 21.
Contra ſpem. Tr. 10. n. 20.
Aliæ Tentationes. V. ſub vocabulis vitii, aut Virtutis propriæ.

Terre-

Terrena bona deſiderare, quale peccatum. Tr. 10. n.23. 24.
Territorium quid ſit. Tr. 32. n. 78.
TESTAMENTUM.
Quid, & quotuplex. Tr. 33. n. 69. 80. & ſeq.
Ad pias Cauſas factum, n.81. & ſeq.
Requirit ſaltem duos Teſtes, n.82. ad 85.
An credendum ſit Parocho, aut Confeſſario de voluntate Teſtatoris ad pias cauſas, n.86.
Quomodo debeat ſe gerere Parochus, Capellanus, Confeſſarius ad faciendum Teſtamentum moribundi, vel ad Legatum firmandum, n. 86. 87.
Quinam poſſint condere Teſtamentum. Tr. 33. n.79. & 89.
An infirmus teneatur teſtari, aut condere Teſtamentum. ibid. n.92. & 93.
Teſtatores melius facerent præmittendo ſuffragia, quàm poſtponendo, & relinquendo hæredibus, n. 94.
Teſtimonium falſum, quid. Tr. 36. num. 49. 50.
Teſtis, qui per errorem depoſuit falſum, ad quid teneatur. Tr.36. n. 51.
Nolens Teſtimonium facere, an peccet. ibid. n. 52.
Cauſæ excuſantes à Teſtimonio faciendo. n. 54.
Theologi quando peccent diſcordiæ peccato. Tr. 22. n.10.
Theologorum, & Litteratorum peccata propria, quænam ſint. Tr. 24. n.22. & ſeq.
Variæ Sententię Theologorum in materia Legis. Tr. 5. n. 58.
Theſaurus inventus cujus fiat, & alia de Theſauris. Tr.32. n.67. & ſeq.
Thorus maritalis, quid. Tr.28. n. 1.
Timor, & Spes ſunt nobis neceſſaria ad ſalutem. Tr. 10. n.5.6.
S. Timoris Dei præceptum. Tr. 10. n.15.
Quomodo acquiratur S. Timor Dei. Tr. 24. n. 29.
Titulus juſtus retinendi, vel poſſidendi rem. Tr. 32. n.77.
Tituli juſti, quibus liceat aliquid ultra ſortem exigere in Mutuo. Tr. 33. n.109. & ſeq.
Tributa ſolvere. V. *Gabella*.
Trium Contractuum Contractus, an ſit licitus. Tr. 33. num. 115. in fine, & num. 123.
Triticum extra Territorium transferentes ex conſuetudine, an poſſint abſolvi. Tr. 35. n. 108.
Turca quinam ſint. Tr. 9. n.2.
Turpiloquium quid ſit. Tr. 28. n.40.
Tutela inculpata cum moderamine facta; Tr. 25. n. 5.
Tutela. Tutor. Curator, quid. Tract. 33. n. 30.
ob *Turpem cauſam* accepta, an poſſint retineri. Tr. 32. n.84.

V.

Vagabundi. V. *Peregrini*.
Vanagloria quid, & quale peccatum. Tr. 40. n.5.6.
Vana Obſervantia Superſtitionis ſpecies. Tr. 13. n. 6.
Vanitas. V. *Pompa. Ornatus*.
Vaſtare, conculcare ſegetes, ſata, & ſimilia ante maturitatem, quid Juris. Tr. 35. n. 114. V. *Reſtitutio*, quò ad alia ſimilia. V. *Damnificatio*.
Vectigalia fraudare. V. *Gabella*.
Venalia bona. Res, quæ vendi poſſunt. V. *Venditio*.
Venerea Delectatio. V. *Delectatio*.
In re Venerea non datur parvitas materiæ. Tr. 28. n.50. & ſeq.
De alia materia venerea. V. *Luxuria*.
Venatio. Piſcatio, an poſſit prohiberi à Principe, & quando quis peccet, venando, piſcando, &c. Tr. 32. n.75. & ſeq.
VENDITIO-EMPTIO. CONTRACTUS. Tr. 34. *per totum*.
Ubi
Origo hujus Contractus, n. 1.
Inventio nummi, pecuniæ, n. 2.
Ex permutatione mercis cum pretio, & è contra habetur hic Contractus, n.3.
Quid ſit Emptio-Venditio, n. 4. & ſeq.
Pretium rei quotuplex, n.11. 12. & ſeq.
Res, quæ non habent pretium, quanti poſſint vendi, n. 21.
Res valet, quanti vendi poteſt, eſt falſum dictum, n. 21.
Pretia rerum poſſunt mutari, & quibus de cauſis, n.22. & ſeq.
Merces ultroneæ vileſcunt pro tertia parte valoris, n.26.
Qui emit in gratiam venditoris, quid, n. 26.
Subhaſta vendere, quid, n. 26.
An liceat cariùs vendere extraneis, quàm vicinis, &c. n.27.
Qui vendit credito, an poſſit pretio majori vendere, n.28. ad 30. ubi plures caſus.
Neceſſitas, vel utilitas mercis, an ſit cauſa ſufficiens augendi pretium, n.31.
Emptio-Venditio, in qua latitudo pretii juſti exce-

excedítur, an ſemper injuſta, n. 32. & ſeq.
In omni ferè Venditione-Emptione, & aliis contractibus oneroſis quaſi ſemper includitur ſpontanea donatio, vel remiſſio juſti pretii, & valoris, &c. Tr. 34. n. 34.
Cuinam reſtituendus ſit exceſſus juſti pretii. n. 35.
Sciens brevi tempore augendum, aut diminuendum eſſe pretium, an poſſit tunc vendere, vel emere pretio currenti, nu. 36. & ſeq.
Vendens, vel emens nomine alieno, an poſſit ſua ex induſtria ſibi aliquid lucrari, n. 40. & ſeq.
Emens ex Commiſſione, & Mandato alterius aliquam rem à Mercatore, qui dicit, ſe in ejus gratiam minori pretio vendere; an poſſit ſibi retinere exceſſum, n. 42.
Emens, vel vendens nomine alieno, & ex ſingulari ejus induſtria faciens lucrum, an poſſit ſibi illud retinere, n. 43.
Quando Dominus rei emendæ, aut vendendæ tibi taxavit pretium, an poſſis aliquid tibi lucrari, n. 44. 45.
Vendens, vel emens aliquid alieno nomine, nullo ſibi aſſignato pretio, aut ſtipendio, an poſſit ſibi retinere juſtum ſtipendium. Tr. 34. n. 46.
Proxenetæ, quomodo peccent in vendendo res ſibi commiſſas. Tr. 34. n. 47.
Quænam res vendi poſſint. ibid. n. 48.
Venditor tenetur de Evictione rei venditæ. n. 49.
Venditio rei alienæ an ſit valida, n. 50.
Fructus induſtriales rei alienæ venditæ, an ſint venditoris, n. 51.
Res furtiva, ſeu furata emptà, an debeat reddi proprio Domino immediatè; an verò ſufficiat reddere Furi, reſcindendo contractum, n. 52.
Quando Venditor, & Emptor ſciunt rem eſſe furtivam, an valeat contractus, n. 54.
Emens rem furtivam ſcienter, an aliquando poſſit excuſari à Reſtitutione, nu. 56. & ſeq.
An Venditor debeat manifeſtare vitia rei. n. 61. & ſeq. ubi multa per ordinem.
Emptor ſciens rem pluris valere, an poſſit minoris emere, n. 70. & ſeq.
Ubi eſt inæqualitas notabilis pretii, vel rei valoris non præſumitur donatio, vel remiſſio. ibid. Tr. 34. n. 72. in fine.
Venditor decipiens emptorem, ad quid teneatur, n. 77. & ſeq.
Modi uſitati decipiendi Emptores, n. 78. & ſeq.
Vendere quid pro quo, an ſit licitum. Tr. 34. n. 80.
Venditores aquam miſcentes vino, an peccent. ibid. n. 81. & ſeq.
Deteriorare merces, vel diminuere menſuram prætextu minoris pretii, an liceat, n. 84. 85.
An poſſint cogi divites ad vendendas ſuas merces, n. 86.
Quando res venditur duobus Emptoribus cujuſnam ſiat, n. 87.
Damnum, vel periculum rei venditæ, & nondum traditæ, cujus ſit, n. 88. & ſeq. ubi plures caſus.
Fructus rei venditæ, & nondum traditæ, ad quem pertineant, n. 92.
Si Triticum in loco humido apponatur, ut creſcat, quid Juris, n. 93.
Qui ſeparat fructus meliores à deterioribus, & poſteà vendit deteriores pretio taxato, meliores verò majori pretio, an peccet. Tr. 34. n. 94.
Qui vendit res indifferentes, ſciens emptorem abuſurum eſſe tali re, an peccet, n. 95.
An ſit licitum locari domum Meretrici majori pretio. Tr. 34. n. 96.
Vendere res indifferentes cum dubio de malo uſu ementis, an liceat, n. 97.
Emere à Sartoribus fragmenta panni, an ſit licitum, n. 98.
Venditio cum fallaciis, & mendaciis quot modis fieri poſſit, vel ſoleat, n. 99.
De Monopoliis in vendendo. Tr. 34. n. 100. & ſeq.
Verecundia, virtus. Tr. 4. n. 49.
Veritas humana quid. Tr. 36. n. 55. & ſeq.
Utilitas Veritatis. ibid. n. 58.
Neceſſitas Veritatis. ibid. n. 59.
Veritas quandoque occultanda, & quomodo. ibid. n. 131. & ſeq. ubi plures caſus.
Veritas requiſita in Juramento, qualis, & quanta debeat eſſe. Tr. 15. n. 18. ad 27.
Veritatem impugnare quando ſit peccatum. Tr. 22. n. 12. 13.
Via decem Scoticæ ad probandam veritatem noſtræ Fidei, & Religionis. Tr. 38. n. 7.
Vindicta. Vindicare ſe propria authoritate non licet. Tr. 40. n. 19. & ſeq.
Vindicativa Juſtitia. V. *Juſtitia*.
Violatio Voti. Tr. 13. n. 24. V. *Votum*.
Virginitas, virtus, quæ, & quotuplex. Tr. 27. n. 34. ad 37.
DE VIRTUTIBUS MORALIBUS. Tr. 4. per totum.
Ubi
Virtus, quid, n. 1. & ſeq.

Virtu-

Digitized by Google

Virtutes, morales, quę, & quot. ibid. n.9.
Quotuplex ſit virtus. ibid. n. 4.
Virtus conſiſtit in medio, n.5.
Virtutes imperatæ à Juſtitia. ibid. n. 37.
Imperatæ à Fortitudine, n.40.
Virtutes theologales reducuntur ad Decalogum. Tr.7.n.33.
Omnes Virtutes, ut ſint meritoriæ debent imperari à Charitate, & quomodo. Tr. 11. n.4.5.
Virtutes in particulari. Vide ſub propriis vocabulis.
in *Viſitatione* Prælatorum. Tr. 20. n. 23. &c.
Vita periculo ſe exponere. *V. Periculum*.
ad Vitam conſervandam, quibus mediis uti poſſumus. Tr. 25. n.32.
Vitium. Vitia contraria Prudentiæ. Tr.4. n.21. & ſeq.
Vitium rei vendendæ quomodo ſit manifeſtandum. Tr. 34. n. 61. & ſeq. — Reliqua vide ſub propriis nominibus Vitiorum, & Peccatorum.
Vitia, quæ ſolent eſſe propria Litteratorum ſunt ſeptem. Tr.24. 22. ad 28.
Unuſquiſque habet Jus ad propriam famam. Tr.36. n.141.

VOLUNTAS.

Voluntas noſtra eſt cauſa omnis peccati. Tr.3. n. 20.
Voluntatis conſenſus quotuplex. Tr. 37. n. 5. & ſeq. quò ad conſenſum voluntatis ad peccatum. *V. Peccatum*.
Voluntatis libertas quotuplex. Tr. 1. num. 27.
Voluntarium quid, & quotuplex. Tr. 3. n.3. & ſeq.
Perfectum, & Imperfectum. ibid. n. 4.
Directum, & Indirectum, n.5.
In ſe, & in cauſa, n.6.
Voluntas non neceſſitatur à dictamine practico rationis. Tr.4. n.12. & 20.
Voluntas poteſt imperare imprudentiam. ibid. n. 22.

VOTUM.

De Votis. Tr. 16. *per totum*.
Ubi
Quid ſit Votum, n.1. 2.
Deliberatio requiſita ad votum, nu. 3. & ſeq.
Factum ex metu, n.5.
Injuſtè extortum, n. 7.
Ex errore, vel ignorantia factum, n.8.
Materia Voti, quæ n.9.& ſeq.
Matrimonium vovere, an teneat, n.10. 11.
Vovere aliquid mali, an ſit peccatum, nu. 12.
Opus indifferens, an ſit materia Voti, n. 13.
Rem præceptam vovere, an teneat, n.14.
Quinam poſſit vovere, n.15. & ſeq.
Quotuplex ſit Votum, n. 20.
Reale, Perſonale, Mixtum Votum. ibid.
Abſolutum, & Conditionatum, n.21.
Solemne, & ſimplex Votum, num. 22. & 23.
Quæ, & quanta ſit obligatio Voti, n. 24. & ſeq.
In materia etiam levi. ibid.
Quomodo dignoſcitur materia gravis, & levis Voti, n.29. ad 32. ubi plures Caſus.
Dubitans de aliqua circumſtantia Voti ad quid teneatur, n. 36.
Dubitans de intentione vovendi, vel de Voto, n.37.
Dubitans de legitima materia Voti, n. 40.
Votum quando obliget, n.41. & ſeq.
An obligatio Voti ſit ſemper Perſonalis, ita, ut non poſſit adimpleri per tertiam Perſonam, n.45. & ſeq.
Votum Perſonale non tranſit ad hæredes. Tr. 16. n.50.
Pœnitere de Voto facto, an ſit peccatum. n. 51.
Opera facta ex Voto an ſint majoris meriti, n. 52.
Differentia inter Votum, & Juramentum, n. 53.
Votum Juramento firmatum, n. 54.
De Extinctione, Irritatione, Diſpenſatione, & Commutatione Votorum. Tr. 16. n.55. & ſeq.
Extinctio Voti, quid ſit. ibid. n. 55. & ſeq.
Irritatio Voti, n.56.
Quotuplex ſit Irritatio, n.57.
Vota Religioſorum facta poſt Profeſſionem, an teneant, n. 58. ad 60.
Quid de Votis Novitiorum, n.61. 62.
Quid de Votis Filiorum familias, pupillorum, Impuberum, Puberum, n.63. & 64.
Quid de Votis Conjugum. ibid. n. 65.
Quæ diximus de Votis, dicenda ſunt de Juramentis, n.66.
Quid ſit Diſpenſatio Voti. Tr. 16. nu. 67. & ſeq.
Cum cauſa rationabili debet fieri diſpenſatio Voti, n.68. & ſeq.
Quænam ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in Votis, n 69. & ſeq.
Quotuplex ſit Poteſtas diſpenſandi, n.70. & ſeq.
Diſpenſatio poteſt fieri extra Confeſſionem. n. 75.

Con-

Digitized by Google

Confeſſarii Regulares Mendicantes poſſunt diſpenſare in Votis, & in quibus. Tr.16. n.76.
Papæ reſervata Vota ſunt quinque. Tr. 16. n.77.
Quid ſit Commutatio Voti. ibib. n.78.
Quomodo facienda ſit, n.78. & 80.
Quinam poſſint commutare Vota. n. 79. & quomodo, n.80.81.
Cauſæ commutationis quæ, n. 82.
Votum reſervatum quomodo intelligi debeat. n. 83.
Quænam Vota nequeant diſpenſari, nec commutari, n.85.
Vovens Calicem, qui deperditur &c. Tr. 35. n.75.
Vovens jejunare omnibus Sabbatis, aut Sextis Feriis, ſi Natale Domini incidat, &c. Tr. 38.n.32.
Vocis ad ſuavitatem conſervandam an liceat ſe caſtrare, vel alium. Tr. 25. n. 36. & ſeq.
Urbanitatis virtus. Tr. 4. n. 61.
Uſurarius, qui uſum habet. Tr. 32. n. 20.
Uſus rationis quid ſit. Tr. 1. n. 2.
Uſus-fructus, & Uſus-juris, & Uſus-facti: quomodo differant. Tr.32. n. 14. 15.
Uſufructuarius ad quid teneatur. ibid. n. 19.
Uſucapio, quid Tr.32. n.75. & ſeq.
Uſurpare in vanum SS. Nomen Dei. Tr. 14. n.17. 18. & Tr.15. n.37. & ſeq.
Uſurpatio rei alienæ. *V. Furtum*, *Rapina*.

U S U R A.

Quid ſit. Tr. 33. n.96.
Quotuplex ſit. ibid. n.97.
Expreſſa, & tacita. ibid.
Uſura Palliata quid. ibid.
Quot modis poſſit palliari, n.98.
Sub Pallio Depoſiti. ibid.
Sub Pallio Emptionis, & Venditionis, nu. 100.
Emptionis, & locationis, n. 99.
Venditionis, & redemptionis, ſeu retrovenditionis, n.101.
Sub contractu Mohatra, Stocco, n. 101.
Sub Pallio venditionis credito factæ. Tr. 34. n.28. 29. & ſeq. ubi plures caſus.
Uſura prohibetur ab omnibus Legibus. Tr.33. n. 102.
Sperare lucrum ex mutuo, an ſit Uſura. Tr.33. n.103.
Exigere aliquid tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine eſt Uſura, n.104.
Exigere aliquid ratione pecuniæ præſentis. n. 105.
Ratione obligationis non repetendi ſortem niſi poſt tale tempus. Tr. 33. n.106.
Quæcumque obligatio impoſita mutuatario, ultra naturam mutui, ſapit Uſuram. n. 107.
Exigere aliquid ultra ſortem Juſto aliquo titulo, nu. 109. & ſeq. ubi plures caſus, & explicantur juſti tituli.
Quinque pro Centum an poſſint exigi, nu. 114. 115. & 116.
Qui bona fide facit contractum Uſurarium, quem non feciſſet, ſi ſciviſſet, quid Juris. ibid. n.115.
Uſurarius non acquirit Dominium rerum, & lucrorum, n. 116.
Pœnæ Uſurariorum, n.117.
Vulnerans Titium, qui ex tali vulnere moritur, quid Juris. Tr. 26. n.47.
Uxor an poſſit vovere, & quid. Tr.16. n.19.
Uxor ad quid teneatur erga Maritum ſuum. Tr.23. n.37. & ſeq.
Uxoris furta. Tr. 31. n. 37. & ſeq.
Uxoris peccata cum viro ſuo. *V. Conjuges*.

Z

Z*elotypia* Conjugum. Tr. 23. n. 39.
ex Zelotypia non poteſt vir occidere uxorem. Tr.25. n.15.

F I N I S.

Digitized by Google